[illegible]ela. de Sacrame[illegible]

A
11-257

2 v 10 7-7
Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 11
Tabla
Número 257

… de la Compª de Jesus de Granada

N.º 1
18-257

8

Del Coll.° de la Comp.a de Jesus de Granada.
R. 3296

# THEOREMATA MORALIA DECERPTA EX PSALMO XXII. DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

AVCTORE R. P. F. BENEDICTO FIDELE,
Siculo, Argyrenſi, S. T. D. Tertij Ord: S. Frãciſci Reg. Obſeruantię.

*Cum Quadruplici locupletiſſimo, ac copioſiſſimo Indice.*

Reuerendiſs. P. Fr. FRANCISCO GVASTAMIGLIO, Vicario Generali Apoſt.

CVM PRIVILEGIO.

Comprolo el P. Rector de Montenegro



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

PANORMI, Apud Hieronymum de Roſellis. M.DC.XXXVIII.
*Impr. Abbas Geloſus V. G. Impr. Corſett. F. P.*

REVERENDISSIMO PATRI

# F. FRANCISCO GVASTAMIGLIO

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

Regularis Obſeruantiæ Vicario Generali Apoſtolico, Patrono Colendiſſimo.

DVM hoc opus meum, Reuerendiſſime Pater, vt ad communem omnium vtilitatem peregrè proficiſceretur, typis mandare conſtituerem; id ipſum mihi, quod Tobiæ ſanctiſſimo, videtur eueniſſe. Illi, vt è patrio ſinu dulcem natum diſſitas mitteret in regiones, viæ ducem, cuſtodemq; quærenti, Angelus occurrit. Mihi, vt filium meum, opus, inquam, meum, ex me, meoq; ex vtero, ingeniolo ſcilicet meo, genitum, è tenebris in lucem ederem, ad exterorum plagas educere decernenti, ſtemmate decoratus angelico tu feliciſſime occurris. Quid nam te, quæſo, noſtras moderantem habenas, quam Angelum autumem? Regit, dirigit, corrigit, propugnat, zelatur Angelus homines. Tu quoq; idipſum in nos, tuo commendatos ſtudio, exequeris, ac pariter exequutus es. Iam ſe tibi aliàs noſtra ſacra Religio ſummo, quem habet, honore præfecerat. Iam non multis ab hinc annis onere per ſexennium functus Generalatus, angelico plane robore, angelica puritate, cura, integritate, nec minori prudentia, fratres tibi commiſſos

feliciter gubernaſti. Nunc verò iam te Beatiſſimus, ac Sũmus omnium Pontifex VRBANVS Octauus, tuarum motus virtutum, imò clangore miratus, eidem iterum addixit oneri, inſigniuit honore. Hinc tu mihi vt Angelus, operis huius mei, quem tibi reuerentiſſime conſacro, dux, cuſtos, patronus occurris. Tuum, precor, facias: nam tuus ego, voto, affectu, obſequio: alarum tuarum protegas velamento. Tuum erit, vt Angelum decet, tuæ protectioni commiſſum alacriter excipere, fortiter zelari, mordicus defendere. Neq; te, tuoſq; obtutus, ab eo, quod precor, munere rerum curam ſummarum crediderim auertere. Paruam quidem fateor rem; ſed magnorum eſt, ſic magna inſpicere, vt parua non dedignentur; ſic altis inuigilare, vt humilia non deſpiciant. Vtinam tibi tuo digna ſupercilio offerre potuiſſem? Quæ poſſum profero, quæ mea ſunt offero: hucuſq; meæ ſe extendunt vires, plus non poſſunt vltra. Seruet te demum Deus Optimus Maximus nobis quam diutiſſime incolumem. Vale. Panormi nonis Februarij M. DC. XXXVIII.

*Reuerendiſſimæ Paternitatis Veſtræ*

*Obſequentiſſimus, & ſtudioſiſſimus.*

*F. Benedictus Fidelis.*

## Licentia Reuerendiſſimi Patris Generalis.

FRater Franciſcus Guaſtamiglius, Fratrum Tertij Ordinis Sancti Franciſci Regularis Obſer. Vicarius Generalis Apoſtolicus.

Opus, quod inſcriptum eſt. Theoremata moralia ex Pſalmo 22. decerpta, de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. *Aucthore Admodum R. P. Magiſtro Benedicto Fideli, noſtræ Prouinciæ Siciliæ Commiſſario Generali; typis mandari permittimus, dummodo duo ex Patribus præfatæ Prouinciæ, Sac. Theo. Magiſtris, accurate perlegerint, ſtudioſeq; attenderint, & approbauerint. In quorum fidem, &c. Datum in noſtro Conuentu Sanctorũ Coſmæ, & Damiani de Vrbe die xx. Decembris.* 1637.

F. Franc. Guaſtamiglius Vic. Generalis Apoſt.

*Locus ſigilli.*

*F. Bonauentura Gianſabella Secr. Gen.*

---

Approbatio Adm. Reu. Patris Melchioris Balducci, Philoſophiæ, ac Theologiæ Lectoris, Societatis IESV.

EX commiſſione Admodum Illuſtris, ac Reuerendiſsimi Domini Don Ioannis Antonij Geloſi, Abbatis S. Lucæ, Decani Metrapolitanæ Eccleſiæ, Protonotarij Apoſtolici, ac Vicarij Generalis; recognoui Librum, cuius inſcriptio eſt: *Theoremata Moralia, decerpta ex Pſalm. 22. de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.* Auctore Admodum Reuerendo Patre Magiſtro Fr. Benedicto Fideli, Tertij Ordinis Sancti Franciſci in Prouincia Sicula Commiſſario Generali, & in eo omnia reperi orthodoxæ fidei, ac bonis moribus maxime conſona. Quin etiam animaduerti præclaras in eo contineri ſententias, ex Sacræ ſcripturæ, ac Patrum monumentis, diligentiſſime conquiſitas. Vnde exiſtimo huiuſmodi opus ad erudiendos ſacros concionatores fore aptiſſimũ, ac proinde dignum quod quam primum euulgetur, ac in lucem mittatur. Panormi 20. Septembris 1637.

Melchior Balducci Societatis IESV.

---

Approbatio Admodum Reuerendi Patris Fratris Cęlidonij Mariæ Drepanenſis S. T. D. & Prouinciæ Diffinitoris.

IAm ergo eam exhibet fulgentiſſimam lucem Sol, qualem prænunciauit Aurora; nimirum Fidelis, fideliter exitu præſtitit, quod iam pridem verbo pro-

promiſerat. En id oſtendunt ſua *Theoremata Moralia, ex Pſal. 22. decerpta, de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento*; quæ iuſſu Reuerendiſſimi Patris Franciſci Guaſtamigli Fratrum Tertij Ordinis Sancti Franciſci Vicarij Apoſtolici Generalis, qua potui diligentia hauſi, ſed non exhauſi. In eis quid non Fidei orthodoxæ, quid non honeſtandis moribus aptum? pugnant eruditio, profunda ſcripturarum intelligentia, exactiſſima commentatio acumen ingenij, pietas, ſtyli ſuauitas: vtrum ex his præcellat; dubia palma; hoc vnum certum, nullos non æquat, a nemine vincitur, & quod mirum ſanè eſt, nullum ferè Scriptorum genus in hiſce Theoromatibus videtur præteritum. Mihi ergo aſpicienti, euoluentique tanta induſtria, tanta eruditione reconcinnatum opus; dubium non fuit, prælo committi, mereatur, nec ne; ſed an lucem videre neceſſerarium magis fuerit, quam vtile: vtrumque certe ſiue Eccleſiaſticis, qui de ſuggeſtu concionantur, ſiue præceptoribus, qui ex Cathedra docent. Non ſolum igitur videant, ſed proferant lucem hæc Theoremata, & a tanto viro præla quotidie inſudent. Quod teſtor. Dat. in noſtro Conuentu Sanctæ Mariæ Annuntiationis Ziſæ Panormi. Die 14. Ianuarij 1638.

Fr. Cœlidonius Maria S. T. D.

---

Approbatio ad Reu. P. Magiſtri Petri Margàna Lylibenſis, in Conuentu S. Mariæ Annunciationis Ziſæ Ciuit. Panormi, Sacræ Theologiæ Lectoris, aliorumq; Studiorum Regentis.

Opus, inſcriptum, *Theoremata Moralia de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. ex pſalmo vigeſimo ſecundo decerpta* Auctore Admodũ Reuerendo Patre Fratre Benedicto Fidele Argyrenſi S. T. D. Tertij Ordinis Sancti Franciſci, & huius noſtræ Prouinciæ Commiſſario Generali, ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fratris Franciſci Guaſtamigli, eiuſdem Ordinis Vicarij Apoſtolici Generalis, vidi, ac perlegi. Illudque non modo accuratum, ſed & pium, ſed & periucundum valde à me repertum ingenue fateor. Allicit enim ſua Venere pulcra methodus, ſingularis doctrinæ candor, ſine tædio grata conceptuum varietas, & in uoluendis Sacrarum litterarum, Sanctorumq; patruum teſtimonijs, Auctoris diligentia non vulgaris: & quod primum eſt tam plene, tam cumulate, vt plena omnia, & varia, coronata reſplendeant, vndè

*Sepe ego digeſtos volui numerare colores*
*Non potui, numero copia maior erat.*

Illud ego cum video, videre mihi videor craterem miſtica Sapientia coronatũ, &, vt cum Ambroſio loquar, in omni doctrina tornatum, & potus ſpiritualis, ac ſanctitatis non deficiens plenitudine, ac cœleſtium ſecretorum cogitatione. Excuſſum igitur, vt decet, & refert, in veri numinis honorem maximum, ac fidelium omnium bonorum ceſſurum non dubito. Dat. in noſtro Conuentu S. Mariæ Annuutiationis Ziſæ Panormi. Die 2. Ianuarij. 1638.

Fr. Petrus Margàna S. T. D.

QVæ ex Pſalmo Vigeſimo ſecundo de Euchariſtico Sacro deſcribenda promiſi, iam tibi, Candide Lector, exhibeo. Fateor quidē in hoc me longa traxiſſe molimina: excuſatum me tamen habeas. Meæ etenim Religionis onera opus hoc hucuſq; detinuere. Addo pariter imbecillam, ægramq; corporis mei valitudinem. Quam ſi Deiparę genetrix, ANNA glorioſiſſima, Domina mea, cui compoſitionis huius progreſſum, ac complementum commiſeram, miro quodam, vt aſſolet, modo, ſuis non adiuuaſſet obſecrationibus, lucubrationes has, qualeſcumq; ſint, aut numquam, aut certè tardiùs exhibuiſſem. Hinc quæ de Sanctis præ manibus habeo, ne in eundem incidam errorem, promittere pertimiſco. Tuum erit, ſi quid ex eis tibi, ſtudiiſq; tuis, emolumenti promictis, deprecare Sanctos; ſic fortè habebis de Sanctis. Vale.

# INDEX AVCTORVM
## QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

AELIVS Lampidrius.
Æneas Siluius.
Albertus Magnus.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexādro.
Alexāder Monachus.
Algerus.
Aloyſius Lippoman⁹.
Alphonſus Abulenſis.
Alphonſus Salmeron.
Amalarius Fortunatus.
D. Amedeus.
D. Ambroſius.
Ambroſius Calepinus
Amphilochius.
D. Anaſtaſius Sinaita.
Anaſtaſius Nicenus.
Andreas Alciatus.
Andreas Eborenſis.
D. Andreas Epiſcopus.
Andreas Tiraquellus.
D. Anſelmus.
Apollonius.
Aponius.
Athenęus.
D. Antonius de Padua.
Antonius Gallonius.
D. Antoninus.
Arabica Translatio.
Aretas.
Ariſtoteles.
Arnoldus Abbas.
Auctor operis imperfecti.
Auctor Allegoriarū.
Auctor floſcorū Ariſtotelis.
Auctor Gēmæ Animæ.
Auerroes.

Aui-

Auicenna.
D. Auguſtinus.
Auguſtinus Mannus.
Aulus Gelius.
Bartholomæus Caſſanæus.
Bartholomæus Ferrarienſis.
Bartholomæ⁹ de Piſis.
D. Baſilius.
Beda.
Benedictus Iuſtinianus.
D. Bernardinus.
D. Bernardus.
Blaſius Vega.
Boetius.
D. Bonauentura.
D. Bruno.
Cæſar Ripa.
Canon Miſſæ.
Cathechiſmus Hiſtorialis.
Catullus.
Chryſippus.
D. Cryſoſtomus.
D. Chryſologus.
Chriſtophorus Caſtr⁹
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Cælius Rodiginus.
Cornelius Ianſenius.
Coſmus Magaglianus
D. Cyprianus.
Cyprianus Monachus
D. Cyrillus Alexandrinus.
D. Cyrillus Hieroſolymitanus.

Dio
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
D. Dionyſius.
Dionyſius Carthuſianus.
Diſcipulus.
Drogo Cardinalis.
Ebardus.
D. Ephrem.
D. Epiphanius.
Eubulus.
Eucherius.
Euſebius.
Euthimius.
Flauius Vopiſcus.
Ferdinandus Salazar.
Fortunatus Fidelis.
D. Frãciſcus Seraphicus.
Franciſcus Petrarcha
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Titelmanus.
Gaſpar Sanctius.
D. Gaudentius.
Georgius Presbyter.
D. Germanus.
Gilibertus Abbas.
Gilibertus Genebrardus.
Gloſſa Ordinaria.
D. Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nyſſenus.
Guerricus Abbas.
Guilelmus Pariſiẽſis.
Guilelmus Durãdus.
Guitmundus.
Haymo.
Henriquez.
Heſiodus.

Herodotus.
D. Hieronymus.
D. Hilarius.
Hiſa Rabbinus.
Homerus.
Honorius Tertius.
Hugo de S. Victore.
Hugo Cardinalis.
D. Iacobus Apoſtolus.
Iacobus de Valentia.
Idiota.
D. Ignatius.
Incognitus.
Innocentius Tertius.
D. Ioannes Damaſcenus
Ioannes Gerſon.
Ioãnes de Sancto Geminiano.
Ioannes Boccaccius.
Ioannes Grith.
Ioannes Pineda.
Ioannes Burgenſis.
Ioannes Rauiſius.
Ioannes Buterus.
Ioannes Lorinus.
Iorgius Cardinalis.
D. Irenæus.
D. Iſidorus.
Iſidorus Clarius.
Iulius Frontinus.
D. Iuſtus.
B. Iuo Carnutenſis.
Iuuenalis.
B. Laurentius Iuſtinianus.
Laurentius Surius.
Laurẽtius Canonicus
Leuinius Lemnius.
Lucas Abbas.
Lucas Burgenſis.

Ludo-

Ludouicus de Ponte.
Ludouicus Alcaſar.
D. Macharius Eremita.
D. Macharius Senior.
Macobrius.
Marcellus Donatus.
D. Marcus Apoſtolus.
Marcus Varro.
Marſilius Ficinus.
Martialis.
Martinus de Rio.
D. Maximus.
D. Maximus Confeſſor.
Maximus Monachus.
Michael Gliſlerius.
Miſſa Ethyopum.
Moyſes Barcepha.
Natalis Comitis.
Nicolaus Cabaſila.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus de Ploue.
Nicolaus Leonicus.
D. Nilus.
Nonius.
Odo Cameracenſis.
Odo Pariſienſis.
Oratius.
Origenes.
Ouidius.
Palladius.
Paſchaſius Abbas.
Paulus de Palacio.
Petrus Damianus.
Petrus Cellenſis.
Petrus Comeſtor.
Petrus de Paludano.
Petrus Galatinus.
Petrus Berchorius.
Petrus Lombardus.
Philippus Abbas.
Philo Carpatius.
Philo Hebræus.
Pierius Valerianus.
Picus Mirandulanus.
Plinius.
Plutarchus.
Primaſius.
D. Proclus.
Pſellus.
Quintus Curtius.
Rabanus.
Rabanus Maurus.
Raymundus Lullus.
D. Remigius.
Reuelationes D. Birgittæ.
Ricardus à Sãto Laurentio.
Rupertus Abbas.
Salomon Rabbinus.
Sanctes Pagninus.
Sebaſtianus Barrada.
Seneca.
Septuaginta Translatio.
Seruius.
Symmachus.
Simeõ Metaphraſtes.
Simeon Maiolus.
Simeon Porcius.
Sixtus Pontifex.
Sixtus Senenſis.
Stephanus Eduenſis.
Stephanus Facũdez.
Suetonius Tranquill'
Tertullianus.
Theobaldus Epiſcopus.
Theodoretus.
Theophilactus.
Teſtamẽtum Duodecim Patriarcharũ.
D. Thomas.
Thomas Bozius.
Titelmanus.
Torquatus Taſſus.
Tullius Cicero.
Valleſius.
Valleus Paterculus.
Victor Antiochenus.
Victorinus.
Vitriacus Cardinalis.
D. Vincentius.
Virgilius.
Vita B. Catarinæ Bononienſis.
Vita S. Geltrudæ.
Vitæ Patrum.
D. Zeno.

FINIS.

# INDEX THEOREMATVM EX PSALMO XXII. DECERPTORVM.

## EX TITVLO.

1. TAM magnum bonum eſt Euchariſtia, quod ferè neque in cælis ſit maius. Pagina 3. columna 2.
2. Tanti Deus homines facit, vt eis quotidiè effundat theſauros ſãguinis ſui. 13. 2.
3. Amoris triumphus Euchariſticum Sacrum. 20. 2.
4. Cæcorum theatrum eſt Euchariſtia, vbi qui magis vident, minus vident. 28. 2.
5. Imminueretur Chriſto clangor ſuæ laudis, ſi non inſtituiſſet Sacrificium Laudis. 35. 2.
6. Angelorum ſymphonia perſtrepant ſacra altaria. 41. 2.
7. Diuinæ omnipotentiæ admirandum, maximum, ferèq; ſupremũ opus, Euchariſtia. 48. 1.
8. Amantium eſca ſacroſancta Synaxis. 55. 2.
9. Perinde Sanctorum corda Chriſtum eſuriunt, vt præ ardenti eſu-

ſurie numquam non elãgueant, non inſaniant, non pereant. 62.1.

10. Magno Deus amoris igne ſucceſus languet in Euchariſtia. 69.1.

EX VERSV PRIMO.

1. Dum Rex Regum Chriſtus ſedet in throno altaris, dulceſcit eius Maieſtas. 76.1.

2 Hominem manſuefacit Euchariſticum Sacrum. 82.1.

3 Quod ex homine homo non trãſeat in brutum, ſacræ debet Synaxi. 88.1.

4 Mira Dei pietas, quod panem corporis ſui, non ſolum innocentibus, ſed & peccatoribus præbeat. 94.1.

5 Cui calicum manna non deeſt, nihil quidpiam deeſt. 100.2.

6 Vt deificaretur homo, Deus factus eſt cibus hominis. 106.2.

7 Bona gratia gratiarum tribunal. 112.2.

8. Deficeret Eccleſia, ſi Deus eam cæli pabulo non reficeret. 118.2.

9. Nihil, quod Deus non ſit, explet animæ ventrem. 125.2.

10. Omnibus numeris abſolutus debet eſſe Chriſti cõuiua. 133.2.

11. Quis quis indignè Chtiſtum manducat, non manducat Chriſtum. 139.2.

12. Chriſtiani hominis ingenuitas in eo maximè enitet, quod carne Dei ſui quotidiè delitietur. 146.1.

13. Nimis honorandi ſunt Sacerdotes, quorũ gratia Gratiæ delitiamur edulio. 152.1.

14. Vnum recipit, duos deijcit ſacrum Chriſti ſympoſium. 158.2.

15. Paruulus dignè capit, quem totus orbis non capit. 164.1.

16. Rerum omnium pulcherrimum locus decet pulchetrimus. 170.1.

17. Amor noſter Chriſtus, expoſitus in altari, raptor cordium eſt. 177.1.

18. Dum Euchariſticas deguſtaueris dapes, cuncta oblectamenta trades obliuioni. 184.2.

19. Non modo Chriſtus eſus, ſed identidem viſus, miro recreat modo. 190.2.

20. Euchariſtia vterus eſt, in quo homo regeneratur in Angelum. 196.2.

21. Euchariſtia laborantis animæ iucundiſſimum hoſpiciũ. 204.1.

## EX VERSV SECVNDO.

1. Admirabilis dignatio, qua vbi ſibi Chriſtus paſſionis ſuæ prælegerit amara, nobis aſſeruauerit dulcia. 210. 2.
2. In cælo eſt, qui cæli menſæ recumbit. 218. 1.
3. Mirabilis animæ dignitas accūbentis in menſa, cuius miniſtri ſunt Angeli. 225. 2.
4. Panis vitæ mors mundo viuis, mortuis vita. 231. 1.
5. Ardet ara Chriſti, ſuoq; accēdit accedentes ardore. 237. 1.
6. Mirum ſympoſium, panem apponens, qui cibum, & potum; vinum effundens, qui potum, & cibum, exhibet conuiuantibus. 243. 1.
7. Sacra Euchariſtia contemplantium eſca. 249. 1.
8. Puriſſimum Chriſti lac ſoli pueri exungunt. 256. 1.
9. Euchariſtico pharmaco iuueneſcunt ſenes, iuueneſq; ſeruantur à ſenio. 262. 2.
10. Sacra hoſtia mentis, non ventris, eſt cibus; animam, non corpus, reficit. 269. 2.
11. A Deo, perenni nouorum locorum hoſpite, niſi nouus ſis, numquam inhabitaberis. 275. 2.
12. Quos Euchariſtia reficit è terra erigit, vt in cælū extollat. 282. 2.

## EX VERSV TERTIO.

1. Magnum humilitatis exemplar Chriſtus in Euchariſtia. 290. 1.
2. Vt dignè Chriſtum accipias, Chriſtus fias. 295. 1.
3. Dæmonem in corde hoſpitari, & Chriſtum ore ſuſcipere, facinus execrandum. 301. 1.
4. Horrendo, pauendoque pane paſcendus paueat Chriſtianus. 306. 1.
5. Vt Cæli viuas incola, cæli panem eſurus. 312. 1.
6. Æquè Deus in communicante caſtitatem diligit, ac odit incontinentiam. 319. 1.
7. Procul ſint immunditiæ vndè Deus mundiſſimus nobiſcū præſto eſt. 326. 2.
8. Noſtrarum animarū zelus Deū è cælo trahit, & detinet in altari. 333. 1.

## EX VERSV QVARTO.


1. In agone mortis certantibus dat robur, fert auxilium, aduerſus hoſtes Hoſtia.341.1.
2. Expers mortis eſt cui cibus eſt Vitæ. 351.1.
3. Carnis vitam prorogat, mortemq; eliminat, Eucharisticum pharmacum.358.2.
4. Non regnabit per peccatum Diabolus, vbi regnat per Euchariſtiam Dominus. 364. 2.
5. Sapientiæ ſatur, ſapientiſſimus eſt. 370. 2.
6. Fons lucis Euchariſtia, ſplendet ex ea potatus. Splendet enim ſplendore paſtus. 376.1.
7. Euchariſtica dulcitudine dulceſcunt huius vitæ labores. 382.1.
8. Nullum non timeat malum, nullum non ſperet bonum, Euchariſtiæ particeps.389.1.
9. Noſtræ Deus conſulit infirmitati, dum obuelatus reſidet in Euchariſtia. 395. 2.
10. Eodē in corde, in quo cæli Rex conſtituitur, Dæmonem hoſpitari, quam horrendum facinus. 403.1.
11. Quædam Incarnationis extenſio eſt Euchariſtia, a Diuino amore adinuenta.411.1.
12. Quidam carcer eſt Sacramentum, in quo, ne quos amat relinquat, ſe Deus occluſit.416.1.
13. Æquè diuina Maieſtas ſedens in ſolio altaris, quam regnans in ſubſellio cæli, pertimiſcenda eſt. 422. 1.


## EX VERSV QVINTO.


1. Tali affectus eſt dulcitudine Deus, dum pro nobis penderet in Cruce, quod vt ea perpetim frueretur Sacrum altaris inſtituit.427.1.
2. Puriſſimo, ac Sanctiſſimo corpori Redemptori, puriſſimum, ac ſanctiſſimum conuenit habitaculum. 432. 2.
3. Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, Deiparæ debetur Virgini.439.2.
4. Horrendam iudicij faciem præferunt ſacra altaria. 445. 2.
5. Chriſti pane depaſtus magno ſanctorum Angelorum agmine conſtipatur.450.2.
6. Mira vis fidei noſtræ, ſine qua nec cæli munera, nec munerum elargitorem Deum, poſſumus pro-

promereri. 456. 1.
7. Ad ſacrum Eccleſiæ ſympoſium non niſi per pænitētiæ fores peccatoribus patet aditus. 461. 2.
8. Sanctæ Crucis fructu fruimur in altari. 467. 2.
9. Prædulciſſimus animarum ros æſtuātium in Purgatorio ſacroſancta Synaxis. 474. 1.
10. Vnus, idemq; panis dulceſcit iuſtis, & amareſcit iniuſtis. 481. 1.
11. Ad ſolamen noſtri exilij paratur menſa Eccleſiæ. 487. 1.

## EX VERSV SEXTO.

1. Regales Euchariſtiæ dapes ſolis Regibus patent. 493. 2.
2. Deus ad nos adueniens ſtudioſo à nobis excipiendus eſt apparatu. 499. 1.
3. Indignus eſt veſci Chriſto, qui non eſurit, nec ſitit Chriſtum. 504. 2.
4. Sacrum Chriſti ſympoſium ſpiritualium deliciarum cornucopia. 511. 2.
5. Execrandum hypocritæ ſcelus, dum Chriſtum manducat vt lateat. 517. 2.
6. Angelorum eſca nonniſi Angelos paſcit. 523. 2.
7. Summum terræ gaudium auguſtiſſimum Sacramentum. 530. 1.
8. Nulli non communis ſacroſancta Communio. 537. 1.
9. Viris, viribuſq; præſtantibus, non effæminatis, & pueris, paratur menſa Domini. 542. 2.
10. Sicut magna eſt culpa, qua ſe aggrauat homo, dum Chriſtum manducat cum culpa; ſic magna eſt pęna, qua pro tali plectendus eſt culpa. 549. 1.

## EX VERSV SEPTIMO.

1. Quos Spiritus Sanctus non præparat, filius Dei non inhabitat. 555. 2.
2. Fōs totius pulchritudinis noſtrę ſancta Chriſti Synaxis. 561. 1.
3. Qualis ad Chriſtum acceſſeris, talis ad te Chriſtus accedet. 567. 1.
4. Niſi in aula Amoris aulæis ornata nō manet Emmanuel. 574. 1.
5. Ex amoris vena Chriſti ſanguis ebullit. 578. 2.
6. Morborum animæ ſaluberrimū pharmacum ſacra Euchariſtia. 583. 2.

7. Chri-

7. Chriſtus comeſtus comedentes Chriſtos effingit. 590. 2.

conſortium Deus cælorum ſedi præponit. 605. 2.

## EX VERSV OCTAVO.

1. Nemo ditior Chriſti conuiua. 599. 1.
2. Magna venuſtas animæ, cuius

## EX VERSV NONO.

1. Neminem Deus excipit in cælum, à quo exceptus non fuerit ex altari. 611. 1.

*Ad. Reu. P. F. Hieronymus Fontana S. T. D.*
*Tertij Ordinis Sancti Franciſci*
*ad Auctorem.*

QVam bene colluſtras fidei Sacramenta Fidelis,
Atque ſacras Capiti Relligionis opus.
Ordinis aſſurgit Franciſcus mobile primum,
At Benedicte micas lucida ſtella Poli.
Eia age Franciſcum Benedicti ſtella coronet!
Præbeat ornatas irrutilare comas!
Sic tu ſtella micans tanto redimita Patrono,
Sic erit effulgens ſidere & ille Polum.

Summa Priuilegij.

PRoregis Siciliæ Priuilegio cautum eſt, ne quis Theoremata Moralia ex Pſal. 22. decerpta de Auguſtiſſimo Euch. Sacramēto, Aucthore P. M. Benedicto Fideli, Panhormi impreſſa 1638. ſine eiuſdem licentia intra decennium à die 13. Februarij eiuſdem anni incipiendum, & numerandum, in præfato Regno imprimat, vel imprimi curet, neque cò, alibi impreſſa diſtrahat, ſub pæna in originali Priuilegio expreſſa.

# PSALMVS VIGESIMVS SECVNDVS.

## TITVLVS.

In finem. Pſalmus Dauid.

1 DOMINVS regit me, & nihil mihi deerit, in loco Pa-
ſcuæ ibi me collocauit.
2 Super aquam refectionis educauit me, animam meam
conuertit.
3 Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen
ſuum.
4 Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala,
quoniam tu mecum es.
5 Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.
6 Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.
7 Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præ-
clarus eſt.
8 Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

# THEOREMATA MORALIA EX VIGESIMO SECVNDO PSALMO DECERPTA, DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

## *PRAEFATIO.*

NEMO vnquam addubitauit, Regium Pſaltem in vigeſimo ſecundo Pſalmo, quem expedendum aggredimur, Sacri Euchariſtici laudes decantare. Ità vtiq; ſentiunt Ambroſius, Theodoretus, Rupertus, atque alij paſſim. *Veniſti ad Altare,* inquit Ambroſius, *accepiſti Corpus Chriſti? audi quæ Sacramenta es conſecutus, audi dicentem S. Dauid: & ille in ſpiritu hæc myſteria præuidebat. & lætabatur, & nihil ſibi deeſſe dicebat. Quare? Quia qui accipit Corpus Chriſti, non eſuriet in æternum. Quoties audiſti Vigeſimum ſecundum Pſalmum & non intellexiſti? Vide quemadmodum aptus ſit cæleſtibus Sacramentis? Dominus paſcit me, &c.* Theodoretus identidẽ ſic eius inchoat commentarium. *Cum enim dixiſſet in Pſalmo proximè præcedenti: edant pauperes, & ſaturabuntur; Et rurſus: manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ; latenter innuit hic huiuſce cibi largitorem, & nuncupat educatorem,*

D. Ambr. l. 5. de Sacram. cap. 3.

Theodor. in Pſ. 22.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

*torem, paſtorem: ſic enim ſeipſum Chriſtus nominauit: Ego ſum paſtor bonus. Et hic igitur omnes, qui ſalutari cibo perfruiti ſunt, exclamant: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, &c.* Cenſet etiam Rupertus, Eccleſiam in hoc Pſalmo de tam magno Euchariſtiæ munere gratulari. His adde Valentiam, cuius ſententia eſt, Prophetam, dum hæc caneret, fertilitati Bethleem attendiſſe. Quia verò Bethleem latino idiomate; Domus panis interpretatur; *Gerit,* inquit, *typum, & figuram Chriſti Eccleſię, quia in ea naſciturus erat Chriſtus, qui eſt panis viuus, qui de cœlo deſcendit.* Sanè quid in hoc Pſalmo contentum Euchariſtiam non innuit? Rationabilium pecorum cibus, paſcuus locus, vitalis alimenti indeficiens vbertas, ſacrarum aquarum fluenta, cœleſtis menſæ apparatus, oleum caput impinguans, præclarus calix inebrians, magni Dei præſentia, ſpes denique cœleſtis habitaculi (de quibus hic Pſalmus agit) Euchariſtiam reſonant. Per eam etenim ſpiritualiter paſcimur, indeficienti ſaginamur edulio, fluẽtium gratiarum participes efficimur, cœleſtem deguſtamus menſam, Spiritus Sancti perungimur oleo, Dei noſtri perenni fruimur ſocietate; per quę eam cœleſtis Gloriæ pignus accipimus. Non immeritò igitur ad conſcribenda Euchariſtiæ mirabilia Euchariſticum Pſalmum expendere propoſuimus. Quod quidem tum in expenſione tituli, tum in ſingulorum verſuum interpretatione, opitulante Domino Ieſu Chriſto, qui rerum omnium Alpha eſt, & Omega, manifeſtius innoteſcet.

*Ruper. lib. 4. Cõment. in Pſal.*

*Iacob. de Valẽt. in Pſal. 22.*

# THEOREMATA MORALIA EX TITVLO PSALMI 22. DECERPTA DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO

In finem Pſalmus Dauid.

EXhoc Titulo, velut quodā ex inſcripto, cuique clarè cōſtabit, quid ſibi contineat hic Pſalmus, Nam, vt ſcribit D. Auguſtinus. *Solet ſcriptura Pſalmorum myſteria in titulis ponere, & frontem Pſalmi ſublimitate Sacramenti decorare: vt ſciamus, qui intraturi ſumus, cum, tanquam ſuper poſtem quid intus agatur, legerimus vel cuius domus ſit, vel quiſnam ſit illius prædij poſſeſſor.* Quare dum tibi primo occurrit *In finem*; ſiue, vt vertunt alij, *Effundenti ſanguinem*, aut *Triumphatori*, vel *Danti æternitatem*, Dumque, quod annectitur, *Pſalmus Dauid*, ſiue *Dilecti*, aut *Vultu deſiderabilis*, Chriſti typum gerentis; nihil aliud quidpiam commendari, & prædicari aduertes, quàm magna, & diuina myſteria Intemeratæ Euchariſtiæ; Sit ergo principium finis. *In finem.*

D. Aug. in Pſ.58.

## THEOREMA I.

In finem.

*Tam magnum bonum eſt Euchariſtia, quod ferè neq; in Cælis ſit maius.*

BEatus Theodoretus vnà cum Ianſenio pręter cōmunem aliorum Interpretum morem, titulo huius Pſalmi adiecerunt *In finem*: quia fortè cenſuerunt non prætermiſſum ab Eſdra. Qnod non im-

meritò (vt arbitror) excogitatum eſt: quippe, cum Regius Pſaltes in eo decantare conſtituiſſet Euchariſtici Sacramenti myſteria, cuius adinuentor Chriſtus; ad maiorẽ tanti opificis Gloriam, Chriſto conſecrari diſpoſuit in ſacris litteris *finis* nuncupato. *In finem*, inquit Hieronymus, *ideſt in Chriſto, qui finis eſt*. Chriſtus verò dicitur finis, *Non vt in eo*, inquit Paſchaſius, *finiantur, nè ſint, quæcumq; ſtatuta ſunt à Deo, vt ſint: ſed in eo, vt ad eum perueniant, vt benè ſint*. Quod Chriſto Domino tecto ſub ſenſibilibus panis mirum in modum quadrat: quippe ibi idẽ ipſe eſt, qui futurus eſt finis animarũ noſtrarũ, ad quẽ cõditi ſumus, .i. æterna Beatitudo noſtra. Sanè vbi dignè ad Euchariſtiam peruenerimus, ſi ea ſpectes, q̃ ſiuè per ſe, ſiuè q̃ concomitanter habet, tam grande bonum eſt nobis, vt neque in cœlis maius expectare poſſimus. Eiſdem enim replemur delicijs in altari, quibus Angeli perfruuntur in cœlis.

D. Hier. in tit. Pſ. 4.

Paſchaſ. in tit. Pſ. 44.

1 Expendenda ſunt primò, verba ſacri Canonis, quæ venerabilis Sacerdos, vbi Euchariſtiam fecerit, reuerentiſſimè profert, vocans eã donũ, ac datũ. *Offerimus*, inquit, *præclare Maieſtati tuæ de tuis donis, ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*. Primò quidem intuitu, vltra quàm res exigat, videtur addere verba verbis, & ſinè neceſsitate multiplicare vocabula: quippe, cum donum, & datum vnam, eademq; habeãt ſignificationẽ, quorſum vtroque vtitur, cum eorum alterum ſatis ſuperque ſufficeret? Toto errat cœlo, qui donum, ac datum idẽ exiſtimat ſignificare: id enim, quod ad dandum paratum eſt, etiam ſi non detur, donum dicitur; datum verò, quod in poſſeſsionẽ alterius iam tranſijt, ad actum de poſsibilitate productum, quia iam poſsidetur. Oportuit ergo Chriſti ſacra, & dona, & data vocari: profectò dona, & data ſunt. Data, eo quia appoſita ſunt nobis in menſa altaris, ac in noſtram peruenere poſſeſsionem: dona verò, quia nobis danda reſeruantur in cœlis. Proinde ait Odo Cameracẽſis Epiſcopus: *Dona ſunt in Cœlo, data in terra; dona apud Deum in Chriſto, data ſuper Altari in Sacramento; dona in cœlo nuda, & aperta; & data in altari tecta ſenſibilibus, & occulta; tamen hic, & ibi ea vera*. Qua de re, ſi eadem ferè ſunt munera quæ Deus Eccleſiæ præſtat, dum laborat in mundo, quæque eidem reſeruat, dum triũphabit in cœlis; aſſerẽdum eſt Sacram Euchariſtiam

In Can. Miſſæ.

Odo Camerac. in expoſit. canon.

riſtiam tam magnum bonum eſſe, vt neque in cœlis expectandum ſit maius. Hinc illud melliflui Bernard. *Tuta habitatio Paradiſus, dulce pabulum verbum. Habeo ego verbũ, ſed in carne; & mihi apponitur veritas, ſed in Sacramento.*

D. Bernard. ſermon. 33. in Cãtica.

2 Vt tam magnum myſterium pateſieret mũdo, ait Dominus Leuiticorum decimo: *Pectuſculum, quod oblatum eſt edetis in loco mundiſsimo*; ac ſi diceret. Quia pectuſculum eſt, ac mundiſsimum, in loco ſanctiſsimo, cuiuſque ſordis experte, oportet comedi. Pro quo adnotandum, per pectuſculum Domino oblatum D. Thomam intellexiſſe Corpus Redemptoris noſtri. *Pectuſculum* inquit, *quod optimum eſt, & dulciſſimum animalis, ſignificat dulcedinem Corporis Chriſti.* Quare dum mandat Deus pectuſculum edendum in loco mundiſsimo, ænigmaticè loqtur de comeſtione Corporis vnigeniti filij ſui. Sed cũ Corpus Chriſti, vt patet, edatur in terra, quiſnã locus in terra perindè ſordiũ expers inueniri poſsibile eſt, vt dici poſsit mundiſsimus? Terra quippè tãtorum peccatorum fœdatur illuuie, vt nullus in ea ſit locus, qui non ſordeat, non inquinetur, non fœteat. Ijs videtur verbis prohibere Deus pretioſi Corporis ſui comeſtionem in terra, cui pro eo edendo deeſt puritas requiſita. Porrò velim Dei verba attentius expendas, ac pariter aduertas, quod non ait, Edatis, ſed, *Edetis in loco mundiſſimo*; id eſt in futurum, nempè in cœlo; (quod per locum mundiſſimũ intelligitur à D. Thoma.) Vbi poſtquam ex terra hac emigrauerimus, beatiſsime cõuiuendũ. Plane nunc Ieſus comeditur in loco immundiſſimo, quodque maius eſt, & ab immundiſsimis. Verum in futurum, nempe in Cœlo, non niſi in loco mundiſsimo, ac pariter à mundiſsimis ſuo modo aſſeruatur edendus. Velut ſi Deus dixiſſet: Tam ſublimi dono locupletaui mundum, tam luculento ornatu ſpõſam meam decoraui; tam magnis dapibus veſtras menſas compleui; quod cum in Cœlos, vt vos beam, admiſero, maiores ferè opes, quibus vos ditem; maiora ornaméta, quibus vos afficiam; maiores dapes, quibus vos ſaginem, mihi penitus deſint. Quibus verbis innuebat Deus, poſtquam homines ità vixerint in terra, vt expleto vitæ curriculo, reciperentur in Cœlum, ſe ibi eis regales appoſiturum menſas, ijſdem ferè dapibus expletas, quibus militantis Eccleſiæ cumulantur altaria. Sic D. Thomas concludit: *Pectuſculum come-*

Leuit. 10. 14.

D. Thom. opuſc. 58 cap. 4.

D. Thom. ibid.

*comedetur in loco mundiſſimo; quia dulcedine Corporis Domini, qua hic paſcimur in velamine, & Sacramento, ea fruuntur Beati in manifeſta viſione in Cœlo.*

3 Legimus in Apocalypſi, Chriſtum Deum noſtrum ianuas noſtras pulſare; vt, ſi exaudire, ac aperire libuerit, nobiſcum accumbat, & cænet.
*Apocal. 3. 20.* *Ego, inquit, ſto ad oſtium, & pulſo, vt ſi quis audierit vocẽ meã, & aperuerit mihi ianuã, introibo ad illum, & cœnabo cum illo.* Sed quiſnam mortalium Mida, Cræſoque ditior, hoſpiti tam magno, conuiuæ tam nobili, Regi tam excelſo, parare poterit mẽſam Maieſtati eius condignam? Ne te quæſo cauſeris; ſecum affert, quas tecum manducet, dapes, nempè ſeipſum, vitæ æternæ panem:
*Ioann. 5. 35.* *Ego ſum,* inquit *panis vitæ*: Neque rerum tuarũ, quamuis apponas ambroſiam, fundaſque nectar, vel extremis labijs quidquam attinget. Se ipſo tantùm ſe cibat, cibus factus, & conuiua.
*Guerric. Abb. ſer. 3. de Annunt.* *Idem eſt* inquit Guerricus *qui cœnat, & qui cœnatur; qui comedit, ipſe eſt panis, qui ab eo comeditur. Res mira; ſed res vera: quia Chriſtus non alio pane, quam ſeipſo paſcitur.* Hæc dicta ſint modo, vt probè ſcias Chriſtum Deum alio, quàm ſeipſo pane non vti, non enutriri, non refici, non oblectari. Nam cum ſit Deus, nullibi, neque adeo in Cœlo, panem dulciorem, delicatioremq; ſe poterit inuenire. Quia verò Chriſtus Deus in conuiuio Eccleſiæ te de ſeipſo, de quo ſeipſum alit, quotidie paſcit, quo nec cœli menſa ſuauius apponit: expende ſi poſſibile erit, expectare maius in cœlo, eo, quod habes, & manducas in terra?

4 Ne te quæſo prætereat, quod cum Chriſtus Apoſtolis calicẽ præberet, ait. *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti.* Noui inquit *Matt. 26. 28.* non veteris. Cur noui. Quoniã id ipſũ tũc dedit, quod dabit in cæleſti conuiuio: eadẽ enim præſtat in cælo, quæ, & in nouo teſtamento. Hoc ſanè inter vetus, & nouum intereſt teſtamentum; quod ibi cæli promittuntur bona, hic vero dantur. Quidnam in veteri lege per propoſitionis panes, perſimilam, oleo conſperſam; per que manna, Deus innuebat, quam Vnigenitum ſuum, ſub forma panis incluſum? ſed tũc illum ibi promiſit. *Dominus bona promiſit Iſraeli;* *Num. 10. 29.* aiunt veteres paginæ. Dedit autem in nouo teſtamento, poſtquam factus eſt homo. *Non Moyſes, inquit,* *Ioa. 6. 32* *dedit vobis panem de cælo verũ. Sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Neq; aliud oſtẽdet in cælo, niſi quem obuelatum dedit in ſacro altari; tunc enim ait, *Longitudine dierũ replebo eum, & oſtendam illi ſaluta-* *Pſal. 90. 16.*

ta-

*tare meum*. Vides Vnigenitũ Dei; quem Deus oſtendet in cælo, datũ in ſacramẽto? Hinc illud Algeri. *In veteri teſtamento dedit Deus tantum figuræ vmbram, in nouo veritatem cum figura, in futuro dabit veritatem non cum figura, ſed manifeſta. Vetus enim teſtamentum veritatem promiſit, non dedit; nouum dedit, ſed non oſtendit. Quid reſtat niſi vt eadem veritas in alia vita manifeſtetur?* Noui teſtamenti ſanguis eſt Euchariſtia, in ea.n. dedit tibi Deus, quod dabit olim in regno cæli. Eodem quidẽ dono gaudet vtraque Eccleſia; niſi hæc obuelato, reuelato illa perfruitur.

*Algerus de Sacr. lib. 1. c. 8*

5 Operepretium eſt adnotare, ſponſam Chriſto dilecto vbera attribuiſſe. *Meliora* inquit *ſunt vbera tua vino fragrãtia vnguentis optimis*. Quod pulchrè dictum eſt, ſane nutrix Eccleſiæ eſt. *Ego quaſi nutricius Efraim*, inquit: nutrit enim eã lacte Deitatis, carnis, & ſanguinis ſui. Sed, cum Eccleſia ſit vna, vnde decãtamus, *Vnã ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*; & vni, vber vnum ſat, ſuper que ſit; quare potius ſponſa ait *vbera tua*, quàm *vber tuum? Meliora ſunt* ait *vbera tua*. Eo quia Chriſto duo ſunt gemelli, vnus in Cœlo, alter in terra; vnus in Gloria, alter in labore; vnus quieſcens in patria, alter peregrinans ad patriã; prædilectos ambos, charoſque habet: quos, quoniam inceſſanter ſe ipſo alit, duo oportuit habere vbera. Eam ob rem natura mulieres duabus exornauit mãmis, vt, ſi gemellos parerent, commodè poſſent vtrumque lactare. *Sapientem fuiſſe naturæ prouidentiam conſtat*, ait Plutarchus, *qua duplices mulieribus mammas addidit, vt ſi gemellos peperiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberent.* Horũ vberũ Chriſtus vnum in cælum diſtendit, quod propinat Beatis; alterũ ad altare, quo lactat viatores; illos, ac iſtos, tametſi diuerſimodè, participes reddens diuinæ ſubſtantiæ ſuæ. Quo circa eodem ipſo lacte, quo cœli ciues alũtur in patria, enutriuntur etiam, qui viuunt in exilio: neque maius illis exhibetur in cœlo, quo iſtis conferatur in terra.

*Cant. 1. 2.*

*Oſeæ 11. 3.*

*Symb. Nicæn.*

*Plut. de Educat. liber.*

6 Inter ea, quæ de Cęli Gloria enarrantur oſtẽſa Apoſtolo Ioanni, agitur de quodam fluuio à ſede Dei profluente, totamque Cœli curiam, vt ait pſaltes, lætificãte. Cui in vtraque ripa, nempe in dextra, ac ſiniſtra, vitæ arbor adhæret. *Et oſtẽdit mihi fluuium aquæ viuæ, procedẽtẽ de Sede Dei, & Agni: & in medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ.* Planè hic locus non eſt, vt dicunt, extremis labijs attingendus;

*Apoc. 21. 2.*

dus; ſed accurata expendendus animaduerſione: nam primo intuitu haud paruipédendam afferre videtur difficultatem; in eo nempè, quod arborem vitæ in vtraque parte fluminis plantatam referat. Si Beato Ioanni non plures, ſed vna tantum arbor, oſtenſa eſt (neque enim plures, ſed vna eſt arbor vitæ) cenſendum eſt eam in vna parte fluminis dūtaxat vidiſſe, & non, vt recenſet, vtilibet parti adhærētem, duoque loca occupanté. Quiſnam vnquam audiuit vnū, & idem corpus duo loca occupare? *Sicut duo corpora*, ait Ariſtoteles, *non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ità nec vnum in diuerſis locis*. Vno, eodemque tempore duo loca occupare, atque hic, & ibi eſſe, neque Angelis conceſſum eſt hactenus. Fortaſſe reliquit hæc arbor præfixos naturæ limites, & quãuis eſſet vna, duobus erigebatur in locis? Hoc planè dicendum figuratè quidem alloquitur. Arbor ſiquidem vitæ Chriſtū Regem noſtrum præſignabat Apoſtolo, in vtraque parte fluuij plantatum; nimirum in dextra, id eſt in æterna Gloria, & in ſiniſtra, hoc eſt in præſenti vita. Ibi detecto vultu, nulloque obuolutus cortice, cœlorum ciues lętificat; hic verò tecta facie, ſub ſenſibilibus panis incluſus, corda reficit viatorum; & quamuis verè ſit vnus, ſua tamen fretus omnipotentia, duobus patet in locis. *Lignum vitæ* ait D. Vincentius *eſt Chriſtus, qui eſt in vtraque parte; quia in parte dextra eſt in Paradiſo, & in hoſtia conſecrata per Sacramentum in hoc mundo*. Quod profectò oſtenſum eſt Ioanni; vt Sanctos laborantes in hoc mundo lætificaret; eiſque innueret, quod cum Sacro Corporis Redemptoris epulo reficiuntur, eodem illo reficiuntur, quo Cœli ciues epulantur: nec quidquã in menſa altaris deeſſe cordibus ſuis, quod miniſtretur Angelis in conuiuio Cœli. *Eundem panem*, ait Vgo de S. Victore, *manducat homo, & Angelus; ſed homo adhuc in medicina, Angeli in delicijs*.

*Ariſt. li. de Princip. cap. vbi.*

*D. Vinc. ſerm. 3. de Corp. Chriſt.*

*Hugo de S. Vict. in Spec. Theol.* 7.

7 Vnde eſt, quod Eccleſia dum ſacrum facit Angelorum hymnum decantat? Quarè potius illud decantandum ſibi non ſeruat in Cœlo cum Angelis, & Archangelis, vbi eò è hac lachrymarū valle migrauerit? Scio quidem noluiſſe Hebræos in terra aliena cant[...] cum Domini cócinere; eo qu[...] exules, & deportatos potiu[s] vlulatus, ac planctus, quam Cantica deceāt: Eccleſia ve[rò] eiecta à Patria, ac mulctata exilio, Beatorum Canticum terra miſeriæ, ac mæroris c[a]nit: vnde vſque adeo beatitudo,

do, ac felicitas abeſt, vt ei potius lamentationi ſit, quàm exultationi, vacandum? Non abs re hoc facit Eccleſia; quippe, dum ineffabile myſterium celebrat, Angelorum ſe ſociã agnoſcit; non ſecus, ac ſi cum Angelis & Beatis cœlicæ menſæ accũbat: proculdubio ſciẽs ſibi in ſua menſa eumdem ferè panem apponi, quo Cœli ciues epulantur in Cœlo. Quia verò ob tanti ferculi communicationem Beatam ſe cenſet, paremque Beatis, Beatorum hymnum decãtat, aitque Gloria in excelſis Deo. *Quia*, inquit Valentia, *Eccleſia in Miſſa communicat cum triumphante; quia eodem pane Angelorum reficitur iſta, & illa; nam eodem pane, quo ea fruitur facialiter, per claram viſionem, & appræhenſionem; reficitur, & fruitur iſta ſacramentaliter per fidem, & Charitatem in Sacramento Altaris. Ideo Eccleſia, tamquam Angelorum ſocia, cantat in miſſa canticum eorum dicens: Gloria in excelſis Deo*. Dum ergo ſacro aſsiſtis, ibique Angelorum hymnum decantari exaudis, recordare te conuiuam Angelorum eſſe, eodemque, quo Angeli, enutriri ferculo, impinguari edulio, refici poculo.

*Iacob. de Valẽt. in Cãt. Angel. in fin.*

8 Cum Summus Pontifex Sacrum ſolemniter celebrat, diuinum Chriſti Corporis Sacramentum *ſumit omnibus vidẽtibus*, ait Doctor Seraphicus; *in nam ſedens in cathedra vertit ſe ad populum*. Vbi Sacerdotes alij, cæterique fideles, dum ſacra percipiunt, terga vertũt populo, Pontifex è cõuerſo ſe ſe cunctis oſtendit. Sed quorſum hoc? Ratio, ni fallor, hæc eſt. Quia Pontifex, & ſi peregrinetur in terrris; non ſecus tamen, ac ſi quieſceret in patria, Beatiſsimus dicitur, & prædicatur, quo nomine Angelorum acies, cęlicolęq; alij decorantur; cœlorum ciuem agit. Quia vero dum ſacra percipit myſteria, vtpote Beatus, ea non cẽſetur comedere, quæ comedunt incolæ terræ; ſed dulciora, ſed delicatiora, ſed exquiſitiora, quæ Beatis apponuntur in cœlo: verè tamen eadem ſunt, ac illa, quamuis obuoluta; dũ talibus fruitur epulis, ſeſe conuertit ad populum: vt percipiant omnes eodem ipſum, quo, & ipſi, enutriri ferculo. Pariterque aduertant, vno, eodemque pane Eccleſiam refici militantem, & perfrui triumphãtem: neq; meliora ſeruari Beatis in cœlo, ijs, quę peregrinantibus diuiduntur in terra.

*S. Bonau. in Pſal. 21.*

9 Dum ſponſus Ieſus, vt habetur in Cant. ſe lilium vocat. *Ego flos campi, & lilium conuallium*; haud obſcurè innuit Sacramentũ altaris. Pul- Cant. 2. 1.

cherrimum proculdubio, ſuaueque lilium eſt Euchariſtia; nam cum à D. Auguſtino ſub lactis typo exprimatur, dicaturque, *menſa lacteſcens, ac paruulis appoſita*; non ineptè dicenda eſt lilium, quod à colore lacteo, eo quod lacteſcat, liliū dictum eſt. *Lilium lactei floris herba, quaſi lidia*, inquit Iſidorus. Rurſus, ſicut lilium ab humo; vnde procedit, erigit ſeſe, caput ad cœlum eleuat, alijſq; ſuper eminet floribus, ex quo dicitur regius flos: ſic Sacra Euchariſtia omnibus floribus, ideſt omnibus Dei muneribus, imminet, quæ ſuæ ſponſæ, vt decoretur, conceſſit Deus. Demum adde, quòd, vbi vulgatus habet, *Ego flos campi, & lilium conuallium*, Cyprianus Monachus vertit: *Ego flos ſaturitatis*. Quidnam queſo animæ eſuriem ſaturare poterit, quàm diuiniſſimus ſacri altaris flos, liliumque Euchariſticum; cum quæcumque ſint, ſiue in Cęlo repoſita, ſiue in terra conceſſa, eam prorſus inanem relinquant? Pulcherrimè ergo Chriſtus ſub typo lilij floris ſeſe exprimit, cum altaria noſtra decorat. Verum ſi Euchariſtia flos eſt, & non fructus, quorſum dicitur *flos*, ſiue *lilium ſaturitatis*, cum non flores, ſed fructus ſaturitatem efficiant? Eo quia, vt ait Hugo, lilium, non modo flos eſt, ſed, & fructus. *Ipſe flos eſt*, inquit, *& fructus*. Quippe vbi reliquæ plantæ poſt flores fructus producunt, lilia expāſis floribus fructus nō ferunt: ſat eſt illis flos ſuus, quo pro flore, & fructu fruuntur. Vt erudiaris, aduertit Hugo, quod *Chriſtus Dominus flos, & fructus idem eſt; ſed flos expectantibus, fructus fruentibus*. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Idcirco ſpecioſiſsimo lilio Chriſtus ſpōſus confertur; quoniam idem ipſe flos eſt manducantibus in menſa Eccleſia, ſpes nempe æternæ vitæ, expectatæ in poſterum; pariterq; fructus in cœleſti menſa appoſitus compræhenſoribus, ac Beatis. Quare, quamuis nos Deus noſter hic flore paſcat, illos vero illic fructu; idem tamen eſt cibus, eo quia idem eſt flos, & fructus, qui editur vtrobique. Flos, dum obuelatus accipitur in Sacramento; fructus, dum detecto vultu manducatur in cœlo. Nè ergo maius tibi repromittas in cœlo, eo, quod habes, & manducas in terra.

*D. Aug. in Pſ. 33.* *D. Iſid. Etym. ol. lib. 18. cap. 9.* *Cyprian. Mon. in c. 2. Cant.* *Hug. Car. in cap. 2. Cant.*

10 Vt oſtenderet Dominus dilectis diſcipulis ſuis Philippo, ac Nathanaeli maieſtatem Gloriæ ſuæ. *Videbitis*, inquit, *cęlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis*. Velut ſi dixiſſet: vſque adeo ſublimis, *Ioa. 1. 51.*

atque

atque admirabilis eſt gloria hominis huius, quem carne videtis opertum, vt Angelicos ſpiritus, cœleſtis Regni Principes, habeat pro miniſtris: videbitis enim Angelos è cęlo deſcendentes in terram, deque terra aſcendentes in cęlum, vt ad eius obſequium reuerenter aſsiſtant, ſeduloq; miniſtrent. Quam pulchrè ſuper hũc locum philoſophatur Auguſtinus; demumq; cõcludit, Dominum Ieſum Chriſtũ, vno, eodemq; tempore adeſse in cęlo, pariter, & in terra: propterea quod Angeli, vt ei debita exhibeant miniſteria, eiuſque perfruantur decore, vno, eodemque tempore ad eum, & deſcendunt in terram, & aſcendunt in cęlum. *Non diceret aſcendentes ad filium hominis, niſi ſurſum eſſet; nec diceret deſcendentes ad filium hominis, niſi deorſum eſset: ipſe ſurſum, ipſe deorſum.* ait S. Doctor. Surſum eſt Chriſtus, quia ad dexteram Patris reſidens pabulo pulchritudinis ſuæ Cęlorum ciues ſaginat. Deorſum identidem: quoniam millies in die oblatus ſuper altare pane corporis ſui fidelium mẽtes impingnat: neque aliud maius exhibet in cęlo, quod nõ præſtet in altari. Idem quidem eſt cibus, & ſi alius apparatus.

*D. Aug. de verbis Domin. ſecun. Ioan. ſerm.*

11 Vides Euchariſtiam vbique gentium denarij figuram habere? *Statutum eſt in modum denarij formari, vel fieri*, ait Auctor Gemmæ animæ. Hoc verò fit, vt eam denarium cẽſeas. Sed quare denarium? Quia merces eſt æternæ retributionis. Quippe cum denarius numerum decimum contineat, vnde nominis habet originem, cęlorum mercedem ſignificat, quam conferri decem ordinibus, nouem videlicet Angelorum, vnoque hominum, haud ignoramus. Inde eſt, quod ęterna Sanctorum merces Matthæi vigeſimo ſub typo denarij deſcribitur, vbi, qui laborauere in vinea Domini, peracto iam opere, denario donantur diurno. *Hæc merces* ait D. Antoninus *dicitur denarius propter recipiẽtium qualitatem; ij ſunt Angeli, & homines, qui ſunt decem; quia nouem ſunt ordines Angelorũ, & quaſi decimus natura humana.* Rectè ergo ſacra Euchariſtia, cum ex eo, quod continet, ille ſit denarius, quo nouem Angelorum chori, decimuſque hominum remunerantur in cęlo; ſub forma denarij conficitur. Quod quidem facit Eccleſia, vt tibi ante oculos ponat ferè idipſum, quo demum perfrui ſperas in Paradiſo, Dei quadam ineffabili magnificẽtia, antequam cœlos aſcẽdas, præſtitum eſſe in terra: neque

*Auct. Gẽmæ Animæ lib. 1. c. 66.*

*Matt. 20. 2.*

*D. Antonin. par. 1. tit. 5. c. 1. §. 11.*

ibi maius eo, quod hic exhibetur, exoptandum, ac expectandum.

12 Euchariſtiam à plerisq; æternæ vitæ arrham vocari, ſcio te non latere. Illud Saluatoris noſtri; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã;* elucidans ait Hugo, *Habemus vitam æternam, quia iam habemus arrham.* Quod, & Florentinorum glorioſiſsimus Præſul eleganter attingit; dum ſacrũ Chriſti corpus nihil aliud eſſe percenſet, quam *Redemptionis noſtræ memoriale dulciſſimum, futuræ iucunditatis amabiles præludium, arrham ſponſæ.* Vitæ æternę arrha dicitur Euchariſtia, quia pro vita ęterna comparanda præſtatur. Sed cur potius arrha, quã pignus, vt dicitur ab Eccleſia; *Et cæleſtis gloriæ nobis pignus datur?* Vt diſcas tale, ac tantum bonum eſſe, vt ob diuinitatem in ea contentam nihil ipſa maius apponatur in cęlo: idem ſanè eſt, quod ſacro in altari mortalibus exhibetur, quam quod in cælo beatis apponitur, licet diuerſimode. *Pignus eſt*, ſcribit Iſidorus, *quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, ſtatim aufertur. Arrha vero eſt primum, quod pro rei bonæ fidei contractu empta, ex parte datur, & poſtea completur. Eſt autem arrha complenda, non auferẽda: vnde qui habet arrhã, non reddit, ſicut pignus, ſed deſiderat plenitudinem.* Arrha non pignus, prout noſtra nunc intereſt, Euchariſtia eſt, nõ enim auferetur, ſed complebitur in cælo. Porrò, quia in ea Chriſtus Deus præſtatur, cęleſtium deliciarum prægustationem habemus, noſtræ initium beatitudinis, diuinæ fruitionis prælibamentum: nihilq; amplius cęli exhibet menſa, quo, etſi ex parte, noſtra nobis non præſtent altaria, non apponãt conuiuia, non fundant pocula.

*Ioã. 6.*

*Hugo Cardin. ibid.*

*D. Ant. par. 3. tit. 13. c. 6.*

*D. Iſidor. Etym. li. 5. c. 25.*

13 Vbi Dei Sacerdos ſacra protulit verba, & hoſtiam cõſecrauit, ſublime eleuat eam, velut cœlum oſtendat. Quorſum autem hoc? Vt te gaudio adimpleat: oſtendit enim cœlum, vt obtutus tuos ad cœli menſam conuertat, vbi vna cum Angelis Deus ſanctos ſaginat: edoceatque ſanctum illud ferculum, quod lætabundus ſuis habet in manibus, miſſum ſibi à Deo, ex illa met menſa cęli, vt tu ferè ipſo eodem oblecteris epulo, quo Angeli, & Sancti deliciantur in Patria. En doctorem Seraphicum. *Eleuat Sacerdos Corpus Chriſti in altari, quaſi diceret: ò fideles Chriſti gaudete, & aſpicite. Hæc eſt enim Cœleſtis prębẽda Angelorum, quam nobis trãſmiſit largiſſimus Rex Cęlorum: vt omni gratia, & benedictione*

*D. Bonau. in c. Miſſ.*

*ſtione repleamini.*

14 Cæterum nota, quàm apto pennicillo hoc metipſum myſterium delineabat Spõſa. *Dũ eſſet*, inquit, *Rex in accubitu ſuo, nardus mea, &c.* His pręſentem facit dilectũ in ſacro altari nobiſcũ accumbentem conuiuã factũ, & eſcã; vbi, vt cunctis patet, & manducatur à nobis; noſque, vt nos in ſeipſum conuertat, (quod mãducantis eſt) manducat & ipſe. Verum, & quia, quod vulgatus habet, *In accubitu ſuo*, interpretatur ab alijs, *In circulo ſuo*, nimirum in Deo, qui circulus eſt, cuius vt aiunt, centrũ vbique, & circumferentia nullibi: clarè docemur Chriſtum eodem tempore, quo præeſt altari, præeſſe etiam Cœlo in dextera Dei Patris. Vnus, & idem; totus, & integer; vno, eodemque tempore duo tenet ſubſellia. Quorſum autem hoc dicitur? Vt tibi innoteſcat eaſdem dapes in cœlo apponi cœlorum conuiuis, quæ apponuntur in terra, terræ conuiuatoribus. Audi Auguſtinum de Incarnatione Verbi loquentem, in qua ſacri ferculi extiterunt primordia. *Totus erat*, inquit, *apud Patrem, quando venit ad Virginem; impleuit illam, non receſſit ab illa. Veniebat in carnem, vt eum homines manducarent, & remanebat integer apud Patrem, vt Angelos paſceret.* Ac ſi diceret: E cœlo venit ad Virginem, vt nos ſeipſo reficeret; ſed nõ reliquit cœlum, ne cœlorum mẽſas euacuaret: eadem licet diuerſimodè comedũt compræhenſores in patria, quæ viatores in exilio.

*Cãt. 1. 12*

*D. Aug. apud Caniſ. de Deipar. lib. 3. c. 7*

## THEOREMA II.

### In finem,

*Tanti Deus homines facit, vt eis quotidie effundat theſauros ſanguinis ſui.*

VBi ſeptuaginta Pſalmos inſcribunt *in finem*, Felix, quem allegat Titelmanus, vertit, *Effundenti ſanguinem*. Planè conueniebat, vt duuimus Pſaltes, cui non modo incumbebat decantare Chriſti Diuinitatem, ſecundũ quam æternus creditur, & immortalis; verum & humanitatem, ſecundum quam paſſionem erat ſuſcepturus, & effuſurus ſangninem, tali Euchariſticum Pſalmũ decoraret fronte, tituloque inſcriberet. Vt doceret homines quanti Deus eos faciat, pro quibus pretioſos, & inæſtimabiles ſanguinis ſui theſauros perpetim effundit in aras Eccleſiæ. *Effundenti ſanguinem*. Effundere ſuper abundantiam denotat.

1 Miro quodam exemplo vti-

vtitur S. Dauid in ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo, cùm poſt præuiſum Dominum ſub typo petræ deſerti, quæ à Moyſe pcuſſa largos ſcaturijt fontes, perennè Chriſti ſanguinis decurſum deſcribit, dicens: *Et eduxit aquam de petra, & dedu xit velut flumina aquam.* Ac ſi clariùs diceret: Poſtquam ſæua illius militis lãcea petram hanc percuſſit in pectore, continuò ſanguis, & aqua fluminũ inſtar, fluxere. Vides Chriſti ſanguinis affluentiam typo fluminis declarari? Cur non torrentis, cum æquè torrentes, ac flumina, copioſis, ac largis turgeant imbribus? *Fluuius* ſecundum Iſidorum *eſt perennis aquarum decurſus à fluendo perpetim dictus: dictus autem tor rens; quia pluuia creſcit, ſiccitate torreſcit, cui Græci ab hyeme nomen dederunt; illi à tempore, quo ſuccreſcit, nos à tempore, quo ſiccatur.* Quia iam præuidit Vates, ſi decurſum ſãguinis Chriſti torrenti contuliſſet, explicuiſſe ſe quidem miram diuini cruoris effuſionem; ſed temporaneam, ſed deficientem; maluit eam comparare flumini perenniter affluenti, quàm torrenti, tantocies areſacto. Prætioſus enim Chriſti cruor ſic pro ſalute noſtra ſemel effluxit in Cruce, vt replẽs quotidie altarium alueos iugi, ac perenni decurſu, nec per momentum ſiſtatur, ſicceturq; *Eduxit aquam de petra* ait Hugo Card. *quia de latere aperto exiuit aqua cum ſanguine teſtamenti æterni, & hæc aqua non deficit; quia deduxit tamquam flumina aquas; flumen enim deſcendens de monte non ſiccatur.*

*Pſal. 77. 16.*

*D. Iſid. ethymol. lib. 13. c. 21.*

*Hug. Car. in Pſ. 22.*

2 Dũ Diuus Bernardus pectus Ieſu Chriſti reverenter adorat, vocat eum *amoris domicilium,* quod amor, & dextera ſagittis, & læua flammis armatus, iugiter inhabitat. Hinc tecum ipſe recogita, quid in præ diuite, ac pecunioſo domicilio illo, vbi Deus theſauros ſuos omnes repoſuit, ſæuus amor, ferro adiutus, & igne, quotidie moliatur. Ambigendum non eſt vt ad ſalutem noſtram cedant omnia, omnia quotidie deuaſtare, depopulari, diripere. Hic duo velim aduertas: alterum eſt, quod diuitiæ Dei noſtri, in valore ſanguinis Chriſti præſertim repoſitæ, ſic mirum in modum abundant, vt exhauriri non poſſint; *Non eſt finis theſaurorum eius,* ait Iſaias: alterum verò, diuini amoris ineffabilis liberalitas, atq; ad ditandum amatum infatigabilis firmitas, ac perſeuerantia: amor quippe, cum beneſacit amato, laborem neſcit, difficultatem ignorat; ac tanta prædiſtus eſt largitate, quòd ni deficiant opes, non deficit in munere. Quare, ſi habes hic

*D. Bern. orat. ad memb. Chriſti.*

*Iſai. 2. 7.*

in-

inexhauſtos ſanguinis Chriſti theſauros, inde verò ingenuinam amoris ſui liberalitatem, cēſendum eſt tibi, ex quo ſemel amor clauē habuit theſauri pectoris ſui, lanceam nēpe, qua diuina reſerans penetralia, pretioſi cruoris eduxit flumina; haud vnquam manū ab opere amouiſſe. Et reuera nec ſemel vnquam amouit, cū quotidie perpetes fluuios emittat; quibus, vt Sanctorum corda locupletentur, ſacra inundat altaria.

3 Poſtquam S. Ioſeph celebri, ac lauto conuiuio peregri-
Gen. 44.1 nos fratres excepit; *Præcepit*, inquit Moyſes, *diſpenſatori domus ſuæ dicēs: Imple ſaccos eorū frumento quantum poßunt capere.* Magna planè, ac mira liberalitas, ſiue, vt rectius loquar, prodigalitas. Si, quos attulerant, ſacci, exhauriebant horrea, dediſſet ne? Si ſaccos, vt illum Egæi, attuliſſent portuſos; qui, quod in ſummo accipiunt, dimittūt in fundo, quonam pacto adimpleri poterāt? Sed quoniam cuncta hæc amor Ioſeph erga fratres moliebatur; qui cumque non ignorant liberalitatem amoris, mordicus dicent, quòd tametſi capaciſſimos, ac difficulter implendos attuliſſent ſacces, implendi forent. *Hæc eſt*
Oleaſ. ibi. *menſura, quā facere ſolet amor,* ait Oleaſter. Amor enim, vtpote tenacitatis hoſtis acerrimus, ac liberalitatis indiuiduus comes, dum dat amico, pondus ignorat, mēſuram neſcit, finē dandi non facit, quodque ſat ſit, haud vnquam probè nouit. *Amori nihil ſatis eſt,* Gilib. ſer.
ait Gilibertus Abbas. Si ſaccum affers portuſum, ſatagit 19. in Cāt.
adimplere, ſi poteſt. Quare, ſi amor hominum, quibus admodum paruæ, ac faciliter exhauriendæ ſunt opes, numquam auditus eſt retrahere manus à munere; quid de diuino amore vero ac legitimo domino diuitis pectoris Chriſti, cenſendum, dicendum? Erit nè ei forſan modus, pondus, ſiuè menſura, cum opes diuini cruoris educit, ac diſperſit? Minime. Fuit nè ſatis amori ſanguinis menſura elapſi in modis Crucis? Nequaquam. menſuram non habet, finem dandi neſcit, manus habet tornatiles, apertas, ac vndique perforatas. Quærit præterea ſacri altaris alueos, eo, quo credimus, modo, perenniter inundare, non ſecus, ac ſi ſanguis, quem eduxit in Cruce, neceſſitatibus hominum inſufficiens foret. *Quaſi nō ſufficeret,* ait Bernardinus, D. Bernar
*amoroſo Ieſu ad inebriati ſui amoris oſtenſionem, quod ſemel ſanguinem ſuum ſacrum realiter pro nobis effudit in ligno, niſi nobis quotidie effundat ſub Sacramēto.* din. to. 2. ſerm. 52. ar. 1. .2.

4 Inter alias proprietates, quas

quas complectitur perfecta Confeſſio peccatorum, integritas numeratur, quæ ſi forte deerit, potius confuſio, quam confeſſio erit: quippè qua pænitens abſolutionis gratiam non recipit à Deo, qui non cõſueuit partem; ſed omnia condonare peccata. Iàm *Si quæris*, ait idem, *quare non dimittit Dominus alia peccata, cum aliquid retinetur? Reſpondetur ratione Diuinæ bonitatis. mira .n. Dei bonitas veniam non dimidiat, nam totum, aut nihil, propitiando donat.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret; Quia Deus, vtpote ſummè bonus, ſummè liberalis eſt, præſertim in effuſione theſauri ſanguinis ſui, quem ad noſtram medelã affluenter gaudet effundere, teque, velut in quodam lato, ac ſpatioſo ſinu repoſitum, à peccatorum maculis emundare, penituſque abluere: cùm ei vulnerum partẽ offers abluendam, altera obſcæna relicta, pretioſiſſimi balſami largitatem dimidiare, ac minuere dedignatur.

*D. Bernardin. ſerm. de conf. peccat. ar. p. i pr. Præpar.*

5 Virgo Dei parens, Angelorum, atque hominum Domina à D. Epiphanio *Corona Regia*, dicitur *pretioſiſſimum habens lapidem, & gemmis ſimilẽ, Chriſtum*. Ac ſi Deiparæ diceret: Quàm ornata es Virgo ſanctiſſima, quàm decora, quàm locuples, cui datus eſt Chriſtus, gemma gemmis alijs ſimilis. Sed quænam eſt gemma ſimilis aliis gemmis, cui Rex noſter confertur? Topazius, nì fallor: ſiquidem, vt ait Bercorius, *Topazius gemmarum ſibi obiectarum in ſe recipit claritatem, illiſque ſimillimus efficitur*. Habemus ergo Chriſtũ expreſſum ſub typo topazii: vt verò diuini cruoris largitatem attendas, accipe mira, quæ de topazio ſcripta ſunt à Chryſoſtomo. *Topazius eſt quidem rubeus pluſquam carbunculus, tritus autem in modico mortario colorem quidem rubeum non emittit ſuccus, ſed lacteum: implet autem multos crateres, nempe, quot vult is, qui terit.* Topazius reuera cenſendus eſt Dominus, qui cum rubro colore ſit tinctus, charitate videlicet, qua in nos omnes mirum affectus eſt in modum; vnde dicitur ab Eccleſia, *Humanæ ſalutis amator*; in mortario tamen Crucis attritus, ac pariter in Eccleſiæ torcularibus preſſus, liquorem lacteum fundit, quo Sanctorum ſitis ſedatvr, ac ſtolæ dealbantur cœlicolorum. Verum in hoc diuino Topazio maiori dignum admiratione illud eſt, quod quoties appoſitum vides in ſacro altari, eũque cordis piſtillo teris, tantũ ſanguinis ſui pretioſum ſuccũ emittit, quantum præ neceſſitare animæ tuæ, tuarumque cul-

*D. Epiph. ſerm. de laud. Vir.*

*P. Berco. Reduc. Mor. lib. 11. c. 125.*

*D. Chryſoſt. apud Anaſt. Epiſ. Nicę. quæſt. 31. in Script.*

culparum, cupis effundi. Si fontem, fõtem habebis; ſi flumen, flumen deducet; ſi mare, mare adimplebit. O Deũ tantarum opum largiſsimum effuſorem, ò nimium liberalẽ, & (ſi fas eſt dicere) prodigũ.

6 Vix natus erat Ieſus, vix primos dederat vagitus, cum eum Virgo Mater, ut legẽ impleret, circumcidit, ac tenero terrã dealbauit cruore. Quid eſt hoc pijſsime Infãs? nõdum natus es, & ſacrum proijcis ſanguinem? Adueniet profectò tempus, quo, vt tibi cordi eſt, affluenter effundes in Cruce. Parce tibi quæſo interea, parce ætati, parce infantiæ: miſerere tenerrimi corpuſculi tui, quod blandimẽtis potius, quàm vulneribus educandum eſt. Denique quid dicam? tam magna eſuries profundẽdi ſanguinem ſuũ inerat paruulo Redemptori, vt ab vtero matris viſus ſit afferre manus ſanguine plenas. De Iſmaele Perſarum Rege memoriæ proditũ eſt, clauſis manibus, ijſq; ſanguine plenis, ex vtero matris exiſſe. Quo viſo præſagiuit pater ſibi natum filium ad effundendum ſanguinem auidum, ac ſiticuloſum. Nec ſua illum fefellit opinio: ſiquidem ijs, quæ ex vtero matris afferimus, naturali quadam afficimur ſiti; eaque adeo procliues appetimus, vt per totã vitam difficillimum ſit obliuiſci. Tale tu mihi, Ieſu mi dulciſsime, portentum dediſti, dũ recenter natus, plenas ſacri cruoris protuliſti manus; vt me æquè ablueres, ac locupletares: teque dixi ad effundẽdum ſanguinem tuum mirum in modum affectum, auidum, ſiticuloſum. Nec mea me fefellit ſententia: ſiquidem, etſi dum viuens pendebas in Cruce, pretioſi ſanguinis tui emiſeris flumiña; ac ſi tamen talis, ac tanta effuſio cordis tui voto ſat non fuiſset, nec tibi mortuo pepercisti, cum vnus militum lancea latus tuum aperuit, vnde exiuit ſanguis, & aqua: nec modo beato parcis, dum de ſummo, vbi ſedes, ſolio, miro quodam modo, tibi ſoli cognito, quotidianas pluuias ſanguinis tui dimittis in terram, vſque ad finem mundi non deſituras, quibus Eccleſiã ſponſam tuam frequenter lauas, irrigas, fęcundas, ditas.

7 Mos eſt S. Matris Eccleſiæ vbiq; pingere Crucifixum Chriſtũ ſuum dilectum; eumq; apertis brachijs, ac perforatis manibus fidelibus filijs oſtendere. Quidnam ex hac imagine docet nos mater Eccleſia? Deum noſtri ardentiſsimũ amatorem, ac pariter theſaurorum ſuorum largiſsimum effuſorem. Audi D. Bernardinum. *Natura quippe frigoris* eſt

*D. Bernardin. ſerm. de Or. ar. 2. cap. 3.*

*eſt claudere, caloris aperire: ſed Deus vtique calor eſt, Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt; proinde manus ſemper apertas habet; cum ergo aperitur manus, diffunditur, quod in manu eſt. Deus ſemper habet manum apertam, imo etiam perforatam; quia ex vtraq; parte manus diffundit bonitatem ſuam ſuper creaturas.* Ac ſi diceret: cum Regem Cęli Cruci vides affixum, manibus perforatis, & hinc inde diſtenſis; memento immenſæ dilectionis ſuę. Amor ſiquidem igne ſuo, nedum illas aperuit, verum, & perforauit; pariterq; apertas, & perforatas ſeruauit, vt diuitias bonitatis ipſius; reconditas in theſauro ſanguinis ſui, nobis perpetim impertiret, nec momentum ſineret abeſſe, quo tanti muneris non continuaret decurſum.

8 Referunt ſacræ hiſtoriæ, Regem Dauidem, ſeneſcētem iam, ac morti proximum, perindè gelidos artus habuiſſe, totoque corpore friguiſſe,
3. Reg. 1. 1 quòd tametſi *Operiretur veſtibus, non calefiebat.* Hinc famuli eius puellam quæſierunt, vt Regem ſinu ſuo exciperet, foueret, ac calefaceret; inueneruntq; Abiſag Sunamitidem. Expendit hunc locum Doctiſſimus Abulenſis, ac curioſius tantæ frigiditatis cauſam inquirens, abiecta prius cuiuſdam Rabbini ſententia, Dauidem ait propter ſenectutē, multique ſanguinis effuſionē, vtpote bellis inueteratū, perfriguiſſe. *Quod non calefieret* Abulenſ.
*opertus veſtibus, proueniebat* in c. 24.
*ex ſenectute propter defectum* 1. Reg. q.
*caloris naturalis, & propter ſan-* 12.
*guinis euacuationem.* Verum, cum nobis conſtet Chriſtum Regem noſtrum tantum ſanguinis emiſiſſe, quantum ſuæ loca paſſionis, Crucis lignum, atque aræ Eccleſiæ teſtantur, pro ingratis præſertim, quibus non eſt profuturus: vndenam eſt, quod nunc in ſacro altari ſic miro calefit modo; quòd, vt vidit eum Iſaias, ar- Iſa. 6. 6.
dētiſsimo comparauit carboni, quod ob vehemētiſsimam, ac ardentiſsimam caloris vim Sancta Seraphim non niſi forcipe cōtingere potuerunt? Vt hinc ſapias quantum inter hominum, Deiq; amorem interſit. Pro ſe Rex Dauid, proque ſuo Regno quærendo, obtinēdoq; ſanguinem ſuum fudit, friguit demum, clauſiſque venis ſtitit, ac detinuitſe ſanguis ſuus. Verumtamen Ieſus tuus ſic te mirum in modū diligit, vt etſi olim pro te (pro te inquam ingratiſsimo) proque tua obtinenda felicitate, tot diuini ſanguinis effuderit flumina, effundatque nunc temporis, effuſurus eſt tamen in poſterum, vſq; dum triumphabit Eccleſia, ac ſtabit mūdus.

Neſcit enim feruentiſsimum cor eius, vel ſemel frigeſcere: carbo eſt perpetim igneſcens, ac quotidie antiqui caloris nō fouens modo, verum, & adaugens vehementiſsimam vim.

9 Præfigurabat Deus Eucharisticum ſacrum, cum mādaret Moyſi, ſuper ſimilam, offerendā Maieſtati ſuæ, oleū, ac thus imponendum. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domini ſimila erit eius oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & thus.* Ac ſi diceret: Nullam aliam oblationem expeto, ſacrificium aliud non exopto, quàm ſimilę, nempè delicatiſſimi, & nobiliſſimi panis Vnigeniti Filij mei, ſuper quem niteat oleū, thuſq; appareat. Scimus quidem Euchariſtiam habere oleum; habet enim eū, qui, eo, quia nomē eſt illi oleū effuſum, vt teſtatur ſpōſa, mirum in modum diligitur ab adoleſcentulis. Verum quo pacto vnà cum eo habet etiā thus? Eo quia eumdem Chriſtum palleſcentem continet; nam color thuris ad pallorem inclinat: vnde eſt, quod Hebræi vocant thus *Ienobonach*, quod naſcitur à *Laban*, quod ſonat palleſcere. *Thus*, ait Oleaſter, *hebraicè dicitur Ienobonach, à Laban, quod eſt palleſcere.* Si verò quæſieris; quorſum Chriſtus in Sacramento dicitur palleſcere? Vt mirà, ac quotidiana, inquam, ſacri ſui cruoris innuatur effuſio, velut ſi corpus ſanguinis expers haberet: palleſcunt enim exangues: Cum D. Antonius explicans vnde dicatur ſanus, ſcribat; *Sanus à ſanguine dicitur; quia ſine pallore eſt*, dicendum ſi ij, qui ſunt ſani, ac rubent, ob ſanguinis affluentiam rubeant, ij, qui palleſcunt, humore ſanguinis careant. Sanè defectus ſanguinis, quo caro rubet, pallorem inducit. Dum itaq; Chriſtus in Sacramento dicitur palleſcere, defectus in eo ſanguinis innuitur; velut ſi nec guttam habeat pretioſi liquoris. Quod non dicitur ex eo, quod ſanguine careat, cui numquam deficiet ſanguis, quem perpetim effundat: ſed ex eo, quia tanta magnificentia, ac largitate ſanguinem ſacrum effundit, vt naturaliter cenſendum ſit ſine ſanguine exiſtere: quippè quale corpus Olympo, maius, aut Atho, tāto ſanguine effuſo continebit amplius ſanguinem? Magno tamen amoris adinuento poſt tantū cruorem effuſum, cruore ſuperabundat. Hinc eſt, quod à ſponſa pallidus, & rubeus viſus eſt dilectus. Quippe vbi habet D. Hieronymus: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*; D. Anaſtaſius Sinaita pro, *rubicundus* legit *flauus*, Ex quò clarè patet Chriſtum

Marginalia: *Leuit. 2. 1.* — *Cant. 1. 2.* — *Olea. ibi.* — *D. Ant. de Pad. ſer. Dom. 7. poſt Trin.* — *Cāt. 5. 10.* — *D. Anaſt. Sinaita li. 11. exam.*

eodem tempore, & flauum eſſe, pallidum nempe, & rubicūdum identidē: flauus eſt quidem ob tanti ſanguinis effuſionem; rubicūdus verò; quia tanto ſanguine, ad effundendum parato, locuples eſt, vt nec paruam guttam videatur effudiſſe: *Flauus, & rubicundus.*

10 Prætereundum non eſt, quod ex illo ad Corint. *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra;* Iudæi, & quidam ſimplicium Doctorum, vt tradit Haymo, affirmāt, quod poſtquam Moyſes virga percuſſit ſilicē, laticeſque effudit largiſsimos, quibus vnà cum iumentis refectus eſt, & populus, *Semper ſecuta ſit eos illa petra; & vbicumque figebant tentoria, voluebatur in medium caſtrorum nullo hominum impellente, emittens largiſſimos riuulos ad ſatietatem populi, & iumentorum.* Velut animatum quoddam, ſenſu præditum, & intellectu, iſti lapidem fingūt; cum non modo gradientem, ſed, & intelligentem, ac ſciētem quò latices ſuos effunderet, efficiant. Sed quæſo præſupponamus commentitium hoc contigiſſe, pariterque quæramus; quid faciebat petra, dum non modo, cum percuſſa eſt; ſed etiam longe poſt percuſsionem tantas aquas effluxerit? Dicendum cum Theodoreto, quod *Imitata eſt petra latus Domini.* Ac ſi præſciuiſſet petra, Chriſtum, non modo percuſſum in Cruce; ſed, & extra Crucem, poſt ſuam reſurrectionem, ſeſsionemq; in ſolio cœli, admirabili inundatione, curſuq; continuo cruorem ſuum effuſurum, caſtra S. Eccleſiæ perpetim ſubſequendo, reficiendoque, vt nulla eſſet dies, nulla hora, nullum inſtans in quo à tanto munere deſiſteret; ſuos ſic affluenter, & indeſinenter, latices effundebat.

*1. Corint. 10.*

*Haymo. ibib.*

*Theodor. ibid.*

## THEOREMA III.

### In finem.

*Amoris triumphus Euchariſticum Sacrum.*

PRO iis verbis *In finē*, quæ, vt adnotauimus, Felix transfert, *Effundenti ſanguinē*, refert Theodoretus, Symmacū habere *Triumphatori*, nempè Diuino Amori, qui & ob illuſtrem victoriam, quam pro efficienda Euchariſtia de Deo obtinuit, perque ſingulos dies obtinet: & ob nobilem triumphum, quem propterea egit, ac perpetim agit, dicitur Triūphator: cui etiam Euchariſticus Pſalmus conſecrari, ac decantari debuit, vt tanti Ducis collaudaretur victoria, prædicare-

*Transl. Symmac.*

ſaretur palma, honoraretur triumphus. Attēde igitur quonam pacto amor, qui pro opere Euchariſtico Deum vicit, pompaticè triumphauerit.

1 Vbi Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos orare docuit, ac precum formam propriis verbis explicuit, hæc, vt habet Lucas Euangeliſta, ſubiunxit: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice accomoda mihi tres panes.* Scire velim, quinam ſit hic amicus, ad quem nos Deus confugere iubet pro pane? Idem Dominus Ieſus, ait D. Ambroſius: *Quis eſt nobis amicitior, quàm qui pro nobis corpus ſuum tradit?* Verum quando nam nos ad Chriſtum pro pane cōfugimus, niſi cum reſidet in Sacramento, ſubque eſibiſibus ſpeciebus panis idipſum petimus manducare? Tunc tēporis maximè tenēdus eſt amicus, dicēdūq; illi: *Amice accomoda mihi tres panes.* Quare tunc potius dicēdus eſt amicus, & nō Dominus, Deus, Chriſtus, Emmanuel, ſiue quouis alio vocabulo, quo paſſim in ſacris litteris nuncupatur? Dicitur amicus ad inſinuandum, quod in ſacro altari victus, ac vinctus teneatur ab amore. D. Iſidorus, afferens etymon amici, ſic ait: *Dictus eſt propriè amicus ab amo, ideſt catena charitatis.* Eo quia Dominus Ieſus, vtpote victus ab amore, charitatis catena vincitur in ſacro altari; vbi que, velut in quadam cuſtodia, noſtras ob delicias, aſſeruatur incluſus, vocari cupit amicus.

Luc. 11. 5

D. Amb. apud D. Thom. in cat. ibidē.

D. Iſid. li. 10. litt. A. etym.

2 Sacroſācta Synaxis à Propheta Pſalmodico nomine prædæ viſa eſt nuncupari. Quippè, vbi vulgatus transfert, *Eſcam dedit timentibus ſe*, legunt alij, *Prædam dedit timētibus ſe.* Idem quoque vocabulū à Salomone ſortita eſt Prouerb. vltimo, vbi dum ſub typo mulieris fortis agit de S. Eccleſia, familiam ſuam nutriente, *Dedit* ait *prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*, illum nempè panem, quem ipſa ad inſtar nauis inſtitoris de longinquo Cœli Regno in hanc terrā attulerat. Verū vndè eſt quod Euchariſtiæ Sacrū nuncupatur præda? Reſpondere poſſem cum Ianſenio, ſic dictam eſſe; *Eo quod Corpus Dominicum velut captum fuit à beſtijs, & dilaceratum, dum ab impijs Iudæis, ad inſtar ferarum ſanguinem eius ſitientibus, crudeliter & captum eſt, & flagellis, coronæ ſpinis, & clauis diſcerptum.* Verum, vt rei noſtrę propriùs accedam, dicitur præda ab etymologia nominis *præda*; quod, vt clarè patet, à *præ* & *do* compoſitum eſt: eo quia res eſt, quæ, priuſquam detur, violenter rapiatur, & auferatur. Quia verò

Pſ. 110 4

Prouerb. 31. 5.

Ianſ. ibid.

Cor-

Corpus Domini priuſquã daretur ab ipſo, raptum fuit ab amore, perpulchrè dicitur præda. *Prædam dedit timentibus ſe*. Decreuerat Dominus, cũ cœnæ præeſſet, nobis corpus ſuum ſanctiſſimum tradere ad conſpuendum, ad cædendum, ad vulnerandum, denique ad crucifigendum, & occidendũ, vt ex paſſionibus eius pharmacum haberemus, noſtris morbis efficaciſſimum: verum tale munus conferendum erat poſtridie, & in Golgota. Amor verò huiuſcemodi moræ, tametſi paruæ, impatiens, vehementiori flamma ſuccenſus, & accinctus, vim fecit Domino, decertauit cum Deo, vt priuſquam ſurgeret à menſa decretũ munus conferret. Vicit tandem, præualuit, victoria, & palma potitus eſt, ac diuiniſſimam carnem, priuſquã daretur in Cruce, ſurripuit in cæna. Inde dicitur præda, præda nempe Amoris, dilectionis ſpolium, Charitatis trophæũ.

3 Locus ſeptimi Canticorum, vbi Deus pulchritudinẽ crinium Spõſæ commendans, Regumque purpuræ conferẽs, ait: *Coma capitis tui ſicut purpura Regis iuncta canalibus*, pulchrè, ni fallor, noſtro quadrat argumẽto; vt patet ex lectione Pagnini, Hebræorũq; ſic trãsferentium: *Coma capitis tui ſicut purpura, Rex ligatus in canalibus*, cuius iuxta iſtorum ſentẽtiã hic eſt ſenſus: Vſque adeo ſponſa pulchritudo tua excellit, comarum præſertim, vt Rex omnium Deus raptus è cœlo ſuper ædes tuas deſcenderit, eorumque canalibus alligetur, exque illorum ſpatiis pulchritudinem tuã ſpeculetur. Horum hæc ſunt verba: *Rex nempe Dominus, tanto tui amore capitur ob caput tuum puniceum, & comam tuam purpureã, vt ſit alligatus, vinctuſque domus tuæ canalibus*. Quod tametſi diſpliceat Genebrardo, cum videatur alludere ad obſcęnos Poetas, Iouem per imbrium gremium Danaes ſubijſſe, fingentes: noſtro tamen adiunctũ propoſito, in quo fæda alluſione exuitur, aſpernendum fortaſſe non erit. Canales, q. bus Eccleſia ſponſa cœleſtes imbres, eorumque largitorem congregat, cenſenda ſunt myſteria ſacri altaris, ad quos Chriſtus *Deſcendit ſicut pluuia*: vnde mox, vt iuſtorum corda reficiat, ac fæcundet, ſuauiter effluit; vbi demum, vt & noſtris conſulat neceſſitatibus, & ſponſæ pariter oblectetur pulchritudine, vinctus detinetur. *Rex ligatus in canalibus*. Verum quiſnã hominum, cœlorumque ſpirituum tanta poterit præſtare virtute, tãtæ fortitudinis telo fulciri, vt Deum è cœlo remoueat, in terram

*Cant. 7. 5*

*Tranſ. S. Pagn.*

*Rab. Hebræ. ibi.*

*Genebr. ibid.*

*Pſ. 71. 6.*

Cor-

ram adducat, quodque maiori dignum eſt admiratione, releget Sacramento, ac in eo vinctum detineat. Vulgare eſt illud Philoſophi. *Id quod ſimpliciter eſt immobile à nullo poteſt moueri. Si omnes Dij, & Deæ multum laborarent, non mouerent Iouem de Cœlo in terram.* Quod omnes, vel terræ incolæ, vel Cœlicives efficere non poſſent, amoris vires peragerunt. Potentiſſimus amor hominum, Deorumque domator, nulli parcens, neminem timens, fortiſſima quæque cordis intima peruadens, penetralia reſerans: is ille eſt, à quo Deus de ſublimi Gloriæ ſolio in infima terræ tractus eſt domicilia, & (quod mirum eſt) percuſſus, vulneratus, occiſus; ac, ne à nobis vnquam diſcederet, compulſus ad altare, clauſus in hoſtia, ligatus in Sacramento. *Hæc eſt Charitas* ait Innocentius, *quæ tantum in Deu prævaluit, quod eum de Sede Maieſtatis ad infirmitatem noſtræ humanitatis adduxit, vulnerauit impaſſibilem, traxit incommutabilem, ligauit inſuperabilem.*

*Ariſt. li. de mot. anim.*

*Innoc. Tert. de laude charit.*

Sub typo cellæ vinariæ, in quam felix ſponſa, vt ſponſi oblectaretur amoribus, traditur introducta, Hebræi altare, noſtri vero ſacra intelligunt Euchariſtica. *Per cellam vinariam*, inquit Genebrardus, *Sacramentum calicis accipimus, quod lætificat Deum, & homines; nam continet pretium noſtræ Redemptionis.* Sed obſerua, quod vbi Hieronymus transfert, *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatẽ*, Pagninus legit, *Introduxit me in domum vini, & vexillum eius ſuper me amor.* Cuius quidem litteræ talis eſt ſenſus. Vbi me Deus meus, vt Corporis, & ſanguinis ſui delicijs oblectaret, in templum ſuum introduxit, mihi Amor extẽplo apparuit, ibique vexillum ſuum, quod ferebat, in me finxit, expanditq; Hic mihi videtur amor elegiſſe ſponſam aciei ſuæ ſigniferam, aut vexillariam: tale quid ſubindicat, *Vexillũ eius ſuper me amor.* Sed quid innuit amor dum vexillum ſuũ explicat in cella Sacramentorum Chriſti? Se victorem oſtentat: Imperator ſane (nemo eſt qui ignoret) vbi depoſuit arma, palmam adeptus, caſtro potitus; vt ſe victorem oſtentet, ibi ſua expandit vexilla. Hoc ipſum amor viſus eſt effeciſſe. Quia ſacri altaris myſteria ſua ſunt facinora, viribus, ignibuſque ſuis debentur; quibus, vt tanto oblectaretur edulio, certamen inijt cum Deo; fortiterque præliatus eſt, demum præualuit, Deumque incluſit in hoſtia: vt tanti certaminis ſe victorem oſtenderet, ſummibi extulit

*Genebr. i c. 2. Cant.*

Cant. 2. 4

ve-

vexillum, deditque ſponſæ ferendum. *Vexillum eius ſuper me amor.*

5 Cum Ioannes Euangeliſta patefacere vellet Eccleſiæ vires amoris Dei, cuius impulſu Deus Euchariſtiam ſtatuit, his verbis vſus eſt. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Vbi, vt apertè vides, amoris Dei perſeuerantiæ meminit. *Vſque in finem,* inquit Cartuſianus, *ideſt perſeueranter.* Veluti ſi diceret: Amor ab incunabulis Chriſtũ, ſæculiſq; multis, iam pridem elapſis, vſque ad finem mortis conſuluit, imo potius compulit, vt ſacrum altaris inſtitueretur edulium. Quippe à rerum primordijs inſtitutionem hãc mirum in modũ expetijt: quod ſacrificium Abelis, panis Melchiſedech, Hebræorum manna, legis ſacrificia, atque alia innumerabilia propemodũ incitamenta, quam apertiſſimè teſtantur. Idipſum quoque expetebat; cum Deum compulit humanari. *Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus eſt homo,* ait Auguſtinus: vnde Matris in vtero inſtar panis incluſus in clibano, nõ Romam, aut Memphim, nec Sanctam Ieruſalem; ſed ſolam Bethleem, nẽpe *donũ panis* ſacris natalibus decorauit. Mox eũ in præſepio non ſecus, ac in menſa, vt mãducaretur appoſuit, *Vt, ſicut* ait Chryſippus, *qui currunt ad paleas, frumentum nanciſcantur.* Inſtituit præterea, vt pro typo huius myſterij primum Chriſti miraculum ederetur, vbi aqua vinum, velut quædam tranſubſtantiatio fieret. Denique ſi paginas Euangelij attentè percurras, ſæpè ſæpius obſeruabis diuinum amorem ſollicitum, ſedulum, peſeuerantem, aſſiduũ pro tanti operis complemẽto. Cuius quidem Deus perſeuerantia preſſus, violentia fatigatus, reſiſtere non potens, repugnare non valens, victus ſuccubuit, ſubiugatus ceſsit, factus hominum paſtus. Quia ergo Ioannes hanc amoris pugnam, pariterque victoriam commendare ſatagebat, eius perſeuerantiæ meminit. Victoria ſiquidem, vtpote quæ, inceſſanter vrgendo, iugiter continuando, indeſinẽter certando obtinetur, perſeuerantia quædam eſt. Hinc Hebræi victoriam Netſach dicunt, à verbo Nitſeach, quod latinè continuare, perdurare, ad vſque finem operis vrgere, ſignificat. Verè diuini amoris ſollicitatio ſedula, ſollicita ſedulitas, Deum inuadendo, vincendoq; prædam hanc ſuper cœleſtẽ impetrauit, obtinuit, ſurripuit.

6 Si curioſus attendas inſtru-

*Ioã. 13. 1*

*Dion. Cartu. ibid.*

*D. Aug. ſerm. 13. de temp.*

*Chryſip. Presb. de laud. Vir. Mar.*

ſtrumento, quo decoquitur ab æditnis azyma conſecrandus, ferrum videbis, binis conſtructum laminis, ità ſibi cohærentibus inuicem, vt vna immobili perſiſtente, altera deducatur hinc indè: quæ vbi liquido repleti fuerint azymo; claudũtur, conſtringuntur, ac exponuntur igni; ſicq; fit hoſtia ſacris altaribus inferenda. Vt demum ſcias quid hæ laminæ doceant, audi Bernardinum Senenſem: *Ipſe formandi hoſtiam modus, quæ inter ferrea ignita conſtringitur, & coquitur, Chriſti paſſi memoriam exprimit: nam ferrum ignitũ fuit ipſa crudelitas Iudæorum, cõtraria Chriſto; ferrum inſuper plus ignitum fuit immobilis charitas Chriſti.* Ideſt: Iſtarum ignientium laminarum altera Hebræorum crudelitatem ſignificat, altera verò immenſam diuini amoris vim, quæ, ligno S. Crucis adiutæ, ad cocturam cœleſtis panis pariter ignierunt. Verum cum dicitur Iudæos vnà cum S. Amore ad conficiendum vitæ panẽ ſuas exercuiſſe vires, quæſo te, ne aliud illos æſtimes, quàm ſeruilia quædam amoris inſtrumenta: nam ſolius amoris opus eſt Euchariſtia. Sed profundius obſerua, quod amor Dei ſub typo ferri, atque ignis exprimitur cum ſanctus panis conficitur; veluti ferro, atque igne armatus

D. Bernardin. de Sacram. art. 1. p. 2 Tom. 2.

Deum ſuum ad opus hoc maximum acerrimè compuliſſet, viciſſet, ac deduxiſſet ad aras.

7 Cum non ſemel audiſſent Sionitæ puellæ tam miris laudum præconijs Sponſam ſuum affeciſſe Dilectũ Spõſum, de illius colore curioſius inqſierũt: quibus illa: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. His quidem verbis ſponſum ſuum deſcripſit fulgentem in Sacramento: nã vbi Chriſtus, niſi in Sacramento, vno eodemq; tempore candidus, & rubicundus apparet? Ibi, quia vitta panis obducitur, quaſi nix dealbatur. Quia verò immenſo amoris accẽditur igne, ſic miro modo rubeſcit, ac elõgatur à niue, vt dictus ſit carbunculus. Foris nix, intus ignis. *Candidus, & rubicundus.* Quod autem ſequitur *Electus ex millibus*, vertitur à Rabbinis *Vexillatus ex millibus.* Ac ſi clarius diceret: Dum dilectus meus candidus, & rubicundus, inuiſitur in ſacro altari, vexillatus eſt ex millibus; nempè oneratus mille vexillis. Quod planè dicitur, vt triumphus inſinuetur amoris, qui ſolus de Deo triumphat. *Triũphat de Deo amor* ait D. Bernardus. Quia diuini vis amoris cauſa præcipua eſt rerum omnium, quæ Deus ab initio mũdi in ſalutẽ noſtram patrauit; amor, vt in poſterum tãtarum vi-

Cãt. 5. 10.

D. Bern. ſer. 59. in Cant.

victoriarum ſupereſſent mo-
numenta, debitoq; gloriæ ſuæ
potiretur honore, exhibuit
Euchariſtiam, vbi Deum de-
uincens, tot ipſi, velut tro-
phæo cuidam, ſuſpendit vexil-
la, quot operatus eſt facino-
ra. Hæc ſunt Abelis hoſtia, ſa-
crificium Abrahæ, mannæ ex-
hibitio, petræ percuſſio, fæde-
ris arca, Incarnationis, Natiui-
tatis, Paſsionis, Reſurrectio-
nis, Aſcenſionis Chriſti myſte-
ria, ac ſexcenta alia machina-
menta ab Euchariſtia repræ-
ſentata. Quod Propheta non
Pſ.109.4 ſiluit, dum ait: *Memoriam fe-
cit mirabilium ſuorũ miſericors,
& miſerator Dominus, eſcam de-
dit timentibus ſe.* Ex quò liqui-
dò conſtat, Euchariſtiam amo-
ris eſſe triumphum. Non ſecus
Duces, Romani præſertim, dũ
triumphabant, Militaria ſigna
*Alex. ab* (vt meminit Alex. ab Alex.)
*Alex.* ex domitis gentibus in pompa
*Dier. Gẽ.* ferebant, longoque ordine
*lib. 6.c.6* montium, fluminum, oppido-
rum, & vrbium ſpecies, quas
bello peruicerant, & vi expu-
gnauerant, præcedebant.

8. In geſtamine illo pompa-
tico ſiue lectica, vel camera
portatili, quam ſapiẽtiſsimus
Salomon fabrefecit, & (vt ait
ſponſa) ferculum nominauit.
*Cant.3.9.* *Ferculum fecit ſibi Rex Salomõ.*
Hebræi arcam, in qua cœlicum
illud manna, huius Sacramẽti
typus recondebatur, aiunt fi-
gurari: nos autem Eucha-
riſtiam; tùm quia ferculũ cibus
eſt, ità (teſte Ionio) dictus,
quòd ad mẽſam feratur: tum
etiam; quia geſtamen Deorũ
erat in pompa Circenſi deferri
ſolitum. Euchariſtia verò; *Cic. lib.1.*
quia, & cibus eſt, qui infertur *Off.*
ad menſam altaris; & geſta-
men, in quo Chriſtus Deus põ-
paticè defertur, iure optimo
dicenda eſt ferculum. Inſu-
per, vt rei noſtræ proprius ac-
cedam, Euchariſtia dicitur fer-
culum; quia, quoties ſacrum
celebratur, toties in eo victo-
ria amoris exprimitur, agitur-
que triumphus; quem, vt nos
ineffabili reficeret Sacramen-
to, obtinuit egitque de Deo:
Deuſque in eo, dum trium-
phat amor, tamquam amoris
captiuus, circumfertur in fer-
culo. In ferculis Romanorum
Imperatores, dum triũphum
agerent, Reges victos, & cap-
tiuos deferebant. *Reges, &* *Alex. ab*
*captiui nobiles* tradit Alex. cit. *Alex. lo-*
*& ſi qui bello capti inſignes fo- co cit.*
*rent, præcipuè hoſtium duces,
contra quos indictum fuerat bel-
lum ex tanto faſtigio deiecti in
ferculis præcedebant.*

9. Demum expẽdenda ſunt
verba parabolæ, quam Mat-
thæus refert vigeſimoſecũdo
Euangelij ſui, in qua Deus,
collatus homini Regi, ſolem-
nes nuptias celebrat filio ſuo,
cœnamq; opiperam altilium,

ac taurorum præparat inuitatis. *Simile eſt Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare ad nuptias dicens: dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui nobis: tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.* Dum Deum hominem nuncupatum audis, audi hominum amantem; ſiquidem, vt ait Richardus à S. Laurentio *Propter dilectionē, quam habet Deus ad hominem, dicitur Pater homo.* Quare, cum dicitur Deus homo hominibus exhibuiſſe conuiuium, diuinus amor innuitur, auctor tanti conuiuij, qui celeberrimam menſam altilium, taurorumq; carnibus refertam inſtruxit. Verum quidnam per tauros, perque altilia perhibetur? Chriſtus (ait Paulus de Palacio) propoſitus in Sacramēto: *Ego* inquit, *credo tauros, & altilia Chriſtū vnicum eſſe: vnus Chriſtus vocatur agnus, vitulus, hircus, ouis, vitula ruffa, turtur, paſſer occiſus, & alia multa: ergo ipſe eſt tauri, & altilia.* Proinde, dum Chriſtus eſt in altari, cenſendus eſt magnificentiſſimum, & lautiſsimum conuiuium rerum omnium oblectabilium à Diuino amore populo Chriſtiano publicè propoſitum. Sed quorſum amor tam lautum, exquiſitū, ac ſolemne conuiuium exhibet hominibus? Nè aliquid eorum, quæ in veterum triumphis adnotabantur, deſit, vbi ſuum de Deo celebrat triumphum. Illi enim cum triumphos agebāt, publica exhibebant conuiuia, in quibus omne veſcibilium genus apponeretur conuiuis. *Mos erat triumphantium,* Sequitur Alexander, *epulum magnificentiſſimum, & lautum omnis apparatus generis, vberrimis, ampliſſimiſque obſonijs, ac ſumptu magnifico publicè dari.* Vnde Caius Cæſar in Africano triūpho, præter obſonia apparatiſſima vno die in duobus, & viginti millibus tricliniorū inſtructis, paratiſq; menſis epulum regali magnificentia populo dediſſe fertur.

Matth. 22. 2.

Richar. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 2. p. 7

Paul. de Palac. ib.

Alex. ab Alex. ib.

10 Quod dictum eſt de magnificētia cōuiuij amoris Dei, confirmatur ex conuiuio Sapientiæ; de qua, priuſquam Salomon diceret, miſcuiſſe vinum, ac propoſuiſſe menſam, dixerat *Immolauit victimas ſuas.* Vt edoceret nos S. Euchariſtiam, in qua ſub ſpecie vini Redemptoris ebibitur cruor, *victimas* in plurali eſſe, non *victimam* in ſingulari, vt legitur ex hebræo. Atq; ex hoc innueret celebrem huius conuiuij magnificentiam, ac omnis generis epularum maximū apparatum: quippe ibi, quāplures, ac innumerabiles cōuiuis ſuis exhibentur epulæ:

Prou. 9.

Transl. Hebr.

Et ſi enim, vt dictum eſt ſupra, vnum ſit epulum; tauri tamẽ, & altilia eſt. *Pluraliter*, inquit Ianſenius *vertit Interpres victimas ſuas, quod benè conuenit cum eo, quod dictum eſt Matth. 22. in Parabola Euangelica: Tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata. Quo ſignificatur conuiuij magnificentia, quodque in eo ſit ferculorum abundantia, ſufficiens ad ſaturandos quamplurimos.* Eſt enim publicum, ac pompaticum conuiuium, inſtar illorũ, quæ ſuis in triumphis Duces exhibebant. Verum nota S. Euchariſtiam non dici hoſtiam, ſed victimam: *Immolauit victimã ſuam:* non ait: *Immolauit hoſtiam ſuam.* Eodem etiam vocabulo vocatur ab Eccleſia; ea enim dum de reſurrectione ſponſi ſui exultans, ſuorum filiorum corda ad laudem eius inuitat, ait. *Victimæ Paſchali laudes immolent Chriſtiani.* Quare potius victima? Eo quia epulum eſt exhibitum ab amore in triumpho ſuo, ſuo ferro percuſſum, crucifixum, occiſum. *Victima, quæ cecidit ferro victore vocatur*, ait Ebrardus. Quia Chriſtus in triumpho cõuiuij amoris appoſitus, cecidit ſub ferro amoris, victima dicitur *Immolauit victimam ſuam.* Nè ergo dubites amorem in Euchariſtię munere triumphaſſe, vbi vides ab eo ſuſpẽdi vexilla, deferri captiuos, exhiberi conuiuia, eaquæ omnia fieri, quæ in agendis triumphis requirebantur.

*Ianſ. ibi.* — *Ebrard.*

11 Quod autem hactenus dictum eſt, longè ab vtilitate ſalutis animæ ſuæ dictum ne cenſeas. Dictum id enim eſt, tùm quia in hac re, velut in quodam ſpeculo, obſeruare poteris, quam dulcem, amantemque habeas Deum, quem amor erga te toties, ac toties vicerit, deque eo tantos egerit triumphos. Tum etiam quia videns amorẽ debellare, vincere, iugoque ſuo ſubijcere incommutabilem, omnipotentem, ac inſuperabilem Deum; pudeat te debilem, puſillum, & imbecillum tàm validę manui non ſuccumbere; ac Creatori tuo amoris vices non reddere. Tale quid factum eſt, ait Hugo de S. Victore, pertractans cum amore, *Vt puderet hominem tibi reſiſtere, cum te videret etiam in Deum triumphaſſe.*

*Hugo de S. Vict. de Laud. Charit.*

## THEOREMA IV.

### In finem.

*Cæcorum Theatrum eſt Euchariſtia, vbi qui magis vident, minus vident.*

IMponamus denique finem explicationi tituli *In finem.*

In

in qua nihil aliud expendendum ſupereſt, quam Felicis trãslatio, qui legit etiam, *Dãti æternitatem.* Per dantẽ æternitatem Chriſtum intellige, dantem Euchariſtiam, quæ iurè dicenda eſt æternitas túm; quia continet, ac amplectitur Deum æternũ, vnde in circulari forma, principio, & fine carente, conficitur, noſtriſque offertur obtutibus, æternitatẽ ſignificante, principij, & finis expertem *Ideo hoſtia eſt rotunda, quod æternitatem ſignificat.* Scribit D. Vincentius. tum; quia vita æterna eſt, dicente Domino: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam:* tum denique quia ſicut æternitas ab intellectu creato imperceptibilis eſt, vtpotèquę nullo tẽporis ſpatio deſignari, nullaque quantitate menſurari poteſt, quæ omne continet ęuũ, & continetur à nullo: non aliter Euchariſtiæ myſteriũ naturali rationi, noſtriſq; ſenſibus perinde abſconditum eſt, & imperceptibile, vt illius notitiæ rationis, & ſenſuum vſus non modò nullo ſit adiumẽto, ſed & maximo eſſe detrimento cenſeatur: nec, niſi fidei lumine, Chriſtum, quem abſcõdit, poſsibile ſit intelligere. Quare cæcis oculis, ac vitta fidei obſtrictis, ſacra myſteria contuenda ſunt. In hoc Sacramento, ait D. Thomas, capis, & vides, *Quod non capis, quod non vides.* Quoniam igitur in ea, qui magis vident, minus vident; non immeritò cæcorum theatrum dicimus Euchariſtiam.

*D. Vinc. Ser. 1. in Feſto Cor-por. Chr.*

*Ioa. 6. 55*

1 Vbi Sponſa à Deo ſui amantiſsimo in cellam vinariam meruit introduci, in ſacrum nempè conuiuium, in quo poculo ſanguinis Chriſti erat inebrianda, magno ſe amoris igne correptam, atque ex amata in amantem conuerſam, publicè confitetur, *Introduxit*, inquit, *me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Poſtrema hæc, vt paulò ante diximus, quamplures transferunt, *vexillum eius ſuper me amor*, ideſt ſuper me ſuum poſuit vexillum amor. Vbi, ni fallor, nomine vexilli non modo militare ſignum intelligendum eſt, qua ſignificatione ſatis iã vſi ſumus; ſed, & paruum velum: *Vexillum enim*, vt ait Iſidorus, *tractum nomen habet à veli diminutione, quaſi velillum.* Quare ſponſa dixiſſe videtur: Vbi me ad altare contuli, adfuit amor meus; qui, vt oculorum ſuorũ vittam exoluit, meos obſtrinxit, ac obuelauit. Hic ne tibi (quæſo) veniat in mentem obſcænus ille Capido, quem vitta obcęcat erroris. Habet etiã ſanctus Amor velamina ſua, habet

*Can. 2. 4.*

*D. Iſid. etym. lib. 18. c. 3.*

habet vittas ſuas, quibus, non hominum modo, verum & Dei oculos obuelat, nè in noſtra inſpiciens animaduertat deli-cta. Oculos ſacri amoris obuelatos innuebat Chryſolog⁹, cum diceret: *Delicta non videt vis amoris.* Verum quid eſt, quòd ſponſæ primo ingreſſu in cellam ſacri altaris obuelâtur lumina? Quia neceſſe erat percipere ac reuerenter adorare Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacroſancta myſteria, ibidem appoſita; quæ, niſi obuelatis, imo cæcis oculis, dignè capi non poſſunt. Hæc enim Sacramenta cæcorum ſunt, non videntium; illorum nempe, qui obuelatis clauſiſq; externis luminibus, ſolo fidei radio confidunt. *Fides*, ait Bonauentura, *quodammodo videt, & non videt.* Dum Chriſti aſſecla fidei lumine adiutus ſacris rebus attendit, videt quidem; quia credit ſub ſpeciebus panis, & vini Corpus, & ſanguinem Chriſti realiter contineri: non videt autem, quia, nè in errorem incidat, naturalia lumina obuelata defert, luminiſque expertia. Quod prudêter facit, dum probè cognoſcit Sanctæ Eccleſiæ dapes non niſi cęcis apponi.

D. Chryſol.

D. Bonau. ſer. 8. de lum. Eccleſ.

2 Auctor quidam inter recétiores minimè obſcurus, expendens illud Câticorum, vbi ſponſa ſermonem ſuum proſequitur de dilecto, aitque: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtram, proſpiciens per cancellos*; exponit de Euchariſtia, vbi Chriſtus poſt parietem moratur, perque câcellos proſpicit, *Per externas videlicet panis, & vini ſpecies.* Sanè quan pulchrè Sancta Euchariſtia nuncupatur paries; per eam enim, tamquam per parietem, ab hoſtibus ſuis gês Chriſtiana defenditur. Hinc conijce Chriſtum in Sacramento incompræhenſibilem, inueſtigabilem, ignotum, impenetrabilem; vel etiam aquilarum oculis, libero intuitu rotam ſolis proſpicientium. Verum, ſi nullius oculi qualiſcumque acuminis, perſpicacitatis, ac luminis parietem penetrare, quæque pariés claudit impoſſibile eſt proſpicere, quibus oculis ſponſa proſpexit dilectum, ſtantem poſt parietê Euchariſticum, perque eius cancellos proſpicientem? Lynceis ſanè. De oculis lyncis, paruæ, ac humillimæ auiculæ, referunt Phyſiologi, tanti acuminis, & perſpicacitatis eſſe, vt parietes nô ſecus, ac ſi chryſtallini, vitrei, ſiue aliquo alio eſſent ſpeculari lapide conſtructi, peruadant; quæque occultant, clariſſimo obtutu percipiant. Tales oculi ſunt fidei. *Habet vera fides*, inquit Oleaſter, *lynceos oculos.* Rex igi-

Cant. 2. 9

Gliſſer. in Cant. ibi.

Oleaſt. in c. 56. Iſa.

igitur noſter abſconditus poſt parietem ſpecierum panis & vini, ſolis oculis fidei, quibus fulgebat ſponſa, percipitur: alijs verò inuiſibilis eſt, profundè latet, penitus abſconditur. Quid ergo in Sacri altaris ſpectaculo proſunt oculi carnei, ſi tunc minus vident, cum magis vident? Proſunt inquam? imò, quia fallunt, mirum in modum obſunt. Obtigendos puta, cum genuflectis Chriſto, ac ſacrum eius Corpus adoras, percipis, manducas.

3 Huic rei attendiſſe puto Prophetam de pauperum in ſacris epulis ſaturitate, deque diuitum eſurie, differentem. *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum nõ minuentur omni bono:* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Eo quia pauperes inquiſierũt Chriſtum in Sacramento, inuenerunt eum, ſaturati ſunt, ac omnium bonorum dulcedine ſuperfuſi: diuites vero, quibus talis deerat inquiſitio, & ſi quæſijſſent, Deum ibi inuenire minimè potuerunt; quare egentes, & eſurientes, inanoque ventre rediere. Ità ne Dominus reſidet in Sacramento, vt adſit pauperibus, abſit verò à diuitibus? Aequè omnibus adeſt, neque magis illis, quam iſtis, diuinæ Charitatis patet dulcitudo. Sed, quia pauperes inquirũt, diuites verò quærunt: ideo cum ſe offerat illis, euaneſcit ab iſtis. Non quærẽdus, ſed inquirẽdus eſt Deus in ſacro altari. Notandum, quod quærere, & inquirere non parum inter ſe differunt: quærere enim eſt foris quærere, inquirere verò, intus inueſtigare. *Inquirentes Dominum,* ait Incognitus, *non minuentur omni bono, ideſt intus quærentes; quia Dominus in hoc Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini velatus continetur.* Proinde, qui Chriſtum Deum quærit in Sacra hoſtia; ideſt ſenſuum adiutus acumine (quo quæ tantum patent in ſuperficie percipimus) tantæ rei nititur inueſtigare myſterium, expers erit Chriſti; eo quia non Chriſtum, ſed panem, videbitur inueniſſe: qui verò clauſis hiſce luminibus, fidei adhibet oculos, qui penetrans introrſum, non quærit, ſed inquirit, proculdubio Chriſtum inueniet, eiuſque pro voto reficietur edulio. Cæcorum theatrum eſt eius menſa.

4 Vnde eſt, quod, cum Dominus Ieſus, vt pompaticè Ieruſalem introiret, equitare cõſtituiſſet, aſinam, & pullum eius potius, quam Seraphim, ac Cherubin, quæ Dei currum vehunt, ſibi ſternere fecit? Cur vel non aliquos hominum nobiliores, potentioreſq; vt de pluribus Regibus referunt hiſto-

Pſal. 33. 11.

Incogn. ibid.

ſtoriæ, vel ſaltem equos, aut alia huiuſcemodi animalia, quibus triumphantes vti conſueuere? Nonne ſunt eius omnes feræ ſyluarum, iumẽta in mõtibus, & boues? Cur iumẽtorum omniũ elegit abiectiſſimum, viliſſimum, inertiſſimum? Vt te doceret, hoc fecit, qualẽ tibi eſſe neceſſe ſit, cùm, vt Deum tuum in ſella cordis accipias, accedis ad Sacramẽtum. Vocabulum enim aſini, vt cenſet Petrus Bercorius. *Dicitur ab à, quod eſt ſine; & ſine, quod eſt ſenſus:* quia eſt animal ſenſus expers. Talis eſſe debes & tu, cùm, vt Deum recipias, ac pariter feras, accedis ad altare: niſi enim ibi in ſenſu deficies, tantum abeſt vt pro vehendo Chriſto dignus cenſearis, quod repellẽdus ſis magis, plectendusque. Cæcutire opus eſt tibi pro ſacro onere, tactu torpeſcere, guſtu languere, olfatu ægrotare. *Viſus, guſtus, tactus in te fallitur*, ait D. Thomas ad Chriſtum. Senſuũ expertium menſa hæc eſt, oculorum præſertim, ac cæcis ſolo fidei lumine proſpicientibus propoſita. Sed procedamus ad vlteriora.

*Pet. Ber. Red. mor. lib. 10. cap. 8.*

5 Scribitur in Apocalypſi Ioannem vidiſſe Chriſtum Dominum excelſo eleuatum in trhono, pretioſis circumdatũ gemmis, & à cunctis Paradiſi Principibus adoratum. Quodque maiori dignũ eſt animaduerſione, inter illius thronum, eoſque, qui eum adoraturi venerant, mare vitreum interiectum. *Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum ſimile chryſtallo.* Neque aliqua alia ratione exiſtimo interpoſitum vitrum, ſiue chryſtallum, niſi vt qui ad Regem Regũ reuerenter acceſſerint, per vitrum, velut per quoſdam ſpecillos, tantæ maieſtatis oblectarentur ſpectaculo. Quotquot ergo aderant ante thronum Dei diuina ſe in pulchritudine oblectantes, cæcutiſſe cenſendum eſt, cum opus haberent ſpecillis. Sed quare Deus ad ſpectaculum Gloriæ ſuæ potius cæcutientes, quam videntes admiſit? Eo quia non, niſi fideles admittit, quibus, quia proprium eſt cæcutire, fides, quorundam veluti ſpecillorum inſtar, eſt vſui, dum diuina adorant, & excipiunt Sacra. Sane per mare vitreũ fides intelligitur. *Propter fidem mare refertur ad vitrum* ait Primaſius. Ex hoc ergo proſpicies, quoties ad thronum altaris Deum adoraturus ac percepturus acceſſeris, cæcutiendum tibi eſſe, ac fidei ſpecillis vtendum: quia cœcorum theatrũ eſt illud, ſolis oculis fidei peruium.

*Apocal. 4. 6.*

*Primaſius lib. 2. in Apoc.*

6 Perpulchra illa collatio: qua ſe diuinus Propheta vaſi

per-

Pſal. 30. 13. perdito confert; *Factus ſum tamquam vas perditum*, ſiue, vt legunt alii, *Tamquam vas teſtaceum*; transfertur à D. Bernardo in quemcumque aſſeclã nominis Ieſu Chriſti, fidei dono exornatum. *Is fidelis eſt*, inquit, *qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tamquã vas perditum*. Ergo vas perditum, ſiuè teſtaceum Euangelicus erat Centurio, cuius Chriſtus fidem tantis extulit præconijs. Teſtaceus erat & Petrus, qui Dei in humana carne habitantem proſpexit ſubſtantiam. Teſtacei pariter qui Petri dogmata profitentur. Teſtaceus ergo, ſiuè lapideus populus, eſt populus Chriſtianus; deque ipſo non inurbanè ludendum eſt, quemadmodum luſit ille Romæ, vbi cum innumerabiles ferè proſpexiſſet ſtatuas, ſe alium lapideum populum ſpectaſſe teſtatus eſt. Si Chriſtianus, es, & teſtaceus non es, haud probè te chriſtianum, fidelemque cognoſco. Quippe quemadmodũ lapideus homo, & ſi oculos habeat, cæcus tamen eſt, & non videt: Sic verus Chriſti fidelis, tametſi corporis & animæ excellat oculis, in perſcrutandis tamen Sacramentis Dei, tamquam homo teſtaceus debet eſſe cæcus, ſoloque lumini fidei cõmendare ſe totum, dicens: *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui*.

D. Bern. ſer. 5. in Vig. Natiu.

7 Videamus modò quonã pacto Citharedus Vates, cum viueret adhuc, & Deum ſuum quæreret, voti compos fiebat. *In die tribulationis meæ*, ait, *Deũ exquiſiui manibus meis, & non ſum deceptus*: Velut ſi diceret. Quia, dũ mihi vita comes erat in terra, quotidianis propemodum premebar anguſtijs, vt tantorum laborum leuamẽ aliquod haberem, manuum adiutus munere, tota die inſtanter Deum meum quærebã; nec vel ſemel memini me fuiſſe deceptum. Verum enim verò ſi Deum in die, non autem in nocte Pſaltes exquirebat: *In die tribulationis Deum exquiſiui*; Quarè eum ait manibus, exquiſiuiſſe, & nõ potius oculis? Nam, etſi cum nox eſt, & in tenebris degimus, eo quia oculorum deſtituimur munere, ad inueſtigationem rerum rectè manus adhibeamus; interdiu tamen & ſole nitente, quia ad ea, quæ opus ſunt, inquirenda ſatis ſunt oculi, quo pacto adhibendæ ſunt manus? Planè tunc temporis cæcutiebat, ſiue cæcultabat, Propheta: ideo, ac ſi dies non eſſet, ſol abeſſet, adeſſet nox, ac degeret in tenebris; vt Deum, quem ſibi inſtanter quærebat, inueniret, manibus, quaſi cæcus, palpabat: certò ſciens Deum non videntibus, ſed cæcis,

Pſ. 76. 3.

cis, parere. Eoſque docens, qui Deum quærunt, ac ſatagunt inuenire, præſertim in ſacro altari, proprii, ac naturalis luminis nè confidant acumini; ſed cæcutient potius. Quippe Deus ſolis fidelibus, eiſque qui ſenſuum exprobrato vſu, Chriſtianæ fidei ſinui ſe credunt, innoteſcere conſueuit.

8 Sancta Seraphim, quæ vidit Iſaias collaudantia Dominum, ſub carbunculi typo eleuatum in ſolio altaris, ac ſacrum Euchariſticum figurantem; duabus alis vultum ſuũ tegebant. *Seraphim*, inquit Vates *ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem eius.* Mirum dictu, & incredibile factu, fidelium modo credendum auribus. Aduocantur Seraphim, vt Dei videant vultum, tanta delicientur, ac gaudeant pulchritudine; illa verò, nec videant, facies alis obuelant? Abſit, vt dicam, quòd nè videant, facies velant; cum potius, vt videant, velent; typicè enim hoc faciũt. Eo quoniam Seraphim credẽtium in Chriſto typum gerebant; quia, vt ait Bonauentura, *Fides facit animum Seraphicam*, velis ſuis Chriſticolas erudiebant, dum non ſecus, ac ipſi, ſacra circũdant altaria, oculos obuelare, ac cęcutire opus ſibi eſſe. Nam ſolis cæcis Chriſti menſa propoſita eſt; ijſque, qui minus præualent viſu, abſcondita patefiunt myſteria; alijs verò penitus obuoluta, ac profundè occulta aſſeruantur.

*Iſa. 6. 2.* — *D. Bonau. lib. lum. Eccleſ. conſid. 2.*

9 Nec illud quidem ſilentio prætereundum eſt, quod in præhabito loco Chriſtus viſus ſit Iſaiæ ſub typo carbunculi reſidens in Sacramento. Vbi legit vulgatus: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*, pro *calculo, carbonem* vertunt Septuaginta. *Ideſt carbunculum*, inquit Hieronymus; *non carbonẽ vel prunam, vt plerique exiſtimant, ſed carbunculum lapidem.* Verum quare potius ſub typo carbunculi, quam margaritæ, adamãtis, ſapphiri, aut alterius nominis gemmæ, Euchariſtia viſa eſt Iſaiæ? Eo quia carbunculus, vt teſtantur expertes, ita mirum in modum micat in nocte, effulgetque in tenebris, vt penitus caliginem extirpare, ac diem inducere, videatur. *Carbunculus* ait Iſidorus *lucet in tenebris, adeò vt flammas ad oculos vibret.* Chaſſaneus etiam. *Inter gemmas rubri coloris carbunculus rubicundiſſimus eſt, nocte magis, quam die lucet; nam die obſcuratur, nocte verò, & in obſcuro tantum refulget, vt circa ſe noctem in diem vertat. Olim, vt fertur in* Ci-

*Iſa. ibi. 6.* — *Transl. Septuag.* — *D. Hier. ibid.* — *D. Iſid. etym. lib. 16. c. 13.* — *Chaſſ. in Catal. par. 12. conſid. 92*

*Ciuitate Educenſi erat carbunculus poſitus ſuper pyramidem, vt lumen noctu effunderet per totã Ciuitatem.* Quare cum legis Sacram Euchariſtiã potius oſtẽſam Prophetæ ſub typo carbunculi, quam adamantis, aut alterius prætioſi lapilli; ſciendum eſt tibi ſacroſancta myſteria minimè illis obuia, qui naturali lumine adiuti abſcõdita eius ſatagunt penetrare; talibus quippe nonniſi panis apparet: ſed ijs tantum, qui ſpreto proprij luminis inſtrumento, naturaliter cæcutire, ac in inſcitiæ tenebris degere ſe reputat. Carbunculus eſt, ſola in nocte videtur, lucet tantum in tenebris, naturale lumen abhorret, cæcorum theatrum eſt.

10 O felix cæcitas, & nunquam ſatis expetenda huius lucis priuatio, deperiendæ tenebræ. Hæc enim cæcitas Deũ nobis præſentem facit, noſtræque proximũ neceſſitati, præparat Chriſtum in cibum, ijſdemque mortales reficit edulijs, quibus Angelorum corda deliciantur. Aſchepiades Philoſophus, & cæcus, cum interrogaretur à quodam, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondit. *Vt puero vno eſſem comitatior.* Haud aliter Chriſtiani fideles, ſi fortè interrogarentur, q̃d eis fidei cæcitas cõferat in Sacris, læti reſpondeant: vt puero vno eſſemus comitatiores. Vt feſtiuiſſimus, pulcherrimus, dilectiſsimus, dulciſsimuſque puer, vnicus Dei filius, quem Deus ſuo genuit ex corde, in hac miſeriarum valle nobiſcũ perenniter eſſet, ſuoque corporis cibo, ac ſanguinis poculo corda noſtra paſceret, reficeret, iocundaret; atque cœlorum ciuibus coæquaret omnes, cum poſt hanc vitam, abiecto velamine fidei, reuelata facie ſe nobis oſtendet.

*Ioa. Rauiſ. p. 1.*

## THEOREMA V.

### Pſalmus Dauid.

*Imminueretur Chriſto clangor ſuæ laudis, ſi non inſtituiſſet Sacrificium Laudis.*

Titulus, quẽ plurimi Pſalmi præmittunt, nimirum, *Pſalmus Dauid*, teſte D. Hyeronymo, laudem Chriſti ſignificat: idem enim eſt, inquit, *Pſalmus Dauid, ac laus Chriſti.* Quia verò Euchariſticum Sacramentum dictum eſt à Pſalte, *Sacrificium laudis*, ideſt laudis Chriſti, eo quod laus ſit Chriſti; cum Pſalmus vigeſimus ſecundus eumdem ipſum titulum affert in fronte; edocet te, proprium eius argumentum eſſe de laude Chriſti, ideſt de Euchariſtico ſacro;

*D. Hieron. in Pſ. 4.*
*Pſ. 106.*
22.

quod idcircò dicitur laus Chriſti, quia perinde Chriſtus ex hoc magno, & excellenti miraculo collaudatur, & glorificatur, quod pęnè inglorius, & illaudatus foret, ſi illud, vt probandũ eſt, non inſtituiſset.

1 Primo loco expendenda ſunt verba, quæ diuinus Propheta de Dei laude differens in Octauo Pſal. dulciter decãtabat. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Ac ſi clarius diceret: Niſi tu, pijſſime Deus, hoſce infantes lactaſſes, laudis tuæ præconium nullum complementum haberet, inchoatum eſſet adhuc, rude, & imperfectum. Verum quodnam fuit lac illud tam magnum, tam mirũ, tam eximium, quod ſimul ac exhibitũ fuit infantulis, completa, ac perfecta eſt laus Dei? Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis, & vini obuelatus, ait D. Auguſtinus. Quippe, ſicut dum Chriſtus cœlo pręſidet, ibique nullo tectus velo Angelis, ac Sanctis, vtpote fortibus, ac robuſtis, exhibetur in epulum, cibo grandi, ac ſolido comparatur; ſic dum deſcendit de cœlo, nobiſque, non ſecus, ac pueris, inter eſibiles ſpecies occluſus, manducãdus apponitur, ſub typo lactis exprimitur, quo pueri nutriuntur, & creſcunt. Hæc ſunt verba Sancti Doctoris. *Verbum illud, quo paſcuntur Angeli, ſempiternum, quod eſt æquale Patri, manducauit homo: ſaginantur ergo illo Angeli, ſed ſemetipſum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? vnde tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret.* Tametſi verisſimum ſit, quod priuſquam cibus ille grandis lacteſceret, & ad paruulos perueniret, ſine fine laus Gloriæ Dei perſonabat in Cęlis, vbi cęleſtes ſpiritus, tantarum dapum affecti ſuauitate, ſummũ Deum, dulciſsimum eorum educatorem, ac tanti muneris largitorem, glorificabant: tamen laus hæc in terris minimè reſonabat. At vbi Deus factus eſt homo, ac cibus ille grandis lacteſcere viſus eſt, ſacra altarium replere vbera, nobiſque veluti pueris exhiberi; laude Dei, ex ore infantium, & lactentium per ſtrepente, impleta eſt terra; vnàq; cum Angelis, & Archangelis, cum thronis, & Dominationibus, cũque omni militia cœleſtis exercitus hymnus Gloriæ Dei decantatus eſt ab hominibus, ſuiſque numeris abſolutus. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Quare ait Bernardus. *Vnde dabis mihi infantes, ac lactentes, quorum ex ore laudem ſuam perficiat Deus? Cœlum* non

Pſ. 8. 3.

D. Aug. in Pſ. 33.

D. Bern. ſer. 68. in Cant.

*non habet infantes , habet Eccleſia , quibus dicit : lac vobis dedi , non eſcam* . Quod ſic clariùs diceret . Niſi Deus repleuiſſet vbera Eccleſiæ lacte carnis , & ſanguinis ſui , nobiſq; præbuiſſet infantulis, vt tanto lacte repleti vnà cum cœleſti curia laudaremus Deum, adhuc imperfecta eſſet laus eius; quippequæ ex ore infantium, & lactentium erat perficienda , quos modo habet in terris Eccleſia . Adhuc ergo illaudatus , & inglorius eſſet in terra.

2 Præuidens Salomon Euchariſticæ menſæ inſtitutionē, hiſce verbis eam deſcripſit: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit culumnas ſeptem, immolauit victimas ſuas , miſcuit vinum, & poſuit menſam.* Ex hoc textu nihil aliud modò, quod expendam , aſſumo, quàm , vt noſtri propoſiti exigit ratio, columnarum erectionem. Itaque ſi ſcire cupis, quorſum fabricata Eccleſia , atque appoſita Euchariſtica menſa , diuina Sapiētia tot columnas erexerit : ſciendum eſt tibi , columnas ( teſte Pierio) gloriæ ſublimitatem oſtendere: quippe veteres magnis perpeſsis laboribus , rebuſque patratis eximijs, ad æternæ gloriæ munimentum, columnas erigebant. *Hinc illa*, ſubdit. *Plinius Hennij de Scipione verba : Quantam ſtatuam faciet populus Romanus , quantam columnam , quæ res tuas loquetur ?* Quia verò Deus ex Euchariſtico opere magnam laudem , paremque ſibi gloriam cōparauerat , vbi ſanctam menſam appoſuit, ad perpetuum tantę rei monimētum , tot excidit , & erexit columnas . Verum quamobrem Sapientia Dei , condito pulcherrimo mundo , depicto tātis luminibus firmamēto, plātato deliciarum Paradiſo, atque homine , velut magno diuinæ maieſtatis ſimulachro, in centro rerum omnium poſito, ex quibus operibus laus Dei vbique perſtrepit, vbique decantatur , vbique exauditur, nec vel ſaltem vnam columnam erexit : propoſita verò menſa Euchariſtica, columnas ſeptem excidit ? Planè perinde grandis eſt laus , & gloria, qua Deus ex inſtitutione ſanctæ menſæ extollitur ab Eccleſia , vt ad aliam velut ad exilem, & minime profuturam videatur non attendiſſe; quaſi ex hoc opere tantum gloriæ ſuæ decus , laus ſua , præconium ſuum ſplendeſcere debuiſſet .

3 Cum Hebręi Arabiæ pertranſirent deſerta , ibique præ naturali loci ſterilitate , famis angerentur incommodis, contra Moyſen , & fratrem eius Aaron , qui eos eduxerant de Aegyp-

*Prou. 9.1*

*Pier. lib. 49.*

Aegypto, acerrimè inſurrexerunt. Quibus Moyſes, vt eorum furori obuiaret, murmur compeſceret, eoſque de noui panis largitione redderet certiores, hæc ſe dixiſſe refert:
Exo. 16. 7 *Mane videbitis gloriam Domini; audiuit enim murmur veſtrũ contra Dominum.* Ac ſi clariùs dixiſſet. Compeſcite peruerſi irrationalem furorem, virulentaque labia; obmuteſcite miſerabiles, nolite contra Deũ benignum, ac miſericordem Patrem caninos dentes acuere; nolite deſperari; paratus eſt vobis panis in cœlo, mane collapſum videbitis, colligetis, ſaturabimini. *Mane videbitis gloriam Domini.* Hic velim aduertas manna gloriã Dei vocatum: prout enim diceret: mane videbitis manna, dixit *mane videbitis Gloriã Dei.* Quibus quidem verbis Moyſes videtur innuere Hebræorum populum non niſi in pluuia mannæ, gloriam Dei, ſiue Deum glorioſum vidiſſe. Verum, ſi dum Aegyptum incoleret, ad maiorem oſtẽtationem gloriæ Dei, tot, ac tanta miracula viderat; nimirum acerrimas hoſtium vexationes, Nili cruentationem, Aegyptiorum ſubmenſionem, Pharaonis interitum, nouos petræ latices, ex quibus portentis, alijſque propemodum innumeris, inanimis etiam rebus Dei gloria effulſerat; vnde eſt quod in vno tantum miraculo gloriam Dei promittit conſpiciendam? Eo quia mãna Euchariſtiæ typum gerebat, cui nomen gloriæ Dei ſic miro modo quadrat, vt Deus ſolum in ea decus gloriæ ſuæ repoſuiſſe videatur. *Dicitur manna gloria Dei* ait Sebaſtianus Barrada, *quia potentiam, & gloriam Dei enarrabat. Congruit Euchariſtiæ egregiè hoc nomen; eſt enim Euchariſtia maxima gloria Domini; quoniam Dei admirabilẽ potentiam & amorem manifeſtat hominibus, & propter tantum beneficium eum ſummopere laudandum, & glorificandum prædicat.* Sebaſ. Barrad. in Itin. lib. 9. c. 19. nu. 3 Quam pulchrè dicit Euchariſtiam maximam gloriam Domini, veluti alia Dei miracula, tantæ gloriæ comparata, exilis, parua, ac nullius momenti gloria cenſeatur. Tamquam ſi Deus Euchariſticum epulum non exhibuiſſet, in reliquis potentiæ ſuæ miraculis illaudatus videretur, & in glorius.

4 Hoc ex dicto Pſaltis, cum magno amoris ardore in Dei templum afficerentur, confirme. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Pſ. 25. 8. Quid per gloriam Dei, in templo Dei commorãtem, niſi Euchariſtiam intelligere debes? Audi Cardinalem Iorgium, hæc verba expéden-

*Car. Iorg. ibid.*

dentem. *Eccleſia materialis dicitur locus habitationis gloriæ Domini; quia ibi inhabitat gloria Domini, videlicet ſub Sacramento*. Tamquam ſi apertiùs loqueretur. Idcircò noſtrorum templa dicuntur habitationes gloriæ Dei; quia ibi gloria Dei, nempe Sancta Euchariſtia perpetim aſſeruatur. Idipſum à D. Ignatio audierunt Epheſij, quibus hęc

*D. Ignat. ep.* 14.

ſcripſit: *Date itaque operam vt crebriùs congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Domini*. Vides quomodo Euchariſtiam vocat gloriam Domini? Hic verò quærendum: cum omnes creaturæ Dei pręcones ſint gloriæ Creatoris ſui, nec tantum cœli, ſed & quæ continent cœli, enarrent gloriam Dei, quorſum ſola Euchariſtia dicitur gloria Dei, ac ſi Deus minimè ex rebus alijs eximijs, pulcherrimiſque, quas cõdidit, ſed ex ea tantum gloriam ſuam eliciat? Elicit ꝑfectò ex alijs; ſed hæc ad eam collata, quam habet ex Euchariſtia, tam minima conſtat, ac ſi nulla foret. Splendor vtiq; gloriæ Dei: qui ex Euchariſtica ſphęra intelligibiliũ oculis diffunditur, iure lumini Solis conferendus eſt; quod quãdiu præſens eſt, omnium ſyderum lumina obumbrare, ac ſolum ſplendeſcere videtur; velut ſi reliqua non adſint, & non luceant, quamuis adſint, & luceant. Videntur quidem cœli, quæque cœli ambitu continentur, glorificare Deũ, ſed vt bonum, vt benignũ, vt ſapientẽ, vt potentem; hæc vero vox, ad tubã Euchariſticã comparata, langueſcit; vtpote ꝙ plenioribus buccis, lõgè latèque maiora, ac admirabiliora enarret: Deum enim hominem factum pręd icat, hominum ærumnis ſubditũ, paſſum, crucifixum, mortuum celebrat, & ſepultũ; denique ineffabili charitate, liberalitate, ſeu vt dicã prodigalitate, ſub eſibilibus formis incluſum, vt homines Deiformes redderet, cibum hominum factũ, inceſſanter laudat, glorificat.

Vidit olim Ioannes Dominũ Ieſum Chriſtũ candida ſedentem in nube, cuius venerabile caput corona circũdabat aurea. *Et vidi & ecce nubẽ candidam & ſuper nubem candidã ſimilem filio hominis habentẽ in capite ſuo coronam auream*. Vbi Chriſti Regnum, regalemque honorem præoſtenſum ne dubites: non modo, quia in nube, velut in excelſo thróno, ſedẽtẽ vides; verum etiam quia coronam auream geſtantem legis; corona, enim Regum inſigne eſt. Quia verò hæc corona Chriſti gloriam oſtendit, gloria vocata eſt à Propheta: *Glo-*

*Apoc.*14. 14.

*ria,*

Pſ.8.6. *ria, & honore*, inquit, *coronaſti eum*. Quam quidem gloriam pretioſarum gemmarum excellens fulgor oſtendit: non enim deſunt Regis Regum coronæ, vt cæterorum Regum, qui eam exornent, pretioſi lapilli: *Poſuiſti*, inquit idē Deo Patri, *in capite eius coronam de lapide pretioſo*. (Ibidem.) Aduertendum vero, quod inter alias gēmas, pro Regum gloria coronis inhærentes, nullo pacto poſt habendus eſt Iaſpis; qui cum vireſcat, coloremque ſegetum repræſentet, curā Regis oſtendit in acquirēdis pabulis pro ſubiecta plebe. *Iaſpis* ait Chaſſaneus *in corona Regis debet apponi, & eſt coloris viridis, ſed terreſtris, & licèt ſit parum pretioſus, tamen deſignat in Principe, quod debet procurare pabula ſubditis, quæ à terra proueniunt, & per viriditatem illius deſignātur, famemque depellunt*. (Chaſſan. 1 Catal. p. 5 Cōſid. 21.) His itaque ſic præhabitis, dicendum eſt: Si Rex Regum Chriſtus menſam Corporis ſui non appoſuiſſet Eccleſiæ, quo fideles, ſui quotidie enutriuntur, coronæ maieſtatis eius deficeret neceſſarius Iaſpis, obque talem defectum ſplendor gloriæ eius haud profecto parum deficeret, labefactaretur, obūbraretur: haberetur ergo inglorius, & illaudatus.

6 Pulchrè D. Antoninus Florentinorum Præſul perpendit illud Prophetæ: *Abyſſus abyſſum inuocat*, aitque: *Abyſſus cui non datur fundus, eſt Deus infinitus, cuius magnitudinis non eſt finis. Abyſſus eſt anima noſtra infinitæ capacitatis in potentia. Abyſſus ergo inuocat abyſſum; quia anima, quaſi infinitæ capacitatis, appetit Deum nobiliſsimum, & ſummum bonum.* (Pſ.41.8. D. Antonin. p. 2. tit. 5. cap. 14.) Ac ſi diceret. Deus omnium noſtrum, qui eo quia eius magnitudinis nullus eſt finis, dici debet abyſſus, tanta capacitatis noſtram creauit animam, quod etiam vocabulo abyſſi ſit appellanda, nulla alia re, niſi altera abyſſo, nempe Deo, adimplenda, ac ſaturāda. Idcirco abyſſus non niſi abyſsū inuocat, quærit, cupit: ſiquidē, ſi ad explendam eſuriem eius, excepto Deo, totū orbem, totum cœlum, & ſi quid maius orbe, & cœlo foret, adhibeas; bolus erit exiguus. Deum ſolum eſurit anima, Deum ſolum ſitit, qui ſolus eam ſaturare poteſt, & adimplere. Hinc eſt quod Deus, nè, dum anima peregrinatur in terris, inanis relinqueretur, & vacua, ac præ inedia deficeret, ac periret, ſe ſub formis panis, & vini diuinitus accommodauit, vt abyſſo abyſsū impleret, nulla alia re, quę nō eſſet abyſſus, implendā. Quare, ſi Deus Eucha-

cha-

chariſticum non feciſſet abyſſũ, vt animæ adimpleret abyſſũ, anima proculdubio relinqueretur vacua; iureq; optimo diceretur: Quorſum tã magnũ vas creauit Deus, ſi quo adimpleretur, prorſus nõ haberet? Quorſum ſic grandẽ procreauit ventrẽ, ſi tanta ciborũ copia ſuis deerat in prõptuarijs? Quorſum viuens effecit, ſi, quo à morte liberaretur, aberat pabulũ vitæ? Hęc dicta habeas ad inſinuandum Deũ ferè fore ingloriun, ſi immenſum ſacræ menſæ cibum, ad noſtri cordis æquandam immenſitatem minimè præparaſſet.

7 Septimi ſigilli ſolutio aperuit D. Ioãni, quæ temporibus Antichriſti ſuperuentura ſunt mundo, prorſus deſtruendo, ac concremando. Vbi in primis, quod noſtra tantum intereſt, prędictũ eſt ſilentium in cœlo, nempè in Sancta Eccleſia, quæ cœlum myſticè dicitur. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum factum eſt ſilentium in cœlo*. Quid per hoc ſilentium extremis illis diebus fiendum in Eccleſia denotetur, audi Bernardinum *Quia tunc ceſſabunt omnia ſacrificia, nec dicentur miſſæ; numquã fiet mẽtio amplius de Chriſto; ſed omnes clamabunt: viuat Antichriſtus, fiet ſilentium in cœlo.* Velut ſi expreſſius diceret: Eo quia à Sceleſtiſſimo Dei omnipotentis hoſte hoſtia noſtræ ſalutis, iugeque ſacrificium penitus auferetur, fiet ſilentium de Chriſto in Eccleſia, conticeſcent laudis eius præconia, ſilebit frequens rumor gloriæ eius; at non ſecus, ac ſi numquam deſcendiſſet in terras, noſque à peccatis noſtris Crucem, ac mortem patiendo, exoluiſſet, profundæ tradetur obliuioni: ſoluſque Dœmonis filius per totum orbem à cunctis glorificabitur. Aduerte memoriã Chriſti, honorem, laudem, ac gloriam, qua modo Deus paſſim ſuperexaltatur, ex Euchariſtico ſacro perſtrepere in Eccleſia? Iurè igitur inferes, quod ſi Deus tantum non inſtituiſſet ſacrum, nunc non ſecus, ac in nouiſſimis temporibus, ferè ab omnibus profundę traderetur obliuioni; conſequenterq; illaudatus & inglorius remaneret: nam gloria eſt clara cum laude notitia.

*Apoc.* 8.1

*D. Bernardin. tom. 4. ſerm.* 5.

## THEOREMA VI.

### Pſalmus Dauid.

*Angelorum ſymphonia perſtrepant Sacra Altaria.*

EX eo, quod Propheta Pſaltes vouerat Deo, ſe ſuos

Pſalmos maieſtati eius in templo ſuo decātaturum, vbi choris ſeptus angelicis, melodis vocibus collaudatur. *Pſal. 137. 2.* *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus: adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo*; cum in fronte huius Pſalmi legis, *Pſalmus Dauid*, ſcire debes eum eſſe ex canticis Deo in templo eius decantari promiſſis, vbi tantæ maieſtati ſine fiue concinunt Angeli; ac pariter meminiſſe cœleſtium ſpirituum melodiæ, quā, dum in templo coram omnium opifice reuerenter aſſiſtunt, alternis, ac dulciſſimis vocibus, Deum magnificant ac ſuperexaltant ſub ſenſibilibus panis incluſum; vtpote prædulciſſimum hominum paſtorem, *Pet. Cell. de panib.* nutritorem, educatorē. *Deus* inquit Abbas Cellenſis *in hac menſa poſuit ſua beneficia, Angelus ſua obſequia, Angelus os aperit in laudem Dei.*

1. Commendabat ſponſa manus dilecti ſui Saluatoris noſtri, aiebatque eſſe tornatiles, aureas, ac plenas hyacinthis. *Cāt. 5. 14.* *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Quæ quidem verba, ſi de ſacro altaris miniſtro, dum conficit Euchariſtiam, velim eſſe dicta profecto minimè fallar; tunc etenim manus ſacerdotis manus Chriſti ſunt. Chriſtum gerit ſacerdos, dum ſacrum facit, cuius manus īuiſibiliter extenſa totam perficit Sacramenti veritatem. Audi Chryſoſtomum. *Cum Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam*; Atque iterum alibi. *Quando Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli Sacerdotis, ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari.* *D. Chryſ. Hom. 60. ad pop. Idē Hom. 51. in Matt.* Rupertus vero clarius. *Hoc ſolæ operantur manus Chriſti tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis: manus inquam Chriſti hoc operantur per manus Sacerdotis, quæ manibus ſuis confortatæ ſunt.* *Rup. de diuin. off. li. 2. cap. 5.* Quare, cum manus Sacerdotis, dum Sacrū miniſtrant, ſint manus Chriſti, non ſecus, ac manus Chriſti, plenæ ſunt hyacinthis, ideſt Angelis: quia enim hyacinthus pretioſiſſimus lapis cerulei coloris eſt, typum gerit Angelorum, cerulei Regni ciuium. Verum quid faciunt Angeli in manibus Sacerdotis, dum Euchariſtiam contrectant? Dulciter cōcinunt, ſuauiter modulantur, ac Deū collaudant, ait D. Vincentius. *Tunc manus Sacerdotis plenæ ſunt Angelis, qui canunt dicentes: Panis Angelicus fit panis hominum, &c.* *D. Vinc. ſer. 1. Domin. in ſexag.*

2. Audi vero Sophronium Conſtantinopolitanum Præſu-

lem,

lem, quibus commendet Angelos encomijs. *Regis muſici, nec non Sacrorū miniſtri, & Diaconi dicimini.* Dei vtique Regis ſummi muſici ſunt; namque nullo Deum tempore melodis non concinunt vocibus. Sacrorum item miniſtri, Diaconiq; Diaconorum more altari aſtantes, ſacro aſſiſtunt Presbytero, dum ſacrificio incumbit. Sed quid eſt, quod dum dicuntur Diaconi, ſacrorumque miniſtri, dicuntur etiam muſici? Niſi quia dum Sacro aſſiſtunt, cœliceæq; menſæ inuiſibile præſtāt obſequiū, muſici ſunt; dulciſſimè concinentes, modulantes, Deum collaudantes? *Regis muſici, nec non ſacrorum miniſtri.*

*Sophron. de Ange. Excel. orat. 6.*

3 Statutum eſt ab Eccleſia non poſſe Sacerdotem, dum nox eſt, niſi aurora refulgeat, altaribus intereſſe, ibique ſacrum conficere. Quod vbique gentium inuiolabiliter ab omnibus nouimus obſeruari. Sed quænam ratio huius ſtatuti affertur? Multæ quidem, ac piæ omnes, vt accepi: Nunc vna tantum contentus eſto, quam propoſiti noſtri exigit opportunitas. Vt ex illius tēporis qualitate doceat te innumerabilium Angelorum ad ſacrum altare volatum, corūque, dum Euchariſtiæ aſſiſtūt, ſuauiſſimos cantus. Priuſquā enim aduenerit aurora, latēt aues, non volant, non modulātur, penitus conticeſcunt; vbi verò elatam, ac albeſcentē viderint, turmatim aduolantes congregātur ad inuicem, choros agunt, dulciter iubilant, ſuauiter modulantur, cœlumq; concentibus replent. Hinc Richardus à Sācto Laurentio auroram dictam putat. *Quaſi auiū horam:* eo quod aues ad eam horam carminum ſuorum concentus ſeruēt. Proinde vt ſcias Angelos, qui (vt idem ibidem aſſerit) *aues Dei* nuncupantur, in conſpectu Corporis Domini congregari, ibique Deo ſuo cœleſtes concinere laudes; nō, niſi ab aurora, Sacrum celebrari iubet Sācta Mater Eccleſia; quia cœleſtium auium, eorūque conuentus hora eſt, hora qua dominicum conficitur Sacrum. Fortaſſe hac ratione pmotus Deus vocauit Angelos ſuos aſtra matutina, Deum laudantia, ſimul ac iubilantia. *Cū me* inquit *laudarent aſtra matutina, & iubilarent oēs filij Dei.*

*Richar. à S.Laur. de lau. B.M. lib. 7.*

*Iob. 38. 7*

4 Vt innueret Spōſa, quod cum nos Chriſtus ſacro Corporis, & Sanguinis ſui ſaginat pulmento, ſancta altaris menſa innumeris Angelorum choris iubilantium, ac collaudantium Deum, vndique circumcingatur, ab ipſo nos ait inter lilia paſci. *Qui paſcit inter lilia,*

*Cāt. 2. 16. iuxta ex-*

*poſit. Pa-* *lia*, ideſt inter Angelos. Lilia
*gn. Pier.* Angelorum ſunt ſymbola. *Ea*
*lib.* 55. *enim eſt lilij natura*, ait Pierius, *vt cœleſtibus Angelorum ſubſtantijs aptiſſimè cōparetur*. Aduertendum, quod tametſi lilia ſtipitis proceritate, coloris pulchritudine, odoriſque ſuauitate Angelorum præſeferāt typum, in ea tamen figura, in qua ab earum Auctore viſa ſunt effingi, propriori hyeroglifico cœleſtes ſubſtātias exprimunt. Si horum florum formæ ſubtilius attēdas, haud aliter, quam tintinnabula argentea, aureis repercuſſa malleolis; ſe tibi repræſentabunt. Hoc ſane proprium, ac perenne Sanctorum Angelorum munus exprimit. Angeli qppè in ſublimi turri templi cœleſtis elati, veluti tintinnabula argentea ob puritatem, aureis malleolis, nempè linguis charitate fulgentibus, perpetuò repercuſſa, die, noctuque ſine alio fine Deum collaudāt, ac prædicant. Quare dum ait Sponſa, Chriſtum inter lilia paſcere gregem ſuum, perinde eſt, ac ſi diceret: Paſcit, ac recreat inter cœleſtes ſubſtantias, quæ dum reuerenter adorant Sacroſancta myſteria, ſuauiſſimos concentus edunt, quibus Deum ſuum tanti muneris largitorem inceſſanter exaltant.

5 Vbi Chriſtus ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*, ſicuti per lignum vitæ Euchariſtiam, ità per Paradiſum Eccleſiam intelligit, in qua Deus ſalutifero fructu corporis, & ſanguinis ſui enutrit ſuos. Hæc eſt ſententia D. Thomæ. *Eccleſia militans eſt Paradiſus; quia Deus in ea ſuos amatores nutrit, & reficit ſuauiſſimis refectionibus*. Ergo ſi dum Chriſti Corpore paſcimur, ac ſanguine potamur, ſumus in Paradiſo, nullo pacto aues Paradiſi, Sacræ menſæ adhærentes, conticeſcere poterunt, quin ſuauiſſimis cantibus & tanti nutritoris charitatem, ac bonitatem efferant, & conuiuas delectent. Si dum adhuc Adam Paradiſum incoleret, rudemque ad menſam accumberet, innumerus canorum auium cætus, vt delicias illius augerent, varijs pſallebant vocibus, replebantque cantionibus cœlum. *Ne auditui deeſſet*, ait Arnoldus, *quæ mulceret melodia, supernè in ramis cedrorum, vel aliarum arborum Phænix viuax pſallebat, ac ptiſſacus, & multiplici concinētium auium vna erat conſonantia. Huiuſmodi ad menſam Protoplauſti excubabant tibicines, tales citharistas habebat illa originalis*

*Apoc. 2. 7.*

*D.Thom. ibid.*

*Arnal. de oper. ſex dierum.*

an-

*antiquitas*. Quorſum in Eccleſiæ Paradiſo, accumbente Deo nobiſcum, deeſſe poterũt aues ſupernæ, Paradiſi tibicines, cœlorum citharıſtæ; quin, vt benigniſſimum, ac pientiſſimum Deum collaudẽt, ac noſtræ pariter felicitatis nobiſcũ congratulentur, linguas canoras non ſoluant, vocibus dulciſsimis non pſallant, ac cœlũ non repleant cantibus? Nemo profectò ſit, qui ambigat, cum ſumus in Paradiſo, ac Dei mẽſæ accumbimus, cœlorum muſicos non adeſſe, Paradiſi Symphoniam non perſtrepere, cœleſtes aues non concinere.

6 Pridie, quàm Saluator noſter crucifigeretur, nempè die iouis, accipiens panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, diuinam menſam appoſuit; tantoque munere dilectã ditauit Eccleſiam. Quamobrem Deus tam magnum opus ſeruauit ad diem Iouis; & non potius ad diem ſolis, cùm cœleſte manna, huius ſacri typus, è cœlo primũ elapſum eſt? Vt tuæ petitioni ſatisfaciam, ex quamplurimis vnam afferã rationem; teq; primũ admoneo, nomen Iouis à iubilando deriuatum; ſiquidem, vt ait Lorinus, *Iubilare deriuatur ab Io, voce lætantium, præcipuè militum triumphantibus gratulantium, dicendo: Io triũphe. Hinc Iouem latini dixerunt.* Rurſus aduertam vocabulum Alleluia, quod, vt Durandus ait, vox hominum non eſt, ſed Angelorum, potius iubilum, quàm canticum eſſe. *Cum canitur Alleluia*, ait Rupertus *iubilamus magis, quam canimus*: iubilant enim Angeli. Ijs itaque præhabitis dicam: Idcirco viſum eſt Sapientiæ Dei in die Iouis Euchariſtiam facere, vt perẽnem Angelorum circa altare excubantium doceret te iubilum, an concentum: monitũq; redderet, quotieſcumque cõficitur admirabile ſacrum, eſſe diem Iouis, nempe iubilationis, exultationis, & cantus cœleſtium citharıſtarum laudantium Deum, ac dicentium: Alleluia.

*Lorin. in Pſal. 46. ver. 2.*

*Dur. Ration. Diuin. lib. 5. c. 24.*

*Rup. de Diuĩ. Off. lib. 1. c. 35.*

7 Anacharſis Philoſophus, vt refert Plutarchus, quæſitus ab Ardalo, an apud Scytas eſſent muſices inſtrumenta; *Nè vites*, inquit. Cui iterum Ardalus: *Attamen Deos ſcytæ habent.* Ac ſi diceret: Cum ſciã apud Scytas Deos eſſe, debitiſque honoribus reuereri, mirum mihi videtur, muſicam ibi non perſtrepere; cum nullibi Dij, niſi vbi pſallitur, adeſſe cõſueuerit. Verũ hęc de fictis, ac ſurdis numinibus, aures habentibus, & non audientibus, dicta habe: quibus ſi pœnes hominum mentes tantus honos adhibitus fuit, vt nullibi æſtimarentur adeſſe, niſi vbi per-

*Plut. in Conuiu. ſept. ſapient.*

perſtreperit ſymphonia. Quamobrem Deus viuus, ac verus, ſempiternè Beatus, qui dum ſublime cœli ſolium tenet, cẽtenorum millium Angelorum dulciſsimè modulantium perenni cantu obiectatur, deſcẽdens in templum, ſubque panis cortinis reſidens, expers erit cœleſtium cãtionum? Firmiter tene, & nullatenus dubita, vbi diuinus miniſter ſacra protulit verba, ac Deũ in manibus habuit, Angelos ad Altare turmatim aduenire, ibiq; nablis, pſalterijs, citharis, alijſq; inſtrumẽtis onuſtos præſenti Deo humiliter aſtare, dulciterque concinere.

8 Nato Domino, pannis inuoluto, reclinatoque in præſepio, peruenit ad aures paſto-

*Luc. 2. 13*

rum dulcis ille concentus *Militiæ cœleſtis laudantium Deum, ac dicentium: Gloria in excelſis Deo.* Vbinam concentus ij fiebant, perſonabãt cantus, cœleſtes agebantur choreæ? In diuerſorio apud beatum Puerum, magnorum Angelorum

*Arnold. de Laud. B. Virg.*

Regem, ac Deum. *Aderant illic,* ait Arnoldus *Cherubim, & Seraphim, & gratulabundus Gloria in excelſis Deo, decantabat cœleſtis exercitus, & vſque ad ad paſtorum excubantium aures armonia Angelicæ reſonantiæ perſtrepebat.* Hic te velim admonitum, ſacroſãctam altaris menſam, in qua iacet Dominicum corpus, minimè ab illo præſepio differre. *Hæc menſa,*

*D. Chryſoſt. ſerm. de B. Philogonio.*

ait D. Chryſoſtomus, *vicem explet præſepis; nam, & hic ponitur Corpus Dominicum, non quidem faſcijs inuolutum, ſicuti tũc, ſed vndequaque Spiritu Sancto conueſtitum.* Quare, ſi menſa altaris vicem gerit, præſepis Angelorum cantibus perſtrepentis; quamobrem Angeli non concinent in altari, non laudabunt Dominum, præſentemque Deum non glorificabunt, cui dulciſsimis ſonis cãtabant in præſepio? Cantant planè. Neque mirum ſi cœleſtes ſubſtantias aſsiſtentes coram altari non aſpicimus, eorumque ſymphoniam non audimus: quippe cæcutiunt oculi noſtri, aureſq; obſurdeſcũt.

*S. Vinc. Ser. 1. in feſt. Corp. Chriſti.*

*Si non haberemus oculos lippos, nec aures obduratas, videremus, & ſentiremus eos cantantes.* ait D. Vincentius.

9 Quid eſt, quod dum Sacerdos verba Sacri Canonis proſequẽs, vbi venerit ad precem, quæ incipit, *Nobis quoq; peccatoribus*, concludendam; dicatque *Per Chriſtum Dominũ noſtrum*, miniſter, vt in ſimilibus aſſolet, non reſpondet *Amen*? Forſitan Eccleſia ſperans in multitudine miſerationum Dei, partem aliquam, ac ſocietatem cum Sanctis Apoſtolis, ac Martyribus petit in cœlis, tam neceſſariæ petitioni

an-

annuendum non cenſet? Abſit, vt tale quid arbitreris. Annuendum cenſet, ac reſpōdendum,& reſpondetur in facto: verum non ab hominibus, ſed à cœleſtibus Angelis, altare circumdantibus, ac concinentibus. Audi Nicolaum de Ploue. *Concluditur: Per Chriſtū Dominum noſtrum, & non dicitur Amen; quia ſecūdum Doctores illud reſpondent Angeli;* Ex hac re planè intelliges ſacrum Eccleſiæ altare Angelorum concinentium circumdatum Choris, atque (vt in maioribus ſacris aſſolent pſallentes in choro) miniſtro celebranti reſpondentium,& dicentium: *Amen.*

*Nicol. de Ploue de expo. Miſſæ apud me pag. 52.*

10 Denique ad cōfirmandā hanc veritatem profert Petrus Galatinus cuiuſdam Rabbini Hebræorum Doctoris traditionem, quem Hebræi, honoris gratia, magiſtrum ſanctum noſtrū appellant. Hic ad priorem petitionem Antonini Romani Conſulis reſpōdens, hæc ſe tradit accepiſſe. Cum ſemel Rabbi Simeon in ſpelunca duplici orans vidiſſet Eliam ſibi apparentem, & tamquam Sūmum Pontificem rem ſacram facientem, atque omnes Patriarchas, cœlorumque Spiritus lætantes, poſt multa ipsū interrogauit, dicens: Sacrum illud, quod faciebatis coram Deo Sācto,& benedicto, quod nam erat? Reſpondit Elias. Hoc eſt ſacrificium, quod poſtquam venerit Meſsias, facient Sacerdotes coram Deo Sancto. Quod cum primū Sacerdotes exercebūt, omnes Angeli cœli, audientes illa Sacroſancta verba ex ore Sacerdotis prodeuntia, contremiſcent, & dicent Domino: Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra: quoniā eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. *Tunc autem Angeli varijs inſtrumentis coram Deo Sancto, & benedicto laudes maximas edēt dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hæc Rabbenus. Galatinus verò addit: Qualis autem debeat eſſe hęc Angelorū laus, quā in hora immolationis huius ſacrificij Angeli facturi erāt, ex Rabbi Hehumiæ verbis facilè compræhēditur, qui ait: *Dico vobis, ſi quis mortalium poßet audire, atque percipere cantum illum adeo ſuauem, atque mellifluum, quem Angeli concinunt, anima eius ſeiungeretur à potentijs corporis, & cum illa cantus dulcedine coniuncta egrederetur.*

*Galat. de arcan. li. 10. c. 7.*

*D. Anton. p. 4. titul. 5. c. 12: §. 2.*

11 Hoc ex eo, quod ex vitis Patrum tradit D. Antoninus, manifeſtius fiet. Ibi enim dicitur Angelos Dei iuſſu ad quemdam magnæ probitatis virum deſcēdiſſe, vt illius animam, ſolutā carnis ergaſtulo,

co-

comitarentur in cœlum. Verũ cum vir Dei, hinc Michaele, hinc verò Gabriele Archangelis aſtantibus, ac moriturum præſtolantibus, mortis formidaret dolorem, ac mori nollet. *Miſit Dominus Deus Dauid cum cithara, ſeu pſalterio ſuo, & cantoribus patriæ cœleſtis, ad cuius pulſum, & cantum ſuauiſſimum anima ſubito exiliuit à corpore, & cum gaudio in cœlum eſt recepta.* Habes itaque ex præhabitis, non modo Angelos corã S. Euchariſtia inceſſanter canere; ſed, & tali, & tanta dulcitudine canere, quòd, ſi eorũ modulationes percipi poſſent, prę dulcedine cãtus omnes reperemur in Deum.

*D. Antonin. p. 4. tit. 5. c. 12 §. 2.*

## THEOREMA VII.

### Pſalmus Dauid.

***Diuinæ Omnipotẽtiæ opus admirandum, maximum, fereq; ſupremum, Euchariſtia.***

QVoniam ex præhabitis conſtat Pſalmum eſſe laudem, laudemq; ſignificare Euchariſtiam, videndum modò quorſum laus hæc deifica dicenda ſit Dauidis, *Pſalmus Dauid.* Hoc autem, ex interpretatione nominis regij patefieri puto: tradunt enim *Dauid*, vocem hebraicam, latinè *Manufortem* ſignificare. Dum igitur Euchariſtia dicitur Dauid, perinde eſt, ac ſi diceretur opus manufortis, nẽpe Dei (quẽ Dauid præſignat,) in cuius manu vera reſidet fortitudo, vera virtus, ac robur. Sic verò dicitur, non ad excludẽda alia opera, quaſi à Deo non ſint, ſed ad ſignificãdum Deũ in Opificio mundi, & eorum, quæ ſunt in mundo veluti ad parua, & exilia dexteram adhibuiſſe: ad Euchariſtiam verò faciendam fortem, & validam. Quod ſanè maximum argumentum eſt Sacramẽtum altaris opus eſſe admirandũ, maximum, ferèq; ſupremum Omnipotentię Dei.

1 Et ſi cor Domini Ieſu non ſecus, ac fornax millies ſuccenſa, contiuuis amoris ignibus perpetim exardeſceret; cũ tamen, imminẽte acerbiſsima eius paſſione, relicturus eſſet ſuos, perinde peruenit ad ſummum, vt ei nihil amoris accedere potuiſſet. *In finem* inquit Ioannes *dilexit eos.* Ideſt, ait Burgenſis, *tanto amore dilexit eos, quãto maior eſſe nequeat.* Tunc temporis ergo, nempe in magno, ac feruentiſsimo illo charitatis feruore, accepit panem, ac diuinam confecit Euchariſtiam. Quale nam opus tanto igne prędominante factum putas? Ex regula D. Ber-

*Io. Burg. ſerm. 13. de diuin. vnion.*

D. Bernardin. to. 1. ſer. 54. artic. 1. c. 1.

Bernardini clarè accipies. *Solet homo; cum eſt in magno amoris feruore, ac vehementia dilectionis, facere magna; quia charitas operatur magna, ſi magna eſt: quanta maior eſt, tanto maiora ſatagit operari: ſicut, & in carnalibus amoribus patet, quanto magis, & in philocapto Ieſu?* Ac ſi apertiùs diceret. Cum ex quantitate amoris opus dignoſcantur amoris, paruus amor, parua; magnus verò, magna, neceſſe eſt operari. Porrò, ſi perinde magnus fuerit amor, cui nihil, quo amplius intendatur, addi poſsit; maxima ſanè conficiet, quibus nihil vlterius poſsit adiũgi. Quia verò cor amantiſsimi Ieſu, dum ad Euchariſtiam formandam ſãctas manus extolleret, immenſæ, ac infinitæ propemodum charitatis ardore accendebatur, cui nihil amplius ſuperaddi potuit, immẽſæ molis, infinitæ perfectionis, ingentiſque pretij opus cẽſendum eſt confeciſſe, cui nihil amplius boni, nihil pulchri, nihil cõmodi potuit ſuperaddi.

2 Præterea audi Prophetam de cœlorum ſtructura, quam mirum in modum videre concupiſcebat, eloquentem. *Quoniam*, inquit, *videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum; Lunam, & Stellas, quæ tu fundaſti.* Tanta (ait) afficior cupiditate, tanto ardore, ac curioſitate videndi cœlos tuos, opus maximum digitorum tuorum, quantam nemo habuit vnquam. Verum qua de re opus tantæ molis, tantæ pulchritudinis palatium, dicendum eſt potius opus digitorum Dei, quàm manuum? Quia Deus non manus, ſed digitos, ad eius conſtructionem admouit. Dicitur Deus ad cœlorũ ſtructuram digitos adhibuiſſe, *Non quod habeat Deus digitos,* ait D. Chryſoſtomus, *ſed minimæ eſſe operationis oſtendit.* Vſque adeo admirãdus eſt Deus in operibus ſuis, tantaque fretus potentia, quod ad formandos cœlos, quibus noſtris oculis nihil maius, nihil pulchrius, nilque admirabilius, obijci poteſt; non vtramque manum, non dexteram, ſiue ſaltem ſiniſtram, ſed digitos adhibuiſſe ſcribatur. *Videbo cœlos opera digitorum tuorum.* In qua quidem re Spiritus Sãctus docuit nos, longè latèque maiora efficere poſſe Deum extendentem alteram, vel vtramque manum. Quippe ſi Deus adiuncta vtraque manu perfeciſſet cœlorum orbes, cõiectarent homines eum in illo opere abſorbuiſſe vires Omnipotentiæ ſuæ, nihilque reliquiſſe, quod maius cœlo foret. Porrò ferit-ne vnquam Deus opus hoc magnum, cui omnem potentiæ ſuæ vim ap-

Pſ. 8. 4.

D. Chryſ. ibid.

plicuit, ità, vt eo aliud maius facere non poſſit? Fecit quidem, & tale eſt Euchariſtia. Quod neque de cœlorum orbibus, neque de alio Dei opere memoriæ proditum eſt, de Sancta Euchariſtia prædicatur. Eam enim Chriſtus, vt opus omnium maximum oſtēderet, ac nihil ea vnquam maius factum, aut faciēdum, vtraque manu appoſita mirabiliter confecit. *Accipiens panem*, inquit Eccleſia *in Sanctas ac venerabiles manus ſuas, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis*. Hoc ſolum opus ſapientiæ Dei vires abſorbuit, Deoque, ne vnquam ad maiora progredi poſſet, terminum ſummum præfixit, ac infinitam Omnipotentiam Dei finitam (vt ita dicam) oſtendit. Quare *Quid melius corpore, & ſanguine Chriſti?* ait Iſidorus. Ac ſi diceret. Quid erit tellus? quid cęlum? quid Paradiſus? quid denique omnis alia creatura, ſacri altaris miraculo cōparata? Sanè hæc ſpectabilia ſunt, bona ſunt, pulchra ſunt; ſed digitorum Creatoris opera exigua; Euchariſtia verò manuum, qua nihil maius, nihil pulchrius, nihil admirabilius viſum eſt vnquam, nec videri poteſt in poſterum. *Quid melius corpore, & ſanguine Domini?*

*In Can. Miſſæ.*

*D. Iſid. li. 6. c. 19. etymol.*

3 Referunt prophani, conſueuiſſe gentiles in os propinqui defuncti monetam immittere, obolum nuncupatam, vt animam exeūtem viatico prouiderent. Hinc, ni fallor, factū eſt, vt primiores Chriſtianæ fidei alumni, ad hanc patrum ſuorum peſtiferam conſuetudinem abolēdam, ſacram Euchariſtiam monetæ formā ferentem, in os fidelium defunctorum reuerenter immitterent, traderentque ſepulchro. Legimus D. Baſilium tertiam partem Hoſtiæ conſeruaſſe in Miſſa, vt ſecum cōſepeliretur. Euchariſtia planè verus, ac probatus eſt obolus, non illud gentium adulterinum, qua, quaſi viatico, animę defunctorum munitæ, feliciter progrediuntur in Cęlum. Sed quid eſt, quod poſthabitis alijs nūmis, ſolus obolus pro typo Sacramenti defertur? Vt Euchariſtiam non modo cenſeas defunctorum viaticum; verum etiam aduertas à Deo factam in oſtentationem Omnipotentiæ ſuæ. Obolus enim, vt ait Alexander ab Alex. *Oboli nomen habuit, quod vetus Athenienſium nummus obeliſcum incuſſum habuit*. Obeliſcos verò, vt refert Petrus Bercorius, antiquorum Reges conſueuerūt erigere. *Ad ſuæ potentiæ oſtentationem*. Planè ſacra Euchariſtia quidam obolus cenſenda eſt, ac ſi Deus in ea obeliſcum ex-

*Amphiloch. apud Lippom. 1. Ianuar.*

*Alex. ab Alex. Gen. lib. 4. c. 24.*

*Berc. Reduc. Mir. lib. 14. c. 72.*

expreſſerit. Opus grande eſt, admirabile, ad Diuinæ Omnipotentiæ oſtentationem in baſe altaris erectum, quo nihil ſublimius, nihil maius, nihil auguſtius in hoc omnium rerum theatro.

4 Quis me vetabit ſacrum Euchariſtiæ conferre Antoglipho calculo, quem fert Sagaris Phrygiæ fluuius, Deorum matrem præſeferenti, vt refert Plutarchus? Habes in Apocalypſi Sacram Euchariſtiam ſub typo calculi expreſſam. Idipſum etiam apud Iſaiam inuenies. Habes præterea eam, nõ inquam imaginem, ſed veram Deorum matrem, quæ nos diuino nutriens lacte, ex hominibus Deos facit. *Nos Dominus noſter per cibum hunc ſuauiſſimũ in ſui traducit effigiem, deiformeſque reddit.* Ait Diuinus Dionyſius. Deniq; de hoc calculo hoc addit Plutarchus: *Si quis hunc lapidem inuenerit, nullius rei capitur admiratione.* Quod ità quadrat Euchariſtico Sacro, vt hic lapis ad eius typum cenſendus ſit fabrefactus. Eſt enim opus adeo immenſum, excellens, obſtupeſcendum, vt qui illud inuenerit, attentèque obſeruauerit, in nullius rei poterit admirationem venire. Namque in eo non modo cuncta admirabilia Dei, vt Pſaltes ait, contemplari licet; verum etiam ipſiuſmet Dei præſentiam, mirabilium omnium opificis, intueri, in cuius comparatione nihil, quod admiratione ſit dignũ, poſſibile eſt inueniri.

*Apoc. 2. 17.*
*Iſa. 6. 6.*
*D. Dionyſ. de cœl. Hierar.*
*Plut. de Fluu. c. 2.*
*Pſ. 110. 4.*

5 Vbi venerabilis Sacerdos, diuinorum verborum virtute, ſe corpus, & ſanguinem Chriſti confeciſſe credit, vtraque manu adhibita in ſublime eleuat, ac populo prodit. Verum, ſi quæris, quid nam iſta eleuatio præſeferat. Multa, inquam, ac mira, expletaque magnis myſterijs. Dicam modo, vt rei noſtræ exigit argumentum, quod de ea Hugo de S. Victore ſcriptum reliquit. *Meritò cum venitur ad hæc verba, ſacerdos extollit altè vtrumque, ſignificãs hunc cibum, & hunc potum, excellentiorem cæteris.* Vt Presbyter innueret diuiniſsimum ſacrum cuncta, quæ facta ſunt à Deo, excellere, ac ſuperare, reuerenter eleuat illud, quaſi ſuper omnia, quæ facta ſunt, extolleret, ac reponeret, tacitèque diceret: Vt huius ſacri cibi dignitatem, magnitudinẽ, ac in alijs Dei operibus ſupereminentiam non ignoretis, en totis viribus fretus, vtramque adhibens manũ, velut illud ſuper alia omnia reponerem, reuerenter extollo. Nec ſanè immeritò: opus eſt enim maximum, admirabile, ac ſuper alia Dei opera reponendum, extollendumq;.

*Hugo de S. Vict. in ſpec. Eub. to. 3.*

6 Cum legis illud Pſalmi
Pſ. 53. 10. quinquageſimi tertij. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*, admonitum te velim, vbi ſcribunt Septuaginta, *ſegregabis*, alios transferre, *Cribraſti*, Pagninum verò, *Feciſti eleuare*. Ibi abſque dubio Propheta per pluuiam voluntariam intelligit Euchariſtiã; tum quia ſub typo mãnæ pluit populo Hebræo: Tum, quia volũtaria eſt, ideſt, vt ait Lorinus, *Summa voluntate inſtituta ſummoque amore; cum in fine Chriſtus dilexiſſet ſuos; exquiſita inter omnes voluntates eius. Sũmopere item à nobis expetenda, ac magna voluntate percipienda.* Expende verò hanc cœleſtem pluuiam cribratam dici. *Pluuiam volũtariam cribraſti Deus*, ideſt ab omnibus Dei operibus ſecretam, tamquam aliorum præcipuum, optimum, excellentiſsimum. Velut ſi Deus omnia opera ſua, quæ in æternitatis circulo, velut in quodam cribro, detinebat, producturus ad extra, ſtudioſe cribrauerit, vt ex eis Euchariſticum ſacrum, non ſecus, ac ſimilaginẽ à furfuribus, & purgamentis, educeret, ac ſecerneret; atque ſuper alia tamquam excellentiſsimum, perfectiſſimum eleuaret, vt Pagninus habet. *Feciſti eleuare.*

Ioa. Lor. ibid.

7 In Cantico Abacuc, quod ad prædicanda noſtri Redemptoris miracula decantatum ſcimus, hæc inter reliqua habentur: *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius*, Abac. 1. 3.
vbi vulgaris editio habet *Cornua*, Septuaginta *Splendores* tranſtulere. Quod ſi huius litteræ perſiſtamus interpretationi, eius ſenſus erit; Prophetam vidiſſe Chriſtum Dominum ſplendorem quemdam geſtantem in manibus ſuis. Quia verò D. Hieronymus per hunc ſplendorem Chriſtum intelligit, ſplendorem gloriæ Dei vocitatum à Paulo: *Qui cum ſit ſplendor eius, & figura ſubſtantiæ eius*; Vates videtur innuere, ſe vidiſſe Chriſtum in manibus Chriſti, ſeipſum nempe ferentem. Quod quidem diuinam Sacræ Euchariſtiæ inſtitutionem apertiſsimè tangit: nam cum Chriſtus accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, eumque benedixit, repente ſeipſum in manibus ſuis habuit, & ſplendor ſplendorem ferebat. *Ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: Hoc eſt corpus meum.* Ait D. Auguſtinus. Vnde verſus.

D. Hieron. ibid.

Hebr. 1. 3

D. Aug. in Pſ. 33.

*Rex ſedet in cœna turba cinctus duodena*
*Se tenet in manibus ſe cibat ipſe cibus.*

D. Thom. opuſc. 58.

IIs itaque ſic præhabitis, aduertendum, quod vbi legit vulgatus. *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius*, transfert Arabicus: *Fecit amorem virtutis ſuæ firmum*. Quam quidem translationem, prout noſtræ propoſitionis quærit intẽtio, acceptiſſimam habeas; hic enim eſt ſenſus. Poſtquam Chriſtus ſũmus gloriæ Dei ſplendor ſeipſum æquè ſplendentem tulit in manibus ſuis, ideſt ſacram inſtituit Euchariſtiam, *Fecit amorem virtutis ſuæ firmum*; nimirum offirmauit vim, ac virtutem; ſiue potius terminauit omnipotẽtes vires amoris ſui: neuè vlterius progrederentur, mandauit, nè opus aliud hoc ipſo maius tentaret efficere; in caſſum ſiquidem laboraſſet, vbi ad opus omnium maximũ, quo nihil maius eſſe poterat, peruentum fuit. Ac ſi dixiſſet amori: Hic ſiſte gradum, depone manus, fige columnas, non plus vltra, noſtræ ad metam omnipotentiæ adſumus.

*Arabica. Transl.*

8 Hoc opus (ſi fas eſt dicere) ditiſſimum dumtaxat depauperauit Deum: nam poſtquam Deus inſtituit hoc Sacramentum, ex eo quod in illo ſe nobis præbuit; nemo eſt, quẽ lateat, nihil ei remãſiſſe, quod nobis ampliùs daret. D. Vincentius contemplatur Chriſtũ inter manus Sacerdotis poſitum, & eleuatum, vt quotidie cõſuetum eſt fieri in Eccleſia, eundemque Cruci inter duos latrones affixo comparat, per latrones vtramque Sacerdotis manum intelligens. Hæc ſunt verba S. Doctoris. *Sicut Chriſtus fuit eleuatus, & crucifixus inter duos latrones, ità Hoſtia conſecrata leuatur duabus manibus, dextra & ſiniſtra, quæ ſignificant latrones*. Verum quare miniſtri Dei venerabiles manus latronibus comparantur? Eo quia, dum ſacrum faciunt, latronum inſtar ſunt, latronum perpetrant opera, rapinas exercent, ſed ſanctas. Nempe Deum ſeipſo expoliant, nobis eum præbent, atque adeo depauperant, vt non habeat maius, quod nobis ampliùs donet. Hinc eſt, quod Pſaltes Euchariſtiam vocat rapinam, vbi habent Septuaginta. *Eſcã dedit timentibus ſe*, transferũt alij, *Rapinam dedit timentibus ſe*. Sanè rapinam dedit. Rapina eſt Euchariſtia: nam, cum Chriſtꝰ incidit in manus miniſtri, incidit in latrones, qui eũ, nõ modo bonis ſuis; ſed ſeipſo depauperant, exuunt, ſpoliãt.

*D. Vinc. ſer. 2. Feſ. Corp. Chr.*

*Pſal.* 110 5.

9. Dum Sponſa Chriſtum dilectum ſuum commendat, & prædicat, ait eſſe coloris flaui. Quod legimus in vulgata. *Dilectus meus candidus*, transfertur ab Anaſtaſio Sinaita, *Dilectus meus flauus*. Ac ſi diceret: Pallidum præfert

*Cãt.* 5.10.

co-

colorem Dilectus meus. Sanè pallidus, & flauus idē eſt. Sed quamobrem pulcherrimus inter filios hominum, electus ex millibus, ſpecioſior Angelis, rerumque omnium pulchritudo fontana, coloris eſt pallidi? Eo quia, vt Petrus Bercorius ait, *Pallor ſolet pauperiem ſanguinis deſignare.* Chriſtus itaque pallidus exprimitur, non ex eo, quod eximia, admirandaque pulchritudine careat; ſed ad inſinuandam ſacri ſanguinis pauperiem, non modo ſemel in Cruce, ſed & in ſacro altari quotidie pro nobis effuſi. Vides quonam pacto Sancta Euchariſtia, dum tantum à Deo exigit, ſugitque ſanguinem, omnis boni ditiſſimum poſſeſſorem, nullius indigentem, paupertatis expertem, depauperat? Quale ergo ac quãtum æſtimabis opus, quod pro hominis gloria, non terra, non mari, non cœlo, ſed proprio cruore, imo etiam ſeipſo, Deum ſummum expoliat? Magnum ſanè, admirandum, ac diuinæ Omnipotentiæ Supremum.

*Petr. Berc. lib. 3. Red. Mor. c. 2. num. 5.*

10 His itaque ſic habitis, velim demum mihi concederes Euchariſticum Sacrum celebri illi aulæo conferendum, quod Nero Romanorum Imperator pertexendum curauit. Cum Nero (inquit Plutarchus) aulæum quoddam apparaſſet, magnificum ſpectaculum, tum pulchritudine, tum pretio, & Senecæ oſtenderet. *Declaraſti, inquit Seneca, te eſſe pauperem: nam ſi hoc amiſeris non poſſes alterum parare ſimile.* Et ſanè euenit, vt naue demerſa periret aulæum. Cum aulæum ſit tapetum elaboratum, picturata, ac verſicolori textura, quo paſſim Regum, ac Principum parietes obuolui, ac decorari animaduertimus, Chriſtum dicam aulæum, ſiue mauis tapetum. Tapeto quippe ſe confert in 138. Pſalmo: vbi enim vulgatus ait: *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ*, tranſtulit Symmacus, *Variè formatus ſũ, ſiue variegatus*; pulchrius alij ex hebræo *Acu pictus ſum, ſicut tapetum.* Pretioſo hoc aulæo, quotidie de coelo demiſſo, mirificè decoratur Sancta Mater Eccleſia, domus Regũ Regis. Sed quale eſt hoc aulæum? Tã grande, ac magnificum, tam pretioſum, ac pulchrum, tale ac tantum, quod infinitæ Omnipotentiæ Dei impoſſibile eſt alterum parare ſimile. Quippe cum certum ſit, Deum in ſe veraciter continere, ac præter vnum Deum, alterum Deum non eſſe, numquam Omnipotentia Dei, cui alter Deus deeſt, huic Sacramento efficiet ſimile. Denique, ſi delectatus fueris ſpectaculo

*Plut. de cohib. ſta-tum.*

*Pſ. 138. 15.*

taculo tam eximij operis, &, vt Seneca Neroni, Deo dixeris: *Declaraſti te eſſe pauperem.* Puta te vera dixiſſe. Alterum ſibi parare non poteſt Deus; nam non habet alium Deum.

11 Quid ni dicam de ſacro calice, quod de gemmato calice cecinit Martialis?

*Martialis lib. 14.*

*Gemmatum ſcythicis vt luceat ignibus aurum,*
*Aſpice quot digitos exuit iſte calix.*

Imo quidquam aliud maius, excellentiuſq́; ? Gemmato, dũ ſacrum facit, vtitur Eccleſia calice: quotquot enim ad altare ſacri fluunt ſanguinis guttæ, tot igneos, prætioſos, fulgenteſq́; puta carbunculos. *Intelligimus altare Dei plenum eſſe carbunculis, hoc eſt ignitis calculis*. ait D. Hieronymus.

*D. Hieronym. in c. 6. Iſa.*

Hæc in Eccleſiæ calicem iugiter influentes, eum plus quod dici poteſt, mirum exornant in modum, locupletant, præclarum, prætioſum reddunt, cœlo ſplendidiorem. Vnde tot igniferas gemmas, tot lapides prætioſos, tot incomparabiles opes, iſte ſibi calix acquirit? Non ex diuitum, vt ille, digitis; ſed ſacro è corpore Dei: prorſus enim exuit, ſiue vt propius loquar, euacuat ſacrum Dei corpus cruore prætioſiſſimo. Adeò quippe diuinum illud, ſibi ſanguinem attrahit, vt ne quidem guttulã, quam ſibi non abſorbeat, habeat Dei caro. Audacter itaque dicam, Sacræ menſæ calicem Deum quodammodo expoliaſſe, bonis exuiſſe, pauperem reddidiſſe. Quia nil in Deo eſt quod in calice non reperiatur. Quod ſi cecinit ille, *Aſpice quod digitos exuit iſte calix*. Ego vero, Aſpice quem Dominum exuit iſte calix.

## THEOREMA VIII.

### Pſalmus Dauid.

### *Amantium eſca Sacroſancta Synaxis.*

VBI magnus Eſdras, auctor titulorum Pſalterij, vt doceret nos vigeſimum ſecundum Pſalmum pertractare myſteria Chriſti Regis noſtri, nuncupauit Pſalmum Dauid, proculdubio potuiſſet inſcribere; Pſalmum Dilecti: nam nomen *Dauid* latino idiomate *dilectus* etiam transfertur. Tali quidem vocabulo Chriſtum apertiſſimè inſinuaſſet, cui dilecti nomẽ ſic miro modo quadrat; vt præter eum nemini debeat applicari. Expendẽs Paſchaſius titulum Pſalmi quadrageſimiquarti, *Pro dilecto*, ſiue *Amãtiſſimo*, in quo per totum agitur de Chriſto, hæc *Pſ. 44. titul.*

ait:

[Paſch. in Pſal. 44.] ait: *Dilectum autem, ſiue amatiſſimum ſine vlla additione vocat; quia in comparatione ipſius iurè nullus dilectus creditur.* Hic autem dilectus ob miram ſui pulchritudinem, dulcitudinemquè, adeo ab amatoribus ſuis eſuritur, expetitur, quod eorum miſertus, nè deficerent, ac perirent, ſub eſibilibus rerum ſpeciebus ſe miro modo recondidit, factuſq; eſt amantium eſca.

1 Lignum, quod Sãctus Dauid ſecus decurſus aquarum plantatum aſſerit, ferens fructum ſuum in tẽpore ſuo, cuius numquam decidunt folia, [Pſal. 1. 3.] *Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ, quod fructus ſuum dabit in tempore ſuo; & folium eius non defluet*, teſte D. Bernardino, typus eſt Euchariſtici Sacri. *His ſacratiſſimis verbis*, inquit S. Doctor [D. Bernardin. tom. 1. ſer. 54. in princ.], *deſcribitur Sanctiſſimum Sacramentum ſub myſterio ligni.* Vbi diligenter attendẽ, pro typo Sacræ Euchariſtiæ nõ afferri arborem, ſed lignũ: quippe non ait: *Erit tamquam arbor*, ſed: *erit tamquam lignũ.* Quęnam maior ratio Vatis inflexit ingenium, vt magis ſub typo ligni, quam arboris, Euchariſtiam deſcriberet? A Diuo Iſidoro requirenda eſt, qui inter lignum, & arborem non parum intereſſe putat: ait enim [D. Iſid. Etymol. li. 17. c. 6.]: *Arboris nomen ab aruis inflexum creditur, eo quod terris fixis radicibus adhæret. Ligna dicta, quia incenſa conuertuntur in lumen.* Arbores ergo dicendæ, quę aruis adhærent, vt fructus, animantium alimẽta, producant. Ligna verò, quæ ab aruis exciſa humi iacent, eſcã ignibus adminiſtratura. Quare, quia Sacra Euchariſtia omnium eſca non eſt, ſed illorum tantummodò, quorum corda non ſecus, ac accenſus clibanus, diuino amoris igne repleta, intentiſſimè Deum amant, non dicitur arbor, ſed lignum. *Erit tamquam lignum.* Solius ignis eſca eſt, amoris pabulũ, amantium cibus.

2 Huic eidem myſterio eundem puto Prophetam attentũ; cum, Euchariſtiam præuidentem, ſic legimus decantaſſe: *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper libanum fructus eius.* [Pſal. 71. 16.] Hæc verba, vt notum eſt omnibus, non modo noſtri, verum & Hebræorum Doctores, de Sacra Euchariſtia pulchrè interpretantur. Nã vbi trãsfert vulgatus, *Erit firmamentum*, vertunt alij, præſertim D. Hieronymus: *Erit memorabile triticum.* [D. Hiero. Tranſl.] Ita Sacrum altaris appellatur, ait Titelmanus. *Quia in immolatione huius tritici memoria recolitur omniũ pretioſiſſimæ & beneficij perpetua recordatione digniſſimi, nempe* [Titelm. ibid.]

paſ-

*paſſionis & mortis Chriſti.* Verum expende dixiſſe præterea pſaltem, hoc Sanctum, ac memorabile triticum ſuper libanum extollendum: *Superextolletur ſuper libanum*, nempe ſuper arborem thuris, quæ paſſim dicitur libanus. *Libanus*, ait Richardus à Sancto Laurentio, *quandoque pro arbore accipitur, à qua profluit thus, quia libanus græcè, thus latinè.* Ac ſi clariùs diceret Pſaltes: Extollendũ eſt Dominici Corporis & ſanguinis Sacramentum, & reponendum in arbore thuris, vt nihil aliud, quam thus eſſe cenſeas, veluti latum à planta thuris. Hinc D. Vincentius Sacram Hoſtiam, ſacro hoc thure repletam, *Thuribulum aureũ* quod Ioannes vidit in manu Angeli, nuncupauit. Sed quare Euchariſtia cẽſẽda eſt thus? Quia ſicut thus eſt eſca ignis, ſic Sacra Euchariſtia cibus eſt animarum, quæ igne diuini amoris accenſæ, præter Deum ſuum appetunt neminẽ. Amãtium eſca eſt.

*Rich. à S. Laur. lib. 12. de laud. B. Mariæ.*

*D. Vinc. ſer. 2. de Corpor. Dom.*

3 Planè notum eſt omnibus in celebri illo edulio, Hebræis peregrinãtibus præbito, quod ex mira ſaporum nouitate, ac varietate vocatum eſt manna, huius Sacramenti effigiem effulſiſſe. Recenſent manna olei ſaporem retinuiſſe, ex quo Hebræi confracto in mortario, excoctoque igne conficiebant *Tortulas ſaporis quaſi panis oleati.* Velut ſi Angeli tanti panis piſtores, priuſquam plueret è cœlo, oleũ permiſcuiſſent. Ex hoc præſignificabatur ſacram Euchariſtiam oleo peruntctam fore, ſiue oleatã, quemadmodum à Drogone Cardinali vocatam inuenies. Verum quare Deus oleatã effecit? Vt naturam olei ſaperet. Quippe ſicut oleũ, vt D. Bernardus ait, *Fouet ignẽ*; ideſt cibus eſt ignis, quo ignis nutritur, ac fouetur; nõ ſecus Euchariſtia cibus eſt ignis, nẽpe amoris, quo Dei amatores fouẽtur, ac nutriũtur.

*Num. 11. 8.*

*Drogo li. p. de Domi. Paſſ. Sacram.*

4 Viſum eſt Spiritui Sancto Sanctam Synaxim panem Angelorum vocare, nõ modo per os Dauid, vt legitur Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo, *Panem Angelorum manducauit homo*; verum & per Sapiẽtem filium eius, ſapientiæ decimoſexto: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlis præſtitiſti eis.* Quoties audis Sanctam Euchariſtiam panem Angelorum dici, ne putes Angelos elapſos è cœlis altaribus noſtris aſtare, eoque modo, quo nos, Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti percipere, & nobiſcum communicare. Quamuis enim & ipſi, vt dictum eſt ſupra, eodẽ, quo nos, enutriantur pane, diuerſimodè tamen mãducant: Verbum quippe nobis ſub Sacra-

*Pſal. 77. 25.*

*Sapient. 16.*

cramenti tegmine, illis autem in cœlis, nullo tegmine obuolutum, apponitur manducandum. Ergo, ſi cœleſtes ſubſtantiæ minimè enutriũtur Euchariſtico Sacro, quorſum dicendum erit Angelorum eſca? Vt pulchram rei noſtræ rationem adderemus. Planè idem Pſaltes de ſubſtantijs Angelorum pertractans, ſub vocabulo ignis cenſuit appellandas. *Qui facit* inquit *Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrẽtem.* Quod à Sophronio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano vſurpatum inuenio, nuncupante Angelos *lampades.* Sanè non ſecus, ac lãpades, ignei ſunt, ſeu igniti. His ſic præmiſſis, in lucem profertur ratio, quã Sanctiſſima Euchariſtia eſca, ſiue panis, dicitur Angelorum: quippe idem eſt, ac ſi diceretur eſca ignitorum, nempe Deum diligentium. Solis Angelis, nimirum illis, qui cœleſti igne accenſi inſtar ignitarum lampadum ardentes, continuè Deum depereunt, conuenit. Thus eſt, oleum eſt, eſca ſolius ignis.

*Pſal. 103. 4.*

*Sophr. orat. 6. Bibliot. Patr. tom. 2.*

5 Vt cũctis innoteſcat (ait D. Chryſoſtomus) cui Dominus Ieſus corporis, & ſanguinis ſui menſam appoſuit, arrigant aures & audiant. *Aquilarum eſt hæc menſa.* Dapes iſtę ſolis aquilis paratæ ſunt, illis ſolis, appoſitæ: ceterum nulli. Si fortè non es aquila, longe diſcede; nihil tibi, & menſæ huic: aquila fias, & comedes. Sed quare Corpus Sanctiſſimum ſolis proponitur aquilis? Aquila, vt aiunt Phyſici, inter cæteras aues, calidiſſimi ac ardentiſſimi temperamenti eſt, quod ipſa naturaliter præſciens, *Etitem lapidem frigiditatis ratione in nido ſibi admouet; nam alias caloris intẽperie oua incumbenda percoqueret:* ait Cælius. Hæc, ni fallor, eſt ratio, qua Euchariſtica menſa ſolis aquilis dicatur appoſita: quippè illis ſolis fructuosè præbetur, quorum (vtinam omnium) corda nõ ſecus, ac aquilarum, magno amoris ardore accenſa, Deum ſolum quærunt, exoptant, depereunt. Eſca amantium eſt.

*D. Chryſ.*

*Cœli. Rodig. li. 13. cap. 20.*

6 Dum legis Euangelium Vatem vidiſſe *Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatum,* per ſolium illud ſublime ſacri altaris ſedem intellige, quod à ſublimitate, atq; ab altitudine, eo quod alta res eſt, altaris vocabulum meruit. Sub ſenſibilium ſpecierum cortinis agere videbatur tunc temporis æterna Dei Maieſtas; quam, vt placet D. Thomæ, ignitiſſimus carbo ſacram ſuper menſam effulgens, repræſentabat. Haud abſimili modo viſus eſt aliàs à quibuſdam fidelibus, aſſiſtentibus Sacro

*Iſa. 6. 1.*

D. Clementis Aniceti Epiſco-
*Metaphr.* pi. *Viderunt*, inquit Meta-
*apud Lip-* phraſtes, *carbonem maximum*
*pom. 23.* *in intemerata, & myſtica men-*
*Ianuar.* *ſa appoſitum*: Sed attende,
Deo ſub altaris ſolio eleuato
duo Seraphim aſtitiſſe: ſub-
*Transl.* iunxit enim Iſaias: *Seraphim*
*Septuag.* *ſtabant ſuper illud*, ſiue *In cir-*
*cuitu eius*, vt habent Septua-
ginta. At cum notiſſimum
ſit, innumeras Angelorum
acies cuiuſcumque ordinis, &
hierarchiæ ſacro aſtare ſym-
poſio: quamobrem Prophe-
ta ſola Seraphim aſtitiſſe ſcrip
ſit? Tametſi Chriſto, ſub ſpe-
cie panis velato, deeſſe non
poſſit cunctorum Spirituum
obſequens frequentia; tamen
à ſolis Seraphim ſancta eius
menſa deſcribitur circumda-
ta; eo quia Seraphim latino
idiomate, *Igniti* ſiue *Ardentes*
interpretantur. Vt edocearis
Sacrum illum, ac diuinum ci-
bum ſolis Seraphim, nempe
ſolis ignitis, ſolis ardentibus,
ſolis Deum ſuper omnia co-
lentibus, apparatum. Aman-
tium cibus eſt.

7 Verba Pſalmi Septuage-
*Pſal. 73.* ſimi tertij: *Tu confregiſti capi-*
*14.* *ta draconis, dediſti eum eſcam*
*populis Ethyopum*, intelligen-
da non ſunt, ac ſi Deus dediſ-
ſet draconem edendum popu-
lis Ethyopum; quippe, non
draconem, ſed Chriſtum de-
dit in eſcam, obuelatum ſub
ſpecie panis; vt Ethyopes
tam forti cibo refecti, capita
ſæuiſſimi draconis, noſtri ge-
neris hoſtis, configerent, ac
conſumerent. Hæc eſt ſen-
tentia D. Auguſtini. *Puto* *D. Aug.*
*quia magis Chriſtum acceperunt* *ibid.*
*in eſcam, quo ſe conſummaue-*
*runt, Diabolum quo conſume-*
*rent.* Expende verò, quod Pro-
pheta non ait; dediſti eum
eſcam Aegyptijs, Græcis, Hi-
ſpanis, Italis, aut alijs terræ
incolis, ſed tantum Ethyopi-
bus. *Dediſti eum eſcam populis*
*Ethyopum.* Cur autem ſolis
Aethyopibus? Quia cum Ae-
thyopes partem mundi me-
ridionalem habitent cōtinuè,
ſolis ardoribus comburuntur:
inde eſt quod vt plurimum
nudi incedunt, nigroque co-
lore obducuntur. Hinc *AEthy-*
*ops*, Græcè, *Ardens*, ſiue *Incen-*
*ſus*, latinè interpretatur. Vt
hinc ediſcas Sacroſāctum edu-
lium ſolis incenſis, ac ardenti-
bus, nempe Deum amantibus,
apponi. Quo circa ſi fieri vis
particeps menſæ Saluatoris,
æthyops fias, Deum ardentiſ-
ſimè diligas: neque enim ali-
ter dignus cenſeberis eſca, ſo-
lis amantibus poſita.

8 Poſtquam Dominus Ie-
ſus, hoſte conculcato, morte
deuicta, relictoque ſepulchro,
ſurrexit à mortuis, recenſet
Euangeliſta, Mariam Magda-
lenam amaro affectam dolore,

ac lacrymarum imbribus madefactã, ſic ſepulchro aſtitiſſe, vt ſacro lapidi cenſeres affixã: *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Noua etenim cordi ſuo mæroris ſuperuenerant argumenta. Dolebat primò quia dilectum viuũ perdiderat, mox videns excluſũ ſepulchro, grauiori doloris vorabatur gladio. Siquidem etſi antea, quia viuum perdiderat, acerbiter ingemiſceret, ſpes tamen conſequendi defunctum, acerbitatem vulneris mitigabat. Dum verò putat ablatũ, nullum ſæuo dolori promittitur leuamẽ. Sed quorſum Dominicum corpus requirit defunctum, ſi iam perdiderat viuũ? *Metuebat*, ait Origenes, *nè amor Magiſtri ſui in pectore ſuo frigeſceret, ſi Corpus eius non inueniret: quo viſo recaleſceret.* Eò quia B. Maria, vt idem ait, *Veri amoris igne ſuccenſa erat*, quem pulchro, ac dulci Corporis Domini ſui nutriebat aſpectu, incõſolabili triſtabatur mærore, ſi vel mortuũ infelix perdidiſſet. Amoto quippe amoris ſui predulciſſimo pabulo, pertimeſcebat defuturum ignem, emoriturum amorem. Verè cibus amantium eſt Corpus Chriſti ſanctiſſimum, quibus ſi fortaſſe, vel ad horam, ſubtrahitur, diuinus ignis extinguitur, frigeſcit charitas, deficit amor.

Ioan. 20. 11.

Orig. Homil. 10. in Diuerſ.

9 Crediderim Prophetam huius rei conſcium, dum ad Sacroſanctas dapes ſolos pauperes aduocabat. *Edant pauperes, & ſaturabuntur.* Quamobrem Sanctiſſime Vates ad tãtas dapes, ad cœleſtes epulas, ad Angelorum conuiuium, pauperes ſolos congregas, diuiteſq; excludis? Quonam te crimine demeruerunt diuites, vt eos faceres tãtarum deliciarũ expertes? Quoniã ſacra myſteria pauperum modo nutrimẽta ſunt, non diuitum. Videntur quidem diuites (ait Hugo) ea edere, ac deglutire; ſed Sacramentaliter tantum, & ad eorum perennem condemnationem diglutiunt; quippe iudicium ſibi manducant, & bibunt. Ratio verò huius rei eſt; quia Deũ diligunt pauperes, diuites verò, mundum. Hęc ſũt verba Hugonis. *Non comedunt eũ ſpiritualiter, niſi pauperes ſpiritu, ideſt contemptores diuitiarum, & humiles: quia qui plus diligit mundum, quam Deum, non comedit eum ſpiritualiter ad ſalutem, licèt comedat Sacramentaliter ad damnationem.* Sanè Hugonis verbis hæc conſonant. Quia diuitũ corda, vtpote terrenis intenta, terrena ſectantur, & diligunt; igniſq; amoris Dei penitus ſũt expertia, ijs nõ indigẽt nutrimentis, quæ ſolis Dei amatoribus aſſeruantur; nempè illis, qui, præ ardenti

Pſal. 21. 27.

Hug. Card. in Pſ. 21.

cha-

charitate in Deum, cũcta, quæ mundi ſunt, ſpreuerunt, reliquerunt, pauperesque effecti, ſolum Deum expetunt, ac ipſo frui gaudent. Quocirca Vates diuitum oblitus, iſtos tantum aduocat ad altare, iſtoſq; tantum deliciarum Corporis, & ſanguinis Chriſti dignos iudicat, quibus ſolis haud ignorat appoſitas.

10 Vbi (vt habet Vulgatus) deſcribens Moyſen colorem mannæ, ait: *Erat enim man quaſi coloris Bdellij*, maluerunt alij, vt Lorinus aduertit, *Coloris adamantis* transferre. Quia verò manna Euchariſtiam ſuis ſignabat proprietatibus, dicendum eſt eam eſſe coloris adamantini. Neque abs re; habet enim Chriſtum adamãtem pretioſiſſimum. *Typum Domini gerit adamas*, ait Origenes. Verum quia, vt ait Iſidorus, *Adamas ferrugineum habet colorem*, dicendum eſt Sanctam Euchariſtiam ferrei coloris eſſe, ac ſi ferrum præferat. Planè ferrum eſt; ſiquidem eos, qui panem ſubcinericium inſtar Sphæræ ſeſe voluẽtem, ac Euchariſtiam prænotantem, viderunt, legimus dixiſſe: *Non eſt hic aliud, niſi gladius*, id eſt ferrum: gladius ferreus eſt. Verum, quarè ſacra myſteria corporis, & ſanguinis Chriſti proferuntur ſub typo ferri? Eo quia non omnibus ſtomachis data ſunt coquenda, ſed calidiſsimis, ſed feruentiſsimis, ſed velut clibanis amore Dei ſuccenſis. Illis, inquam, qui Deum ſuper omnia diligentes, ſæua Demoniorum derident machinamenta, truces tyrannorum paruipẽdunt cruciatus, diras carnificum degustant torſiones, ac ſtruthiocamelorum inſtar ferrum eſuriunt, deuorant, digerunt.

*Num. 11. 7.*

*Orig. lib. 2. in Iob*

*D. Iſid. etym. lib. 16. c. 13.*

*Iudic. 7. 14.*

11 Demum, poſtquam Spõſus, vt ait Salamon, Euchariſticam menſam diſpoſuit, ijs verbis ad eius delicias homines inuitabat: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Vbi expendas volo, haud omnes ad Sacra vocari, ſed amicos: neque amicos ſimpliciter, ſed (quod maiori dignũ eſt pondere) chariſſimos. Peto à te Domine, ſi immundi mundi huius homines ſacris tuis cẽſes indignos, quapropter, ijs prætermiſſis, cõgregas amicos; quamobrem addis chariſsimos? Nõnnè ſatis eſt tibi ad altare tuum amicos admittere, quod & chariſſimos exquiris? Non ſufficit Domino ad eſum Corporis, adq; potum ſanguinis ſui qualeſcunque amicos admittere, niſi eos chariſſimos agnouerit. Notum eſt quidem nomẽ amici promiſcuum eſſe, ad amantem, & amatum æqualiter extẽſum, modò amatum, modò

*Cant. 5. 1*

*Ariſt. li. 2. Rhet.*

dò amantem ſignificãs. *Amicus*, ait Ariſtoteles, *eſt qui amat, & è conuerſo qui amatur.* Quia verò, ſi Chriſtus amicos ſimpliciter inuitaſſet, ſub amici vocabulo intelligi poterant, quos ipſe amaret quidem, ſed à quibus non amaretur, quibus Euchariſtiam minimè propoſuerat; veluti ſi ſeipſum exponeret, addidit, *Chariſſimos*; nempe ignito, ac incenſo corde in eum affecto, à quibus ardentiſsimè diligatur; id enim vox chariſsimi ſignificat. *Chariſsimi* ait D. Antoninus hunc locum exponens, *ideſt charitate pleniſsimi.* Eos tantum amicos (ac ſi Deus diceret) ad menſam meam voco, quos mei ſcio amantiſsimos feruentiſsimos, ac charitate pleniſsimos; eo, quia epulæ meæ omnium non ſunt, ſed tantum amantium. Chariſsimi itaque accedant, ipſi tantum accumbant, comedant, oblectentur. Illi verò, quorum corda diuinus non exarſerit ignis, latè recedant, in longinquum abeant: nihil illis, & menſæ huic.

*D. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 10.*

## THEOREMA IX.
### Pſalmus Dauid.

*Perinde Sanctorũ corda Chriſtum eſuriunt, vt præ ardenti eſurie numquam non elangueant, nõ inſaniant, non pereant.*

PRoſequamur quæſo de Chriſto Rege noſtro ſermonem ſub vocabulo Dauidis expenſo: multa ſiquidem, ac pulchra theorematibus noſtris affert argumenta. Dicunt etiam ij, qui Hebræorum idioma callent, nomen Dauid latino Sermone, *Vultu deſiderabilis*, interpretari. Quod quidem perinde quadrat Chriſto degenti in Sacro Altaris, vt nulla indigeat probatione. Tametſi Chriſtus, vtpote viſibilium, & inuiſibilium pulchrorum omnium pulcherrimus, nullo non tempore deſiderium ſanctarum animarum extiterit, dum tamen in Sacramento ſub panis, & vini ſenſibilibus reſidet, vſque adeò exoptatur, ac concupiſcitur ab amatoribus ſuis, vt præ nimio amoris ardore numquam non elangueant, non inſaniãt, non pereant.

1 Pulchrè mellifluus Doctor, *Amorem amorum*, vocat Euchariſtiam, vtpote quæ velut in proprio Regno, coryphẽum amorum, Chriſtum ſcilicet Ieſum, veraciter hoſpitetur. Ergo, ſi vt placet Bernardo, Euchariſticum Sacrum cenſendum eſt amor, cenſendum eſt pariter amoris inſignia proſeferre. Pallidam proinde, macieque confectam preſefert faciem: quippè, vt teſtatur Cyprianus Monacus,

*D. Bern. Serm. in Cœn. Domin.*

Tri-

*Cypr. Monac. in c. 5. Cant.* *Priſci Philoſophi, & Poetæ amorem pallidum, & macilentem finxere.* Quod quidem dictum non eſt ad deſcribendum proprium vultum amoris, qui tãtum abeſt, vt palleat, quod potius rubeat, pigmentis effulgeat igneis, roſaſque imitetur: vnde, eo quia inſtar purpuræ rubeſcit, & excandet, purpureus dicitur à Poeta:

*Ouid. egl. 1.*
*Notaque purpureus tela reſumit amor:*
Sed quia facit amantes palleſcere, vt idem ait.
*Palleat omnis amans, eſt hic color aptus amanti.*

Cum itaq; noſter amor, amor verus, & purus, cui panis, & vini, ſenſibiliũ vitta, non modo oculos, vt prophani illius, & abominabilis, verum, & totum corpus obuelat, palleſcẽs deſcribitur, dictum ne cẽſeas, eo, quod formaliter (vt aiunt in ſcholis) palleſcat; ſed eminenter, eo quod amatores ſuos palleſcere faciat. Si quidem ſic mirum in modum eorum afficit corda, ferit, vrit, rapit; vt palleſcant, ægrotent, elangueant.

2. Si, prout oportet, attenderis Iſaiæ, verba de pulchritudine Chriſti facienti; in ferculo ſacri altaris à Vate contemplatum intelliges. Vocat enim Chriſtum formoſum in ſtola ſua. *Iſa. 63. 1.* *Formoſus*, inquit, *in ſtola ſua.* Ac ſi diceret. Dum ſacris aſtat altaribus, dum ſacerdotium magnum exercet; dum ſtola decoratur, formoſus eſt. Scis quidem vocabulum ſtolæ ſacerdotũ veſtibus tantum aptari; tametſi olim apud latinos commune fuiſſet ad prophanas ſimul, & ſacras veſtes extenſum; apud nos tamen Chriſti nominis ſectatores, ſolis Sacerdotibus relicta eſt ſtola. Quare cum Iſaias Chriſtum formoſum prædicat in ſtola ſua, eum proculdubio vidit Sacris Altaribus aſsiſtẽtem, Sacerdotali veſte fulgentem, carnis, & ſanguinis ſui ſacra conficientem, diuidentẽque; Sacerdotem factum, & hoſtiam. Sed aduerte, quod tunc temporis Chriſtum non ſpecioſum, non decorum, non pulchrum, ſed formoſum vocat. *Formoſus in ſtola ſua.* Quare potius formoſum, quã pulchrum, decorum, aut ſpecioſũ? Vt ex etymo vocabuli vim pulchritudinis eius exprimeret. Formoſus, vt putat Iſidorus, à formo quod eſt calidum, originem trahit. *Formum*, inquit, *antiqui dixerunt calidum, vnde, & formoſus.* Formoſus autem dicitur calidus, quia vt tradit Seruius, *Excitat amoris ignem.* Dum igitur Chriſtus, obuelatus in ferculo altaris, nuncupatur formoſus, apertiſsimè innuitur tũc temporis excitare flammas amoris in cordibus ami-

*D. Iſid. etym. lib. 20. c. 13.*
*Seruius.*

amicorum ſuorum, dulcem ſacri ignis ægritudinem, ſuique vehemens deſiderium iaculare. Vnde pallor, languor, ſuſpiria, animique exceſſus diligentium Deum.

3 Eleganter Chryſoſtomus Sacram fontem igne repletum vocat Euchariſtiã. *An neſcis,* inquit, *quod hæc menſa plena eſt igne ſpirituali, & quemadmodũ fontes aquæ vim exundant, ità hæc flammam quamdam habet arcanam?* Sanè pulchrè dicit *Flammam quamdam habet arcanam:* quippe Deum habet abſconditum, ignis denominatione gaudentem. *Deus tuus ignis conſumens eſt;* ait Moyſes. Sed quorſum Deus in altari talem ignem abſcondit? Vt ad eum accedens charitatis ignẽ ebibas, teque ardentem pulchritudinis ſuæ efficiat amatorem: impoſſibile quidem eſt de hoc fonte bibere, & non amare. *O venerandum, & tremendũ myſterium,* inquit Guerricus Abbas, *quis de hoc fonte bibit, & non amauit?* Quæſo te, expende verba huius Doctoris (Expendenda profectò ſunt: is enim à D. Bernardo Sapientiæ latices hauſit, tanti Doctoris diſcipulus prædilectus) curioſèque attẽde, quod non ait: *Quis de hoc fonte bibit, & non dilexit,* ſed, *Nõ amauit;* Eo quia verbi amandi calluit vim, qua verbum diligendi carere cognouit, potius dixit amauit, quam dilexit. *Inter amare, & diligere* ait D. Iſidorus *putat differre Cicero, ſæpiuſque ſic vtitur, vt diſtinguat: atque amare ponat pro ardenter amare, at diligere pro leuiter amare.* Dum igitur, ait Guerricus: *Quis de hoc fonte bibit, & non amauit:* magnam, & vehementem vim diuini amoris inſinuauit, ex altaris fonte manantẽ; ac ſi dixiſſet: Quiſnam vnquam ad diuinum altare, ignem exundans, bibiturus acceſsit, arcanaſq; flammas hauſit, & non exarſit, non elanguit, Deum guſtatum non deperijt. Quippè quicumque huius ſacri fontis latices deguſtant, non ſecus, ac ſi ignem hauſerint, leuiter Deum non amant, ſed languent, ſed ardent, ſed ægrotant, præq; nimio inſaniunt amore.

*D. Chryſ. apud Surium 20. Septẽbr.*

*Deut. 4. 24.*

*Guerr. Abb. ſer. 1. in Natiu. Dom.*

*D. Iſid. li. Inter diff. lit. A nu. 17.*

4 Panem clibanitã nuncupabo ſacram Synaxim nõ modo decoctũ habemus in clibano Virginalis vteri. *Cibus iſte,* ait Doctor Seraphicus, *in clibano Virginalis vteri coctus eſt igne Spiritus Sancti.* Verum etiã ob immenſam, ac ineffabilem ſuauitatem, qua ſuos afficit conuiuas. *Clibanita panis,* ait Athenæus, *ità mirum in modum confert, vt rurſus is eſuriat, qui ſatis antea comederat.* Sanè panis clibanita tanta expletus eſt ſuauitate, tanta dulcitudine,

*D. Bonau. de perfec. vitæ c. 8.*

*Athen. lib. 3. c. 15.*

dine, vt qui eum plenis buccis ad ſatietatem vſque comederit, confeſtim eſuriet, ſeque inedia oppreſſum, excruciatumque, proclamet. Tam magnus, tam mirus, tam ineffabilis eſt dulcor, quo cœleſtis panis replet Dei amicorum præcordia, quod panis clibanitus cenſendus ſit: poſtquam enim illum voraci, & auido ore comederint, ſeſeque abundè repleuerint, velut ſi nunquam comediſſent, ità iterum nouo, ac ardẽti deſiderio comeſtum repetunt; quod ſe ieiunos, fame oppreſſos, languenteſque proclament. Huius rei teſtes cœlorum conuiuas aduoco, qui etſi perenniter tali menſæ accumbant, ſeque vberiori, ac pleniori ferculorũ copia adimpleant, perpetim tamen eſurire, ac ſitire compertum habemus. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, ait Petrus Apoſtolus; tametſi in eum diu noctuque proſpiciant.

*1. Petri 1. 12.*

5 Aduertendum eſt tibi, quod cũ Dilecta Dilecti oſculum expetiebat, dicẽs: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, Sacram quærebat Euchariſtiam: per eam enim nos Deus exoſculatur. *Ne quis*, ait Theodoretus, *oſculorũ vocabulo perturbetur, cõſideret, quemadmodum myſtico Sponſi tempore Sponſi Corpus ſuſcipientes complectimur, & oſculamur, atque oculis cordis imponimus, & animo, & cogitatione, quaſi complexus quoſdã, & congreſſus nuptiales effingimus, atque ipſum nos amplexari putamus, & ſuauiari.* Verum, quia pro eo, quod Hieronymus trãsfert, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, quamplurimi habẽt: *Oſculetur me oſculis oris ſui*, non vnam, ſed plures, iuges, & iteratas expetijſſe videtur communiones. Quorſum tot? Quoniam ſacratiſſimum oſculum præ ſuauitate, dulcedineque, quam, vel ſemel expertum, affert, tantum abeſt quod exoſculantem ſatiet, vt maiori deſiderio ſui afficiat, reddatq; eſurientem. Ideo, ait Luc. Burgenſis; *Carnali amore vigenti, ac viuenti non ſatis eſt, vt aliquando expectet coniunctionem cum amato ſuo, ſed frequẽter expetit, nec facilè poteſt ſatiari. Quanto minus ſufficere nobis deberet, vt caſtam illam, puram, dulcem, atque amabilem noſtri cum pulcherrimo, beneuolentiſſimo, & amore digniſſimo, Sponſo Chriſto aliquando ſolum requireremus? Oportet nos quotidie altaribus, & pixidibus ſacris ſupplices adhærere, conſtanter precare Sponſum, donec in eius amplexus, atque oſcula daretur irruere. Atq; idcirco Sponſa non ait, Oſculetur me oſculo, ſed oſculis numero plurali.* Nulla te ergo capiat admiratio dũ ipſamet Spõſam languentẽ, dicentemq;

*Cant. 11.*

*Theod. ibid.*

*Luc. Bur. ſer. 13. de diu. vnio.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Cāt. 2. 5. temq; audis. *Quia amore langueo.* Sanè tam magna affligebatur fame, præguſtata repetendi oſcula, ſacros multiplicandi amplexus, diuinam iterandi cōiunctionē, vt præ deſiderio lāgueret, ęgrotaret, periret.

6 Fateor quidem, dum lego Moyſem exquirentē faciē Dei, petentemq; *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciē tuam,* magna me affici admiratione; cum ſciam illud non ſemel, ſed ſæpius, iteratiſq; vicibus diuino vultu oblectatum. *Loquebatur*, ait ſacra pagina, *Deus ad Moyſem facie ad faciē, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Si Deum toties viderat, pulchritudinem eius proſpexerat, dulcitudinem pręguſtauerat, vnde hæc noua eſuries, recens deſiderium proſpiciēdi, deguſtandi, oblectandi? Clibanitam panem guſtauerat, qui dum ſatiat, non modo non ſatiat, ſed maiorem edendi cupiditatem inducit. Iocunditatē, & dulcitudinē diuinorū oſculorum erat expertus, quorum quo copioſius implebatur frui tione, eo vehementiori æſtuabat eſurie. *Moyſes*, inquit D. Nyſſenus *qui dignus eſt habitus cum Deo loqui facie ad faciem, eiuſmodi oſculorum maiori tenebatur deſiderio, poſtquam ei toties Deus apparuiſſet, rogans, vt videret, quem deſiderabat, perinde, ac ſi numquam eum eſſet contemplatus.*

Exod. 33. 13.

Ibid. ver. 11.

D. Greg. Nyſſ. Homil. 1. in Cant.

7 Hanc dulcitudinē præguſtauerat etiā Sponſa, dum ſuis hæc ſodalibus loqueretur: *In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea.* Nulli liceat ambigere, dum Sponſa Sponsū quærebat in lecto, tūc tēporis fuiſſe cum Sponſo: quibus enim vnus, & cōmunis lectulus erat, vt eadem ipſa teſtata eſt: *Lectulus noſter floridus*, vnà cēſendum eſt requieuiſſe. Itaq; ſi Spōſa Spōſum detinebat in thoro, poſſidebat in lecto, cōplectebatur ī vlnis, vnde eſt, quod cū eſſet in lecto, ac ſi abeſſet à lecto, perquirebat ī lecto? Pulchrè reſpondet Rupertus. *Quanto vicinius iſte dilectus habetur, tanto vehementius deſideratur; qui habent, habere deſiderant; qui vident, videre deſiderant: nam Angeli vident, & tamen deſiderant in eum proſpicere.* Tam miræ, tam eximiæ, tam magnæ ſuauitatis eſt Chriſto frui, præſentem habere, ac deguſtare; quod eodē tēpore, quo Sāctorū animæ tāto ſe bono adimplēt, & oblectātur, ſe eo vacuas cēſeant, & quo plus fuerint ſatiatæ, eo plus eſuriāt, ſitiāt, lāgueāt, ac ſaturari nequeāt. Præsētē habebat Spōſa dilectū ſuū, dulcibus illius fruebatur amplexibus, oblectabatur oſculis, adīplebatur amoribus; attamē nō ſecus, ac abeſſet, ieiunoq; degeret

Cant. 3. 1.

Cant. 1. 10

Rup. lib. 2. in Cant.

geret corde, præ eſurie, præq; deſiderio lãguebat; quéq; habebat præſenté in lecto, vt abſentem perquirebat in lecto.

8 Cum audis Prophetã ſe ſui panis oblitũ, vt in Pſalmo cẽteſimo primo conquæritur, di-
Pſ. 101. 5. cens: *Oblitus ſum comedere panẽ meũ*, elanguenté, tabeſcenté, fameq; confectum cenſeas. Verum quęnam animi paſsio tam vehemens reddere potuit hominem ſui panis immemorem? Tametſi prophani prædicent Cupidinem ſuũ tanta vi, tantoq; robore præditũ, vt faciãt omnipotenté; dum tamé eius vires famis cũ viribus cõferũt, imbecillioré conſtituũt. Cum quidã hinc famis, iſtinc verò Cupidinis lõgo detineretur obſidio, ſtatuit tandem cõſulendum fami, ac paruipendendũ cupidinem; vehementiora tela famis, quam iacula amoris pręſentiens. Vnde cecinit.

Claudianus.
*Paupertas me ſæua domat, duruſq; Cupido.*
*Sed tolerandus amor, non toleranda fames.* Itemq;
*Eſuriens pauper, telis incẽdor amoris,*
*Inter vtrumq; malum diligo pauperiem.*

Sanè prudẽter hic ſibi cõſuluit. Potuit.n. Quippe vulgaris amoris perinde parua, exilis, ac cõtemnẽda vis eſt, vt à puellis, ac pueris Chriſtiani nominis affeclis paſsĩ, irrideatur, illudatur, cõtemnatur. Quia verò Pſaltes, dũ hæc alloqretur, hinc amoris Dei telis, iſtinc famis morſibus affligebatur, vſque adeo ignis Dei, veraciter omnipotentis, ſubactus eſt armis, vt famem paruipendens, ſe panis cõfiteatur oblitũ, Deũ ſolũ appetens, Deũ exoptans, Deũ inqrens. Dũ Propheta ait, inquit D. Hieronymus, *Oblitus sũ comedere panẽ meũ*, idem puta, ac ſi diceret; *Obliuiſcor mãducare deſiderium Dei habẽs, & ipſum ſolũ conſiderãs.* Animaduerte quonam pacto veri Dei amatores Deũ ſuũ cõcupiſcũt, dũ proprij panis immemores viuãt; ſolũ panem, qui de cœlo deſcendit, perquirentes, depeſcendit, perquirentes, deperientes, optantes. D.Hier. in Pſ.101.

9 Hinc Amedeus sãctiſsimus Deiparæ Virgini ait: *Apparuit nobis filius tuus, vt copia ciborũ imminẽte fame grauiſsima, & vt fons aquæ viuæ animæ laboranti præ ſiti in æſtu.* Ac ſi clariùs diceret: Puta Virgo sãctiſsimã id nobis fuiſſe Dilectũ filiũ tuũ, quod pingue, lautumque foret cõuiuium magna fame oppreſſo, ac tabeſcenti; quodque fons clariſsimi laticis ei, qui magna ſiti fuerit accenſus, exuſtus. Etenim, ſic mirum in modum ad eſum carnis ſuæ, & ad potum ſanguinis quotidie ferimur, vt præ indicibili fame cordis noſtri, præque ardentiſsima ſiti, pe- D. Amed. Hom. 3. de Incar.

renni quodam detineamur lāguore; ipſum ſolum, vtpote ſolum, ac verum animarum noſtrarum cibum, potumque, indeſinenter concupiſcentes, quęrentes, expectantes.

10 Quam ſuauis, & dulcis, quam deſiderabilis, & iocunda ſit ſacra comeſtio corporis Saluatoris, vno quidem verbo, ſed fæto magno myſterio, explicit Pſaltes in Pſ. 21. vbi dum ad ſanctam menſam pau-
Pſ. 21. 27 peres inuitat, ait: *Edant pauperes, & ſaturabuntur; laudabūt Dominū qui requirunt eum.* Attende quod non ait: Exaltabunt Dominum, prædicabunt, commendabunt, glorificabūt, ſed laudabunt. *Laudabunt Dominum.* Vi cuius verbi, te non modo, nè in ingratitudinis vitium incidas, gratitudinem docet, vt memor tanti muneris perennes gratiarum referas actiones, ac tantum Dominum tui nutritorem, ac educatorem laudibus efferas immortalibus. Verum, & diuini ferculi inexpertam dulcedinem, admirabilem iocunditatem, & ſuauitatem exprimit, præque oculis ponit. Quippe vt doctiores linguæ ſanctæ tradunt,
Pineda in Iob. c. 38 ver. 7. n. 8. verbum *laudare* à verbo *Habal* progreditur, quod aliquoties vertunt *inſanire*. Quare cum Pſaltes ait, ſanctos pauperes, poſt ſacram Communionem, laudaturos Dominum, *Laudabunt Dominum*: transferri poteſt *Inſanibunt*. Nempe tam admirabilē ſuauitatem experientur, tam ineffabili dulcore afficientur, vt præ nimia cordis dulcedine, præque ſpiritus ſuauitate, inſanibunt; velut ſtupidi, mente alienati, ac à ſeipſis, vtpotè quibus mens ablata eſt, auulſi.

11 Demum, vt huic rei coronidem imponam, alterum verbum expendam, quod cœleſtes ſpiritus, dum Chriſtus eleuaretur in cœlū, dixerunt Sanctis Apoſtolis, Galilæos eos nuncupantes. *Cumq; intuerentur in cœlum,* ait Lucas, *euntem illū, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui, & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum.* Studioſè mecū aduerte, quod nō vocāt eos fratres, amicos, vel ſaltem Apoſtolos, ſicuti eos Chriſtus vocare conſueuerat; ſed Galilæos. Quorſum Galilæos? Vt eorū tranſmigrationē cordiū, in magiſtrū ad cœlos elatū, innuerēt. Sanè vbi in Sācto idiomate legitur *Galileus, trāſmigratus* trāsfertur à latino. Eo quia dulciſsimus, ac iocūdiſſimus Dominus, aſcēdēs in cœlū, recedenſq; à Diſcipulis ſuis, eorū corda dulciter auulſerat, ſecumq; adduxerat, imò magis attraxerat; trāſmigrati vocantur, velut expertes cordiū, animis vacui, ac à ſeipſis auulſi. Act. 1. 10

Quia

D. Bernardin. ſer. 2. ar. 3. cap. 3. de Aſcenſ. *Quia Dominus*, ait D. Bernardinus, *aſſumpſit corda eorũ, non immeritò Angeli apparentes eis, illos conuenienti nomine appellauerunt, cum aiunt: Viri Galilæi. Quaſi dicerent. Verè vos eſtis viri transmigrati, à vobis auulſi, & per affectum in Chriſto inſerti*. Vſque adeo ineffabilis pulchritudo Domini Ieſu, admirabilis ſuauitas, incóparabilis iocunditas, præualet, vt ſuorum ſecum attrahat corda, adducat animos, mentes abalienet, languentes reddat, excordes, inanimes.

## THEOREMA X.

### Pſalmus Dauid.

*Magno Deus amoris igne ſuccenſus, languet in Euchariſtia.*

VBicũque tibi nomen Dauidis inſonuerit, meméto Ieſu Chriſti: *Dauid* enim, vt ait D. Hieronymus, *apertiſſimè figuram tenet Chriſti*. Verũ etſi ſemper Dauid Chriſtum repræſentauerit; cum tamen ante faciem Achis, Regẽ Philiſtinorum, vt Aulicorum eius inſidias declinaret, infirmum, languentemque ſe finxit *Collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ*; teſte D. Auguſtino, Chriſtum præfigurabat ineffabili tranſubſtantiationis myſterio incumbentem, ſacramq; efficientẽ Euchariſtiam, in qua vehemẽtiori flamma noſtri amoris accenſus, quotidie ægrotare, palleſcere, ac langueſcere animaduertitur.

D. Hiero. in tit. Pſ. 8. — 1. Reg. 21. 13. — D. Aug. in Pſal. 33

1. Appropinquauerãt dies, in quibus Ieſus amor noſter, vt nos ſacro ſuo enutriret corpore, ditaretq; ſanguine, Euchariſtiam inſtituere, crucemque ſubire decreuerat: Cum, vt Ieroſolymam verſus, vbi, hæc erant myſteria complenda, iter aggrederetur; duos ex diſcipulis ſuis, vt ſibi iumenta quædam, exoluerent, ducerentque, miſit in quoddã caſtellum; equitare enim conſtituerat. Factum eſt autem, vt aſinam & pullum adduxerint, ſuper quos, Ieſus ſedens vehebatur in Vrbem. Sed quidnam noui adunerat Domino, quod, vt iter ageret, iumentis egeret? Si te dulciſſime Ieſu nunquam legimus equitaſſe, ſed proprijs pedibus, nudiſque plantis tot longa itinera, tot vias difficiles, tot caſtella, tot vrbes, pro ſalute noſtra luſtraſſe; quorſum modo, vt breuiſſimum conficias iter, indiges aſello? Quiſnam te vidit vnquam equo inſidentem, indigentemque vehiculo? *Ita noſtro langues amore*, ait Paulus de Palacio, *vt vehiculo tibi* opus

Matt. 21. 1. — Paul. de Palacio ibid.

*opus ſit. Sponſa dicebat: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Etiam tu amoris vires expertus, amoris oneri ſuccumbis; & ideo eges, qui te vehat, aſello.* Ac ſi diceret: Mirum non ſit tunc temporis Dominum equitaſſe, in quo fiendum erat Euchariſticum ſacrum: noua ſiquidem tunc, ac inſolita exardeſcebat amoris flamma, quæ ad tam grande opus cor ſuum compulerat, languentemq; reddiderat. Cum igitur ægrotaret amantiſſimus Dominus, cum elangueret Creator omnium, debilitaretur cœlorum fortitudo, vt breuiſſimum iter per ageret, aſello, quo veheretur, indiguit.

2. Eo quia Dominum vidimus equitantem, ſi ſoli eum cõtulerimus res, ni fallor, per commodè cadet. Quoniam, vt patet, ſol, rubet in mane, lucet hora tertia, feruet in meridie, pallet in veſpere; à veteribus Poetis nactus eſt quatuor equos, quibus eius currus per ſuum regnum feratur. Horũ primo Erithæi, ideſt rubentis; alteri Atheriſęi, ideſt ſplendẽtis; tertio Lampadis, ideſt ardentis; poſtremo denique Philogæi, ideſt terram amantis, nomen dedere. Non ſecus, ac ſol iſte, ſol noſter, ſol verus, ſol ſolus, cunctorum cœli ſyderum fictor omnipotẽs, ijs vectus eſt equis, cum terram peragrauit. Quia in Incarnatione noſtræ carnis ſarcinam ſumpſit, rubuit; in miraculorum operatione ſplenduit, in prædicatione exarſit; demum in veſpere vitæ, cũ properaret ad mortem, tanto amoris igne affectus eſt in terram, nempe in homines, inhabitãtes terrã, quod velut viribus deſtitutus palluit elanguit; ac non ſecus quã ægrotus, equo, quo veheretur indiguit.

3. Adnotandũ, quod Chriſtus in Canticis Canticorum ſeipſum deſcribens ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ex eo autem, quod vbi vulgatus habet *Flos campi* transfert Bonauentura *Viola campi*, habemus Dominum noſtrum trifariam florẽtem, inſtar violæ, inſtar roſæ, inſtar lilij. Fuit quidẽ viola, fuit roſa, fuit lilium, dũ habitaret nobiſcũ. Quia viola parua eſt, & humilis; humilitatem Chriſti ſignificat per tricenos annos ſemper ferè latentis. Roſa verò, quia pulchrè rutilat, longèque flagrat, eiuſdem miracula operantis, ac verbum Dei prædicantis eſt typus. Demum quia lilium amari ſaporis eſt, amantiſſimũ Chriſtum effingit, cum mortem expectaret, ſacraque Corporis, & ſanguinis ſui conficeret Sacramenta. Proprijſſimè inquam tunc temporis amantiſſimum

*Cant. 2. 1.*

*D. Bonau.*

tiſſimum Dominum exprimebat imago lilij. Quippe adeo cor eius nouo ignis acceſſu feruebat, quod colorem ignis prę ſe ferre poterat, inſtarque lilij foris, & intus albeſcere. Albeſcit ignis dum ſuo quieſcit in centro, ſi Simoni Portio fides eſt adhibenda. Cæterum & quia, vt ait Chaſſanæus, *Lilium languido ſemper eſt collo, quaſi inclinans, non ſufficiens capitis oneri*: ità, & Chriſtus non ſufficiens oneri capitis, nempe amoris, à quo, tamquã à capite membra, regebatur, ac ducebatur; velut infirmus, viribus deſtitutus, ac debilitatus, languebat, & ægrotabat tanto noui amoris acceſſu. Quod poſtridie priuſquã moreretur, clariùs viſum eſt, cum pro oſtenſione tanti oneris, non ſecus ac lilium, *Inclinato capite tradidit ſpiritum*.

*Simon Port. lib. de color. cap. 1. Chaſſa. in Catal. par. 5. conſid. 31.*

*Ioann. 19. 30.*

4 Cũ, & exprobraret Dominus peruerſis Iudæis adamantinam ſuorum cordium duritiem, & ſuam pariter in eos pietatem, ac charitatem commendaret, ſe gallinam effinxit. *Quoties* inquit *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti?* Sed quare potius gallinæ, quam aquilæ, alteriuſue generoſæ auis proferre voluit typum? Decebat Chriſtũ potius aquilæ, vtpote Reginæ Regem, quã omnium alitum infirmæ, ſeipſum conferre. Quia verò ſui erga nos amoris magnitudinẽ ſatagebat oſtendere, dum nos grano Corporis ſui in ſacro paſcit altari, vt elangueſcere videatur; oblitus Reginæ volucrum (maieſtatem amor ignorat) gallinæ ſe contulit: amantiſſimæ pullorum ſuorum, præque nimio amore languenti. *Mira comparatio de gallina proponitur*, ait Paſchaſius Abbas; *nullum enim animal eo infirmatur modo, quemadmodum gallina, in fouendo & nutriendo pullos ſuos, ſiquidem tota infirmatur, tota fit hoſpida, tota rauca.* Nam, dũ ſe nobis dulciſſimus Deus comeſtibilem præbet, noſque carne ſua, ac ſanguine fouet, & nutrit, ea amoris flamma ſuccenditur, vt gallinæ inſtar, dũ pullos paſcit, ægrotet, ac langueat.

*Matt. 23. 37.*

*Paſchaſ. ibid.*

5. Ex eo, quod Chriſtus in conſolationem abſentiæ ſuæ, ſacrum adinuenit Euchariſticum, Drogo Cardinalis confert illud pallio Eliæ, quo etiã in conſolationem ſui receſsus Eliſæo reliquit. *Ecce*, inquit Chriſto, *ſublatus es, amplius te tuus non videbit Eliſæus; remanſit ei tamen pallium ſuum in memoriam tui, vt præſentia eius abſentiæ tuæ dolorem ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat. Hoc ſumite (ait) in meam commemorationem. Hoc eſt ſacra-*

*Drogo Card. de Sacram. Dominic. Paſſ. li. 1.*

mentum

*mentum Corporis tui. Pallium tuum eſt caro tua, qua veſtitus ad nos proceſſiſti*. Rogo autem, ſi viſū eſt Drogoni Sacro Corporis Chriſti nomen veſtis aptare, quorsum nō potius nuncupauit amictum, podere, ſiue ſolam, ſed pallium? Vt ex ſono talis vocabuli diuini amoris propalaret exceſſum, quo Dominus in altari indeſinenter ardet. *Pallium* ait D. Antoninus *ſiue palleum à pallore, ſiue à palleo palles, dicitur*. Perinde magna & mira eſt amoris flamma, quæ in camino altaris Chriſtum vrit & deuorat, vt eius ſacratiſſimum corpus pallidum, ægrotum, ac languidum efficiat; tale denique, meritoq; pallium cenſeatur dicendum. *Pallium tuum caro tua.*

*D. Antonin. par. 3 tit. 20. c. 3. §. 1.*

6. Quærit D. Germanus Conſtantinopolitanæ Eccleſię Archiepiſcopus: Vnde eſt, ꝙ dum Sacrum facimus, vtimur flabellis? Hoc quippe ſuo tēpore fieri conſueuerat. Reſpōdetque: *Flabella typum referunt Cherubim*. Ac ſi diceret. Eo quia oculis fidei noſtræ conſpicimus Deum è cœlo delapſum ſacris aris præeſſe, qui in aula cœli, vt accepimus à Propheta, ſuper Cherubim ſedet; vt noſmetipſos edoceamus pari maieſtatis gloria ſedere in ſolio altaris, & in throno cœli, dum ſacrum facimus, adhibemus flabella, per quæ Cherubim præſignantur. Vt vno eodemque tempore Deū, Deique ſedem noſtris obijciamus obtutibus, & tantæ maieſtatis non ſimus immemores. Pulchra quidem contemplatio. Sed vt nos quoque de puteo noſtro aliquid hauriamus, aliam flabelli huius rationem afferemus, noſtro ſatis aptatam propoſito. Eo quia pro recreandis ęſtuantibus flabellis vti conſueuimus; ægrotiſq; igne flagrantibus, ad aliquantulam ardoris eorum relaxationem, paſſim adaptamus: pari ratione veteres Chriſticolæ vti flabellis poterant, dū ſacrum Chriſti facerent. Quia ſatagebant innuere Deum latentem in Sacramento magno amoris igne lāguere, ac ęſtuare, adhibebant flabella, velut illa aeris agitatione dulciſſimum Deum amoris flammis accenſum, languentem, ac æſtuantem refrigerare tētarēt.

*D. Germ. lib. Rerū Eccleſiaſ. Theoria.*

7. Aduertendum quod per ſcalam, quam vidit Iacob Patriarcharum maximus, *ſtantem ſuper terram, & cacumen eius cœlum tangens*, ſacrum Euchariſticum repræſentatum eſt. *Gen. 28. 12.* Quia quemadmodum illa cœlo & terræ confinis, terram cœlo iungebat; ſic ſacra Euchariſtia cœlo terram coniungit. *Confinium cœli, & terræ eſt hæc menſa*, ait D. Germanus: *D. Germ. vbi ſup.*

Tum

Tum etiã; quia ſicuti ſcala Iacob Deum exhibebat præſentem, ſic & Euchariſtia. Addit
*Incogn. i Pſal. 33. ver. 32.*
etiam Incognitus : *Hoc ſacrificium dicitur via eundi ad Deũ, propter quod viaticũ dicitur; hæc eſt Scala Iacob.* Sed ſi fortè quæris quonam modo Chriſtus reſidet Sacramento ; ſedet nimirum, ſtat, deambulat, currit, iacet! Nullo inquam iſtorum; ſed innititur ſcalæ.
*Gen. ibid.*
*Dominum innixum ſcalæ* vidit S. Iacob, vt tradit Moyſes. Velut debilis, viribus deſtitutus, ægrotans, ac languens, oſtendit ſe omnibus fulcimento opus habere. Idque ad oſtendendũ mirum amoris exceſſum, quo in epulo altaris erga nos afficitur.

*Cant. 3. 9.*
8. Celebre illud ferculum à Salomone ſapientiſſimo Rege excogitatum, perenne cedro, nobile argento, pretioſum auro, eximium purpura; opus ꝑfecto admirandum cenſendum eſt, tantæque maieſtati digniſſimum. Tale equidem, ac tantum neceſſe fuit extitiſſe, cum ſacrum Euchariſticũ præfiguraret, Chriſti Regis Regũ opus eximium, excelſum, ſingulare, ac admirabile ac ſuper omnia diuinæ Omnipotentiæ mirabilia. Latini enim vtebantur vocabulo Ferculi tum ad ſignificanda geſtatoria Deorum ſuorum, tum & ad dapes explicãdas, vt iã dictũ eſt, quorũ vtrũque habes in Euchariſtia : ea enim & Chriſti geſtatoriũ eſt, & cibus carnis Chriſti, quo quotidie reficimur, ac nutrimur. Verũ cum ad denotandũ quod Euchariſticũ Sacrũ cibus ſit noſter, Deiq; geſtatoriũ noſtri, denotari poſſet alio quopiam vocabulo: vnde eſt, quod quouis alio neglecto, ſolo ferculi nuncupetur nomine? Hoc factũ eſt, inquam, vt amãtiſſimi Ieſu lãguor, dum reſidet in Euchariſtia, innueretur. Nam, vt ait Richardus à Sãcto Laurentio, *Ferculũ ægris, & debilibus eſt neceſſariũ*. Itaque dum Dominũ tuũ, amore tui accenſum, ac vulneratum; in Eucharistico ferculo vides, tecum ipſe reputa eum videre debilem, elanguentem, infirmũ, ęgrotũ.
*Rich. à S. Laur. de laud. B. Mariæ lib. 10.*

9. Hinc Geltruda ſanctiſſima, ac deuotiſſima virgo, dum ſemel, vt Corpus Chriſti ſponſi ſui reciperet, reuerenter Sacrum audiret; Chriſtũ vidit in ſacro altari, velut in lectulo quodam, iacentem, ęgrotantẽ, debilem, languentéq;. Quodue maiori dignũ erat admiratione, Sacerdotis manus implorantẽ, vt aut ſedere, aut conſiſtere potuiſſet. Qua in re virgo prudentiſſima nimiam Dilecti ſui didicit Charitatem, qua vt nobiſcum permaneat, & nos in eo, vſque adeo amore flagrat, vt infirmetur, langueret; fereq; ſemiuiuus iaceret.
*Vit. S. Geltrud. lib. 4. cap. 25.*

10. Hoc metipſum in manna, celeberrimo Euchariſtiæ typo, delineatum habemus, dum illud Moyſes albi tradit
Num. 16. 31. fuiſſe coloris. *Quaſi ſemen inquit coriandri album.* Cum verbum *Album* expenderis, aduertes, quod, potuiſſet vtiq; etiam dicere candidum, tamen maluit dicere album. *Quaſi ſemen coriandri album.* Dubitabis ergo cum candidũ, & album ſynonyma cenſeantur, quare, cum dixit album, loco albi noluit habere candidum? Quamuis paſſim hæc duo vocabula pro ſynonymis habeantur, differunt tamen ad inuicem: Nam, vt placet
D. Iſid. etym. lib. 12. c. 1. Iſidoro, *Albus cum quodam pallore eſt, candidus verò niueus eſt, & pura luce perfuſus.* Eo quia ſciebat Moyſes panem de Cœlo præſtitum Euchariſtiam repræſentare, noluit nuncupare candidum, ſed album; vt vi talis vocabuli tibi præ oculis poneret colorem Chriſti, dum latet in Euchariſtia, vbi albus eſt, nimirum pallẽs: quia nimio amore noſtrum accenſus, & vulneratus, ægrotat, languet, palleſcit.

11. Poſtquam Nabucdonoſor Aſſyriorum Rex in caminũ ignis ardentis introſpexit, vt tres illos pueros, quos ibi exurẽdos incluſerat, aſpiceret, lætoſque illos, & exultantes aſpexit, quartum, Dei filium referentem, pariter vidit. *Ecce,* inquit, *ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis; & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Ex eo quod Tertullianus, Irenæus, ac Rupertus, per quartum ſimilem filio Dei, Chriſtum Ieſum intelligunt; adnotãdum eſt, quod, vbi habet vulgata: *Similem filio Dei,* vertunt alij ex hebræo, *Manipulum ſpicarum.* quod apertiſſimè Chriſtum præſignabat Euchariſtico clibano clauſum, flammis amoris exuſtum, factum panem noſtrum, qui tropicè per ampliationem *manipulus ſpicarum* dicitur. Sed, ſi forte quæris, quare Chriſtus in Sacro manipulus ſpicarum dicendus ſit potiùs, quam ſeges virens; hærenſque agro? Eo quia, inquam, ibi amoris flammis exuritur, non virentium ſegetum, ſed pallentium ſpicarum præſefert colorem. Pallet quippe Redemptor noſter, languet, infirmatur, cum latet ſub ſpecie panis: inſtar ſpicarum manipuli eſt, amat, ardet, percupit hoſpitium cordis noſtri, vt & ſui amoris, erga nos indignos, immenſitatẽ oſtenderet, noſque eiſdem flãmis, quibus ipſe accenditur, vreret, efficeretq; amatores.

Daniel. 3. 92.
Tertull. Iren. Rup.
Transſ. Hebr.

12. Demum dum Chriſtus Ieſus in cœna Corpus ſuũ ſanctiſſimũ ſuis detineret in manibus, repræſentabatur ab An-

gelo

*Apoc. 8. 3.* gelo viſo à D. Ioāni ante alta-
re Dei ſuis in manibus aureū
*D. Vinc. ſer. 2. de Corp. Chriſti.* thuribulum habentem. *Ha-
bens thuribulum aureum in ma-
nu ſua ſcilicet Corpus eius ſan-
ctum aureum*, ait D. Vincētius.
Dictum eſt ſupra, quare Eu-
chariſtia nuncupetur thuribu-
lum, modò verò dicēdū, quare
dicatur aureum. Sanè dicitur
aureum, quia auri flauū, pal-
lentemq; præſefert colorē. Pal
let enim aurū. Cur palleſceret
aurum, quidam Phyloſophum
conſuluit, à quo, quod multos
inſidiatores haberet, reſpon-
ſum accepit. Aureum eſt Cor-
pus Chriſti, dum eſt in altari,
aurique ſpeciem præſefert; ſi-
qdē pallet, languet, ægrotat.
*Nam, quia thuribulum eſt pru-* *D. Vinc. ibid.*
*nis igneis plenum, ità Corpus
Chriſti prunis illius ignis, de quo
ipſe dixit: Ignem veni mittere
in terram, & quid volo, niſi vt
accendatur?* ait idem Doctor:
opere pretium eſt affirmare,
amantiſſimū Dominū ꝑ nimio
amoris æſtu palleſcere, ac ęgro
tare, dū latet in Sacramento.

# THEOREMATA
# MORALIA
## EX VERSV PRIMO PSAL. 22 DECERPTA
## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

**Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocauit.**

QVam aptè D. Chryſoſtomꝰ totius Pſalterij diuidit argumētum *In morale, & quod ad dogmata, decretaue pertinent:* nam nō modo ad obfirmanda fidei noſtræ decreta cithara pulſatur Dauidica, ſed & ad propulſandos, eliminandoſque veteris mores hominis, nouique effingendos. Quæ ad dogmata pertinent, perinde poſita ſunt, vt bonorum morum inſtructionē

*D. Chryſoſt. Proœm. alt. i Pſal.*

K 2 non

non deſerarit. Quod etſi in toto Pſalterio paſſim pateat; in hoc tamen Pſalmo clariùs obſeruatur; in quo, & quæ de S. Euchariſtia Eccleſia docet, creduntque fideles; quæque, vt digno accubitu ſacris enutriamur edulijs, opus ſunt nobis, adamuſſim inſinuantur.

## THEOREMA I.

### Dominus regit me.

*Dum Rex Regum Chriſtus ſedet in throno altaris, dulceſcit eius Maieſtas.*

DVM Pſaltes acturus de Euchariſtico ferculo, quo gẽs ſãcta quotidie à Chriſto depaſcitur, iurè Chriſtum enutritorem, educatorem, paſtorem, matrem, ſiue nutricem dicere debuiſſet, quorſum nuncupauit Dominum, aitque, *Dominus regit me*, ſiue vt D. Auguſtinus, & alij legunt, *Dominus paſcit me?* Quippe ſicut enutrire educatoris eſt, ac enutritoris; paſcere paſtoris, alimenta præbere, matris, ac nutricis; ità Domini eſt imperare. Quia verò dum Deus paſcit, paſtor eſt; dum imperat Dominus; noſque in ſacro altari paſcit, non imperat, non Dominus, ſed paſtor potius vocandus videtur. Minimè abs re hoc factum exiſtima. Propalare ſatagebat Propheta prædulciſſimã Maieſtatem Dei noſtri latentis in Sacramento; idcircò, vbi, vt maieſtatis eius memineris, Dominum dixit; paſtorem, paſcentemq; ſubiunxit, vt tantæ Maieſtatis dulcitudinis recorderis. Res mira, ſed vera. Certè cum omnis maieſtas, quæ terræ, ac cœlo præeſt, adiuncta ſit terrori, hæc ita à terrore diſtat, quod eam inſpicientibus, ac manducantibus omnimodam dulcitudinẽ offerat. Dulceſcit Maieſtas Dei noſtri, dum ſedet in ſolio altaris.

1. Aduocabat Sponſa adoleſcentulas filias Sion, vt nouo Regis dilecti ſui, Ieſu Chriſti nimirum, oblectarentur ſpectaculo; dum eum mater ſua in lætiſſima nuptiarũ die ipſius aurea corona præcinxerat. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regẽ Salomonem in diademate; quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Cant. 3. 11. Si fortè petieris de die, in quo Rex Regum Chriſtus diademate decoratus, tanta maieſtate refulgeat. Quiſque eſt, ait Aponius, in quo ab immundis hominibus, vt emundarentur à ſordibus, accipitur ſub Sacramento.

*Apõn. li. 5. in Cãt.* *Fuit dies desponſationis, cordiſq; lætitiæ, cum immaculatus coniũgitur maculatis, quatenus ſui corporis & ſanguinis tactu, efficeret immaculatam Eccleſiam.* Sed ſi dum Rex noſter altaris in ſolio ſedet, tanta maieſtate præfulget, vt diademate decoretur; quamobrẽ maieſtatis ſuæ non tuetur faſtigium, ſublime ſupercilium, Regiam grauitatem; quod ad immundos, ac ſordidos, vt à ſordibus abſtergantur, ſic ſe promptè dimittit, imò deijcit, vt copuletur cum illis? Vt maieſtatis eius, quam, dum altari prĕeſt, exhibet, ſuauitatẽ attendas. Quippe vbi omnis alia maieſtas ſublimitatem redolet, grauitatem ſeruat, terrorẽ incutit, vt ſeſe prorſus inacceſſibilem exhibeat: hæc ſanè tantæ ſuauitati adiuncta eſt, tali melle illinita, quod non modo viliſſimos, ac ſordidiſſimos quoſque ad ſedem ſuam vocat, inuitat; verum &, vt eorum ſordes abluat, & emundet, ſeſe quotidie inclinat; ac *Immaculatus coniungitur maculatis*.

2 Mira quidem, ac magna de Chriſto Rege noſtro euulgauerat Pſaltes, cum vt pulcherrimo fine ſuum clauderet vaticinium, extremaq; primis *Pſal. 2. 12.* adnecteret, ſubiũxit: *Adorate frumentũ*, ꝙ alij interpretantur: *Oſculamini filiũ* Quidquid ſit de vulgata, cui transferre licuit: *Apprehendite diſciplinam*: quam quia noſtro non quadrat inſtituto prætermittimus; ibique, vbi res exquiſierit, expẽdendam ſeruamus. Aduertendum modo, quod cum ait Propheta: *Adorate triticum*, Dominicam explicauit maieſtatem, fulgentem in aula Eccleſię: ſanè nemini niſi Regibus, alijſque proceribus, in rerum culmine poſitis, adorationis impenditur cultus. Si dum igitur Chriſtus frumenti ſub formis occluditur in Sacramento, maieſtate, quam ſeruat, à cunctis eſt adorandus. *Adorate triticum*, imò ſolus adorãdus, cum neminem, qui Deus non ſit, deceat adorari; quorſum habet alia littera; *Oſculamini filium*? Inter adorationem, & oſculum multum vtiq; intereſt. Adoratio maieſtatem, à familiaritate ſemotam; oſculatio familiaritatem à maieſtate ſeiunctam ſignificat. Minimè exoſculatur Maieſtas, non amplexatur ſublimitas, non contrectatur purpura; oſculorum neſcium eſt Regis ſupercilium: veneratur potius, timetur, adoratur. Verum quia, vt dixi, Vates pertractat de maieſtate Chriſti regnantis in ferculo Eccleſiæ; iure cenſuit oſculandum. Ibi enim diuina maieſtas ab omni dimittitur ſublimitate, ab omni terrore deſeritur,

tur,

tur, ab omni imperio deſtitui-rur; ac miro quodã modo dul-ceſcit, mellifluat, nectar ſa-pit, redolet ambroſiam, vt pro cuiuſcumque voto exoſculan-da, ac amplectẽda exponatur.

3 Tradit D. Ioannes, quod poſtquam Maria Magdalena dilectum animæ ſuæ Chriſtum ſuſcitatum vidit, & rediuiuũ; magno gloriæ lumine vndique circumamictum, ſoleque niti-diorem; vltra quod dici poteſt felix, & lætabunda, vt deoſcu-laretur eum, ad pedes eius ce-cidit. Cui Dominus Ieſus: *Ioa. 20. 7* *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Ac ſi dixiſſet, ait Hugo ex Chryſo-*Hugo Cardin. ibid.* ſtomo. *Non accedas ad me, vt prius, non enim in eiſdem eſt res, neque ſimiliter debeo vobiſcum eſſe, & conuerſari.* Quoniam Maria, vt pote verè amãs, ma-ieſtatis erat ignara, Dilectum ſuum glorioſum, & immorta-lem, prout conſueuerat, tan-gere ſatagebat, & oſculari; re-pellitur ab oſculis. Nec qui-dem immeritò, receſſerat enim tempus antiquę cõſuetudinis, mutuæque familiaritatis: iam Chriſtus ſuæ decus gloriæ aſ-ſumpſerat, maieſtatis gradum, honoris, præheminẽtiam. Sed, quæſo te, Chriſti verba per-pende: non enim dixit mulie-ri: Non vnquam me amplius tanges, ſed; nè me modo tan-gas. *Noli me tangere*, præ-ſens tẽpus ſubindicans; velut potuiſſet in poſterum: quod quidem aduertit, cum ait: *Nondum enim aſcendi ad Patrẽ meum*, quaſi poſtquam ad Pa-trem ſuum aſcenderit, oſcula-ri potuiſſet ad libitum. Ve-rum enim verò ſi Ieſus aſcen-dit in cœlum, ibique ad dex-teram Patris, non amplius di-ſceſſurus; conſedit, quandonã eum ibi exoſculari potuiſſet, cum non liceret ad Dei dexte-ram aſcendere? Vt verborum Chriſti, prout requirunt præ-habita, veritas eluceſcat, di-cendum eſt, Magdalenam ad Altaria Eccleſiæ miſiſſe, vbi Dilectum ſuum, & ſi non iret in cœlum, æquè, ac in cœlo, conuenire poterat, amplexari, oſculari. Quid aliud eſt com-munio Corporis, & ſanguinis Chriſti, quam Chriſtum exo-ſculari? Cum aiebat Sponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, cõ-*Cant. 1. 1.* munionem ardebat: nam, vt Lucas Abbas exponit, *Oſculum Chriſti per corporis Chriſti, & sã-guinis guſtum anima noſtra ſu-ſcipit.* *Luc. Ab. in Cant. lib. 2.* Sed quam magna, & mira res hæc eſt? Planè omni-bus conſtat eadem maieſtate decorari Dominum in Sacro altaris, & extra; attamen ex-tra altare, nec ſaltem tangi permittit, in altari vero præ cuiuſcumque voto tangi, & amplexari, oreque ad os oſcu-lari? Vide ergo quo pacto tre-

men-

menda Dei Maieſtas in altari dulceſcat, vbi omniumq; patet contactibus, offertur amplexibus, exponitur oſculis.

4 Vt Deus in ſceleſtiſsimos peccatores animaduerteret, mirum in modum inſiſtebat
Pſ.16.13. clamebatq; vates: *Exurge Domine, præueni eũ, & ſupplãta eũ. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* Vtq; eorum ſcelus exprimeret, adnectebat: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* Ac ſi diceret. Acriter plectendi sũt, penitus ſupplantandi, in nihilum redigendi: etenim indignè corporis, & ſanguinis tui percepere ſacra. Quod autem hæc verba de ſacro Altaris debeant exponi, verbum *De abſconditis* quàm aptè docet: Ibi etenim Deus tectus ſubſenſibilibus panis, & vini, manducatur, & adoratur à nobis. Pro maiori autem euidentia expẽde, quod non ait: *De abſcondito tuo*, ſed *De abſconditis tuis:* Eo quia ſpecies Sacramentales, non modo Diuinitatem, ſed & Humanitatem, abſcon-
D. Thom. dunt. *In cruce latebat ſola Deitas*, inquit D. Thomas, *At hic latet ſimul, & Humanitas.* Hæc dicta ſint tantum, vt ſcias ſe prorſus Chriſtum in Sacramẽto occluſiſſe. Sed ſi rogas quorſum Deus, vt nos corpore, & ſanguine ſuo enutriret, Diuinitatem cum Humanitate contexit. Multæ inquam, ac pariter pulchræ huiuſmodi rei afferendæ ſunt rationes. Hic verò, prout exigit ratio propoſiti noſtri, ea tibi ſufficiat, quam affert Patriarcha Laurentius. *Taliter namque in* B. Laur.
*Sacramento hoc ſe voluit exhibere hominibus, vt forma opertus viſibili non videretur, & à fidelibus præſens eſſe non dubitaretur. Vt ſepoſito ſeruili timore, ardentius ſumeretur: ſi enim qualis eſt, humanis intueri voluiſſet aſpectibus, nullus eßet, qui Dominicum auderet manducare Corpus.* Iuſtin. de Caſt. connub. c.6. Quis (ac ſi diceret) ex hominibus Deum, tanta maieſtate fulgentem, eminẽtemque, videns, ſuis auderet dentibus confringere, manducare, deglutire? Quam neceſſarium cenſuit Deus corpus ſuum Sanctiſſimum velo panis inuolui, ſanguinemque vini; vt ſic obuelata maieſtas, perinde temperaretur, ſolito expoliaretur pauore, rigore euacuaretur, vt nos ad ſui eſum dulciter alliceret.

5 Verum quia memores fuimus Antiſtitis Venetorum, age nunc proferatur etiam alia eiuſdem verbis quidem adſtricta, ſed ſenſu præualens, ſententia. *Præcipuè tamen in hoc* Idem ibi.
*Sancto myſterio illius charitas* c.24.
*commendatur, illius maieſtas.* Multa quidem (velut ſi diceret) pariterque admiranda,

con-

conſideranda occurrunt in Euchariſtico ferculo: verum charitas maieſtati adnexa cætera ſupergreditur mira. Sed vbi nam vnquã vidimus charitatem maieſtate complexã, cum vbi regnat maieſtas, inde pedem referat amor, noua ſibi quæſiturus Regna?

*Ouid. 3. Metam.*

*Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur,*
*Maieſtas, & amor,*

cecinit Ouidius. *Amor dignitatis neſcius*, ait quoque D. Bernardus. Vndè eſt inquam, quod in vna, nempe in Euchariſtica ſede, maieſtas, & amor copulẽtur, concilientur, cõueniant? Adnotare oportet, ideo amorem maieſtatis cõſortium deuitare, eo quia maieſtas cõmuniter imperat, minatur, terret, rigorẽ ſeruat, neſcit æqualem, quod nõ parum diſplicet amori; cui munera, amplexus, oſcula, blanditiæ, æqualitas cum amato, ac cętera huiuſcemodi dulcia placuere. Quia verò in ſacro altaris maieſtas Dei noſtri ſolito exuta terrore, omnimodam pręſefert dulcitudinem, habet ibi ſibi amorem indiuiduum comitem. *In hoc S. Myſterio illius charitas commendatur, illius maeſtas.*

*D. Bernard. ſer. 59. í Cãt.*

*6* Cęterum, quia Eliſabeth Mariam, cognatam ſuam, Dei matrem agnouerat, vt doceret Virginem vnde ei lux tanti effulſerit Sacramenti, ſic ait Mariæ: *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Ac ſi clariùs diceret: gaudium, & exultatio pueri mei, Dei ſui ſentientis acceſſum, te Dei matrem eſſe, tuoque in vtero habere, quem nec terra capit, nec cœlũ, edocuit me. Si fortè rogas, vnde diuinus puer Dei ſui præſentiã ſentiẽs, taliter exultauerit? *Exultationem ex eo profectam*, ait Iſidorus Clarius, *quod ſenſiſſet Maieſtatem filij Dei in Virginis vtero deliteſcentem.* Itaq; ſi D. Ioannes, Chriſti maieſtatem præſentiens, tãtum abfuit vt terreretur, quod gauiſus ſit potius, exultauerit, geſtierit; cenſendum eſt Diuinam maieſtatem matris incluſam in vtero, non modo non fuiſſe tremẽdam, ac formidãdam, ſed omni mellis ſuauitate repletam, ità, vt aſtantibus terrorem nõ incuteret, ſed gaudium; non pauorem, ſed exultationẽ excitaret. Quia verò Chriſtus eamdem in Sacramento maieſtatem præfert, quam tulit in vtero matris, dicente Damaſceno: *Iacet panis in ſacramẽſa, ac in vtero Virginis*; fatendum eſt planè, Chriſti maieſtatem, qua, cum immolatur in ara, refulget, amabilem eſſe, dulcem, melleã, benignam; cordaq: noſtra, nõ ad terrorẽ, ſed ad gaudiũ, & ad exultationẽ, fun-

*Luc. 1. 44*

*Iſid. Clarius orat. 5. in Lucã.*

*D. Damaſc. ep. ad Zachar. cap. 1.*

funditus excitare.

7 Tradit Durandus, olim in ſacro codice, quo ad Sacrũ conficiendum Presbyter vtebatur, ante Canonem non modo effigiem Crucifixi, vt recentiores oſtendunt, ſed etiam Dei Patris, ſedentis in maieſtate, micaſſe. *In quibuſdam codicibus, & maieſtas Patris, & imago depingitur Crucifixi*. Vnde Dei maieſtas pariter, & humilitas, vno, eodemque in loco videbantur complexę. Sed quonam pacto conuenire poterant ſublimitas maieſtatis, & profunditas humilitatis? Quidnam Deo, dum ſedet in ſolio cœli, ſceptro fultus, diademate pręcinctus, purpura redimitus, Angelis ſeptus, regenſque machinam mundi; cũ Deo Crucifixo, ſpinis confoſſo, clauis, & lancea perforato, colluſo, deriſo, ſuoq; in ſanguine immerſo; & non ſecus, ac latro, inter latrones ſuſpenſo? Vt hinc coniectes diuinæ maieſtatis ſuauitatem in Sacramento. Nam etſi verum ſit, quod, cum Deus eſt in altari, eadem maieſtate, qua, & in cœlo, refulgeat; perinde tamen ibi maieſtas proprio denudatur rigore, vt prorſus in dulcedinem abeat. Puta te, dum ſacro aſsiſtis, intueri Dei maieſtatem ligno Crucis affixam, pretioſiſsimum pro te ſanguinem effundentem, vt te laborantem reficiat, fameſcentem recreet, ſitientem potet, æternis pœnis addictum, exoluat; ac demum in cœleſte Regnum ſecum conregnaturum exaltet. Vidiſti ne vnquam talem maieſtatem vſque adeo dulcem, nectaream, melleam, tantoque ſapore refertam?

*Dur. Rat. Diuin. li. 4. c. 34.*

8 Puto te tecum tantoties expendiſſe; quid ſit, quod vt plurimum Chriſtus, ex Euchariſticis ſe detegens inuolucris, puerili formam præſeferat? Plures quidem huiuſce rei rationes afferri poſſunt; hanc interim habeto. Pueri formam aſſumit, vt ſe dulcem oſtendat: nam ſicut nil dulcius puero, ſic nil dulcius Chriſto, dum reſidet in Sacramento. Sed dum puerũ vides, maieſtatis eius ne ſis immemor, puer etenim iſte mundum pugillo cõtinet. Recenſent, religioſum Presbyterum, dum ſacrum faceret, in puerum hoſtiam vidiſſe conuerſam; cui hinc Genetrix Virgo, hinc Gabriel aſsiſtebant, dicebantq; *Hic puer cælum, terramq; regit*. Sed dum Chriſto in Sacro altari mundum regentẽ audiens, maieſtatem eius attendis; puerulum videns, dulcedini annexam intellige maieſtatem. Vbi enim extra altare deterret te Dei maieſtas, ſolatur in altari, mulcet, & oblectat.

*Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcont. lib. 3.*

## THEOREMA II.

### Dominus regit me.

*Hominem manſuefacit Euchariſticum ſacrum.*

IVre vtiq; optimo Chriſtus, dum ſub formis panis, & vini populum ſuum enutrit, dicendus eſt Dominus, *Dominus regit me, Dominus paſcit me.* Non modo ex eo, quod in Altaris ſolio maieſtatem præſeferat, vt iam dictum eſt; verum etiam quod carnem ſuam comedentes, ſanguinemque bibentes, edomet. Verbum *Dominus*, vt cenſet Bernardinus: naſcitur *à domo domas, quaſi domans*, Hoc. n. Sacro corda noſtra edomantur, noſque condocefacimur, ac cicures reddimur: quod modò videndum eſt.

*D. Bernardin. ſer. 3. de nom. Mariæ art. 1. 12.*

1 Mandauit Deus Moyſi, vt coram ſe in tabernaculo fœderis menſam apponeret, quæ nullo non tempore panibus oneraretur, quos vulgatus Interpres propoſitionis appellat, facierum verò Pagninus. *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*, habet Vulgatus. *Pones ſuper menſam panes facierum in conſpectu meo iugiter*, Pagninus. Quia verò Doctores Catholici communi ferè conſenſu per iſtos panes Euchariſtiam noſcunt, idcirco Chriſto, dum latet in Sacramento, non vna, ſed multiplex facies eſt adſcribenda *Panes facierum* ibi eſt, non *faciei.* Idque non ex eo, quod Chriſto ſit duplex facies; ſed quod illis, qui ſuo ſaginantur edulio, faciem aliam imprimat. Puto te multoties ſimulachrum Iani vidiſſe, quem veteres exprimebant bifrontem, Quod fabrefactum non eſt ad innuendum, dum ille viueret, monſtri inſtar binos vultus in vno extuliſſe corpore: vnum quidem habebat, ſicut & cæteri homines; ſed ad docendum, prudẽtia, ac ſapientia ſua ferinos eorum mores, quibus imperabat, permutaſſe in humanos; ac velut vultum vultui addidiſſet, nẽpe humanum ferino, bifrons exprimebatur. *Ianus*, ait Plutarchus, *dicitur ferum, ac ſylueſtrem cultum in vrbanum, ciuilemque mutaſſe, proindeque ipſum bifrontem fingunt, tamquam alteram ex altera, & formam, diſpoſitionemque reddiderit.* Pari ratione crediderim quod Euchariſticus panis dicitur facierum: eo quia ferinas facies eorum, qui impetu ſenſuali feruntur, transmutat in humanas; animales mores refrænat, noxios motus extinguit, rationi conſentaneas introducit curas. Sicque totum manſuefacit hominem, vt poſt

*Exod. 25. 30.*

*Plut. in Numa.*

ſan-

ſanctam Communionem ferè alterum neceſſe ſit æſtimari.

2 Nemo, qui Deum confitetur, ignorat, Chriſtum Redemptorē noſtrum nobili ſuo natali Bethleem decoraſſe. Hoc in anteactis temporibus præuidens Vates, qui, vt tradit Matthæus, Bethleem ex-
*Mat.2.6.* tollens ait: *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populū meū Iſrael.* Sed expendendum eſt, cum Bethleē binonimis eſſet, vtpoteque etiam *Ephrata* dicebatur; vnde eſt, quod poſt natiuitatem Domini perinde retinuit vocabulum *Bethleem*, vt nunquam amplius vocata ſit *Ephrata?* Eo quia latine *Ephrata* interpretatur *Domus furoris*, Bethleē autem *Domus panis.* Quia verò vt primum facta eſt domus panis, deſijt eſſe domus furoris, idcirco poſteriori denominatione retenta, priorem prorſus amiſit.
*Paſchaſ. ibid.* *In domo furoris natus eſt Chriſtus*, ait Paſchaſius, *& ideo iam non domus furoris, ſed domus panis, qui panem de cœlo venientem ſuſcepit, felicius vocatur.* Vbi primum cœlicus panis Ciuitatem illam ingreſſus eſt, ſic mirum in modum à ferali rabie, ab impetu animali, ac ab aſſueto furore pacatam reddidit, ac manſuetam; vt in poſterum nō amplius *Ephrata*, ſed *Bethleem* dicta ſit. Certè vbi ſemel panis Chriſti recipitur, ità manſueſiunt omnia, cicurantur ferocia, furibunda quieſcunt, vt in aliam faciem abeant, & transferantur.

3 Vt inchoaret Dominus noſtræ Redemptionis primordia Ieruſalem adire, vtque in eam, qua deceret magnificentia, ingrederetur, equitare decreuit. Inſedit itaque ſuper pullum aſinę, ſuper quem, vt tradit Marcus, *Nemo adhuc hominum inſedit.* Hunc lo- *Marc. 11. 2.*
cum expendens doctiſsimus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, pulchrè quærit: Si, cum nondum vllus in pullum illum ſediſſet, ferox fuiſſet, & indomitus; quarè auſus eſt Dominus indomitum equitare iumentum? Demum pulchrè reſpondit. *Chriſtus hoc ei auferret, faciens illum mūſuetum, ac ſi ſemper aſſuetus eſſet oneribus ferendis.* *Abul. qu. 32. in c. 21. Matt.* Perinde potens eſt Dominus ad edomanda indomita, cicurandaque ferocia, quod non ſecus, ac ſi perpetim talibus inſidiſſet, autumandum eſt. Si verum eſt, imò quia verum eſt, neminem pullum, quo Ieroſolimam verſus vſus eſt, equitaſſe; ideoque indomitum, ac effrænem fuiſſe: vbi ſuper eum inſedit Ieſus, ſic miro modo eum manſuefecit, vt ad fe-

renda onera conſuetum diceres. Ex quo datur intelligi, eos qui Dominum vehunt, vt ij, qui dignè communicant, tametſi hyenis ferociores, leonibus horribiliores, tygris immaniores extiterint, perinde manſuefieri, vt aſſuetæ ferocitatis obliuiſcantur. Hinc ait Doctor Angelicus: *Corpore Chriſti fit homo manſuetior, ad correptionem patientior, ad laborem feruentior, pronior ad obedientiam.*

D. Thom. opuſc. 59 cap. 5.

4 Cum Chriſtus Redemptor noſter Corpus ſuum Sanctiſsimum, ac pretioſiſsimum ſanguinem obtegere potuerit ſub argento, ſub auro, ſub adamante, aut ſub alia quauis forma earum, quæ oculis noſtris obiectæ nos maximopere oblectant; vt certum eſt potuiſſe, quippe cuius in poteſtate, ac ditione ſunt omnia; quorſum corpus ſub forma panis, ſanguinemque ſub ſpecie vini maluit obuelare? Vt indomita hominum colla ſubmitteret, effræna corda domaret, feroceſque mores, ac motus manſuefaceret. Nam ad edomanda brutorum ferocitatem nihil cibo, ac potu opportunius. *Perſarum Reges*, inquit Plutarchus, *non amicis tantum diuitibuſque, ac ſtipatoribus portiones eſcarias ſemper dimittunt, imò vernarum quoque, ac canum eſca in illorum menſa proponi vſque ſolet. Quaſi qui cunctos, quorum opera, miniſterioque vtuntur, quoad eius fieri poteſt menſæ, ſocique vnius participes reddant. Nam, & immanes quoque bellux cibi communione cicurantur.* Hinc illud Senecæ: *Elephantum feritatem vſque in ſeruile officium demeretur cibus.* Chriſtus itaque, vt innueret, ſe ſacra altaris myſteria ad edomandam hominum feritatem inſtituiſſe, ſub eſibilibus formis, nimirum panis, & vini, corpus, & ſanguinem ſuum voluit obuelare.

Plut. in conuiu. Decad. 7. Probl. 4.

Sen. lib. 1 de Benef.

5 Sanè non immeritò Paulus pro eo, quod in Sanctos ſurijt, lupi rapacis inhonoratur vocabulo: homo enim ferociens, inſaniens, cædis, minarumque plenus, lupus æſtimandus eſt. *Quia Paulus ſicut ipſe teſtatur*, ait D. Auguſtinus, *erat de tribu Beniamin, cum Iacob benedicens filios ſuos veniſſet ad benedicendum Beniamin, ait de illo: Beniamin lupus rapax.* Sed quis quæſo tam potens, efficaxque domator rabiem perinde lupi ferocientis obtudit, vt effecerit agnum? Chriſtus Ieſus omnium edomator: nam, vt placet Bozio occluſit ſe Ieſus in globo quodam lucis, ac in Paulum, velut ſclopi igneus glo-

D. Aug. ſer. 14. de Sanct.

Thom. Bozius de Not. Eccleſ. lib. 14. c. 9.

globus, impingens, impetum lupi ferocientis occidit, & ſuſcitauit agniculum. Quiſnã ſanè mentis attendens Chriſtum in hoſtia ad modũ ignei globi vndique irradiante, ad internicionem ferientium, ſuſcitationemque mitium è ſcoplo cœli non cenſebit immiſſam. Ità ſemel viſa eſt, dum D. Iuo Presbyter, magnum noſtræ familię decus, rem ſacram ageret: Cum enim (vt fieri ſolet) Sacram Euchariſtiam ſublimè attolleret: *Igneus quidam globus miri ſplendoris illam ambiens viſus fuit*. Neque aliud, vt tradunt, Euchariſticũ Sacrum Turcę cuidam fuit, qui cum furtiuè, ac temere ſanctã capſulam aperuiſſet, tam magno impetu ex ea ignis erupit, vt in aerem eum ſubſtulerit, & in pauimentum templi longè à ſacrario ſemiuiuum proiecerit: aliud inquam nõ fuit, quã quidam igneus globus è ſcoplo cœli dimiſſus, qui vt edomaret hominẽ, inq; eo Mahometũ occideret, erigeretque Ieſum, agnum immaculatum, vt mox factum eſt.

*In off. propr. Ordi. Min. 17. Octob.*

*Auguſt. Mannus in Hiſtor. ſelect. c. 10. 4.*

6 Inſuper ex eo, quod Dominus Ieſus in fine vitæ ſuæ, non ſecus ac arbor pulcherrima, ſacri Corporis, ac ſanguinis ſui fructum protulit ſalutiferum, à Richardo de Sancto Laurentio ficus nuncupatur. *Ficus* inquit *portat fructus dulciſſimos, qui maturati nigreſcũt, & ſignat Chriſtum, qui in fine vitæ ſuæ temporalis niger & diſcolor iacuit in ſepulchro, qui eſt ferculum dulciſſimum.* Sed cum, vt in ſacris paginis patet, Chriſtus nuncupetur vitis, palma, malus, oliua, alijſq; nominibus arborum, dulciſſimos fructus, ſicut & ficus, ferentium; quorſum hic ijs relictis, typo ficus ſolummodo vtitur? Quia non modo ſtuduit explicare dulcedinem, ſed & proprietatem arboris, ad mãſuefaciendum admirabilem: ſicut enim arbor ficus tanta vis, eſt & virtutis ad cicurandum taurum, quod ſi eum ad illius lignum tenueris alligatum, citò cicurem facies. *Ferociſſimos tauros*, inquit Iſidorus, *ad fici arborem colligatos manſueſcere dicunt*. Sic & Redemptor noſter arbor ſelectiſſima Euchariſtici fructus ferocientium hominum mitigat motus, conatus frænat ſuperbos, beſtiales moderat impetus. Ficus eſt enim, tauros cicurat, feras edomat.

*Richar. a S. Laur. de laud. B. Mar. lib. 12.*

*D. Iſid. Etym. li. 17. c. 7.*

7 Obſerua ſodes, quam pulchrè hoc ſponſus explicuit in Canticis, vbi ait ſponſæ. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Pariterque perpende, quod abſolutè non ait, *Sonet vox* ſed addidit *tua: Sonet vox tua*. Velut ſi olim Sponſa aliam ſibi vocem exhi-

*Cant. 2. 14*

bue-

buerità ſua. Et qualem vocem? Animalem, beſtialem, ferinam; quam, vbi introducta fuit in cellam vinariam, ſacroque poculo refecta, perdidit; dataque eſt ei vox altera, vox humana, vox clara, vox ſonora, Chriſtum confitens, ac Deum collaudans. Quam vocem habuiſſe putas hebraicam plebem, cum Chriſtum peteret Crucifixum, clamaretque ad

Luc. 23. 21. Pilatum: *Crucifige, crucifige eum*, niſi taurorum, ac leonum?

Pſ. 21. 13. *Circumdederunt me* inquit, *vituli multi, tauri pingues obſederũt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum tamquam leo rapiens & rugiens*. Vbi verò particeps facta eſt myſteriorum Chriſti, ſic mirum in modum expurgata eſt à ferali raucedine, tantoque repleta dulcore, vt eam Deus concupiſcat audire. *Sonet vox tua in auribus meis.* Audi Aponium Scriptorem anti-

Apon. in Cant. quiſſimum. *Et vox eius, quæ humidam, intercluſam, impietatis raucedine amariſſimam, & lamentabilem reuocauerat vocem dicendo; Crucifige, crucifige; tali hauſto medicinali poculo ſanguinis, quem effuderat Chriſtus, ad canoram dulcedinem reuocata eſt, confitendo ſe credere Deũ, quem vt hominem damnauerat ante Pilatum*. Vide quam potenter Euchariſtico pharmaco cicures facti ſunt tauri, ac mãſuefacti leones; quippe q̃ prius horrendè mugiebant, rugiebantque in Chriſtum, mox cõfiterentur, & collaudarent Chriſtum.

8 Procedamus ad alia. Prętioſus Adamas tantæ, vt paſſim perhibent, duritiei eſt, vt nec malleis, nec incudibus cedat, imò percuſſus vulnus potius inferat, quam accipiat. Coniectus item in ignem, tantum abeſt vt aduratur, quod nec calefieri poſſit: eius enim natura, quemadmodum & ferri, victrix ignium eſt: vnde & nomen *Indomita uis* græca habet interpretatione, eo quod à nullo poſſit edomari. Verum enim verò, etſi tantæ ſit duritiei, vt nulli rei cedere experiatur, perinde tamen ab hirci ſanguine vincitur, vt in fragmenta minutiſſima redigatur. *Sed dũ adamas*, ait D. Iſidorus, *ſic inuictus ferri, ignisque contemptor, hircino rumpitur ſanguine.* (D. Iſid. Etym. li. 16. c. 13.) Quidnam aliud quæſo sũt hominum ſceleſtorum, perditorum, Deum non timentium, imò contemnentium, corda; quã lapides adamantini, adeo dura, ac indomabilia, vt neque à gladio iudicij Dei, neque ab igne Inferni, vel conteri, vel emolliri poſſint? Ea tamen Sacro cruore hirci, Chriſti nẽpe Crucifixi (quem è Sacro altari ex vi verborum habemus in calice, & ex cõcomitantia in hoſtiã) vſque adeo molleſcũt,

conteruntur, franguntur, vt ſe prorſus exhibeant cœleſtis gēmarij beneplacito, ad quoſcumque vſus accomodanda. Hæc ſanè dicta ſint, vt aduertas ad edomandam hominum feritatem tantam vim ineſſe Euchariſtiæ, vt indomabilia, quæque nulli cedunt virtuti; edomet, ac frangat.

9 Quid amplius immorandum, vt admirabile ſacrũ corporis, & ſanguinis Chriſti Lipareæ gemmæ comparemus. *Liparea gemma*, inquit Petrus Bercorius, *de ſyricis partibus veniens, quam omnia genera ferarum cupiunt intueri, & ad eius præſentiam properant. Ideo venatores feras, quas canum curſu capere non poſſunt, ſolius Lipareæ aſpectibus ad ſe ducunt.* Sanè aliud non eſt Corpus Saluatoris aſſeruatum ſub forma panis: Etenim vſque adeo dura corda demulcet, feros oculos afficit, rebelles voluntates allicit, quod tametſi homo ſit immanior tygri, ferocior leone, viſa Sancta Euchariſtia, penitus manſueſcat, ſeque Dei ſubijciat legi, Dei mandatis obtemperet. Quis quæſo mortalium videns Deũ ſuum perinde ſui amore captum, vt ſeipſum transformauerit in cibum, ſanguinemque ſuum in potum, elatos impetus non emendabit, ſuperbum caput non ſubmittet, ſeſeque non cicurabit?

*Petr. Ber. Reduct. Mor. lib. 10. c. 92.*

10 Quidnam putas fuiſſe Ducem Aquitaniæ, Comitemque Pictauorum, Guilelmum, niſi indomitam, effrænemque belluam, erecto collo currentē aduerſus Deũ? extraneis malum, ſuis peiorem, ſibi ipſi peſſimum? Quanam via Deus prophanum mutauit in ſanctum, Saulum in Paulum, lupum in agnum? Aſpectu Lipareæ gemmæ, ſacræ ſcilicet Euchariſtiæ: Nam etſi ad cōpræhendendum illũ bis Deus, tamquam ſagaciſſimum canē ſancti ſui gregis, Bernardum miſiſſet, numquam tamen capi, aut manſuefieri potuit. Verum poſtquam S. Abbas, peracta iam re ſacra Corpus Dominicum patenæ ſuperpoſuit, & egreſſus ad eum, præ foribus manentem, ſacrum myſterium oſtendens, ait: *Ecce poſt ſeruos ad te omnium Dominus ſupplicaturus aduenit: Ecce ſilius Virginis, caput Eccleſiæ, quā tu perſequeris, poſt membrorum preces caput ad te proceſſit: Nunquid & illum ſpernes? numquid ipſum, ſicut ſeruos eius, contemnes?* Ad tam magnum ſpectaculũ diriguit Comes, metuit, expauit, membra tremore diſſoluit, ſeſeque velut extra mentem poſitum ad terram vſque proſtrauit. Tandem vſque adeo manſuefactus ſurrexit, vt ex vaſe contumeliæ in

*Theobal. Episc. apud Lip. pom. 10. Febr.*

vas electionis tranſierit, in cœleſti cellario reponendum; vbi modò vna cum Sanctis & Angelis, exultat, & regnat ſine fine cum Chriſto.

## THEOREMA III.

### Dominus regit me.

*Quod ex homine homo non tranſeat in brutum, Sacræ Synaxi debet.*

CVM pro eo, quod Pſaltes haberet *Dominus paſcit me*; dixerit *Dominus regit me*, fruſtra ab eo dictum, & ſine myſterio, non eſt credendum; ſed vt cũctis pateſceret, quod cum nos Deus Omnipotẽs corpore, & ſanguine ſuo paſcit, & nutrit; regat identidem. Quia verò regere non modo, vt paſſim legimus, gubernare ſignificat; ſed & rectum tenere, tener dritto, vt videre eſt apud Celſum citatum à Calepino in ſuo Dictionario: ideo dicendum eſt miſericordiſſimum Dominum eduſio corporis ſui rectum præſeruare hominem, ſublimemque tenere, nè prolabatur deorſum, inclinetur ad terram, & conuertatur in brutum.

*Amb. Calep. verbo Rego.*

1 Quod Chriſtus Rex noſter Sanctiſſimum Corpus ſuũ, ac pretioſiſſimum ſanguinem ſub panis & vini, quam aliarũ rerum ſpeciebus maluerit cõſecrare, magnis myſterijs non vacat. Attulimus quidem ſupra rei huius rationem illi diſcurſui congruentem. Audi nunc aliam ab Algero adductam, nec ruditer (vt opinor) huic propoſito accomodatam. Solum panem, ac vinum prælegit Deus pro inſtitutione tanti myſterij; *Quia panis, & vinum propriè, proprius cibus, & potus eſt, non beſtiarum, ſed hominum: ideo Chriſtus vtriuſque eſt vſus myſterio, vt ſingularis, & propria hominum crederetur refectio*. Vt oſtenderet Deus Sacramentum carnis, & Sanguinis ſui proprium eſſe hominis nutrimentum, nimirum animæ, quam ſignificat homo, protulit eũ ſub ſpeciebus panis & vini, quæ ſunt proprium hominis cibus. Itaque ſi ſancta myſteria propria ſunt animæ nutrimenta, ob quæ anima viuit, vitam nimirum gratiæ, qua vita vera eſt animæ, deficiente tali nutrimento, deficeret etiam talis vita. *Manifeſtũ eſt* inquit Guilelmus Pariſienſis *quod panis iſte non ſolum quotidie, ſed iugiter aſſiduèque comedendus eſt, & abſque vlla ceſſatione in mente habendus. Eius enim ſubſtractio, extinctio vitæ eſt; & propter hoc vita animarũ dicitur, ſicut ipſæ animæ vita naturales ipſorum corporum. Qua-*

*Algerus de Sacra. lib.2.c.5*

*Guil. Pariſ. de Sacram. Euchar. c.1.*

propter,

*propter, ſicut ſeparatio animæ à corpore, etiam ad momentum, mors eſt corporis: ità ſeparatio Dei à mente humana ad quantũlibet modicum extinctio eſt ipſarum animarum, quantũ ad vitam gratiæ.* Viuet ergo vitam animalem & belluinam.

2 Quid Bernardino dicendũ; eũ, qui vel ſemel quotãnis, ſacro ſe pane non reficit, animam non habere cenſenti? *Nõ poteſt dici illum habere animam, qui ſaltem ſemel in anno non accipit Corpus Chriſti.* Cur dum mouetur, edit, ambulat, ceteroſque animalium actus exercet, animam non habere dicendum? Sanè ei, cui animæ deficit edulium, animam deeſſe neceſſe eſt; nam gratiæ vitæ moritur rationalis anima, cui pecuriale ſuum negatur alimentum; ſicut deficit corpus, cui corporale deficit edulium. Quod ſi huiuſcemodi homo mouetur, edit, obãbulat, quæque ſunt animantis exercet; hic bruti, non hominis, in brutum tranſlatus ex homine, cenſendum eſt ducere vitam. Fame quippe ſacri edulij, ex quo ſeruatur homo, eatenus tranſiuit in brutum, vt parum veri hominis, bruti propemodum cuncta operetur. Etenim cui anima ex eo quod mortua eſt deficit, brutum cenſendus, nõ homo. Euchariſtia opus eſt tibi, ne in brutũ trãſeas ex homine.

*D. Bernardin. to. 4. ſerm. 43.*

ne. Erit ergo viliſſimum animal latrans cum canibus, mugiẽs cum tauris, rugiens cum leonibus. Vides quo pacto Sancta Euchariſtia præſeruet hominẽ nè conuertatur in brutũ, quippe qua deficiente non eſt amplius homo, ſed brutum?

3 Tametſi nouerim Omnipotentiſſimum Deum cuncta mundi animantia effeciſſe curua, & ad terram prona; hominem verò rectũ; vt cura terrenarum rerum poſthabita, cœlum, & quæ continentur in cœlo, nonnunquã intueretur, ac contẽplaretur. Vnde Ouidius:

*Pronaque cum ſpectẽt animalia cætera terram*
*Os homini ſublime dedit, cœlumque videre*
*Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.*

*Ouid. 1. metam.*

Alia tamen maioris ponderis afferenda eſt ratio, quam diſertiſſimus Philo his verbis tradit: *Solam in terris cœleſtem plãtam Deus fecit hominẽ; cæterarum in terra defixit capita: omnes enim humi caput habent: ſoli homini ſublime dedit, vt alimenta cœlitus incorruptibilia quærat; non terrena iſta corruptioni obnoxia.* Ac ſi diceret. Eo quia cuncta animalia rationis expertia è terra ſibi oportuit acquirere alimenta, eis Deus caput inflexit, terręq; pronũ plaſmauit. Nobis autẽ quibus, vtpote alijs excellentioribus, ac no-

*Philo. li. det. potior. Inſid.*

nobilioribus; cibus cœli refernabatur edēdus; erectū, ac ſublime collum, vultuſque cœlū reſpiciens, quam prouidè præſtitus eſt: vt, quoad fieri poſſit, terram, terrenaque brutis reliquentes, cœli panem, noſtrum peculiare alimentum, perpetim inſpiceremus, peteremus, reciperem'. Quare brutū velim exiſtimes, quē videris adeò cœleſtis panis oblitū, vt deiecta ſublimi ceruice, qua præeminet homo, ad inſtar bruti pronus in terram terrena, & caduca prorſus inquirat; cumque brutis viuere delectetur. Aduertaſque, humanitatē noſtrā Euchariſtia præſeruari, nè in pecuniā abeat cōditionem.

4 Plerique Philoſophorū arbitrati ſunt, hominē nil eſſe aliud, quā arborē inuerſam. Sanè quā ſcita cōparatio: homo enim ſolo ſitu differre videtur ab arbore: vbi omnis arbor ramos vehit, ac extollit ad cœlū, radices autē dimittit, ac figit in terrā; homo è cōtra, manus, pedes, & reliqua, quæ ramorū præſeferunt vicē, deorſum ad terram proijciēs, caput attollit, ac figit in cœlū. In qua re ēt differre videtur à brutis, quæ arborū inſtar terræ caput affigunt. Hinc Guerricus Abbas magna ac diuina planè philoſophatur myſteria. *Quod*, inquit, *Phyſici dicunt hominem eſſe arborem inuerſam; eo quod nerui corporis radicem, & initium rei in vertice habeat; ego potius illo ſenſu interpretor, quod radicem amoris, & deſiderij figere debeat in cælo, in ſummo vertice omnium capite Ieſu Chriſto. Qui illuc radices miſerit, & de illo fonte æterno ſuccum vitæ; & gratiæ iugiter biberit, non timebit cum venerit æſtus iudicij.* His Venerabilis Abbas ex externa hominis forma concludere videtur internam: & rectè quidem: Nam vt, ait Seraphicus Doctor, corpus noſtrum formatum eſt rectum ad innuendam rectitudinem animæ. *Quoniam anima tendit ſurſum, corpus habet ſtaturæ rectitudinem, & caput ſurſum erectum, vt ſic rectitudini Spiritus atteſtetur.* Proinde ij, quorum animæ ſurſum, cœlum verſus erectæ, vt Chriſto radicitus inhærentes, corporis, & ſanguinis ſui, quæ concupiſcunt, participent alimenta; iure dicendi ſunt homines; quippe qui arbores ſunt inuerſæ. Ij verò, qui paruipendentes hæc ſancta, rationales capitis radices defigunt in terram, vt beſtiarum inſtar terrenis voluptatibus impleantur, & oblectentur; minimè dicendi ſunt homines; ſiquidem arbores inuerſæ non ſunt; ſed belluæ potius; eo quia velut belluæ, arbores imitantes, in terram, de qua concupita percipiunt,

*Guerr. Ab. ſer. 2 de S. Bened.*

*D. Bonau. in Centil. ſer. 25. par. 1.*

cipiunt, caput inclinant, lutoque figunt.

5 Seraphicus Doctor Bonauentura pertractans de neceſſitate Sacri Euchariſtici in Eccleſia Dei; dignam tanto ingenio protulit ſententiam: ait enim; ſi (quod Deus auertat) ſacris altaribus noſtris deeſſet Sacroſancta Synaxis, populum Chriſtianum inſtar gregis porcorum æſtimandum. Subnectam eius verba. *Tolle hoc Sacramentum ab Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas? Et populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum.* Rectiſſimè philoſophatur; tum, quia, vt à quotidianis, quibus ſcatemus, ſordibus abluamur, quotidie communicam⁹. Quodſi deeſſet nobis fons ablutionis noſtræ, quidnam aliud ob tantarum ſordium fœditatem eſſemus, quam ſues immundi? Tum etiam; quia quemadmodum ſues nunquam ſuos oculos ſurſum attollunt, vt ſpectét cœlum: *Vnde & porcorum paſtores*, ait Theophylactus, *cum non poſſunt compeſcere porcum clamantem, reſupinantes illum efficiunt; vt minus clamet. Etenim, quaſi in ſpectaculum veniant, ſpectantes quæ nunquam videre, & aſpicientes ſurſum ſtupeſcunt, & ſilent.* Ità & nos, ſi deeſſet nobis panis, qui deſcendit, & venit, è cœlo, nec quidem ſemel oculos leuaremus ad cœlum: non enim de cœlo cæleſtia, ſed de terra terrena expeteremus alimenta. Proinde, dum ſacri panis expertes ſumus, haud homines, ſumus, ſed bruta, & computandi inter porcos. Sublimem vultum habet homo, cœlum ſpectat, vnde panem animæ ſuæ ſibi quotidie quærat.

*D. Bonau. in Præp. ad Miſsā.*

*Theophy. in cap. 15. Lucæ.*

6 Certè nemo eſt, qui neſciat, Iudæorum gentem tanta laborare ſtoliditate, vt nil penitus nouerint, quod ad eorũ ſalutẽ conducat. Quod ſi quis eos intellectus exiſtimabit expertes, nec latum vnguẽ à veritate diſcedet. Iure ergò à Domino Ieſu vocabulis taurorũ, vitulorum, leonumque notantur, vt videre eſt in Pſalmo vigeſimoprimo. Iis, quibus intellectus deeſt, non hominum, ſed belluarum, eſt nomen aptandum. At vnde tanta Hebræorum genti ſtoliditas, inſipientia tanta, vt intellectu careant? Eo quia defecit eis panis vitæ, & intellectus. Audi Cyrillum Alexandrinum. *Inducta eſt famis intelligentiæ Iſraelitis; quia non ſuceperunt per fidẽ panẽ vitæ, qui de cœlo deſcẽdens vitã dedit mundo.* Ac ſi diceret. Mirum non ſit quod gẽs Hebræa facta ſit ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus; cũ à pane vitæ & intellectus maluerit ieiunare. Nihil quippe eſt, q̃ creaturã intelle-

*Pſal. 21. 13.*

*D. Cyrill. Alex. li. 3. in Iſaiam.*

ctualē in ſuo eſſe cōſeruet, quā delicatiſſiſima corporis & ſāguinis Chriſti comeſtio, q̄ ſi fortè deſit hominibꝰ, ij cēſēdi nō ſūt homines; ſed ferè oues, & boues, inſu p & pecora cāpi, verā intelligētia, & rōe carētia.

7 Dum ſerui tui Cēturio ſanitatē exquireret, ad Saluatorē acceſſit, vtriuſque hominis validiſſimum reſtauratorē, cui vt languentis morbū exponeret, Matt. 8.6 ſic ait. *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*. Quod D. Petrus Chryſologus accurata (vt aſſolet) animaduerſione conſiderans, ait. Idcircò Centurio ſeruum ſuū iacentē expoſuit, eo quod dixerat ſuū; nā ſi de ſeruo Domini ſermonē habuiſſet, potius ſtat dixiſſet, quā iacet: D. Petr. Chryſol. ſer. 15. *Puer meus iacet in domo: meum dico; quia iacet: ſi tuus eſſet Domine, non iaceret.* Rectè quidē: nam vt ait Propheta ſerui Domini non iacēt, ſed ſtāt in domo Pſal. 103. Domini. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* D. Chryſ. ibid. *Qui ſtatis*, inquit idē Chryſologus, *nō iacetis, ait. Stāt ſerui tui, hominum ſerui iacent*. Eo quia ſerui Domini domum eius inhabitantes pane Domini enutriuntur, ſtantes proponuntur, vt homines: Sed hominum ſerui, vtpote qui à domo Domini lōgiſſimè abſunt, pane Domini carent, iure brutorū inſtar iacere p̄hibetur. Sola panis Chriſti comeſtio ſtātem detinet hominē, nè īclinet ad terrā, & cōuertatur in brutū.

8 Quoties Sancta Euchariſtia deprecāda, ac collaudāda exponitur; toties in argentea ſphæra referente ſolē, ac ſi ſol eſſet, inuiſitur. Chriſtꝰ reuera ſol eſt in altari, vbi cæleſtibus accinctus radijs, tenebras expellit animæ, vitā prębet mundo, corda accendit gelida; ſicque mirum in modū fæcundat mētes eorū, quos ſui comeſtione non indignos inuenerit, vt fructum cētuplum ferant. Demum, vt in rem noſtram collimemus, quēadmodū ſol, quæ ſuper terrā iacent, in altū eleuat, ac ſurſum detinet, vndè dictus eſt ſol: ità & Chriſtus ſurſum eleuat homines, nè humi iaceant, in altū detinet. *Chriſtus dicitur ſol*, ait Richardus à Sancto Laurentio, *quaſi ſurſum leuans*. Rich. à S. S. Laur. de laud. B. Mar. lib. 12. Sanè cibo corporis ſui potuque ſanguinis, quos erexit, homines rectos detinet ac ſublimes, qui ſi (abſit) abeſſet, incuruarentur, & non amplius homines, ſed belluæ cenſerentur.

9 Mirum huius rei afferam exemplum à D. Antonino relatum. Habet is iuuenem nupta cuiuſdam, cuius detinebatur amore, pertentaſſe concubitum: quod cum (illa viriliter recuſante) blandus,

dus, aut minax minimè conſequeretur, diſceretque ſe hactenus cum illa operam (vt aiunt), & oleum perdidiſſe; amori eius odium, beneuolentiæ ira, indignatio dilectioni ſucceſsit. Quare Iudæũ adit, maleficium quærit, quo eius commutaret cum deformitate decorem. Impetrauit demum, obtinuit: vique illius factum eſt, vt puella (proh ſcelus) equa oculis omnium videretur. Hęc vbi ad Sanctum Macariũ ducta eſt à viro, eius oculis (quippe quos Diabolus deturbare nõ poterat) mulier viſa eſt, non equa; ac de Dæmonis illuſione iã cõſcius validiſsimis precibus eius in priſtinũ eſt reſtituta. Sed quærendũ nobis eſt, cur permiſerit Deus fœminam, humano vultu inſignitam, videri equam incuruam? Planè cum eodem, inquam, ob defectum Sanctæ Communionis. Audi quæ adnectit. *Declarauit ſibi Macarius, quod hoc permiſerat ei Deus, licet eſſet honeſta, quia non ibat ad Eccleſiam, & communicabat, vt faciebant tunc fideles.* Si Sanctam Euchariſtiam vnà cum alijs accepiſſet, non abijſſet in brutum; ſed vt cæteri homines permanſiſſet homo: diuiniſsimus enim cibus pharmacum illud eſt, quod hominem præſeruat, nè tranſeat in iumentum.

*D. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 9. in fine.*

9. Minimè Ioelem prætermittam Chriſti Sacra myſteria eſcas Iuſtitiæ vocantem vbi textus vulgatus habet *Filij Siõ exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*, Septuaginta transferunt: *Qui dedit vobis eſcas iuſtitiæ*. Aduerte, quod dum Vates ſic cœlicum Sacrũ dicit, idem eſſet, ſi diceret eſcam ſanctitatis, idem enim eſt iuſtitia, ac ſanctitas; ſanè ſanctitatis eſt eſca. Hinc Laurentius Iuſtinianus à Propheta edoctus nuncupauit Euchariſtiam *Sanctitatis pabulum*. Si fortè rogas quare Sacramentum Altaris appellandum ſit eſca, ſiue pabulum, ſanctitatis. Ex eo inquam, quod tali pacto animæ ſanctitatem præſeruat, vt nemo ſit, qui ſine ea ſanctitatem retineat: & quemadmodum deficiente cibo, deficit, & is, cuius eſt cibus, ità pariter deficiente Euchariſtia deficiat ſanctitas, quæ ſola Euchariſtia ſeruatur. Quapropter ſi Sanctæ Eccleſiæ pabulum Sanctitatem tuetur in homine, hominem in eſſe hominis cenſendum eſt tueri: etenim ſolus homo Sanctitate præfulgens, dicendus eſt homo; ille verò quem labefactat iniquitas, sãctitaſque deſeruit, potiùs bellua dicẽdus eſt, quam homo; imò bellua peior. *Naturæ prærogatiua*, ait D. Ambro-

*Ioel. 2. 33.*

*Transl. Septuag.*

*B. Laur. Iuſtin. de Regim. Prelat. c. 21.*

*D. Ambr. in Pſ. 118. Octõ. 19.*

broſius; *pluris beſtijs ſumus, ſed inferiores diminutione gratiæ, & præuaricationis iuſtitiæ.* Ab Euchariſtia igitur humanitatem ſuam recognoſcat homo, ſine qua non homo, nempe ſanctus eſſet, & iuſtus; ſed iumentum, & beſtia, nimirum peccator, & improbus.

## THEOREMA IV.

### Dominus regit me.

*Mira Dei pietas, quod panem corporis ſui, non ſolum innocentibus ſed, & pœnitentibus præbet.*

QVam plenus, quam diues, quam ferax eſt ager Sacræ Scripturæ, vbi nec iota vnum, ſiue vnus apex, ſi ritè perpēdatur, expers eſt myſterij. Dum Pſaltes ait: *Dominus regit me*, ſiue *Paſcit me*; quanta putas includat myſteria paruum illud *Me*? Sed nè prolixitatis redarguar, teque tædio afficiam, vnum modò præponam, reliqua deuotis cordibus expendenda relinquo. Cum meminiſſet Propheta ſe Deum dulciſſimum Patrem, Creatorem, ac Redemptorem ſuum, toties ſuis culpis exacerbaſſe pariter, & irritaſſe; videns mox ſe ab eo cibo corporis, & potu ſanguinis ſui ſolis innocentibus appoſito miſericorditer paſci, immenſas gratias agens, diuinam pietatem prædicat, bonitatem commendat, miſericordiam laudat, aitque *Dominus paſcit me.* Ac ſi clariùs diceret: Quamuis infelix, & miſerabilis, Dei mei, legiſq; eius oblitus, non ſemel ipſum offenderim; me tamen ad ſe conuerſum permanenter excipit; atque vnà cum illis, quorum corda nulla lues vnquam infecit, cibo corporis ſui, potuque ſanguinis, liberaliter refocillat. Vbi, vt clarè patet, admirabilem charitatem, pietatemque Dei commendat, qua Sacrum corporis ſui ſolis Sanctis appoſitum non denegat peccatoribus.

Miro quodam affectu expectabat Sponſa ſuo perfrui Sponſo; quem, vt cordi ſuo viciniorem haberet, inter vbera, quæ præ ceteris membris cordi adhærent, collocare cenſebat. *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea* Cant. 1. 12. *commorabitur.* Pro maiori loci huius intelligentia, velim accuratius perpendas, & quæras; qua de re Sponſa, dum expetit oblectari Dilecto, myrrhæ vocat faſciculum, cum præ ſuauitate ac dulcedine, qua diligentes eum afficit, potius dicendus fuerit faſciculus roſarum, liliorum, violarum,

rũm, ſiue aliarum ſuauium, ac delectabilium rerum: myrrha verò cum inſuauis ſit, & amara, nihil habet, quod explicare poſſit dulcorem amoris ſui, à ſe tantopere conceptum. Vnde ergo dulciſsimum, ac delectabiliſsimũ cordis ſui amarem nuncupauit vocabulo? Minimè ex eo quod ſit amarus, vocauit amarum: nam, cum ſit dulcitudo fontana, perinde omni ſuauitate, dulcoreque ſcatet, vt omnis amaroris prorſus ſit expers. Sed quod ipſa culpis, & traſgreſsionibus ſuis non ſemel eum exaſperãs, ſibi amarum effecerat. Hoc autem non obſtante, perſentiens ſibi eum æque, ac iis, qui bonitatem ſuam nunquam offenderant, impertiri, diuinam pietatem commendat, propalatq; non ſolum iuſtos, ſed & peccatores, tanto bono potiri, & oblectari poſſe. Hæc eſt explicatio Selomonis hebræi, dũ hæc gloſſat verba. *Faſciculus myrrhe dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Quia etſi preuaricata ſum in eum; tamen pollicetur ſe habitaturũ inter vbera mea.* Sanè quemadmodum Chriſtus præſentia maieſtatis ſuæ dignatur innocentes inuitare; ſic pariter, & peccatores, ad eum poſt culpã reuerſos. Omnium pater eſt, vtriq; domus eius patet, æquè panem ſuum iuſtis, ac peccatoribus diſtribuit.

*Rab. Selom. ibid.*

Velim te meminiſſe peruulgatiſsimi ſomnij Regis Pharaonis, cui, vt tradit Moyſes, oſtenſæ fuerunt à Deo ſeptem ſpicæ in culmo vno, mira venuſtate refertæ. *Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno, plenæ, atque formoſæ.* Quia verò per culmum intelligẽdus eſt Chriſtus, *Septem ſpicæ in culmo vno; id eſt in Chriſto quæ reddunt vberem Aegyptum;* ait Hugo Cardinalis: per ſpicas intelligenda eſt Euchariſtia, quam culmus, id eſt Chriſtus, tulit; ex qua manet vbertas totius Eccleſiæ. Sed dum Euchariſticus panis ita in area purgatus, & expurgatus ſit à palea, vt non niſi triticum habeat ſelectiſsimum; quare dicitur Spica, cum ſpica vnà cum tritico contineat, & paleam? Vt ſummam Dei pietatem attendas, qui, quia ad menſam ſuam, nõ tantum homines, ſed & bruta; non modo iuſtos, ſed, & peccatores, admittit; non triticum ſolum, qui eſt cibus hominum, ſed etiam paleas, quod pabulum eſt iumentorum, apponit. Sanè ibi Chriſtus culmus eſt, triticum habens, & paleas, æque iuſtos, ac peccatores, enutriens.

*Gen. 41. 5*

*Hugo Cardin. in c. 15. Matt.*

3 Hoc ipſum præſignauit Beatiſsima Virgo, cum puerulum Ieſum ſacro ex vtero enixum, locauit in præſepio.

*Pepe-*

Luc. 2. 7. *Peperit filium ſuum primogenitum.* tradit Lucas, *& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* Quod quoniam ab ignaro tanti myſterij æſtimari poterit indecens, petet talis à Deo. Cum tu Deus meus panis ſis Angelorum, atque ob tuam clementiam factus ſis panis hominum, quorſum è menſa cœli non apponeris in menſa, hominum alimẽtis refectã, ſed in præſepi, vbi paleæ reconduntur, & paſcua iumentorum? Huic reſpondet Guerricus. *Infinitè multiplex hæc tua Deus miſericordia, vt qui panis es Angelorum, non ſolum hominum ditas, & beatificas menſas, ſed, & fœnum factus, iumẽtorum reples præſepia: vtrique neceſſariam alimoniam procuras, vt tam homines, quam iumenta; tam ſpiritales, quam animales ſuo quemque gradu, & ordine ſalues.* Quaſi diceret. Quamquam veriſsimum ſit, nullique ambiguũ, Chriſtum panem eſſe iuſtorum, ac proinde dum primum è cœlo deſcendit, ea apponendum erat in menſa, ad quam non iumẽta, nempe peccatores; ſed homines, ideſt iuſti, conſueſcunt accumbere. Quia tamen miſericordia eius pluſquam dici poteſt, omnem modum excedit, cum venit in mundum, apponi voluit in præſepi: vt omnes animaduerterent, ſe non modo hominum, ſed & iumẽtorum factum eſſe cibum. Qui ſanè aduenerat ſaluare iuſtos & peccatores, operæ pretium erat diuidere vtriuſque nutrimenta ſalutis.

Guer. ſer. 4. de Natiu. Dom.

4 Legimus in Apocalypſi Chriſtum in nube candida ſedentem, aureoque diademate cinctum apparuiſſe Ioanni. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem candidam ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream.* His verbis, ni fallor, maieſtas Chriſti deſcribitur præfulgens in ſolio altaris: ibi enim non tantum corona cœli, ſed, & terræ inſignitur, nimirum non tantũ circundatur Angelis, quibus præeſt in cœlo; ſed & pijs hominibus, quos regit in terra. *Corona*, ait Iſidorus, *in capite Regum ponitur ad ſignificandum circunfuſos in orbe populos, quibus accinctus caput ſuum coronatur.* Sed aduerte, quod, cũ Chriſtus ſedet in altari, non ſuper nubem albam, ſed ſuper nubem candidam, ſedere deſcribitur. *Super nubem candidam ſimilem filio hominis.* Quare potius ſuper nubem candidam, quam ſuper nubem albam? Vt pœnitentium abſtergerentur lachrymæ, luctus ſolaretur, leniretur dolor: doceretque eos, perinde dulciſſimas corporis ſui dapes innocentibus apponi, vt peccatoribus

Apoc. 14. 4.

D. Iſid. etym. lib. 19. c. 30.

ribus non denegetur. Nam, vt ait idem Doctor, *Inter album, & candidum hoc intereſt, quod album naturale eſt, candidum verò cura facit.* Lilium, verbi cauſa, dicendum eſt album; eo quia naturalem profert alborem: linteum verò candidum; nam quoties ſordidum fuerit, labore, ac lotione reducitur ad candorem. Dum itaque Chriſtus ſuper nubem candidam ſedere deſcribitur, clariſsimè innuitur, ſe non modo ſanctorum ſedibus vti, eorumque, qui cordis ſui puritatem ſordidauere, ſed & eorum, quorum animæ, tametſi culparum inquinatæ fuerint ſordibus: pœnitētia tamen, ac lacrymarum labore priſtinam adeptæ ſunt puritatem.

*Idem de differ. lib. 1. diff. 17*

5 Cōſueuit olim Sācta mater Eccleſia feria quinta maioris hebdomadę ſuas pandere portas, ſuumque in ſinum recipere pœnitentes. Quod conuenientius, & opportunius in die Paſchatis faciendum videtur, quando peccator, præfiguratus à filio prodigo, vnà cum Redemptore reſurgit à mortuis; ait enim pater de eo. *Filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* Rem nihilominus accuratius conſideranti opportunior videbitur talis receptio in die Iouis, quā Paſchatis. Quandoquidem ſi in die Iouis, quando Chriſtus Euchariſtiam faciens ad eſcam corporis, & ad ſanguinis ſui potum, homines inuitat, Eccleſiæ fores peccatoribus clauderentur, arbitraretur quiſque ſolis Sanctis, & innocentibus inſtrui Sacrum Conuiuium, minimè verò peccatoribus. Verum quia communis eſt menſa, æquè vtriſq; apparata; congruè tunc temporis Eccleſia portas ſuas aperit peccatoribus, vt ad diuinas epulas vnà cum Sanctis, & innocentibus admittantur, & pœnitentes. *Cum ergo*, inquit Rupertus Abbas, *tantus Pontifex Deo Patri aſſiſtit, tenens panem, & vinum, & inuitat omnes ad corporis, & ſanguinis ſui conuiuium omnes Eccleſiæ patent ianuę, vt aduertas neq; iuſtis, nequę peccatoribus debere prohiberi, quin accedant ad apertos diuinæ miſericordiæ fontes.*

*Luc. 15. 24.*

*Rup. Abbas de Diuin. Off. lib. 5. c. 19.*

6 Sępe mecum ipſe excogitaui, qua de re Dominus, dum tam celebri miraculo hebræorum turbam pauit in deſerto, hordeaceos panes appoſuit, & multiplicauit, vt Ioānes enarrat. Fortaſſe defecerant ei frumentacei panes, cuius promptuaria plena ſunt manna, redolent ambroſia, nectare ſcatent, longè frumento pretioſioribus; quod vt fidelem turbam ſuis enutriret expenſis, reſeruato fru-

*Ioa. 16. 9*

frumento, vtpote chariore, vilioribus panibus conuiuium inſtruxerit? Dices, Chriſtum in eo apparatu pro conuiuarum conditione panem exhibuiſſe, qui, cum plebei eſſent, & ignobiles, tali ſe pane paſcere conſueuerant. Potius (ego inquam) magnificentiæ ſuæ, diuitijſque, quarum non eſt finis, proſpicere debuiſſet, quibus cũ alias nouimus proſpexiſſe, cum, vt enarrat Matthæus, pauit eamdem turbam pane frumentaceo. Quoniam verò Chriſtus in hoc conuiuio ſacri Altaris conuiuiũ delineabat, minimè immemor aliàs pro eiuſdem typo frumentaceos panes expoſuiſſe, mox viſum eſt ei hordeaceos exhibere, vt Sancta Euchariſtia per vtroſq; ſignificaretur, ac in ijs conuiuijs velut in perpolito ſpeculo aduerterent eius miniſtri, prædulciſſimum panem corporis ſui non modo hominibus, qui paſcuntur tritico, nempe Sanctis, ſed & iumentis, qui viuunt hordeo, ſcilicet pœnitentibus, exhibendum. Sic ſentit Theodoretus exponens librum Exodi: vbi, dum iubet Dominus ſufficiendum ædum pro agno, ſi deeſſet agnus; Chriſtum in Sacro Altari præſignat: docetque eum non modo agnis, ideſt iuſtis, eſſe agnum; ſed etiam ædis, ideſt peccatoribus, ædum; ibi enim omnes æquè reficit, factus omnibus omnia. Hæc ſunt verba Theodoreti. *In eo beneuolentia diuina prædicatur, quod non tantum ex ouibus, ſed ædis ſumere iubet: nam non tantum pro iuſtis, ſed etiam pro peccatoribus Chriſtus Dominus pertulit paſſionem: Ex ijs enim, qui diuinorum myſteriorum ſunt participes, nonnulli cum agno commune quidpiam habent, qui videlicet perfectam virtutem obtinent. Alij verò, qui per pœnitentiam maculas delent, magis accedunt ad ædos. Sic, & Saluator noſter non frumentaceis tantum panibus, ſed & hordeaceis, pauit eos, qui conuenerant.*

*Matt. 14. 17.* — *Theod. q. 24. in Exod.*

7 Cum Chriſtus concupiſceret nos ſui Corporis cibo, ſanguiniſque potu paſcere, & recreare, hæc aiebat in Canticis. *Oſculetur me oſculo oris ſui:* ſub vocabulo oſculi Sacram Communionem intelligens, quæ, Ambroſio teſte, quoddam oſculum eſt. *Veniſti ad Altare*, inquit Sanctus Doctor, *vocat te Dominus Ieſus, & ait. Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hinc eſt quod idem Dominus, eo quia inuitatus à Simone Leproſo, panem menſæ illius pane Corporis ſui, ſi requiſitus fuiſſet, com-

*Cant. 1. 1.* — *D. Amb. de Sacrã. lib. 5. c. 1.*

compenſare expetebat: videns tandem eum tanti oſculi oblitũ, eius exprobrauit vecordiam. *Intraui in domum tuam, oſculum mihi non dediſti.* Quidnam tibi Domine Deus, & oſculis hominis leproſi; vlceribus pleni, fœtore horribilis, illuuie, obſcænitate, immunditia vndequaque ſcatentis? Si cupis exoſculari, amplectere immaculatam Genitricem, puriſsimos cœlorum ſpiritus, ſiue Sanctos Apoſtolos, quibus hæc ſacra debentur; non impurum, ac ſordidum hominem, qui longe abeſſe debet ab altaribus tuis? Sanè quia Chriſtus ſanctum oſculum ſuum frequenter impertit ſanctis, & immaculatis; ne eum peccatoribus, & maculatis denegare videatur; vnà cum puris, admittit impuros: cum innocentibus, nocentes; cum Sanctis, pœnitentes; cum Angelis, homines; cum Virgine, Magdalenam; cum Ioanne, Simonem. Proinde cupit exoſculari leproſum, pœnitentis typum habentis, vt eum lauet à ſordibus, ſanet ab vlceribus, & reddat immaculatum. Sic phyloſophatur Gregorius Nyſſenus Magni Baſilij Frater. *Qui omnibus ſcatere facit vitam, neminem vult eorum, qui ſalui fiunt, eſſe expertem huius oſculi; eſt enim eius oſculum purgamentum cuiuſuis ſordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobraſſe Simoni leproſo, cum diceret. Oſculum mihi non dediſti. Reuera enim fuiſset emendatus ab ægritudine, ſi ore attraxiſſet puritatem.*

Luc. 7. 45

*D. Greg. Nyſſen. Hom. 1. in Cant.*

8 Demum, vbi diuinus Sacerdos, vt Euchariſtiam faceret, panem in patenam impoſuit, fuditque vinum in calicem, immiſcet aquam vino; ſicut, vt tradunt, poſt Chriſtũ conſueuerunt Apoſtoli. Quod vſque adeo diſtrictè mandatur ab Eccleſia, vt ſi fortè negligens, aut temerarius Sacerdos, omiſerit; grauiſsimè Deum oblædet. Si fortè petieris, quidnam myſterij contineat hæc aquæ cum vino commixtio, quam nefas eſt præterire? Audi Algerum, agentem de hoc Sacramento. *Quia panis, & vinum propriè proprius cibus, & potus eſt, non beſtiarum; ſed hominum: ideò Chriſtus, vtriuſque eſt vſus myſterio, vt ſingularis, & propria hominum crederetur refectio. Quia autem poſtmodum per Apoſtolos aquam admiſceri voluit, quæ communis potus eſt beſtiarum, & hominum, vt ad vnitatem tanti myſterij pertinere deſignaret, non ſolum iuſtorum, ſed & peccatorum, ſi pœnitere velint, conſortium.*

*Alg. lib. 2. c. 5. de Sacram.*

Ideſt, ſi Chriſtus in ſolo pane, & vino ſacra inſtituiſſet myſteria, eo quia panis, & vinum hominum ſunt alimenta, ſolis hominibus, ſolis nempè ſanctis, & innocentibus, non autem iumentis, nimirum peccatoribus, crederentur inſtituta; quod Dei immenſa pietas nunquam pertuliſſet, cuius promptuaria æquè patent illis, ac iſtis. Quare non tantum, dum ipſemet conſecraret, vino miſcuit aquam, communem vtrorumque potum; ſed & Eccleſiam ſuam idipſum facere docuit, quoties conſecraret; ſciretque menſam ſuam communem eſſe innocentibus, & ijs, qui aliquando peccauerunt.

9 Finem iàm imponam dum te modo docuero, quid ſit, quod Chriſtus in nocte, dum luna niteret, terræque præeſſet, Euchariſtiam fecerit; Eccleſia autem in die, dum ſol adeſt, & lucet, eadem conficit ſacra. Hoc ni fallor, accidit, vt cum videris Sponſam Chriſti in die hæc ſacra conficere, inſtruaris ijs ea apponi, quibus ſol gratiæ, ac nitor innocentiæ, præeſt. Cumque Sponſum attenderis eadem noctu conficere, ſcias etiam ijs apponi, quibus poſt gratiæ occaſum luna pœnitentiæ illuxit. Planè quemadmodum ſol charitatis, & gratiæ, quę idem ſunt Scotiſtis, ità & luna pœnitentiæ, typum gerit. *Homo*, ait Damianus, *habet diem, habet, & noctem; habet ſolem in die, habet lunam in nocte. Dies hominis eſt vita iuſtitiæ. nox hominis eſt vita nequitiæ: ſol autem in vita iuſtitiæ eſt charitas, quæ præeſt vitæ iuſtitiæ; luna verò in vita peccatoris eſt pœnitentia.* Petr. Damia. ſer. 71. O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui perinde dulcedinem tuam in Sanctos demonſtras, vt peccatoribus eã non abſcondas. Quam magna eſt pietas, qua filios, & catellos eadem enutris in menſa; quam ineffabilis amor, quo non modo, qui te nunquam exacerbauerunt, ſed qui te exacerbauerunt, pane corporis tui, potuque cruoris, tam piè, tam libenter, tam amanter depaſcis.

## THEOREMA V.

### Nihil mihi deerit.

*Cui cęlicum manna non deeſt, nihil quidpiam deeſt.*

CVm pręmiſiſſet Vates ſe à Dño Deo corpore, & ſanguine ſuo refectum, & enutritũ; *Dominus paſcit me*: pulchrè adne-

adnectit, *Nihil mihi deerit*; quos enim Chriſtus ſacris ſuis myſterijs nõ ęſtimat indignos, ſuoque pane depaſcit; tanta rerum omnium replentur copia, tantis bonis ditantur, delicijs cumulantur, voluptatibus afficiuntur; vt nihil ſit, quod amplius expetere poſſint, quo fortè non potiantur. Cui panis Chriſti non deeſt, nihil quidpiam deeſt.

1 Adnotandũ primò quod intèr alia, quæ de Ciuitate Dei, in qua Deus cum Angelis, & Sanctis, beatiſſimè commoratur, oſtenſa recenſentur Ioanni; agitur de quadam arbore plantata in ripa fluminis per plateas eius placidè perfluentis, ſingulis quibuſque menſibus fructus ſuos proferente. Apoc. 22 2. *In medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignũ vitæ, afferens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum.* Quod hæc arbor Chriſti typum habeat, latentis in viridario Eccleſiæ, præoſtenſum eſt aliàs: nunc verò opus eſt expẽdere, quare per ſingulos menſes fructus ſuos dicatur afferre. Et ſi enim me non lateat, hoc dictum eſſe ad innuendam perennem eius fœcunditatem, vt nullum ſit tempus, quo fructibus non oneretur: tamen ſi ad hoc ſignificãdum dixiſſet: Afferens fructus ſuos per totum anni curriculum, ſatis ſuperque videtur. Siue vt ait Homerus, fabuloſum Alcinoi hortum deſcribens plantis, & arboribus perpetuo fructificantibus, celebrem; nempe:

*Illic autem arbores magnæ erant vireſcentes,* Homer. Odyſſ. 7.
*Harum neque fructus perit, neque deficit*
*Hyeme, neque æſtate, durans toto anno.*
*Pyrus poſt pyrum ſeneſcit, malum autem poſt malum.*
*At poſt vuam vua, ficus autem poſt ficum.*

Quoniam autem ineffabilis arbor Sacri oſtenſa eſt Ioanni ad præſignandum perinde vota noſtra fructibus eius expleri, ac qualeſcumque noſtros defectus ſubleuari, vt qui eis fruerentur, vitam ducerent feliciſſimam, neceſſitatis omnis expertem, omnis boni compotem: viſum eſt ſibi potius dicere: *Per ſingulos menſes reddens fructum ſuum*; quam per totum annum. Planè quia græcè menſis dicitur à *mene*, quod latitè ſonat *defectus*, vt Apoſtolus diceret, Sanctam Euchariſtiam magnum eſſe leuamen cunctorum noſtrorum defectuum, vt nullus iam immineat, cui ſtatim non ſuccurrat, *Per ſingulos menſes*, inquit; ideſt per ſingulos defectus reddens fructum ſuum. Audi Richardum à Sancto Laurentio.

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 12.* tio. *Lignum vitæ Chriſtus Dominus, qui viuentes reficit Sacramenti ſui participatione, per ſingulos menſes reddẽs fructus ſuos: quia menſis dicitur à mene, quod eſt defectus. Quia per ſingulos defectus noſtros, quantum eſt in ſe, quodammodo ſupplet in hac vita; cum ipſe etiam & in præſenti ſit omnia omnibus, ideſt ſufficientia omnium.* Cum è Cœlo Dominus deſcendit ad altare, ſic miro modo bonis ſuis oneratur, vt nullum ſit malum, nulla egeſtas, nullus labor, nullus defectus, cui non afferat medicamen. Per ſingulos mẽſes, nempe per quoſcunque defectus, leuamen habet, conſolationem affert, auxilium præſtat; vt iure dici poſſit, ijs, quibus mẽſa inſtructa eſt Euchariſtica, quidquam deeſſe non poſſe.

2 Vt, dum nos in hoc mundo mole tantorum malorum opprimimur, tantis, ac varijs ærumnis, totque neceſſitatibus; pleniſſimè adiuuaremur à Deo, docuit nos Chriſtus panem quotidianum expoſcere.
*Luc. 11. 3.* *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sed audi clementiſſime Domine. Si vitæ noſtræ defectus in ſolius panis neceſſitate conſiſterent, quam rectè nos docuiſſes, à Deo patre noſtro ſolum panem expoſcere. Verum quia quotidie innumerabilibus, ac infinitis propemodum alijs premimur anguſtijs, quam plura nobis à pane remanent expetenda. Quorſum ergo nos ſolum panem doces expoſcere, cum vnà cum pane cetera petenda remaneant? Aduerte quod cũ Chriſtus docet nos panem expoſcere, per panẽ Sancti Corporis ſui Sacramentum intelligit; quod Sacerdos miniſtrat ſub velamine panis. Cuius ſimul ac participes dignè fuerimus, tantorum bonorum ſuppetet affluentia, vt nulla ſit neceſſitas, nulluſque defectus, cui protinus nõ occurrat: quãdoquidem Deus vnà cum hoc pane, quæcunque concupiſci poſſunt, libentiſſimè donat. *Quia*, inquit Paſchaſius, *Deus Pater cum Chriſto omnia nobis donauit, ſit tantum ille nobis cibus quotidianus, & omnia in eo ſimul noſtra erunt.* *Paſch. in cap. 6. Matt.* Ergo ſi cum Sacramento omnia, quæ ſunt, noſtra ſunt, nil profectò deerit nobis, dum ſacri panis participes erimus.

3 Examinemus quæſo admirandum Diſcipulorum Domini in abnegatione mundi, & eorũ quæ ſunt in mũdo, ꝓpoſitũ. Siquidẽ vocati à Chriſto, ità cuncta reliquere, vt nec ſibi neceſſaria vitæ retinuerint. Mirabilis ſanè deliberatio. Verum cum ſcirent ſe minime ſecuturos opulentum, diuitemque Dominũ, qui ſuis eos nu-

triret expenſis : ſed eatenus pauperem, ac tenuem, vt nec minimum in toto orbe locum haberet, in quo caput ſuum reclinaret, ipſo teſtante ; cur ſaltem ea ſibi non retinuere, quæ ad vitam propagandam opus eſſe cenſebant ? Non ignorabant profectò cuius ſe deerant ſeruituti. Sciebant planè Chriſtum, agnoſcebant Deum, qui & ſi noſtræ conſulens ſaluti, nè obolum quidẽ, aut vbi pedem poneret, haberet ; ipſi tamen iubenti, nec Arabum gazæ, nec Herculis cornu, nec cœlum, & terra, deficere poterant. Exiſtimabāt itaque tanto Domino inhærentibus, nil deeſſe poſſe, cum quo cuncta, quæ eius eſſent, latiſſimè poſſiderent : imò ſibi ipſis ipſum pro omnibus rebus ſatis eſſe ſuperque, cum ſit omnibus omnia. Sic ait Hugo Cardinalis in caput quintum Lucæ, *Sequentes Dominum omnia reliquerunt, vt in eo omnem ſufficientiam oſtendant ; quia ipſe eſt omnia omnibus.* Quia verò, dum ſacrum accipimus, certiſſimè credimus, eumdem nos Dominum omnium accipere, qui eſt omnibus omnia, proque rebus omnibus affluẽtiſſimè ſufficit ; quidnam vnquam, quod in manu noſtra non ſit, eſſe poterit ? *Diues eſt,* inquit Auguſtinus, *Chriſtiana Religio, quæ in omnium poſſeſſione omnia poſſidet.* Quidnam nobis Chriſtus non eſt ? *Omnia Chriſtus eſt nobis,* ait Ambroſius ; *ſi vulnus curare deſideras, medicus eſt ; ſi febribus æſtuas, fons eſt ; ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt ; ſi auxilio indiges, virtus eſt ; ſi mortem times, vita eſt ; ſi cœlum deſideras, via eſt ; ſi tenebras fugis, lux eſt ; ſi cibum quæris, alimentum eſt.*

*Hug. Car. in cap. 5. Lucæ.*

*Auguſt. apud Hugonẽ ibi.*

*D. Amb. lib. 3. de Virginit.*

4 Cantum eſt ab Eccleſia, ſine luminaribus ſacrum celebrari non poſſe. Quo circa in clariſſimo, ac lucidiſſimo die, præſente ac nitente ſole ardent accenſis candelis altaria, dum conficitur Euchariſtia. Verum quidnam hoc lumen innuit ? *Chriſtum Ieſum* inquit Honorius Papa huius nominis Tertius, *eo quod ipſe vt habetur Sapientiæ.* 7. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Quare ſi dum Chriſtus permanſurus ſub ſpecie panis è cœlo venit in terram, lumen cœli dicendum eſt aduenire ; dicendum pariter aduenire vehiculum, quo omnia bona cœli transferuntur in terram : Nam, vt ait Auicenna medicorum Princeps, citatus à Pico Mirandulano, *Omnis cœlorum virtus vehiculo lucis ad terram transfertur.* Quidnam igitur boni, quid pulchri, quid expetibilis deeſſe poterit ei,

*Honor. Papa cap. ſanè cum olim de celebr. Miſſarũ. Sap. 7. 25*

*Auicen. apud Picum Mirand. in Heptalo lib. 4. c. 1*

qui

qui ſacrã accipit Euchariſtiã, perquam omnes cœli diuitiæ ac deliciæ transferuntur in terram, vt quocunque bono oblectetur, locupletetur, & gaudeat?

5 Pro eo quod Euãgelicus negotiator, vt margaritam illam, de qua Dominus agit, acquireret; omnia bona ſua ob alienauerat, imò potius profuderat, proque nihilo dederat; fortè pauci non ſunt, qui ſtoliditatis eum redarguant: cenſent enim eum minimè ſapere, qui pro exili ac paruo lapillo, bona, quæ habet, dilapidat. Verum ſi pretium, virtutem, ac excellentiam talis lapidis non ignorarent, etiam ipſi, tametſi Mida, Creſo, Craſſoque ditiores eſſent, vt illius potirentur, omnia ſua deuaſtarent: hæc enim margarita typus eſt Corporis Chriſti in agro altaris abſconditi, ac pariter in manna, quod margaritæ præferebat colorem, figurati: nam, vbi vulgatus habet: *Erat autem manna coloris bdellij*, alij, *coloris margaritę*, trãsferunt. Porrò tanti momenti eſt hac margarita potiri, quod in comparatione tanti boni aurum arena eſt exigua, gemmæ lutum, ac propè nihil vniuerſæ diuitiæ. Cuicunque ſanè cõtigerit huius poſſeſſio lapidis, nihil deeſſe poterit; quia quæcunque ſunt in terra deorſum, pariter & in cœlo ſurſum, ſuæ poteſtati ſubijciuntur. *Ne timeas omnia dare* ait Sanctiſſimus Bruno, *ipſa tibi ſola ſufficiet: nihil tibi deerit, ſi eam habueris*.

*Num.* 11. 7.
*Alia Transl.*

*D. Brun. ſer.* 9. *de Confeſſorib.*

6 Attende quam audacter citharedus Propheta loquebatur Domino Deo. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Ac ſi diceret. Quæcumque terra continet, quæque cœlum claudit, ſupraque cœlum eminent, te ſolo Deus excepto; cuncta duxi pro nihilo: Qua de re diuinus Vates cum honores, dignitateſq; hominum, terræ diuitias, & delicias, vitæ incolumitatem, & cætera huiuſcemodi bona, quæ deperiunt homines, ducenda cenſet pro nihilo? Si fortè dicat, quia caduca ſunt, quia volubilia, quia tranſitoria: quid de bonis cœleſtibus dicet, quæ cum tranſitorijs liberè contemnebat, perindè à ſanctiſſimis, ac ſapientiſſimis viris, concupita, vt pro eorum poſſeſſione dignitates, Regna, theſauros, ſanguinemque cum vita veriti nõ ſint profundere? Tametſi, inquam, cœleſtia præ excellẽtia ac pretioſitate, quam habent, eatenus concupiſcibilia ſunt, vt iure pro eis Sancti libenter contemnerent quæ apud homines habentur in pretio: Chriſto tamen, in quo vno vniuerſæ theſau-

*Pſal.* 72. 26.

ſaurorũ Dei continentur opes, collata; nihil prorſus ſunt, iureque habentur pro nihilo. *Quid oro pretioſius Chriſto* ait Laurentius Iuſtinianus, *in quo omnes theſauri ſcientiæ, & Sapientiæ Dei noſcuntur abſcõditi? Porrò ſi illi æquiparaueris argentum, ſi aurum, ſi gemmas, ſi mundum, ſi ea, quæ in mundo ſunt, ſi cœlum, ſiue ea, quæ ſuper cœlos ſunt, omnia nihil æſtimabis in comparatione ipſius.* Cum igitur in Sacro Eucharistico, velut in immenſa theca theſaurorum Dei, Chriſto potiaris, cui (vt dixi) quæ cœlum habet & terra, æquiparata, ferè vt nihilum vileſcunt, quid quæſo tecum non habes, quod, vt poſſideas, poteris concupiſcere? Totum habes, totum tenes, omnia poſſides. Exultet igitur anima tua, læto corde decantet, concinat cum Propheta. *Dominus paſcit me, nihil mihi deerit.*

*Laur. Iuſtin. de Contemptu Mũdi cap. 14.*

7 Age nunc afferamus in medium, quæ de S. Euchariſtia habet Drogo Hoſtiẽſis Epiſcopus, conferẽs eam nebulæ, quæ per Arabiæ deſerta præcedebat Hebræos. *Quæ eſt nubes,* inquit, *quæ præcedit veros Iſraelitas, niſi veriſſimum, & Sanctiſſimum corpus tuum, quod in altari ſumimus: in quo velatur nobis altitudo Dei, immenſitas maieſtatis tuæ?* Quam pulcher profectò typus. Sicut enim Iſraelitarũ nubes erat omnibus omnia: æſtuantibus vmbraculum, defeſſis requies, pauẽtibus ſecuritas, perſecutis ſcutum, cæcutientibus lux, eſurientibus cibus; *illa nubes* ſcribit Valentia *pluebat manna ad refectionẽ & nutritionem totius exercitus.* Sic Sancta Euchariſtia eſt omnia nobis, qui veri Iſraelitæ ſumus: æſtuantibus vmbraculũ; eo quod arbor eſt vitæ, per quã & ab ignitis Diaboli telis, & ab æſtu diuini iudicij protegimur: defeſſis requies; eo quod per eam requiem cõſequimur æternã: pauẽtibus ſecuritas; eo quod propugnaculum Eccleſię eſt, murus, & antemurale: perſecutis ſcutum; eo quod in figura, qua ſe obijcit oculis noſtris, ſcutum noſtrum eſt: cęcutientibus lux; eo quod lumen mundi detinet incluſum: eſuriẽtibus cibus; eo quod eſt panis de cœlo deſcendens, quo quotidie nutriti tacitis incrementis in virum perfectũ euadimus, & in ætatem plenitudinis Chriſti. Demum quid plura? *Dicendo Euchariſtiam* ait D. Chryſoſtomus *omnem benignitatis Dei theſaurũ aperio, & magna illa munera commemoro.*

*Drogo Hoſtienſ. de Sacr. Domin. Paſs. lib. 1.*

*Iacob. de Valẽt. in cap. 1. Cãt.*

*D. Chryſo. Hom. 20. 1. ad Corint. c. 10.*

8 Idipsũ fortaſſe innuere ſatagebat idẽ Sãctus Doctor, cũ diceret: *Aquilarum, non graculorum hæc menſa eſt.* Ac ſi clariùs diceret. Ne putes sãctam Eccleſiæ menſam ab exilibus, & tenuib' graculis apparatã;

*Idẽ ibid. Hom. 24.*

cā enim regales & prædiuites aquilæ magnificētiſſimè apponunt. Quod quidē ait, vt in ea omniū deſiderabiliū bonorum affluentiſſimā copiam aduertas, teque certiorem faciat, vt cum tanto conuiuio indignus non fueris, nihil tibi deeſſe, ꝙ ampliùs concupiſcere poſſis. Tradūt naturaliū rerū ſcrutatores, aquilarū nidū tantis diuitijs expleri, vt non ſolum omnis generis carniū, alitum, piſciū ac quadrupedū; ſed & gēmarū expleatur. De his teſtis eſt Amethyſtus, quē conſtruūt in nido, vt diuitem, ac irradiātē efficiāt: ait enim Albertus. *Narrauit mihi quidā fide dignus,* *Alb. lib. 23. de Animal.* *quod aliquando in vno nido aquilarū, antequā pulli complerentur, pluſquā trecentas anates, & pluſquam centum anſeres, & circa quadraginta lepores accepit, & plurimos magnos piſces quorum numerum non retinuit.* Hinc nidus aquilæ menſam quandam perinde ſplendidam, ac copioſam præſefert, vt nihil ſit, quod conuiuæ eius concupiſcere poſſint, vt in ea non ſit appoſitum. Vide ergo quam pulchrè teſtatur Vates nihil ſibi deeſſe in ſacra Eccleſiæ menſa; cum eam appoſuerint aquilæ, *Aquilarum hæc menſa eſt*, nempe ſic mirum in modum parata eſt, vt in ea bonorum omnium, vel quæ maria ferunt, vel quæ tellus habet, vel quæ cœlum continet, ſcateat abundantia.

## THEOREMA VI.

### Nihil mihi deerit.

*Vt deificaretur homo, Deus homo factus eſt cibus hominis.*

QVę Vates Deo cœlorum, terrarūque Regi, aiebat in Pſalmo decimoquarto. *Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorū meorū non eges,* *Pſal. 14. 2.* hunc ſenſū habent. Cognoui te Deū meū, quoniā te olim expertus ſum, nullius rei indigentem. Quā pulchra ratio: nil quippe deeſt Deo, nā ſi quidquam deeſſet, perfectò Deus non eſſet. *Ea enim eſt Dei vita*, inquit Cicero, *qua nihil beatius, nihil omninò bonis omnibus affluentius cogitari poteſt.* *Cicero de Nat. Deor. lib. 1.* Hinc Socrates. *Eum eſſe dijs ſimillimū*, aiebat, *qui quam pauciſſimis egeret, cum dij omninò nullius indigeant rei.* *Apopth. lib. 3.* Quis ergo ambiget Prophetā à Deo paſtū, ac ſacri altaris pane refectū, in Deū conuerſū eſſe, qui ſe nec eorū quæ ſunt, nec quæ fuerūt, aut erūt, prædicat indigentem? *Dominus paſcit me, nihil mihi deerit.* Perinde admirabilis eſt Sacra menſa, vt, quos accipit, homines, Deos reddat. Ad ho-

homines ergo deificandos magnum adinuentum eſt Euchariſtia.

1 Studioſè adnotanda ſunt verba vigeſimi primi Pſalmi, vbi citharædus vates agẽs de comeſtione, ac de adoratione

*Pſal. 21. 30.*

ſacri Corporis Chriſti; *Manducauerunt*, inquit, *omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadẽt omnes, qui deſcendunt in terrã*, obſeruandũque, quod vbi trãsferunt Septuaginta *Omnes pingues terræ*, Pſalterium Romanum, ac Gallicanũ habere *Omnes diuites terræ*. Vbi, vt vides, diuinus ſermo diuites vocat eos, q̃ ſacro pane pingueſcũt, vt tali vocabulo ſummo honore, ac decore afficeret communicantes. Hinc ſe nobis afferre poteſt dubitatio minimè contemnẽda. Sanè ſi diuinus Propheta honorare, ac decorare ſatagebat conuiuas menſæ Saluatoris, cur potius vocauit diuites, quam Reges & Angelos, quorum vocabula longe quam diuitum nobiliora ſunt, & excellentiora? Verum enim verò, qui verbum *Diues* in ſua perquiret origine, eius excellentiam quam facillimè appræhendet, ac pariter animaduertet longè honorabilius atq; excellentius vocabulo Regis, & Angeli: nam,

*Chaſſan. 1 Cata. par. 12. conſid. 54.*

vt ait Chaſſanæus: *Diues à Diuo fit, quod qui diues fit, quaſi Deus nihil indigere videtur: quia omnes ferè exiſtimant ſummum bonũ, ſeu felicitatẽ eſſe diuitias, & ſolum diuitẽ eſſe beatũ*. Habes quare maluit Propheta ſacro pane nutritos potius vocare diuites, quã Reges, aut Angelos? Parũ planè eſſet ijs, qui carnem Dei mãducant, & ſanguinem bibunt, dici Reges, & Angeli: maius, ac excellentius exquirendum erat vocabulũ, vltra diademata eundũ, trãſiliendi ordines Angelorũ, ac à Deo, qui regibus & Angelis imperat, aſſumendum. Dij, ſiue Diui ij debent dici, qui Deum manducant. Caro Dei Deos facit eam comedentes. *Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ*.

2 Præterea vidẽs Moyſes à lõge Redemptorẽ Chriſtũ, cõferenſque cũ pulcherrimo tauro: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius*, Euchariſtiã præſignauit:

*Deut. 33. 17.*

ex eo quod taurus ſacris aris imponitur, vt immoletur, Deoq; offeratur, Dominici corporis præſefert ſacrũ, q̃ quotidie immolãtes in menſa Eccleſiæ, ad manducandũ apponimus. Sed accuratiùs expẽdendũ, qua de re Chriſtus immolatus, & comeſtus in ſacro altari potius à Moyſe dicatur taurus, quam ouis, ædus, aut agnus, vt paſſim in ſcriptura vocari reperimus? Ad innuendũ quod nos pulchritudinis & fortitudinis ſuæ particeps faciat,

ciat, ſuę ſcilicet Diuinitatis, in qua maior ipſius fortitudo, ac pulchritudo conſiſtit, vt per talem cibũ nos Deos efficiat: *Paul. de Palac. in cap. 22. Matt.* *Ergo Chriſtiani* ait Paulus de Palacio *ſi vultis particeps eſſe Dei, edite de tauro veſtro occiſo, Deo æterno in holocauſtum immolato. Taurus comeſtus efficit vos robuſtiſſimos tauros, reddit vos Deos.*

3 Si fortè virũ videris immortalẽ, puto quod Deũ æſtimabis. Vbi Myteleſẽſes percuſsũ a vipera Paulũ mori nõ poſſe viderũt; *Act. 28. 6.* *Cõuertẽtes ſe dicebãt eũ eſſe Deum.* Deus.n. mori non põt, *Regi ſæculorũ immortali, & inuiſibili,* ſoli Deo decãtamus. *Senec. li. 2. Quod i Sapiẽtem &c.* Hinc illud Senecæ, *Sapiẽs, vicimus proximuſq; Dijs cõſiſtit: excepta mortalitate ſimilis Deo.* Dũ autẽ Sacra Synaxis nos ex morituris immortales efficiat. *Ioa. 6.* *Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternũ*, ait Dominus; quodãmodo Deos efficit, vt nõ amplius homines, qbus ob ſuos exceſſus mors iure debetur, ſed Dij eſſemus, mortis prorſus ignari.

4 Perinde excreuerat rumor admirabilis mannæ, vt in caſtris Hebræorum non potuerit cõtineri, quin vſq; ad gentium aures non perſtreperet: apud quos, quia diuulgabantur omnimoda, quæ afferebat, delectamẽta, cœleſtes, quibus afficiebat, deliciæ; factũ eſt, vt Poetæ, nulli licuiſſe, qui Deus nõ eſſet, nec in Deũ cõuertendus, comedere manna, cecinerint; ꝙ idcircò cõſeruabatur in cœli prõptuarijs, nec vel parua mica deſcenderit vnquã in terrã, viſaque ſit à mortalibus. Vnde tradit Ariſtoteles: *Philoſophi antiqui Deos faciebãt principia entiũ, & dicebãt illa eſſe immortalia, quæ guſtauerunt nectar & manna, illa verò mortalia, quę nõ guſtauerunt.* *Ariſt. 3. Metaph. apud Auct. floſcul. Ariſt.* Hæc, qui Deum ignorabãt, ſomniantes dicebãt de manna. Nos verò quibus ſupernũ fidei lumẽ effulſit, eadẽ ipſa minimè ſomniãdo, ſed firmiter credendo, ꝓnuntiamus, & ratificamus. Nõ quod tanta vis ineſſet mãnę, vt ab hominibus comeſta homines Deos feciſſet, & mortales reddidiſſet immortales: quotquot enim ea nutriti ſunt, homines perſeuerauere, &, vt reliq. homines, periere, *Patres veſtri*, inqt Chriſtus Hebræis, *mãducauerũt manna in deſerto, & mortui sũt:* *Ioan. 6. 49.* Sed quia Diuinũ corporis Saluatoris præfigurabat eduliũ, quo, q nõ cẽſetur indignus, effertur in Deũ, immortalitate gaudẽtẽ, vt mox adnectit Dominus: *Hic eſt panis de cœlo deſcẽdẽs, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur in æternum.* *Ioa. ibid.*

5 Cęterũ vt hęc veritas magis eluceſcat, afferamus in mediũ q̃ Chriſtus ediſſerẽs de Sacri Euchariſtici veritate, vt recenſet Ioannes, ait turbis Iudæorũ. *Qui mãducat meam carnem,* *Ioa. ibid. num. 57.*

*nem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo*. Ac ſi diceret: Sane ij, quibus datum fuerit carnis meæ edulio, ſanguiniſque potu refici, & enutriri, beati cenſendi ſunt: quãdoquidem non tantum ipſi permanſuri ſunt in me, ſed, & quod maius eſt, ego Deus in eis. Magnus honor confertur homini, dum per eſum Corporis Dei permanet in Deo: ſic quippe in ſuo centro, in ſuo loco, in ſuo locatur paradiſo, vbi omni bono repletus, omnique affluens delectatione, æterna fruitur requie. Sed longè maior confertur eidem, dum Deus manet in eo: nam tunc Deus in eum ſuam transfundit Diuinitatem, fitque ex homine Deus. Ad hunc ſenſum Rupertus Chriſti redigit verba: aitque, dum inquit Chriſtus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*, idem eſſe, ac ſi diceret. *Quid enim ego niſi Deus, niſi Dei ſapientia, niſi vera, & ſumma. & ſempiterna Deitas? Ergo is, in quo maneo ego, diuinitatem in ſe transfuſam habẽs Deus factus eſt.* Rup. ibid.

6 Traditum eſt à Diuo Bernardino, eos qui indigne communicant, in eodem ſemper ſcelere perſeuerare, cum quo auſi ſunt Dominum deglutire Perpendens enim verba Vatis huiuſcemodi homines maledicentis; *Fiat menſa illorum corã ipſis in laqueum*, ſic inquit: *Tales ſemper ſunt in illo peccato, in quo ſunt, quando recipiunt Corpus Domini; quia menſa eorum eſt altare.* Ij ergo miſerrimi, & infeliciſſimi, non ſecus, ac Diabolus erunt, qui ità inflexibiliter ſua perſeuerat in culpa, vt ſe ab ea exolui poſſe ſit moraliter impoſſibile. Tales erunt iſti, ſic permittente Deo. Talis fuit, & Iudas, proditor Saluatoris; vbi indignè diuina hæc Sacramenta ſuſcepit, dictus eſt enim Diabolus. *Ex vobis vnus Diabolus eſt*. Quare ſi qui indignè recipit Corpus Dominicum, eo quia ſemper perſeuerat in ſcelere, in quo tunc temporis eſt, transfertur in Dœmonem, non poteſt eſſe miſerior: (miſeriorem Dœmone non agnouit mundus) cum Deus propenſior ſit ad exaltandos iuſtos, quam ad deprimendos peccatores, vtpote qui ità punit citra condignum, vt premiet vltra meritum; conſentaneũ eſt, vt quos non indignos ſacra communione reperit, ſic eleuet, & exaltet, vt non poſsint eſſe feliciores. Erunt ergo Dij: is enim, quo nemo fuit vnquam felicior, Deus eſt.

Pſ. 68. 22

D. Bernardin. ſerm. 44. to. 4.

Ioa. 6. 70.

7 Sanè dulciſsima, & pientiſsima mater Chriſtus eſt æſtimandus, qui cum nos innumeris doloribus eſſet enixus, vt

cre-

creſceremus in viros, paſſus non eſt alieno lacte nutriri, vt plerę que mulieres conſueſcũt: quæ, nè doloribus, quos in enitendo tuliſſent, munus quoque nutritionis accederet, adhibent nutrices infantibus: Sed proprio lacte corporis, & ſanguinis ſui benigniſsimè lactat. Sic Chriſtum loquentem Chryſoſtomus introducit: *Parentes quidem alijs ſæpe filios tradunt alendos: ego autem non ità, ſed carnibus meis alo, & meipsũ vobis appono*. Sed quid nobis ex hac lactatione confertur? Admirabile quoddam, ac maximum incrementum: tale inquam, quo impoſſibile ſit eſſe maius: ex mortalibus quippe immortales efficit, ex caducis æternos, ex hominibus Deos. Cenſet apud Aulum Gelium Phauorinus Philoſophus, *ſicuti valet ad fingendas animas atque corporis ſimilitudines vis, & natura ſeminis; non ſecus ad eamdẽ rem lactis quoque, & ingenia, & proprietates valere*. Nam tanta vis ineſt naturæ lactis, vt homines in longè diuerſos cõmutet ex ijs, qui ex vtero matris prodiere. Expertum eſt ſæpiſsimè infantem perinde cum lacte ſugere nutricis ingenium, ac penè naturam, vt regeneratus, ac renatus cenſeatur ex lacte. Hinc eſt, quod infans non ſolum illam, quæ eum enixit, ſed & altricem, quamuis ouem, & capram, nomine matris honorat. *Troglodyti*, inquit Diodorus, *tauros, arietes, & oues, appellant patres, & matres; quoniam ab ijs, non à parentibus, quotidianus præbeatur cibus.* Neque id ſolum in hominibus, ſed in pecudibus quoque animaduertere licet: nam ſi ouium lacte ædi, aut capratum agni alerentur, cõſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni tenuiorem. In arboribus etiam, & frugibus maior plerumque vis, & poteſtas eſt, ad eorum indolem vel detrectãdam, vel augendam aquarum atque terrarum, quæ alunt, quam ipſius, quod iacitur ſeminis. Ac ſępe compertum eſt arborẽ nitentem, & lætam in locum alium trãſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperijſſe. Aliam è contra, ità mirum in modum ex transplantione proficere, vt è Paradiſo credideris tranſmigraſſe. Itaque dum tanta vis ineſt lacti, vt res in alias transferat, homines præſertim, quos velut adimpleret natura lactentis, ſatagit adamuſsim aſſimilare lactanti: quanta vis ineſſe debet ſacro lacti corporis, & ſanguinis Chriſti? Dicendum eſt ideo, quod, cum nos Dominus Euchariſtico vbere nutrit, ſibi aſsimilet, vt non amplius homines, ſed Dij vocemur, & ſimus.

*D. Chryſ. Hom. 61. ad Popul.*

*Aul. Gel. l. 12. c. 1*

*Diod. Sicul. lib. 4*

Poſt-

8 Poſtquam Deus è cœlo noſtræ ſortis miſertus deſcendit, & venit in mundum, ait Euangeliſta, ijs, qui eum receperant, poteſtatem dediſſe fieri filios Dei. *Quotquot autē receperunt eum dedit eis poteſta tem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomine eius, vt non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt.* Sanè mira, ac magna hominum poteſtas, per quā ex hominibus Dei filij fieri poſſunt: Idem enim eſt fieri filios Dei, ac fieri Deos: quia filij aſſimilantur parentibus. *Vt filij ſimiles parentibus ſint ratio exigit,* ait Ariſtoteles. Verum vbinam hanc poteſtatem accipimus, vt fiamus filij Dei, & commutemur in Deos? Audi Theologiæ noſtræ ſplendorem D. Thomam. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ideſt deiformes, & Deo ſecundum imaginem ſimiles. Nec poteſt creatura ad maius promoueri, quam quod ſuo aſſimiletur Creatori; aſſimilatur autem homo Deo virtute Corporis Chriſti.* In officina Sacrorum Altarium talis confertur poteſtas; vbi tantum homines, cęleſti non indigni munere, ſic miro modo ex filijs hominum filij Dei fiunt, ex mortalibus immortales, ex hominibus Dij, vt neq; ab hominibus, neque ex volũtate carnis; ſed ex ſolo Deo progeniti cenſeantur, qui ob tanti ſacri perceptionem ad viuum aſsimilantur.

*Io.1.12.*

*Ariſt. de Gen. Anim.c.19.*

*D.Thom. Opuſ. 58. c.25.*

9 Præcipua ac vera ratio, qua Dominus, cum ab Apoſtolis ſuis quæreret, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* noluit vnà cum alijs eorum explorare ſententiam, ſed ſeorſim, & ſeparatim; adnectēs, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* ea eſt, quia noluit eos inter reliquos homines computare, qui Diuinitatem eius intelligentes, confitenteſque Deum, non hominem, vt cæteri homines; nō homines cenſendi erāt, ſed Dij. Hęc eſt ſentētia D. Hieronymi. *Pulchrè interrogat, quem dicunt homines eſſe filium hominis: quia, qui de filio hominis loquuntur, homines ſunt: qui verò Diuinitatem eius intelligunt, non homines, ſed Dij appellantur.* Quare ſi maius eſt Deum comedere, quam intelligere, & confiteri, cum digna comeſtio intelligentiam, ac confeſsionē Dei ſupponat in comedente; ſi Deum intelligens, ac confitēs, Deus eſt; quare non erit Deus Deum manducans, & bibens?

*Matt.16. 13.*

*D.Hiero. ibid.*

10 Perennes Deo grates agamus, qui noſtrarum nō immemor iniuriarum, pro eis vlciſcendis acerrimum ſe geſſit vltorem. Cum verſipellis ſerpens, vt à Deo protoplaſtos auerteret, vetitę arboris ſuggereret eſum; ſponderetque, ſi,

quos

quos Deus vetuerat, fructus prægustarent, ex templo Deos efficiendos; proculdubio incautos ludificabat: ſiquidem, vt teſtis fuit exitus, non modo Dij facti non ſunt, verum ex ſummo, quo excellebant, honore, in pecuinam cecidere ſimilitudinem. Deus verò clementiſsimus, ac pientiſsimus, cum nè, quos amabat, ludificatos dei sereret; tum, vt illuſoré illuderet, ac cruciaret, ſacrum altaris inſtituit, quo, quod ille irridendo ſpoponderat, in verum converteretur effectum: ſiquidem ex comeſtione Corporis, potuque ſanguinis Domini, Deos nos facit veritas, quod in comeſtione fructus vetiti pollicita eſt falſitas. Ideoque ait Rupertus. Cum dicit

*Rup. li. 6. in Ioan.* Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, proſpicuè diuinitatem pollicetur carnem ſuam manducantibus, & ſanguinem ſuum bibentibus: & illuſionem nequiſsimi nebulonis, qui dixit, comedite, & eritis ſicut Dij, non ſine magno cruciatu eiuſdem illuſoris ſeriò loquens in verum effectum conuertit. Quid vobis hoc dicto Dei filius vnicus pollicitus eſt, niſi, ac ſi apertè dixiſset: Dij eritis, & filij excelſi omnes?*

## THEOREMA VII.

### Nihil mihi deerit.

*Bona gratia gratiarum tribunal.*

QVã pulchrè noſter Pſaltes, ſimul ac ſe paſci ait à Deo, *Dominus paſcit me*, nihil ſibi deeſſe ſubiungit, *Nihil mihi deerit*: nihil quippe deeſſe poteſt ei, qui ſacra frequentat altaria, vbi Rex Regum Deus perinde fidelium preces exaudit, vt ad hoc è cęlo deſcendiſſe cenſeatur in templum. *Quid eſt*, inquit Chryſoſtomus *nihil deficere, niſi petentibus aurem patenté præbere, & regit, & nihil negat.* *D. Chryſ. in Pſ. 22.* Quare tribunal gratiarum dicenda eſt S. Euchariſtia, in quo Deus cuncta petita quam libentiſsimè donat.

1 Primo loco aduertẽdum, quod cum decreuerit Dominus ſacrum Euchariſticum facere, pro officina tanti miraculi cęnaculum quoddam elegit; præmittens enim diſcipulos ad præparandum ea, quæ ad id requirebantur, ait eis: *Ecce introeuntibus vobis Ciuitatem occurret vobis homo quidam, &c. & ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratum, & ibi parate*: ac pariter expendendũ; *Luc. 22. 12.*

cum

cum domui multæ ſint partes, ſiue manſiones, vt pote atriũ, cœnaculum, triclinium, ſeceſſum, ſolarium, cur potius viſum eſt Domino Euchariſtiam in cœnaculo facere, quam in parte alia domus? Hoc inquã factum eſt quia olim vetetes pro oratorijs vtebantur cœnaculis, vt de Dauide, de Iu-
2. Reg.18 33. dith, deque Elia, ſacræ litteræ tradunt: quippe cum cœnacu-
Iudith 8. 5. la ſint altiores partes domus, ea ſancti viri aptiora eorum
3.Reg.17 obſeruationibus cenſebant, velut ibi cœlo eſſent viciniores, ac Deum, quem deprecaturi accedebant, propinquiorem haberent. Chriſtus itaque inſtituens S. Euchariſtiam in cœnaculo, videtur eam in orationis domo inſtituiſſe: vt nos edoceret, vſque adeo Euchariſtiam, & orationem ad inuicem conuenire, vt vnus idemq; locus vtrique ſit deputandus, & quoad fieri poſſit, nullibi ſit corpus eius, vbi non effundatur oratio, neque effundatur oratio, vbi non ſit corpus eius; tum quia Deus noſtrarum precum vocibus ſuam ob pietatem non parum oblectatur: tum etiam, quia nos ante oculos maieſtatis eius genuflexi non ſecus, ac ante ſolẽ, pluſquã alibi ardeſcimus, feruẽtius exoram⁹, ac prõptius à Deo exaudiri, quodq; petimus, impetrare meremur.

2 Aduertendum prçterea ſanctum cœnaculum, de quo modo egimus, in monte Sion erectum: nam, vt ait Seraphicus Cardinalis, *Petrus, & Ioãnes iuerunt iuſſu Domini ad amicum ſuum in montẽ Sion, vbi erat cœnaculum grande, ſtratũ ad parandum Paſcha.* D.Bonau. vit. Chri. cap.73. Mons Sion itaque præ alijs montibus Euchariſtica inſtitutione decorari promeruit. Verum quare magis mons Sion, quam mons Sina, mons Thabor, aut mõs Oliuarum? Eo quia mons Sina vitæ prçſtitit mandata, congruebat pariter, & vitç panem prçſtare. Thabor identidem ex eo quod theatrum fuerit transfigurationis Chriſti, pluſquam alijs locis Euchariſtiam exquirebat, in qua Chriſtus ſub panis ſpecie deliteſcens quodãmodo transfiguratur. Quod ſi pro tanto miraculo neq; Sina, neq; Thabor, ſecretiori quodã conſilio, admiſsi non ſunt, prçtermitti nõ debuit Oliuarum; cũ teſtatũ ſit à Propheta diuinç myſteria menſç circumdanda, & coronanda eſſe à deuotis fidelibus, non ſecus, ac ab Oliuarum nouellis. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu mẽſæ tuæ.* Pſ.127.3 Quare ergo ijs prætermiſsis montibus, ſolus Sion dignus eſt habitus? Ex eo; quia orationem innuit: vbi enim hebræus ait *Sion*, *Speculationem* profert latinus, orationem ſci-

licet. Sanè aliud non eſt oratio, quam ſpeculatio quædam, atque eleuatio mentis ad Deũ. Vt vel ex loci vocabulo accipias Deum tuum, ſacro in altari deliteſcentem, adeo tuis oblectari precibus, vt nonniſi in loco, orationem ſignificante, ſacrum hoc myſterium inſtituere voluerit: eo quod illud tibi non modo vt te reficeret præparatum eſt, ſed vt petitionibus tuis ſatisfaceret, neceſſitatibus ſubueniret, periculis prouideret.

3 Mandatum eſt Moyſi nũquam offerendum ſacrificium ſimile, niſi oleo inunctum. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio, fundetque ſuper eã oleũ.* Leuit. 2. 2 Forte rogabis. Cum panis ſimilaceus delicatiſsimus ſit, ac ex ſeipſo maximopere ſapid⁹, vt ſine alio ſapore, vel etiã gulę deditis, non modo nunquã diſplicuit, ſed & ſummopere placuit; ſine hac vnctione, ſine hoc ſapore requirendus erat à Deo: quorſum oleatus requirebatur? Eo quia præſignabit panem, qui deſcendit de cœlo, qui oleatus eſt: vt figurato correſponderet figura, non niſi inunctus oleo expetebatur à Deo. Sed ſi iterum inſtes, quare panis Euchariſticus dicitur oleatus? Reſpondebo; quia Chriſtus eſt. *Chriſtus* grecè, *Vnctus* interpretatur latinè. Ad innuendum, vt ait Petrus Bercorius. *Sicut res vncta ſuauis eſt quando tangitur, ac replicatur quò volueris, ſic Chriſtus.* Petr. Bercor. Reduc. Moral. V. Chriſtus. Perinde Chriſtus in pietate, in clementia, ac in manſuetudine excellit, preſertim cũ ſub formis panis apponitur in Sacro Altari, quod inunctus oleo cẽſeatur. Exponitur .n. ibi qualicunq; voto, qualicunq; neceſſitati, ac petitioni; omnium offertur vſibus, cunctorum plicatur, ac flectitur precibus. Quocirca cenſendũ eſt ad Altare de cœlo deſcendere, nõ ſecus, ac in quoddã gratiarũ tribunal, vbi omnium preces audiret, petita concederet, votaque adimpleret.

4 Quã eleganter citharędus Propheta hanc, quã pertractamus, materiam attingit, cùm ait: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritũ.* Pſ. 118. 131. Nulli dubiũ ſit ijs verbis Pſaltem agere de Chriſto, quatenus eſt in Euchariſtia; non tantũ quod ibi per os noſtrũ accipitur, vt traijciatur in animã; verũ etiam, quod eum vocat ſpiritũ. Spiritus eſt quidẽ Chriſtus in Euchariſtia: nã quemadmodum vita, qua perficitur caro prouenit à ſpiritu, ſic, & vita, qua perfruitur anima, prouenit ab Euchariſtia. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Io. 6. 54. Sed quare dixit *attraxi*,

& non

& non inuitaui, cum Deus inuitandus ſit potius, quam trahendus? Eo quia preces adhibuerat, quæ Deum non tantum inuitāt, ſed etiam magna quadam vi attrahunt. Sicut magnetum ſpecies variæ ſunt, & diuerſæ; vt hæc ferrum, illa carnem, illa ignem, illa oſſa, illa paleas, illa oleum; acetum, fæcemque attrahat alia, vt tradit Albertus Magnus: ità pariter oratio Dei magnes eſt, quæ Deum ad ea, quæ opus ſunt nobis, violentiſſimè trahit. *Spiritus enim ante faciem noſtrā Chriſtus Dominus nō modo inuitandus, ſed attrahendus quadam violentia precis, vehementiaque feruoris*, ait Guerricus Abbas. Quare quoties hîc vides Chriſtum in throno altaris elatum, hinc verò deuotam plebem eū humiliter deprecantem; conijce eam à Deo quidquid petierit conſecuturā: precum enim magnetem adhibet, quæ adeo mirabili armatur violentia, vt vitæ largitorem, omniumque bonorum datorem, quàm facillimè trahat, vt quæ deſunt nobis impertiat. Nec mirum; degit enim in Sacramento, ac in gratiarum throno, vt rebus noſtris ſigillatim prouideat, vbi pro conferēdis donis ſuis nihil aliud quidpiam, quam noſtras videtur orationes expoſcere.

*Alb. Magn. de rebus Metallic. lib. 2. cap. 6.*

*Guerric. ſer. 3. de Aduen. Dom.*

5 Sæpe diuinus codèx vocat Chriſtum ſedentem in throno altaris frumentum adipatum, ſiue panem pinguem. *Cibauit eos ex adipe frumenti*, inquit Pſaltes. Iterumque alibi: *Et adipe frumenti ſatiat te.* Iacob etiam: *Pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*, vt alia (tibi gratus) omittam. Quod quidem dictum eſt ad innuendam Chriſti obuelati ſub forma panis pinguedinem. Sed, vt primo videtur intuitu, pinguedo nullo pacto Saluatorem decet: tum; quia, cum præ filijs hominum, atque Angelis pulchertimus ſit, expers debet eſſe pinguedinis. Sanè qui pingues ſunt, deformes, & indecori æſtimantur. Certum eſt quidem corporis obeſitatē deformitatem præferre, vtpoteque debitam humani corporis proportionem, ac menſurā excedat. De Leone Bizantio referunt hiſtoriæ, perinde pinguem fuiſſe, vt cum Athenis, vbi legatum agebat, ad pacandam factionem ſuggeſtum cōſcēderet, inſtar humani generis mōſtrū, riſū vnicuiq; mouerit. Tum etiā; quia ijs, quib⁹ adeps multum, teſte Ariſtotele, parū ſanguinis ineſt; quod Chriſto nullo pacto quadrat, qui vt adnotatū eſt alias, tanto ſanguine abundat, vt fluminū inſtar diuinū cruorē emittat. Ex eo itaq; quod pinguedo pul-

*Pſ. 80 17*

*Pſ. 147. 14.*

*Gen. 49. 20.*

*Apophth. Aldi Manuc.*

*Ariſtotel.*

chritudinẽ, ac ſanguinis abundantiam adimat, Chriſto nullo pacto cõuenire videtur. Nihiloſecius, ijs nõ obſtantibus, Chriſtus dicitur pinguis, non ex eo, quod deformis ſit, vel eſanguis; ſed ex eo, quod dum panis noſter eſt, mira lenitate, pietate, clementia, ac teneritate afficitur: ait enim Auicẽna: *Teneritas, ſiue lenitas dominatur in complexione pinguis, & laudabilis corporis.* Reuera Chriſt⁹ dũ in Sacramẽto velatur omnis rigoris expers, aſperitatis omnis oblitus, ſolam benignitatẽ, ſolam clementiam redolet. Ibi omnes exaudit, omnes ſolatur, omnibus medetur; omnia petita concedit, cunctis neceſſitatibus ſupplet; nullum vnquã repulit, nulli indignatus eſt, neminem contriſtauit: neque aliud quidpiã in Euchariſtica ſede moliri videtur, quã omnium miſereri, lugẽtes ſolari, pauperes ditare, cunctoſq; bonorum ſuorum participes reddere. *Pinguis eſt panis Chriſti.*

*Auicen. P. 1. tractat. 1. cãt. 37.*

*6* Deum adorabat ſub panis cortinis abſconditum Iſaias, dum ait: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Ac ſi dixiſſet apertiùs. Magna atque admirabilis eſt miſericordia tua Domine Deus meus, qui deſcendens de culmine cœli, teque ſacris abſcondens in loculis, habitare nobiſcum non dedignaris.

*Iſa. 45. 15*

Verum quid eſt, quod velato, occultoque vultu nobiſcum degis, vt te Deum dicam abſconditum? Quorſum hæc velamenta non remoues, pulcher rimam faciem non aperis; teque nobis, vt omnium in votis eſt, vel ſemel ſaltem non oſtendis? *Si quæris* ait Oleaſter, *quare Dominus faciem ſuam à nobis abſcõdit, reſpõdebo: ne nos impudicè peccãtes videret, ac cogatur nos in puluerẽ redigere, cũ iſta viderit.* Ne doleas, inquit, quod cũ Deum habeas tecum, diuinæ viſionis ſis expers: tale quid potius diuinę pietati, quã indignationi adſcribas. Nam cum genus hominum perinde prolabatur in malũ, vt nec Dei reuereatur obtutus, ſi Deus nobiſcũ inhabitãs aperto vultu, quæ perpetramus, intueretur; cum mundi ſint oculi eius, ac procul ab indignatione reſpicere non poſſint ad malũ, in momento diſperderet omnes, miſerrimo interitu afficeret, & ad nihilum reuocaret. Quia verò ſacrũ Altare pietatis potius, ac clementię quã iuſtitiæ tribunal videtur; cenſeatque indecẽs Deus ibi exercere vindictas, vbi diuitiarum ſuarum bona ſtatuit elargiri, cõmoratur abſcõditus: vt dum noſtra nõ videt facinora, & indignationis ſuæ tela ſuſpendat, & donorum ſuorum fluẽta nonvnquam interrumpat.

*Oleaſtr. ibid.*

Quam

7 Quam ſcitè D. Vincentius, hanc, quam habemus præ manibus, explicat veritatem, dum ait: *Ieſus Chriſtus deſcendit in hoſtiam quaſi Rex exiens de camera, & ponens ſe ad audiētiam in cathedra.* Expende vim huius ſententiæ. Prout enim diceret Chriſtus deſcendit in hoſtiā velut in cathedram, vt nobiſcū ſermonem habeat, ac concionetur, ſe ibi ponere ait ad audiētiam noſtram, vt auditor ſit, non ſermocinator. Si cathedra locus non eſt audiendi, ſed ſermocinandi, vnde ſic conuenit magiſtris, (quorum eſt eloqui) vt dedeceat diſcipulos, quorum eſt audire; quare Chriſtus, dum ſedet in cathedra altaris, audit, & non loquitur; cum in cathedra manens potius loqui, quam audire deberet? Sciuerat proculdubio magnus Prædicator perinde Chriſtum in Sacramento preces noſtras expetere, vt dona ſua, qua petimus, impertiat, quod auditorem potius, quam locutorem agat. Tametſi cathedra loquentem requirat, non audientem; Chriſtuſque in altaris cathedra ſermocinari deberet, erudire nimirū inſcios, corrigere inuios, arguere peccantes: Nihilominus ſic noſtris oble&atur voculis, deliciatur precibus, geſtit obſecrationibus, vt ſui obliuiſci videatur loqi, ſeq; prorſus auditorem conſtituat, ac magiſterij cathedram in audiētium ſedem conuertat.

*D. Vinc. ſer. fer. v. poſt Domin. Inuoc.*

8 Dum Sacrum facit Eccleſia reuerentiſſime petit, vt noſtras preces, vnà cum Angelicis vocibus Deus nō dedignetur admittere. *Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas depræcamur.* Orant pro nobis Angeli, dum ſacra offertur oblatio, vt Deus ſubueniat hominum neceſſitatibus. Sed cum non nunquam orent, ſane, *inceſſabili voce proclamāt.* Cur tunc temporis tantum, orare perhibentur? Quia talis ſacri gratia felicius depræcantur, quæque petunt fortius impetrant, potentius extorquēt. Adeſt D. Chryſoſtomus. *Tempore enim illo non ſolum homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genufle&unt, & Archāgeli rogant: habent ſibi tempus id idonæum, habent ſacram illam oblationem in fauore.* Adeò enim diuina Euchariſtia cœleſtium gratiarum tribunal eſt, vt non tantum ad eam homines, vt promptius exaudiantur; ſed & Angeli è cœlo accurrant. *Habent ſibi tempus id idoneum.*

*In Præfat. Miß.*

*D. Chryſoſ. Hom. 3. de Incōp. Dei nat.*

9 Finiam tandem, vbi pauca quædam haud omittenda addidero, quæ D. Cyprianus pertra&ans de Euchariſtico ſacro eleganter protulit.

In

D. Cypr. de Coena Dom. *In huius præſentia non ſuperuacuæ mendicant lacrymæ veniam; nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. Quoties in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito inſpirantem, ſentio ignoſcentem.* Nemo quidem eſt (ac ſi diceret) qui ſacra ad altaria currens, ibique genuflexus diuinum implorat auxilium, qui petitionis ſuæ repulſam patiatur. ego enim quemcumque videro tam magnum Regem, tali accumbentem cōuiuio, deprecātem, voti compotem facio. Vnde eſt, quod ſanctiſſimus Martyr tam certam eorum, quæ poſtulātur in altari, conceſſionem auguret? Quia Deum Regem Regum conuiuantem deprecatum aduertit: nefas eſt quippe Regibus in ſolemnioribus menſis deprecatis abnegare poſtulata, exorante ſque repellere. Herod. lib. 9. *Apud Perſas*, ait Herodotus, *nefas eſt regia cœna propoſita orantem non exaudire.* Quidnā ergo ijs deficere poterit, qui Chriſtum deprecaturi ad ſacrum accurrunt altare, vbi nihil eſt, quod dum ritè expetitur, non concedatur?

## THEOREMA VIII.

### Nihil mihi deerit.

*Deficeret Eccleſia, ſi Deus eam cœli pabulo non reficeret.*

QVoniam dum ſumus in hoc exilio, & peregrinamur à Deo; tot, ac tantis malis opprimimur; ſi nos Dei noſtri pietas Sacro Corporis, & ſanguinis ſui, per ſingulos dies non refocillaret, actum eſſet de nobis. Hinc eſt, quod S. Dauid in perſona Eccleſiæ tam magni edulij neceſſitatem expendens, vbi ait: *Dominus paſcit me*, adnectit, vt Transl. Pagn. transfert Pagninus: *Et non deficiam.* Velut ſi expers eſſet cœleſtis edulij deficere pertimeſceret. Deficeret equidem, vt ex dicendis conſtabit.

1 Legimus in Prouerbijs, quod poſtquam diuina Dei ſapientia ædificauit ſibi domū, ibique menſam appoſuit Euchariſticam, miſit ancillas ſuas vt ad appoſita edulia congregarent conuiuas. Prou. 9. 1 *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem.* Vbi velim expendas, quod cū Chriſtus, Sapientia Dei Patris, mittere debuiſſet ancillas ad congregandos cōuiuas ad menſam, miſit congregandos ad arcem. Si aduocandi erāt ad menſam, vt manducarēt, & bi-

biberent; quorſum aduocan-
tur ad arcem? Sanè cum ad-
uocantur ad arcem, aduocan-
tur ad menſam; eo quia menſa
Chriſti arx eſt, per quam Deus
Eccleſiam ſuam ab hoſtium
Hugo Car incurſione defendit. *Miſit,*
di. in Pſ. ait Hugo, *ancillas ſuas, vt voca-*
22. *rẽt ad arcem, ideſt ad Sacramen-*
*tum Corporis Chriſti, quod eſt cõ-*
*tra inimicos munimen.* Nam
cum arx, ne noceãt, arceat ho-
ſtes, vnde, vt autumat Iſido-
D. Iſid. rus; ab arcendo dicta eſt; *Quæ-*
lib. 15. c. *cunque tutiſſima vrbium ſunt ab*
2. etym. *arcendo hoſtes arces vocantur:*
Eo quia Corporis Chriſti Sa-
crum, nè nos deprædentur, à
nobis noſtros arceat hoſtes, iu-
re optimo dicitur arx, *Vt vo-*
*carent ad arcem.* Illud enim
eſt, quod vitæ noſtræ truculen-
tiſſimos inſidiatores longe re-
pellit à nobis, noſque ab igni-
tis eorum iaculis tutè defen-
dit, ac præſeruat incolumes.
Quod ſi vel ſemel ſaltem defi-
ceret, deficeremus & nos, tan-
to præſidio deſtituti.

2 Idipſum etiam Salomon
diuino quodam acumine in
Canticis explicuit, dum hæc
Cãt. 4. 4. ſcribit Eccleſiæ dicta fuiſſe. *Si-*
*cut turris David collum tuum,*
*quæ ædificata eſt cum propugna-*
*culis, mille clypei pendent ex ea,*
*omnis armatura fortium.* Ac ſi
diceretur. Hoc collum, quod
miſericordiſſimè tibi Deus ex-
hibuit, perinde te ab ijs, qui
contra te decertant, & mili-
tant; defendit & protegit, ꝙ
eum celeberrimæ turri Regis
Dauid, cunctorũ telorum mu-
nitæ præſidio, cenſeo cõferen-
dum. Sed quod eſt hoc collũ,
quo Sancta Mater munita, ſic
ab aduerſarijs ſuis propugna-
tur, vt quocũque periculo va-
cet? Sacroſanctum altare, in
quo ſub ſpecie panis Sponſus
eius Chriſtus, Rex noſter, ex-
tollitur. Nam cum vt ait D.
Nyſſenus; *Quod medijs humeris* D. Greg.
*immittitur, in ſe autem caput ſu-* Nyſſ.
*ſtinet, & fit pro baſi eius, quod il-* Hom. 7.
*li imponitur, collum nominatur;* in Cant.
iure optimo ſacrũ altare col-
lum Eccleſiæ dicendum eſt; ſu-
ſtinet enim & extollit Chri-
ſtum, ab Apoſtolo Paulo ca-
put Eccleſię vocitatum. Quod Epheſ. 4.
ea propter turris Dauid dici- 15.
tur, clypeis circumcincta, &
omni armatura fortium præ-
munita; quia ex præſentia tã-
ti Sacramenti ſic inuincibili-
ter defenditur Eccleſia, vt ad
eam hoſtes accedere non au-
deant: cui ſanè accederent, ſi
tam magno præſidio deſtitu-
tam aduerterent.

3 Cæterum, vt hunc metip-
ſum locum exactius expenda-
mus, aduertendum etiam eſt,
Eccleſiam ex præſentia ineffa-
bilis Sacramenti turri Dauid
conferri, ſolis clypeis munitæ,
non autem alijs telis. *Mille* Cant. 4. 4
*clypei pendent ex ea.* Cum non

mo-

modo clypeis, verum & cæteris telis muniamur, & protegamur ab hoſtibus, quid eſt, quod Sancta Euchariſtia, vt muniat Eccleſiam ſolos clypeos afferat? Quare etiam cum clypeis, galeas, non affert, loricas, & cætera huiuſcemodi protegentium arma? Quoniã clypei ſatis ſuperque pro omnibus, quibuſq; vis armis ſufficiunt. Clypei typum gerunt Sanctorum Angelorum. *Exiſtimo*, ait idem Gregorius, *eam turrim clypeorum multitudine in orbem circundatam ſignificare Angelorum præſidium*. Eo quia Euchariſtię gratia Angelorum præſidijs exactius præmunimur, alijs auxilijs nequaquam indigemus. *Virtute enim huius ſacrificij* ait D. Bernardinus, *& Deus eſt nobis magis propitius, & Angelus circa nos magis ſollicitus.* Deſcendente Rege de cœlo, deſcendunt etiam ſecum Angelorum exercitus, vt & Deo ſuo miniſtrent, & Sanctam Eccleſiam, in qua caſtrametantur, ità protegant, fulciant, vt ad eam hoſtes contremiſcant accedere. Quos ſi liceret inſpicere, tot ac tantos in auxilium tuum erectos videres clypeos, vt nec ſtellis cœli, nec arenis maris, neque atomis ſolis comparares. Animaduerte quam fortia, quam magna, quam innumerabilia sũt propugnacula, quibus per Euchariſtiam munimur, & propugnamur: paríterque conijce quid foret de nobis, ſi forte collum noſtrum tanti capitis eſſet expers. Turris proculdubio caderet, deficerent clypei, longè aduolarent Angeli, hoſtium exponeremur incurſibus, vnuſque ſupereſſet interitus.

D. Greg. Nyſſ. ibid.

D. Bernardin. ſer. 5. in Cæn. Domi. ſerm. 54. ar. 3. cap. 2.

4 Non modo tanti Sacramenti gratia facti ſunt nobis clypei cœleſtes Spiritus, ſed & eorum Rex Chriſtus Deus noſter. *Deus, fortis meus*, ait Propheta, *ſperabo in eũ, ſcutu meũ, & cornu ſalutis meæ*. Nonnè vides eum in altari ſub ſenſibilibus formis ſcuti inſtar formatis? Noſtræ gentis ſcutum eſt, defenſio, ac protectio noſtra: nobilius, excellentiuſque Græcorum, ac Troianorũ ſcutis, in quibus, vt Alexander ab Alexandro memoriæ tradidit, *Deorum ſuorum inſpiciebantur imagines, Neptuni, & Mineruæ:* in hoc autem, minimè imago, ſed realis, & vera Dei præſentia creditur. Aduertendum verò, quòd Chriſtus in Euchariſtia præſefert ſcutum, non modo, vt nos doceat; eam eſſe ſcutum noſtrum, ac noſtram defenſionem; ſed perinde ex illius præſentia protegi, vt omninò ab ea noſtræ incolumitatis ſumma dependeat, atque ex eius amiſſione certiſſima mors immineat:

2. Reg. 22. 5.

Alex. ab Alex. Gen. lib. 6. c. 22.

Quemad-

*Idem lib. 2. cap. 3.* Quẽadmodũ enim apud Spartanos (eodem Alexãdro teſte) ſancitum erat, vt miles, qui in acie ſcutum amiſiſſet, capite plecteretur: ita pariter in acie Eccleſiæ, quicunque ob ſua ſcelera Euchariſtici ſcuti munimine deſtituitur, habetur pro perdito, deploratur pro mortuo: denudatus eſt enim clypeo vitæ & incolumitatis.

5 Expendatur modo inuictiſſimum Martyris Laurentij robur. Huic primitus adlatæ fuerũt laminæ ferreæ, cæteraque tormentorum inſtrumenta, quę tyrãnus minabatur experiri, ſi Dijs ſuis nõ ſacrificaret: ipſe verò tantorũ tormentorũ immanitate ꝑ oculis poſita, nec metu concidit, nec aliquãtulũ titubauit. Inde ſcorpionibus acerbiſſimè cęſus, vtque verbera verberibꝰ, ac vulnera vulneribꝰ adderẽtur, virgis eſt adeo repercuſſus, vt nulla pars corporis ſanguinem non emitteret; quò tamen ipſe vehementius lædebatur, eò reddebatur fortior & cõſtantior. Adhibita demum craticula, illique ſuperpoſitus, pruniſque toſtus ardentibus, ad tyrannum lætiſſimo vultu conuerſus: *An tu*, inquit, *miſer exiſtimas hos mihi carbones ſuppliciũ, & nõ potius gratiſſimũ prẹſtare refrigeriũ? Etenim nunquã iucundius cubaui, nunquam maiori me affectũ gaudio in vita memini.* *Apud Surium 10. Aug.* Vnde (ait Rupertus) diuino Laurentio tantam animi fuiſſe fortitudinẽ, tantam cordis cõſtantiam, tantum patiẽtiæ robur, exiſtimas; quòd nõ modo non timuit, non ſuccubuit, victus non fuit; verũ & lætanter omnia ſuſtinens, tyrãnum fregit, Dæmonem ludificauit & vicit? Demũ cũ Auguſtino reſpondet: *In illa longa morte, in illis tormentis; quia benè mãducauerat & biberat, tamquam illa eſca ſaginatus, & illo calice ebrius, tormenta non ſenſit, nõ ceſſit, & in Regnum ſucceſſit.* *Rup. Ab. de diuin. off. lib. 8. cap. 10.* Nemo (ac ſi clarius diceret) huius rei capiatur admiratione: nam inuictiſſimus Martyr adamãtinum Euchariſtiæ clypeum in campum ſecum attulerat, quo non modo totius inferni repulit machinamenta, Dœmonem vicit, ac tyrannnm confodit; verũ, ac ſi alieno pateretur in corpore, pœnas irriſit, tormẽta nõ ſẽſiſſe videtur. Quod ſi tanti ſcuti munimine deſtitutus deſcẽdiſſet in aciem, timuiſſet quidem hoſtes, ſuccubuiſſet tormẽtis, defeciſſet, viciſſetque Diabolus: quẽ enim Chriſtus ſacro corporis, & ſanguinis ſui nõ reficit alimento, deficit in momento.

6 Lãguebat Eccleſia, ac graui detinebatur ægritudine, cũ, tamquã vnicũ morbi ſui medicamẽ, expetebat mala. *Stipate malis, quia amore langueo.* *Cant. 2. 5.* Ac ſi di-

diceret. Quia longè abſum à malis, tantis morbis exagitor, vt langueã, infirmer, deficiam, pereã: quod ſi me ſanã, ſaluam que concupiſcitis, afferte mihi mala, quorũ eſuries origo eſt morbi mei. Quęnã sũt hæc mala, tanta vi, ac ſalubritate prædita, vt languentẽ roborẽt, ægrotantẽ ſanent, iacentem erigant, deficientẽ confirment, pereuntẽ eripiãt ab interitu? Sancta sũt Euchariſtica, in quibus tria mala vno circulo appræhenſa, mirabiliter continẽtur: tres inquã Diuinæ Perſonæ Patris, & Filij & Spiritus Sãcti. Sic

Gliſler. ibid. ſentit. Gliſlerius. *Eccleſia deliquiũ tunc patitur, cum aliquando à tali vel modicũ elõgatur Sacramento. Quidnì enim præ amore deficiat, cui cibus deficit amoris?* Quoniam ſalus S. Eccleſiæ pendet prorſus ab Euchariſtia, ſicut, cum ea fruitur, ſaluã ſe sẽtit, ſic cum deſeritur, ægrotat, deficit, angitur, ac prope interitum eſt.

7 Pſaltes in hoc noſtro, quẽ expendimus, Pſalmo, Deum paſtorem ſuum, ſeque ſub typo ouiculæ, à tanto paſtore nutritum, depingit. Nam dum

Pſ.22.1. ait: *Dominus regit me*, idem eſt inquit Titelmanus, ac ſi di-

Titelm. ibid. ceret. *Dominus Deus, qui diues eſt in miſericordia, ipſe me, quaſi pater, & paſtor bonus paſcit ac dirigit, quemadmodum paſtor ſuam ouiculam.* Quare, cum *Non deficiam*, adiecit, ſe totum robur ſuum æterno Paſtori confitetur debere. Verum videamus quo pacto cœleſtis Paſtor, nè nos oues ſuæ deficiamus, reficiat. Hoc (arbitror) ſubindicatum eſt decimoquinto Lucæ, vbi bonus Paſtor, qui pro ouibus ſuis poſuit animam ſuã, deperditam, errabũdam, ac prope morituram ouẽ, ne prorſus deficeret,

ac periret, *Imponit in humeros ſuos*; ſecus actum eſſet de ea. Luc.15.5

Sed ſi quæris, quid ſignificet hæc ouis impoſitio ſacros in humeros Chriſti? Nihil aliud, inquit Ambroſius, quam ſacra participatio myſteriorum

Eccleſiæ. *Agnoſcis vtique myſterium, quomodo ouis laſſa reficiatur: quia non poteſt aliter humana conditio laſſa recreari, niſi Sacramento Dominicæ Paſſionis, & Sanguinis Ieſu Chriſti.* D. Amb. in Pſal. 118. Octon.22.

Hinc eſt, quod olim Eccleſia in calicibus exprimebat imaginem reuehentis ſuper humeros ouiculã, vt refert Tertullianus. Planè ſi dũ Chriſti participamus myſteria, Chriſtus nos ſuos imponit in humeros: cum *Deo duo ſint humeri*, vt ait Bercorius *dextrum, qui ſignat eius protectionem & potentiam; & ſiniſtrum, qui ſignat eius diſſimulationem, & patientiam.* Deus gratia tanti Sacri, & ab omnibus nos protegit aduerſarijs, & peccata noſtra

Tertull. de Pudicitia c.7. Pet. Ber. Ver. Humerus.

pa-

patienter diſſimulat, noſtram expectens pœnitentiam. Quare ſi Deus ab Eccleſia ſacros hos auerteret humeros, quibus tãtopere roboramur, confortamur, confirmamur, quid fieret de nobis, protectione, & patientia Dei denudatis, hoſtiũque furori expoſitis? Deficeremus planè, periremus, redigeremur in nihilum.

8 Verba, quæ Rex Salomõ, vbi domum Domini compleuit, recenſetur habuiſſe ad populum ſuum, nempe: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*, interpretantur à Diuo Thoma de Euchariſtico Sacramento, vbi Chriſtus, velut in quadam nebula, obuelatur, & occultatur à nobis. *Corpus Chriſti* ait *in præſenti nobis dari debuit, non manifeſtum, ſed in Sacramento velatum: dixit Dominus vt habitaret in nebula.* Plura, ac pulchra Euchariſtiæ applicanda ſuppeditant nebulæ, quæ forte ſuo nõ omittẽtur loco. Dicam modo. Quemadmodũ nebulæ, vt ait Iſidorus, *Ima petunt, cum ſerenitas eſt; ſumma, cũ nubilum*: Sic Sancta Euchariſtia vſq; dum nobiſcum erit in imo terræ, ſerenitas erit Chriſticolis, pax, tranquillitas, incolumitas, ac cuiuſcumque perturbationis ſecuritas: ipſa quippe hoſtes viſibiles domat, & fugat, inuiſibiles deterret ac reprimit, irã Dei mitigat, neuè pœnas à nobis exigat, Dei dexteram detinet. Sed, ſi ſumma peteret, ac in cœlum abiret, nubilũ eſſet: Cœleſti enim patrocinio denudaretur Eccleſia, cũctiſque erumnis relinqueretur obnoxia, deficeretque neceſſe eſt. Quod, dum ſæuiet Antichriſtus, perſpicuum fiet. Sanè, quia tũc temporis, vt prophetat Daniel, auferetur iuge ſacrificium, *Erit*, ait Dominus, *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.*

*3. Reg. 8. 12.*

*D. Thom. opuſ. 58. cap. 6.*

*D. Iſid. etymol. li. 3. cap. 10.*

*Matt. 24. 21.*

9 Studioſè adnotandum, quod cum Dominus Ieſus, vt tradit Matthæus, egrederetur è templo, eique à Diſcipulis ſuis mirum illud ædificium oſtenderetur, prædixerit eius deſtructionẽ. *Egreſſus Ieſus de tẽplo ibat, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius vt oſtẽderent ei ædificationẽ tẽpli: ipſe autẽ reſpõdẽs dixit illis. Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidẽ, qui nõ deſtruatur.* Expende, quod, cum Dominus eſſet in templo, nihil horum fertur dixiſſe; ſed vbi egreſſus eſt de templo. *Egreſſus de templo*, ait Euangeliſta, *dixit illis. non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*. Vnde eſt, quod, quæ dixit extra templũ, non dixit in templo? Quia ſciebat, quod quemadmodum ex eius præſentia templum aſ-

*Matt. 24. 1.*

ſeruabatur illæſum, ſic ex eius abſentia funditus demoliēdū. Hæc eſt interpretatio Paſchatis. *Cum egrederetur de templo, & iret, hæc dicta ſunt. Sed mox, vt compleuit dicendo quod futurum erat, exiuit de tēpli finibus, qui conſeruauerat eum ne vaſtaretur, donec fuit in eo.* Quare & percuſſit Iudæos, & docuit nos, tamdiu Eccleſiam noſtrā conſeruandam, quamdiu ipſo in eius pyxide ſub panis & vini formis erit abſconditus: Nā ſi noſtris exigentibus culpis, vel ſemel inde receſſerit, denudabitur propugnaculo, deſtituetur auxilio, neceſſeque erit funditus deuaſtari: nihil enim habet ab Euchariſtia, à quo conſeruari valeat, & defendi.

*Paſch. ibid.*

10 Quęnā eſſent p̄ſidia noſtra & propugnacula que muri pro tutela Ciuitatū noſtrarum, ſi abeſſet à nobis Saluator murus noſter, & antemurale? Fingit Heſiodus, ea tempeſtate, qua Dij & homines vnà promiſcuèque terram incoluere, genus humanum defenſum, & tutum ope præſidioque Deorum; nec intra mænia ſeſe incluſiſſe, nec aliam quæſijſſe protectionem: pulſis verò Dijs hominum ſcelere, muris foſſiſq; circundatum nunquam munitum eſſe potuiſſe. Quod quidem fabulatum eſt, vt oſtenderetur mortalium præſidia, muros, foſſas, turres, & cætera huiuſcemodi Deum eſſe, eoque abſente nihil inueniri, quo ab hoſtibus protegamur. Hinc illa reſponſio Architecti cuiuſdam ingenioſiſſimi ad Ludouicum Farneſium, cui Dux nouam arcē validiſſimis protectam muris, profundo vallo circundatam, armatoque milite munitam oſtenderet: Cuncta (inquit) ſe benè haberent, ſi deſuper protegeretur. Quam pulchrè ſubindicās humana præſidia nihil ijs prodeſſe, à quibus abeſt ſupremus protector. Quod planè aduertit Alphonſus Aragoniæ Rex, q. cū fugeret Neapoli à Gallis capta conuerſus ad Ciuitatē, alta voce canebat, imò flebat, ſępe repetens illud Dauidicū: *Niſi Dn̄s cuſtodierit ciuitatē, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.*

*Heſiodus.* *Buterus 1 dit. memorab.* *But. ibid.* *Pſ. 126. 2.*

11 Cum nullus ſit dies, in quo S. Mater Eccleſia Euchariſticū ſacrum non faciat, vnde quæſo eſt, quod in Paraſceue à diuino opere vacat, & hoſtia pridie cōſecrata, ac recōdita, reficiat Sacerdotē? Si qualiſcunque dies tanto bono gaudet, quorſum Paraſceue cum cæteris non congaudet? Cum enim Chriſtus in illa die paſſus ſit & mortuus, & ſacrificiū panis, & vini repræſentatio quędā ſit paſſionis & mortis eius, videtur illa die rationabi-

nabi-

nabilius repræſentandum, qua Chriſti paſſio exhibita eſt à Iudæis. Reſpondet Guilelmus Durandus. *Quia ablata eſt beſtia de manibus noſtris, & Chriſti: non ergo ſacrificent amici, dum trucidant inimici.* Diuino factum eſt conſilio, vt in Paraſceue ab altaris abſtineat Eccleſia miniſterio, cui quotidie inceſſanter incumbit. Nefas eſt enim Chriſti paſſionē miſſæ ſacrificio repræſentare quo die perpetrata eſt à Iudæis: concordaremus enim inimicis noſtris Chriſtum ſacrificantes trucidanteſq; quod etſi permiſſum eſt inimicis, prohibetur tamen amicis. Cæterum, ſi inſtabis, ait idem Durādus: cum Eccleſia in Paraſceue Sacerdotem ab Euchariſtia facienda detineat, cur eum etiā à communione nō detinet; ſed hoſtiam pridie ſeruatam iubeat deſumendā? Reſpondet. *Quia ſemper indigemus communione, & ſemper eſt tempus communicandi: Sacerdos ipſum corpus recipit in hoſtia à die antecedenti reſeruata, & cuſtodita.* Scit S. Mater Eccleſia adeo ſe corporis, & ſanguinis Chriſti indigere refectione, quod ſi vel per diem non incorporetur Dilecto, videretur Dei patrocinio deſtituta, hoſtibus ſuis expoſita, iræ Dei obnoxia, moxque peritura: ideo etſi in Paraſceue, nè conformetur Iudæis ſui ſponſi tortoribus, à Diuino ſacrificio vacat, à communione tamen, nè deficiat, minimè vacat.

Dur. Rat. Diu. lib. 6 c. 77. nu. 33.

## THEOREMA IX.

### Nihil mihi deerit.

*Nihil, quod Deus non ſit, explet animæ ventrem.*

DVm ait Propheta: *Dominus paſcit me, nihil mihi deerit,* tantumdem eſt, ac ſi diceret: dū me Deus meus carne, & ſanguine ſuo nutrire non dedignatur, ſic miro adimpleor modo, vt ad meam eſuriem nil aliud mihi deſit explendam: quam, ſi quidquid eſt in terra, vel ſub terra, in cœlo, vel ſupra cœlum, ſolo Deo excepto, replere tentauerit, in caſſum deſudabit. Quāquam totus mundus, & cuncta quæ ſunt in mundo, totum cœlum, & quidquid continet cœlum, fiant animæ cibus, non me ita poterunt adimplere, quin adhuc mihi multum deficiat. Solus Deus cibus eſt animæ, ipſe ſolus eam adimplet, eſuriem eius compeſcit, & ſaturat. Cum eo reficior, ſic penitus ſatior, vt clariſſimè experiar, nil mihi deeſſe, quod amplius concupiſcam. Perpendendum ergo quam verum ſit,

ſit, nihil aliud præter Deum animæ ventrem adimplere.

1 Vbique locorum ſacræ conſueuerunt paginæ myſterium corporis Domini panis vocabulo nuncupare. *Pinguis panis eius*, ait Moyſes, *Panem Angelorum manducauit homo*, ait Pſaltes, *Panem de cœlo præſtitiſti eis*, ait Sapiens, *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, ait Chriſtus: demum Apoſtolus, *Panis quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini eſt?* & alibi paſſim. Sed quare Corpus Domini dicendum eſt panis, cùm abſit ab eo ſubſtantia panis? Sicut enim aurum ex eo, quod non eſt lapis, dicendum non eſt lapis, ſimiliter Corpus Domini, quia non eſt panis, panis dici non debet. *Si re priueris, nec nomen habere mereris*, ait regula Iuris: Quamquam veriſſimum ſit Euchariſtiam omnis eſſe ſubſtantiæ panis expertem; ac ſolas ſpecies, quæ ſentiuntur in ea, panem referre; nihiloſecius ex eo quod eſt Corpus Dei, ſic propriè dicenda eſt panis, vt in tali ſenſu nec verus panis, panis iure dici poſſit. Ex eo enim, quod Plutarchus afferens etymon panis, *Dici panem*, ait, *eo quod placet famem*; illud modo dicendum eſt panis, quod famem hominis placat. Quia verò nihil eſt in rerum natura, quod ventrem animæ cõpleat, & adimpleat, niſi ſolus Deus, Criſtique ſanctiſsimum corpus; taliter panis vocabulum alijs abnegandum eſt rebus, vt nec ipſimet pani ſit relinquẽdum. Solus Deus noſter eſt panis, ipſe ſolus ſedat animæ famem. *Quoniam*, ait Auguſtinus Deo, *ſi cuncta, quæ feciſti, mihi dederis, non ſufficit ſeruo tuo, niſi te ipſum dederis.* Hæc eſt ergo ratio, qua Sacra Euchariſtia, etſi non ſit panis, dicitur tamen panis; quia Deus eſt, qui ſolus noſtram adimplere poteſt famem, ſatiare hominem, adimplere animã, relinquentibus cæteris fameſcentem.

*Gen. 49. 20.* *Pſ. 77. 25* *Sap. 16. 20.* *Io. 6. 32.* *1. Corint. 10. 16.* *Plutar. Probl. ſymp. Decad. 8. Probl. 6.* *D. Aug. 1 Man. c. 3.*

2 Referunt Græcorum hiſtoriæ, quod cum Alexander Macedo accepiſſet ab Anaxagora mundos innumerabiles eſſe, prorupit in lacrymas. Rogantibus autem amicis quidnam illi dignum lacrymis accidiſſet. *An non videor*, inquit, *merito flere, qui cum mundi ſint innumerabiles, nos nondum vnius Dominì facti ſumus?* Parum adhuc terræ remanebat, quo adhuc potitus non erat Alexander; Iam Europam ſubegerat, Aſiam vicerat, atque ad Indos vſque Regnum ſuum extenderat; tamen velut ſi ſibi nihil eſſet in mundo, ad Anaxogoræ vocem contriſtatus eſt, & illacrymatus.

*Apoph. lib. 4.*

tus. Peto à te Alexander: ſi totus mundus tuæ ſubderetur ditioni, adderesque alios vſq; dum centeſimum, imò milleſimum numerum adimpleres, ſufficeret fortaſſe tibi? adimpleretur eſuries tua? an aliquid deeſſet vltra? Certe, ſi adeſſes, ingenuè reſponderes. Neque ſi millibus, ac centies mundorum millibus imperarem; regnandi famis poſſibile iam eſſet extingui, quin alij quoque illis addendi, expetendique ſupereſſent. Rectè quidem: nam Deo vacuus es, quo ſolo excepto, tametſi innumerabilibus præeſſes mundis, impoſsibile eſſet eſuriem conſedare, quam ſolus Deus

*Ioa. Gerſ. ſer. in cœna Dom.* placat. *Totus iſte mundus ſenſibilis*, ait Gerſon, *ad animæ ventrem quid eſt, niſi bolus exiguus? Nam ſi mille millia mūdorum adieceris, eum non implebunt.*

3 Sanè potuiſſet Chriſtus Eccleſiam ſuam delicatiſſimo aliquo, ac ſuauiſsimo cibo ſatiare, ſi voluiſſet. Potuiſſet inquam, vel vetus iterū pluere manna, aut creare nouum excellentius illo, vel fabuloſum nectar, & ambroſiam in rei veritatem conuertere. Ijs tamen prætermiſsis, maluit Euchariſtiam inſtituere, in qua ipſe veraciter eſſet, & ederetur. Quænam quæſo ratio ſapientiam Dei ad tam magnā excitauit inuentionem? Immenſa capacitas animæ, quæ non, niſi à Deo, valet impleri. Audi Paulum de Palacio.

*Hæc eſt cauſa vt exiſtimo, cur Chriſtus Euchariſtiam in cibum hominis inſtituit, videns nihil nec in terra, nec in cœlo pio homini cibum, niſi Deum, eſſe poſſe.* *Paul. de Palac. in cap. 14. Matt.*

Videns Deus, quod animam tanta creauerat immenſitate, vt quæ in cęlo, ac ſub cęlo fecerat, ad tantam adimplendā capacitatem nihil ferè forent; nè fameſcentem relinqueret, Euchariſticum Sacrum inſtituit, in quo ſeipſum, vt manducaretur, includens, ventrem eius impleret, famem exhauriret, nulla re alia præterquam ſeipſo exhauriendam.

4 Dignitas noſtri hominis in eo maxime nitet, quod eum Deus plaſmare dignatus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* *Gen. 1. 26* Quod perinde magnum eſt, vt nec de ſupremis cęli ſpiritibus ſcriptum reperiamus. Multi quidem aſſerunt illos ſub ſimilitudine lucis, vel typo cęli, procreatos à Deo; hominem verò cuncti confitentur indubiè ad ſimilitudinem opificis cœli, & lucis, eſſe formatum. Hinc plerique hominem animal nuncupant diuiniſsimum, quia, cū particeps ſit imaginis Dei, iure

iure diuinum, ac deificum quoddam videtur habere. Hanc verò Dei imaginem, ſiue ſimilitudinem in anima nitere dicendum, non in corpore, ſecundum quod homo potius brutis ſimilis eſt, quam Deo; qui molis carnis, & corporis prorſus eſt expers. *Anima noſtra*, inquit D. Ambroſius, *ad imaginem Dei eſt, in hac totus es homo; quia ſine hac nihil es, ſed es terra; hæc eſt ad imaginē Dei, corpus autem ad ſpeciem beſtiarum*. Cum itaque anima Dei proferat ſimilitudinem, & *Simile*, vt ait Ariſtoteles, *nutriatur à ſimili*, quid eſt quod eam præter Deum nutrire poterit, & implere, nulli, niſi Deo, ſimilem? Nihil quidem, nec ſi totum proferas mare, totam terram, neque ipſummet cęlũ; ſolius Dei capax eſt. Ait ergo Laurentius Iuſtinianus. *Ad imaginem Dei facta eſt anima rationalis; cæteris omnibus occupari poteſt, repleri non poteſt: capacem enim Dei, quidquid eſt Deo minus, non implebit.*

*D. Ambr. Exam. lib. 6. c. 7*

*Ariſt. 2. de āimal. c. 44.*

*Laur. Iuſti. de lig. vitæ c. 5. de ſpec.*

5 Quod Pſaltes aiebat Domino: *Impleta eſt terra poſſeſſione tua*, non parum noſtro quadrat argumento. Si quidem, vt ait Antoninus, per terram intelligendus eſt homo, *Qui terram gerit, in quam reuertitur; terram terit, de qua exiſtit:* per poſſeſſionem vero, vt idem habet vnigenitus Dei: *Quid magis inquit Deus poſsidet, quã Filium ſuum?* Verũ adde, quod eatenus Chriſtus dicitur poſſeſsio Dei, quatenus eſt in Sacramento; ſcabellum pedum Dei dictum à Propheta. *Adorate ſcabellum pedum eius:* quia Deus in eo veſtigium ſuum, ſiue imaginem ſuam, qui Vnigenitus ſuus eſt, impreſſit: poſſeſsio verò ſecundum Iuriſperitos nihil eſt aliud, quam quædam pedum poſitio. Quare cum ait Pſaltes: *Impleta eſt terra poſſeſsione tua*, tantumdē eſt, ac ſi diceret: Eo quia Domine prouideras nihil aliud hominem ſaturare, & adimplere poſſe, niſi teipſum præberes edendum, ſacri altaris confers edulium, in quo teipſum, vt hominem impleres, includis, nulla re alia ſaturandum.

*Pſ. 103. 24.*

*D. Antonin. p. 1. in Prol.*

*Pſ. 95. 5.*

6 Idipſum etiam alibi offendi explicuiſſe Prophetam, cum hæc haberet. *Aruit cor meum; quia oblitus ſum comedere panem meum*. Dum (ac ſi diceret) pane meo nutriebar, pinguefiebat cor meum: modò verò, quia eius oblitus ſum, aruit, acieq; confectum, propè interitum eſt. Perpende ſodes hæc verba: non enim abſolutè ait: *Oblitus ſum comedere panem*, ſed addidit *meum*. Vt ex hoc intelligeres eum tantum ſui panis oblitũ; alio enim pane, non ſuo tamē, quo-

*Pſ. 101. 5*

quotidie veſcebatur. Quidnam autem per panem ſuum intelligit, à quo ſolum enutriri poterat, & impinguari? Deū intelligit, qui ſolus corda hominum poteſt adimplere: reliqui verò, etſi per ſingulos dies aſſumantur, nequaquam proficere poſſunt. Panes ſunt nummi, voluptates, ambitio, vindicta, & huiuſcemodi alia, quibus amatores mundi ſatagunt ſaginari; in caſſum tamē laborant: Siquidem nec amator pecuniꝯ dixit vnquā ſufficit, nec libidinoſus ſatiatus eſt voluptate, nec crudelis vindicta, nec laudis cupidus laude; ſed ampliori ſemper deſiderio inchiantes, æſtuantes, perenni fame tabeſcunt, ac macie conficiuntur. Solus Deus eſt panis, qui perfectè ſatiat, cæteri potius cruciant.

*D. Bern. tom. 2. in ſer. Ecce nos reliquimus, &c.* Proinde ait Bernardus. *Macilentiſsimas iſtorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miſerabiliter, & dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Quid hæc proſunt? non ſunt naturales cibi, magis famem hæc prouocant, quam extinguant. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omninò non poteſt. Capacem Dei quidquid Deo minus eſt, non implebit.*

7 Hinc eſt, quod dum Philippus Apoſtolus reſponderet Domino, percontanti de panibus huius mundi, *Ducētorum,* *Ioa. 6. 7.* ait, *denariorum panes non ſufficiunt*: pertractans autē de Spirituali vero, ac incorporeo pane, qui cor, & animam reficit, *Domine*, inquit, *oſtende nobis* *Ibid. 14. 8* *Patrem, & ſufficit nobis*. Aduerte quod de illis, etſi plures eſſent, dixit: *Non ſufficiunt*: de hoc verò, quamuis vnus. *ſufficit* ait. Planè mirum, ſed verum, quod, vbi tot panes ad eſuriem cordis noſtri, nec pro offula ſufficiunt, vnus ſic ſufficit, quod non concupiſcitur alter. *Nam ſi quid perfectè, &* *D. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 4. §. 3.* *totaliter, & plenè poſſideatur, non ſufficit panis, ideſt refectio eius ad ſufficientiam: etſi aliquando reficiat: Pater perfectè reficit.* ait D. Antoninus hæc loca perpendens.

8 Hæc quidem ait Philipphus: Andreas autem, *Eſt* *Io. 6. 34.* *puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid inter tantos?* Expende illud tantos, certè magnam emphaſim habet, ad miram enim quandam magnitudinem inſinuandam afferri aſſolet. Tantum virum, tantum Doctorem, tantum Regē, vt magnum prædicemus, conſueuimus dicere. Homines vtique erant, ac tantæ pariter magnitudinis, vt eis pro nihilo eſſent quæ tellus, mare, cœlumq;



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

lumq; afferrent; eſſentq; prorſus ieiuni, niſi qui ſolus ſat eſt Deus, vt eos impleret, adeſſet. Ita Paulus de Palacio cuius verba ſubnecto. *Aduerte cur dixerit, Hæc quid inter tantos? certe tantus eſt homo, vt nihil, niſi Deus illi ſat ſit.*

*Paulus de Palac. in cap. 14. Matt.*

9 Cæterum inter cætera nomina, quibus à Sanctis appellatur mundus, lunam inuenies. Videns D. Ambroſius S. Matrem Eccleſiam calcantem, vt Ioãni oſtenſum eſt, lunam; per lunam mundum intelligit. *Per lunam*, inquit, *quam ſub pedibus ſuis habuiſſe viſa eſt Eccleſia, mundum ipſum poſſumus intelligere, quem Eccleſia deſpiciendo calcat.* Quippe ſicut luna ſemper eſt in defectu, vt pote quæ nunquam non deficit; ità & mũdus ſemper eſt in defectu, ſuis ſemper deficit amatoribus. Quandonã pulchritudo mulieris amãtis oculos ſatiauit? Quandonam aurum auari famem impleuit? Quandonam ſummum totius terræ ſolium ſuperbientis expleuit eſuriem? Luna ſunt hæc omnia, in defectu sũt poſita, concupiſcenti deficiũt. Quare deſpicienda ſunt, pedibuſque calcanda ab eo, qui concupiſcit impleri, ſupraque lunam eundum. Vbi inueniet Deum, cui inter cætera nomen eſt *Seddai*, quod latinè, *Qui ſufficit*, ſonat. Deus ſolus animæ ſufficit, cui omne aliud à Deo deficit.

*D. Ambr. in cap. 12 Apoc.*

10 Age nunc videamus, quorſum Maria Magdalena magno Magiſtri ſui deſiderio flagrans, vehementiſsimè mœrens, lacrymarum imbribus madens; cum duos in ſpelunca ſepulchri proſpexiſſet Angelos, læto eorum intuitu ſe à fletu contineri non potuit? Cur adhuc ipſa mærebat, flebat, lachrymabatur, cum beatos vidiſſet Angelos? Quem non ſolaretur Angelorum viſio, cum plus quod dici poteſt excellant in pulchritudine? Nec ſidera, nec luna, nec ipſemet ſol tanto coruſcant lumine, ſpecie decorantur, quãto cœleſtes incolæ circumfunduntur ſplendore, exornantur decore. Sanè expleri non potuit vehemẽs deſiderium fœminę; minimè enim Angelis, ſed Angelorum inhiabat Domino: non quæ facta ſunt, ſed eum, per quem cuncta facta ſunt, exquirebat. *Nequaquã itaque ipſorum viſione ſe temperauit à fletu, quoniam non Angelos, ſed Dominum Angelorum videre cupiebat*, ait Laurentius Iuſtinianus. Nihil eſt præter Deum, ſiue in cœlo ſurſum, ſiue in terra deorſum, quod mœrẽtis animæ eſuriem explere poſsit. Adſint quidem Angeli, adſint Archãgeli, totuſq; cœli chorus; pro nihilo, ſi Deus abſit,

*B. Laur. Iuſtin. de Agone c. 24.*

abſit, eius erunt voto.

11 Quam aptè D. Auguſtinus hoc patefecit myſterium, cum ait: *Diues eſt Chriſtiana Religio, quæ in omnium poſſeſſore omnia poſſidet.* Ac ſi diceret. Cum quidquam ex hoc mundo habueris, vnum tantum habebis, indigebis altero: cum autem Deum habueris, quamuis ſolum, & vnicum, cuncta poſsidebis in eo: quia Deus eſt omnia. Ex quo concluditur, ſolum Deum noſtrā eſuriem extinguere, præter eum nihil: propterea, quod quæ præter Deum ſunt, ita varia ſunt, ac diuerſa, vt vnū abſit ab altero. Dominatio non admittit tranquillitatem, reijcit dominationē tranquillitas: carent pace diuitiæ, diuitijs pax; abeſt à ſanitate ſaturitas, à ſaturitate ſanitas; ſicque percurrens ſingula, perinde exigua, & incompleta inuenies hominum concupita, vt alterum conferre non poſsint. Hinc eſt, quod corda noſtra ab eorum poſſeſsione pendentia ab vno in aliud quotidie rapiuntur, & nunquam quieſcunt; quia nunquam ſaturari poſſunt, non inuenientia bonum adeo completū, vt cū omnia ſit, pro omnibus ſuppleat, minimeque ſit opus euagari per alia. Inueniendus eſt Deus, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, vt ait Eccleſia. Tunc ſaturabitur anima, & ad plenum quieſcet; neq; oportebit vagari per alia, cum in illo nil deſit, quod valeat concupiſci. Vides ergo quam diues ſit Chriſtiana Religio, quę ſola Deum habet, quo tam plenè ſaturatur, vt alio non indigeat. Et hæc eſt ratio, qua nihil præter Deum animā poſsit explere.

*D. Aug. apud Hug. Card. in c. 5. Lucæ.*

*Domin. Trinit. ad laudes.*

12 Eo quia Deus os Pſaltis ſui vacuum viderat, & inane, ait ei: *Aperi os tuum, & implebo illud.* Vbi, vt vides, ait quidem Deus ſe os Dauid impleturum, qua tamen re impleturum erat, non ait. Quæ nā eſt hæc Domine Deus, qua os ſerui tui vis adimplere? Māna forſan, vt Hæbreorum ora? gemmis? auro? mundo? cœlo ipſo? Nulla iſtarum, ſed me ipſo. *Ego implebo illud, ait Dominus non aliud quidpiam*; inquit Paulus de Palacio: nam nec manna, nec gemmæ, nec aurum, nec totus mundus, totum cęlum, cęlorumque ſubſtantiæ adimplere poterunt animā. Solus Deus pro adimplendo tantę molis ventre ſufficit, deficiunt reliqua.

*Pſ. 80. 11*

*Paul. de Palac. in cap. 4. Matt.*

13 Cum Angelicus Thomas, vt habent, plurima de Chriſto, deque eius corpore dixiſſet, ſcripſiſſetque; ac tria de Sacra Euchariſtia expleuiſſet officia; ſecundum morem

Romanæ Curiæ vnum, ritui aptatum alterum monaſtico, ſui tertium Ordinis conſuetudini; ea ſuper altare repoſuit, Dum humiliter deprecans, an ibi bene ſcripſiſſet, non dedignaretur oſtendere. Cui illicò Chriſtus apparens, ait; *Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem?* Cui Thomas. *Nullam, Domine, aliam volo mercedem præter te.* Nil præter Deum expetijt, non terram, terræque regna, non cęlum, cælique ſidera, non hominum, cæleſtiumque famulatum. Cur nihil præter Deum? Sanè Thomas erat, abyſſus nempe, ſic ſonat latinè Thomas: verus homo erat. Quia non niſi abyſſo impleri poteſt abyſſus, *Abyſſus abyſſum inuocat. Abyſſus*, ait Antoninus: *cui non datur fundus, eſt Deus infinitus, cuius magnitudinis non eſt finis. Abyſſus eſt anima noſtra infinitæ capacitatis in potentia. Abyſſum ergo inuocat abyſſum, quia anima quaſi infinitæ capacitatis appetit Deum nobiliſſimum, & ſummum bonum.*

*Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcōd. lib. 3.*

*Pſ. 41. 8.*

*D. Antonin. p. 2. tit. 5. c. 14*

14 Sanè, vt interim alia prætereamus, panes illi legales, quos *propoſitionis* vocat ſcriptura, Hebræus *Panin*, ideſt *facierum*, ſiue *faciei*, appellat. Quare facierum? Etſi ita dicti communiter credantur, quod faciei diuinæ, ideſt præſentiæ, & aſpectui Dei, ſemper aſsiſterent: non immeritò tamen ſic dictos autumo, quod ſolam panis faciem, ſeu apparentiam haberent, inanes vmbratiles, apparenteſq; eſſent, eſuriem ad ſedandam inapti. Nam, vt alijs placet, panes *inanitatis*, ſiue *vacuitatis*, transferunt ex Hebræo. Quod diuinitus inditum eſt: omnis etenim panis, quem terra hæc profert, (vt huiuſcemodi erant) etſi affluenter edatur, hominem vacuum, inanemque relinquunt. Vera porrò refectio in pane, qui de cęlo deſcendit, exquirēda eſt: quæ per conſecrationis panē, ſiue *millium*, quod *repletionum*, ſiuè *plenitudinum*, interpręſtatur, præfiguratum agnouimus.

*Exod. 25. 30.*

*Leuit. 8. 31.*

15 Quis hæc audiet, & non inſurget in homines vanitatū aſſeclas, non ſuccendatur, non clamet? *Filij hominum vſquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Quidnam aliud hæc ſunt, quæ diligitis, quæ deperitis, quam vanitas, quam mēdacium? Quonam pacto mendacio, ac vanitate animæ veſtræ eſuriem poſſibile eſt adimplere? Cur non aduertitis infelices vxoris Pytei excipi ſympoſio, quæ vt ludificaret maritum, vbi aureos panes, atque omnia generis cibaria ex

*Pſ. 4. 3.*

*Plutar. de Claris Mulier. cap. 25.*

auro

auro fabrefieri iuſſit, eſurienti appoſuit: quorum tametſi Pyteus primo ſit gauiſus aſpectu; quia verò aurum ſuæ eſuriei nõ reprimebat morſus, ira percitus exclamabat ſe fame perire? Cur non percipitis mundum vos æquè, ac Heliogabalus paraſytos ſuos, deſpectui habere ac ludificare, *Quibus ſæpè ceream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquãdo fictilem, nonnunquã vel marmoream, etiam & lapideam exhibuit?* Scitote tandem, quod quæcunque mundus apponit, fictitia ſunt, ac mendacia: quæ quamuis delectent, tãtum abeſt vt ſaturare poſſint, quod potius excrucient. Panis verus eſuriem veſtram extinguẽs Deus eſt. Tam magnus eſt venter noſter, vt nihil ad eum, quæ præter Deũ ſunt. Itaque

*Aelius lampr. in Helioga.*

*Bucca noſcenda eſt menſura tuæ,*

*Iuuenalis*

vt ait Iuuenalis, quam Deus immenſam reddidit, & ſe ſolo replendam. Hæc eſt potiſſima ratio, qua Deus Euchariſtiã, in qua ipſe eſt, inſtituit: præuidens enim animam ſolo Deo adimpleri poſſe, adinuenit edulium, in quo Deus eſſet, apponeretur, manducaretur.

## THEOREMA X.

### Nihil mihi deerit.

*Omnibus numeris abſolutus debet eſſe Chriſti conuiua.*

NVlla debet eſſe virtus, qua nõ niteat Chriſtianus, vt menſæ Dei ſui non inueniatur indignus. Quod innuit Pſaltes, cum ait: *Nihil mihi deerit:* ac ſi prolixiús diceret: Quia me Deus ad mẽſam ſuam præ ſua pietate non dedignatur admittere, ſuoque corpore, & ſanguine animam meam depaſcere, *Dominus paſcit me;* vt tam grandi, & ineffabili edulio dignus ſim, *Nihil mihi deerit;* nulla nempe perfectio, nulla virtus, nulla puritas, nulla ſanctitas non erit in me. Meritò quidem: omnibus enim numeris abſolutus debet eſſe cõuiua Chriſti, vt ex ſequentibus videre eſt.

1 Primo loco ſe offerũt expendenda, quę teſte Ezechiele dixit Deus ad animam, quam ſacro corporis ſui dignam reddiderat ferculo, nempe: *Veſtita es byſſo & polimito & multis coloribus: ſimilam & mel, & oleum comediſti.* Quaſi diceret: nunquam te in menſa mea ſimilia carnis meæ nutriuiſſẽ; niſi te prius induiſſem byſſo, ac multicoloribus veſtibus exornaſſem: indecentiſſimum quippe eſt hiſce veſtibus denudatam meam ad menſam ac-

*Ezech. 16. 13.*

accumbere. Quænã ſunt hęc veſtimenta, quibus animæ ornari debent, vt dignè cũ Chriſto diſcumbant? Omnes virtutes, ait D. Hieronimus. *Volumus ſcire quæ ſint varia veſtimenta? Apoſtolus docet credentibus ſcribens. Induimini ergo viſceribus miſericordiæ, bonitatis, humilitatis, manſuetudinis, patientiæ.* Tanto debet anima præfulgere decore, vt dignè Chriſtum manducet, & bibat, vt nulla ſit virtus, quam non poſſideat. Non enim ſufficit innocentia, vt ſatis ſit communicanti nulla ſorde fædari, q̃ ſignificatur per byſſum, ſed ſuper indui debet cunctarum virtutũ ornatu. Poſt quam enim Deus ait: *Veſtita es byſſo*, ſubiunxit: *Et multi coloribus*. Vt in albo innocentiæ ſplendeat aureum charitatis, liliaceum virginitatis, hyacinthinum contemplationis, nigredulum humilitatis, pallidulum mortificationis, & cætera huiuſcemodi, quæ animæ opes amplificant ſpirituales, pulchramque efficiunt ac decoram, Deoque cõmendabilem reddunt.

*D. Hieron. ibid.*

2 Scis quidem ab cęleſtibus nuptijs, ad quas prudẽtes admiſſæ ſunt Virgines, expulſas fuiſſe fatuas. Nuptiæ illæ ſacra ſunt corporis, & ſanguinis Chriſti Sacramenta: *Edentes Sponſi membra, & bibentes eius ſanguinem, nuptialem ipſius communionẽ aſſequuntur*: ait Theodoretus. Sed cum ſponſi corpus, & ſanguis nil magis, quã Virgines diligat, cur à Chriſti menſa Virgines expellũtur? Ab ea ſanè expellendi ſunt adulteri, ſtrupatores, inceſti, continentes vero, Virgineſq; non modo, non expellendi, ſed & inuitandi, ac compellendi? Inuitandi ſunt quidem, ac cõpellendi; dum virginitati, quã præſtant, aliarum virtutum ſuperaddiderint radios: hęc vero ſola virginitate contentæ, cęteris alijs expoliabantur. *Reijcit eas* ait idem Doctor, *propter inertiam in reliquis virtutibus excolendis*. Vt pro dignitate ſacram admittaris ad mẽſam, minimè tibi vna ſola ſat eſt virtus, ſed cuntę requiruntur, cunctis oportet effulgeas, vt cæleſtibus dignus ſis nuptijs.

*B. Theodoret. 1 c. 3. Cant.*

*B. Theodoret. ibi. in cap. 1.*

3 Recenſet Cyrillus, quod olim in Eccleſia ſua dum hora communionis inſtaret, miniſtri altaris ad ſacri panis comeſtionem plebẽ aduocabant, dicentes: Sancta Sanctis. *Accedentibus* inquit *ad benedictionem myſticam, miniſtri myſterij magna voce clamant: Sancta Sanctis*, quaſi clariùs clamarent. Ad hæc ſancta & immaculata myſteria, neminem aduocamus, niſi ſanctos: accedant Sancti, qui non alijs Sancti

*D. Cyrill. Alex. li. 12. c. 50. in Ioan.*

ćti non ſunt minimè appropinquent, ſed longè abeant. Solis Sanćtis ſanćta hęc ſacra debētur. Sed quorſum non clamant immaculatis, ſed ſanćtis? Eo quia ad dignam Communionē ſat non eſt eſſe immaculatum, nimirum ſine peccato; ſed omnium inſuper ornatus virtutū requiritur. *Inter ſanctum, & immaculatum hoc intereſt* ait D. Hieronymus, *quod ſanctus & immaculatus quoque intelligi poteſt, immaculatus verò non ſtatim & ſanctus. Paruuli quippe immaculati ſunt, quia integro corpore nullum fecerunt peccatum; & tamen non ſunt ſancti; quia Sanctitas voluntate, & ſtudio comparatur: & quod immaculatus dici poteſt ille, qui peccata non fecit; ſanctus autem is, qui virtutibus plenus ſit.* Non tantum immaculatus, ſed & ſanćtus debet is eſſe, cui Chriſti panis eſt porrigendus: nō enim modo requiritur vt ſit omnis criminis expers, ſed cunćtarum virtutum ornatus, vt nihil deſit ei, quod ad omnimodam expetatur Chriſtiani hominis perfećtionem.

*D. Hiero. lia. 1. c. 1. ad Eph.*

4 Iure ad ſacrum altare nō niſi per gradus acceditur: alta res ſanè, niſi gradus exhibeat, minimè pertingitur: altare, ideſt alta res. Sed quæſò videamus cum in imò depreſſoque loco conſtitui potuiſſet altare, cur tam excelſa teneat, quod vt ad eum accedas, tot gradibus egeas? Puto vt doceariṡ, niſi ꝑ virtutes, vt Chriſto, quem habet, fruaris, ad eū non accedēdum, gradus enim virtutes innuunt. *Gradus per quos ad altare aſcenditur, ſunt virtutes, per quas ad Chriſtum pertingitur:* ait Auctor Gemmæ animæ. Antequam te ſacram exhibeas ad menſam, antequā te Dei carnibus reficias, ſanguineq; exhilares, arduum virtutum iter tibi erit agendum: planè nulla debet eſſe virtus, qua, vt dignus ſit ſacro conuiuio, Chriſti conuiua non poſſleat.

*Auct. Gem. Animæ de Antiq. ritu Miſſ. cap. 132.*

5 Si fortè locum ſcire deſideras, vbi Chriſtus ſummus paſtor paſcua corporis ſui cōſueſcat enutrire ſuos, inter lilia, reſpondebit Sponſa. *Paſcit inter lilia.* Quare tecum ipſe recogita ſacroſanćtam menſā extra lilia non apparari; eiuſque prædulciſſimum, ac deliciſſimum panē nullibi frangi, niſi in agro, in quo lilia florent. Quiſnam eſt hic ager liliorum ferax, tam felix, tam beatus, tantaque præditus dignitate, vt meruerit eſſe cœnaculum Ieſu Chriſti? Quæuis fidelis anima, virtutibus decorata. Typus virtutum ſunt lilia. *Quot virtutes eorum, tot flores liliorum*, inquit Guerricus. Verum obſerua, quod non ait *Paſcit in lilio*, vt ſatis ſit

*Cant. 2. 16. iuxta exp. Pagn.*

*Guerric. ſer. 2. de Natal. Apoſt. Petr. & Pauli.*

ſit vna virtute poſiti, ſed *Inter lilia*. Siquidem vt anima non cenſeatur indigna Angelorum conuiuio vna ei nõ ſufficit virtus; ſed plures & variȩ requiruntur: debet eſſe ager liliorum pleniſsimus, vt nullus ſit decor, nulla ſpecies, nullus ornatus, quibus commendananda non videatur.

6 Vbi Sanctus Moyſes legẽ accipit à Deo, deque monte deſcendit, ob grati animi indicium Deo legislatori ſacrificauit, victimas obtulit, illarũque cruore crateras impleuit.
Exod. 24. 6. *Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras*. Diligenter aduerte, quod non ait, immiſiſſe ſanguinem in calicem, in phialam, in vrnam, aut in aliud alterius generis vaſculum; ſed in crateras, *Miſit in crateras*. Quidnam habet cratera, quod præ alijs vaſculis ſacrum promeruerit ſanguinem? Eo quia, ait Doctor Angelicus ille cruor cruorem Chriſti ſignificabat, quem ſub ſpecie vini in altari libamus, miſſus eſt in crateris: vt erudiremur pretioſiſsimum ſanguinem non, niſi in cratera, fundendum. Quod ſi quid ſit cratera quæſieris, quidue ſignificet, audi S. Doctorem.
D. Thom. opuſ. 58. cap. 29. *Cratera eſt vas vinarium multis circulis circumligatum, ſignificans Religioſorum Sacerdotum vitam virtutibus cuſtoditam ad ſuſcipiendum Sãguinem Chriſti aptam*. Ad recipiẽdum ſanguinẽ Salualoris minime idonea ſunt quæcunque vaſcula, ſed tantum crateræ, quæ nimirum multis & varijs circulis circumligãtur & exornantur. Nempe haud omnis anima capax eſt Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti; ſed illa tantum, quæ crateræ inſtar, non vno, aut altero, ſed varijs virtutum circulis vndique decoratur. Cunctis virtutum numeris abſoluẽdus es, vt pro dignitate ſanguinem ſacrum elibas, & carnem Sacratiſſimam comedas.

7 Neque id omittendum de Moyſe, quod cum ſocerum Iethro ad manducandum in tabernaculo Domini inuitaſſet, non niſi ſeniores ſecum ad conuincendum adduxit. *Venerunt*, inquit textus, Exod. 18. 12. *Aaron & ſeniores Iſrael, vt comederent panem cum eo coram Deo*. Ex quo patet Moyſem vnà cum ſenioribus non inuitaſſe pueros, & iuniores: nam ſi inuitaſſet, recenſiſſet quidẽ. Fortè ne deteriores recederẽt, iuniores, & pueros noluit? Referunt enim dixiſſe Diogenem adoloſcenti formoſo cuidam ad conuiuium eunti. *Deterior redibis*. Laer. lib. 6. Abſit hoc à conuiuio tantorum ſanctorum, Deoque chariſſimorum, ad quod ſi forte iuniores, pueriq; acceſſiſsẽt,

lon-

longè meliores probioreſque ijs, qui acceſſerant, erant redituri. Sed hoc factum eſt, quia, vt videre eſt in Gloſſa Interlineali, conuiuium illud Eccleſiæ conuiuium præſignabat, in quo non modo coram Domino, ſed ipſum Dominum manducamus: ad quod nemo debet accedere, niſi ſenex, ideſt in omni virtutum genere perfectus, & abſolutus. *Non omnes panem manducant in cõſpectu Domini, ſed qui Presbyteri ſũt qui ſeniores, qui perfecti ſunt, & meritis probati*, inquit Origenes. Perinde ſacri altaris excellunt edulia, tãta ſuperemineant maieſtate, ac ſanctitate, vt non cunctis adminiſtrentur, ſed ſenioribus tantum, qui nimirum peragrauerunt virtutis curſum, attingerunt perfectionis album, ac pariter omnem adepti ſunt puritatem, prolitatem, bonitatem, mentemq; perfectam. Iuniores verò, quia parum laborauerunt, & profecerunt in Eccleſia Dei, tanto ſacro cenſentur indigni.

*Gloſſ. Interl. ibid.*

*Orig. Homil. 11. in Exod.*

8 Commendauerat Vates Domino Deo ſuo humilitatis ſuę virtutem, dixerat iam: *Domine non eſt exaltatum cor meũ neque elati ſunt oculi mei &c.* cùm ſtatim addidit: *Sicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam, ità retributio in anima mea.* Ac ſi diceret. Nõ ignoro Domine illũ modo diuino dignũ aſpectu, qui cordis ſui ſublimitatẽ oppreſſerit, ſeque humi proſternens, nihil ſe eſſe profiteatur: quod te adiuuante sũ huc uſque aſſecut᷒: neque in hac tantum probitate confiſus tuę retributionis gratiam petiturus acceſſi; quin & in omni virtutum genere exercitatus inuenior: nam ſicut ablactatus infans, in virum perfectum excreui; ſemitas edentulorum, & incipientium dereliqui, vias perfectorum calco: tuę ergo retributionis gratia, quam reuerenter expoſco, indignum ne me cenſeas. Sed quęnam eſt hæc retributio, quam Vates Sanctiſſimus nõ, niſi virtutum omniũ adepto decore, eſt auſus expoſcere? Sanctiſſimam Euchariſtiam autumat Zeno martyr, & Epiſcopus Veronẽſis. *Apoſtolus oẽs rudes fidei, & infantiles adhuc in Dei rebus lacte potat, & panẽ negat dicendo: lac vobis potũ dedi, non eſcã. Propheta itaque orat, vti tamquã ablactato ſuper matrẽ ſuã retribuatur animæ eius, ſcilicet perfecti, & cœleſtis & viuentis panis retributione ſit dignus, quia opera ſua iã cibũ lactis exceſſerãt.* Callebat Propheta sãctiſſimus ſacroſanctũ panẽ minimè cũctis appoſitũ, ſed ijs tantum, qui in Dei obſequio perinde profecerint, vt cunctarũ virtutũ ſint ornatũ adepti. Quare, non niſi

*Pſal. 130. 1.*

*D. Zeno. Pſal. 130.*

perfectus cũctiſque virtutum numeris abſolutus, auſus eſt illum expoſcere.

9 Inſuper, tradit Moyſes manna panis oleati saporẽ exhibuiſſe. *Circuibat,* inquit, *populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciẽs ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.* Quia verò in mãna ſacra intelligitur Euchariſtia, rectè eam Drogo panẽ oleatum appellat, ac ſi olei proprietates habeat, & naturã: habet quidem, nam quemadmodũ oleũ ſuper omnes liquores enatat, ſic ſacra Euchariſtia ſuper omnia, quæ Deus fecit, excellit. Itẽ, ſicut oleũ cibus eſt, & medicina; ſic Euchariſtia, cibat, & medetur. Demũ, vt ad propoſitũ redeam, ſicut oleũ pabulũ eſt luminis, & nutrimentum; ſic & ſacrum myſterium pabulum eorum eſt, qui eo nitent ſplẽdore virtutum, vt iure lumini cõferri poſſint, qui tantum abeſt, vt aliorum obſcurentur maculis, quod potius inſtar ſolis aliorum expellant tenebras, detergant caligines, & vbicunque fuerint, diẽ afferant gratiæ Dei. Quare ſi adhuc anima ad nitorem luminis & puritatem minimè peruenerit, nequaquã pane Ieſu Chriſti cẽſebitur digna. Panis oleatus eſt, ſolius luminis cibus, perfecti hominis pabulũ.

*Num. 11. 8. 8.*

*Drogo de Sacram. Dom. Paſſion.*

10 Verum videamus vbinam Deus collocauit tabernaculũ ſuum: in terra ne? in mare? in aere? Nec terra, nec mare, nec aer tanto digni ſunt bono, ſed ſolus ſol. *In ſole* inquit *poſuit tabernaculum ſuum.* Nam tantæ puritatis, ac ſanctitatis eſt, tãtæ maieſtatis, & excellentiæ, vt indecens ſit poni extra ſolem. *Itaque,* inquit Hieronymus *qui nec dum ad ſolis claritatem, ordinem, conſtantiamque peruenit, in hoc Chriſtus habitare non poterit.* Vt anima non indignè ſacra altaris excipiat, vſque adeo profeciſſe debet, vt ſit ſoli ſimillima: nempe tanta luce nitere, tanta puritate & claritate micare, tantis coruſcare virtutibus, vt alter ſol cenſeatur in mũdo. Qui inſtar ſolis non erit, non accipiet tabernaculum Dei, quod nõ ponitur extra ſolem.

*Pſal. 18. 9.*

*D. Hiero. in cap. 2. Eccleſiaſ.*

11 Quod Diuus Paulus ad Corinthios ſcribens, eos ait eſſe templum Dei ſanctũ. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos,* nõ parua indiget animaduerſione. Siquidem abſolutè non ait, *Templum Dei eſtis vos,* ſed addit, *Sanctum*; velut anima non ſancta, templũ Dei nõ ſit. Quid quęſo ſignificat ſanctus; quod ſic magnificè cõdecorat animã, vt eã Altiſſimi efficiat habitaculũ? Rẽ ſine terra ſignificat: nã vbi Græci dicunt, *Agyos,* ideſt Sanctum, latini

*1. Corint. 3. 17.*

tini interpretantur *ſine terra.* Cum igitur Paulus Apoſtolus Corinthijs ait eos eſſe Sãctum Dei templum, idẽ ſanè eſt, ac ſi diceret, eos eſſe ſine terra; nimirum ſpirituales penitus factos, ac proinde dignos fieri tẽplum, in quo Deus inhabitet. Hinc ait D. Bernardus: *Domũ Dei ſpiritualem ſeipſum quiſque agnoſcat, qui tamen iam non in carne ambulet, ſed in ſpiritu: Tẽplum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sanè vt anima fiat templum Dei, nempe, vt Deũ in ſe recipere mereatur, ſi elõgare, & eleuare ſe debet è terra, vt non modo nihil, quod terram ſapit, habeat; verum & non ſecus, ac ſi è terra eſſet in cœlum repoſita, niteat inter ſydera, ſplendeat inter Beatos, ſcintillet inter Angelos.

*D. Bern. ſer. 46. in Cant.*

12 Demum audi Chryſoſtomum te, cuius ſit hæc menſa, docentem. *Aquilarum* inquit *non graculorum hæc menſã eſt.* Quaſi clarè notificet, ſolis aquilis portas eius attolli, reliquis autem, qui non ſunt aquilæ, claudi. Sed quorſum tantum aquilis, & non columbis, turturibus, ac luſcinijs? Excludendi ſunt ne è Sacro Sympoſio ſimplicium corda, lacrymantium oculi, oraque Deũ perpetim laudãtia, & glorificantia? Quid dicã tibi? Os aureũ ait aquilarum tantum eſſe. fiant aquilæ columbæ, turtures, & luſciniæ; & eorũ erit hæc mẽſa. Homo etenim vſque adeo debet in Dei via proficere, vt ex homine fiat aquila, ex terreno nimirũ trãſeat in diuinũ. *Aquila ſola apud homines diuina perhibetur*: ait Ariſtoteles. Non vnquam homines æſtimabũtur diuino digni conuiuio, ſi diuini nõ erũt, nempe tot, ac tãtis virtutibus exornati, vt Angelos excedãt, Deoque ſimillimi fiant. Hæc tantum dicta ſint, vt agnoſcas in quam ſublimitatem, ac celſitudinem efferri oporteat homo, vt pane Saluatoris dignus cenſendus ſit. Ineffabilis tamen clementia Dei, dummodo ſit ſine culpa, dummodo lethali careat crimine, ſacris aſſumit altaribus, cibo carnis ſuæ, potuque ſanguinis refocillat.

*D. Chryſoſt. Hom. 24. 1. Cor.*

*Ariſtoteles.*

## THEOREMA XI.

### Nihil mihi deerit.

*Quiſquis indignè Chriſtum manducat, non manducat Chriſtum.*

SED ſi hæc verba, *Dominus paſcit me*, quęque adnectuntur, *Nihil mihi deerit*, ſic cõſtrues. Vt à Deo meo carne, & ſanguine ſuo paſcar, & nutriar, nihil mihi deeſſe, pecca-

tum nẽpè, operæpretiũ eſt (q̃a n, peccatũ priuatio, eſt entis, dictũ eſt nihil:) Aliter vtiq; neque me Deus paſcet, neque ego Deum comedam: erudieris, hominem, culpa fœdatum, minimè paſci à Chriſto tametſi paſci videatur. Verè enim Chriſtum non manducat, nec bibit quicunque indignè mãducat, & bibit.

1 Lege Pſalmum vigeſimũ primũ, vbi hæc inuenies. *Edant pauperes, & ſaturabũtur, laudabunt Dominũ, qui requirunt eũ; viuent corda eorũ in ſæculũ ſæculi.* quæ non me latet primo intuitu minime vulgarem afferre poſſe difficultatẽ: nam cũ audimus pauperes mãducare, nõ ad vitã vnius membri, ſed totius corporis, conſeruandã eos edere exiſtimamus. Quo circa cũ Propheta dixerit *Edẽt pauperes & ſaturabũtur*, operæpretiũ erat adnectere, viuent corpora eorũ & nõ, quod adnectit, *viuẽt corda eorũ*. Sanè comeſtio quemadmodũ cordis, ſic etiã & capitis, ventris, brachiorũ, cruciũ, cæterorumque mẽbrorũ, prorogat vitã. Cũ ergo dicere debuiſſe viuent corpora eorũ, quare dixit *Viuent corda eorũ*? Nõ de terreno, & corporali cibo (ait Lyranus) q comeditur ore corporis ſed de ſupſubſtantiali, ac cœleſti alimento, nimirum de Sancta Euchariſtia, quę ore cordis comeditur, nõ corporis, quoue viuit cor, non corpus, agebat Propheta. Iure ergo dicendũ cenſuit, *Viuent corda*, non corpora eorum. Quia verò homo, laqueis peccatorũ implicitus, cor (teſte Oſæa) non habet, *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, nõ habens cor*, vtpote qui illud in mundialium rerũ, quas amat, dereliquit illecebris; aſſerẽdũ eſt, quod dũ cõmunicat, Chriſtũ nõ comedat: comedit nimirũ Sacramẽtaliter, ſpiritaliter verò; q̃ verè Chriſtũ comedere eſt, minimè comedit: non enim habet id, quo verè, & ſpiritaliter comeditur Chriſtus. Soli pauperes ſpiritu, qui eo quia huius mundi nõ tenentur affectibus, corde præditi ſunt, Deũ ſuũ verè manducãt. Quare ait Hugo: *Nõ comedunt eum ſpiritualiter, niſi pauperes: quia qui plus diligit mundũ, quã Deũ, nõ comedit eũ ſpiritualiter ad ſalutẽ, licèt comedat Sacramentaliter ad damnationẽ.* Ac ſi diceret. Peccator comedit Chriſtũ, & non comedit Chriſtũ; comedit Sacramentaliter, & nõ ſpiritualiter; comedit in damnationem, & non in ſalutem.

2 In celeberrimo illo conuiuio, quo pientiſſimæ mulieres, Martha ſcilicet, & Maria, exceperunt Regem cœlorum, in quo earum altera pretioſum effudit vnguentum, pedes ſanctiſſimos vnxit, capillis ex-

*Pſal. 21. 27.*

*Nicol. de Lyr. ibid.*

*Oſæa 7. 11.*

*Hug. Car. in Pſ. 21.*

exterſit, totamque domum ſuaui repleuit odore; meminit Euangeliſta; Lazarum, quem ſuſcitauerat Chriſtus, fuiſſe vnum ex diſcumbentibus, & manducantibus. *Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus, cū eo.* Sed cum domus Marthæ, vtpote in Ciuitate illa aliarū ditiſsima, ac nobiliſsima, multis (vt conijci poteſt) proceribus, & clariſsimis viris frequentarerur, qui tunc honoris gratia vnà cum Ieſu Chriſto diſcumbere poterant, quorſum Euangeliſta iſtorum oblitus, ſolius Lazari meminit epulantis? Rem hanc metipſam expendens Auguſtinus, quam pulchrè reſpondet: *Ne putarentur homines phantaſma eſſe factum, quia mortuus reſurrexit; Lazarus vnus erat ex diſcumbētibus, viuebat, loquebatur, epulabatur, veritas oſtēdebatur.* Velut ſi diceret. Quia nulla Euāgeliſtam compulit neceſſitas aliorum nomina recenſere, qui cum Chriſto diſcumbere poterant, nullam eorum habuit mentionem: Lazarum verò, quem quia Dominus à mortuis ſuſcitauerat, nè putarent Hebræi phantaſma eſſe, ſeque tali ludificatos miraculo, cum Domino accubuiſſe, & coram omnibus manducaſſe, recenſuit; vt ſic reſuſcitatus verè cenſeretur, & viuus: defunctis enim manducare, & bibere impoſſibile eſt. *Ad animatum alimentum eſt*, ait Ariſtoteles. Serua iam memoriæ defunctum non poſſe comedere. Quia verò anima peccatoris defuncta eſt, dicente Domino: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*; impoſſibile eſt panem Chriſti comedere. Quare peccator, & ſi ſacramentaliter, & ore carnis, qua viuit, Euchariſtiam ſumat, ac comedat; Spiritualiter tamen, & ore cordis, quo defunctus eſt, minime comedit. Peccator igitur Chriſtum comedit, & non comedit. Sed heu infelix, & pernicioſa comeſtio, cui ſpiritalis, & ſalutaris deficit eſus?

*D. Aug. tract. 50. in Ioan.*

*Ariſt. 2. de Anima tex. 46.*

*Ezech. 18. 4.*

3 Quod Chriſtus omnium Deus a deterrimo Dæmone in ſanctam fuerit Ciuitatem aſſumptus, vt tradit Matthæus, admiratione non parua quam plurimi capiuntur. Et iure quidem optimo. Nam tantus Rex, tantus Dominus, tantus Deus, cui eminentiores cœlorum columnæ ſubijciuntur, ſyderum aulæum ſternitur, cuius currum Angeli trahunt, quem præ maieſtatis eminentia paueſcunt cunctæ ſubſtantiæ, cuncta corporea, & incorporea tremunt, eique vnà cū cœlo, & terra genuflectit, & tartarum; valde admirādum eſt, quod ſcribatur aſſumptus à Dæmone. Sed (inquit Seraphicus Doctor) ne te hoc ad-

*Mat. 4. 5.*

tan-

tantam moueat admirationẽ, aliud mirum ſubijciam, maiori ſtupore dignum: nẽpe quod idem Chriſtus à tot quotidie Dœmonibus aſſumatur, quot ſunt, qui indignè communicãt. Hęc ſunt eius verba. *Miraris quod ſe Chriſtus permiſit aſſumi ab vno Diabolo, & non miraris, quod quotidie quaſi à centum, & mille hominibus, imò quaſi à tot Dœmonibus, quot peruerſis hominibus, ſub Sacramento altaris recipitur?* Ex quo patet hominem peccatorem altaris indignè myſteria comedentem, Dęmonem eſſe. Ergo ſi Dęmon eſt, minime ea manducat, quamuis manducare putetur: Cum enim Dęmones manducant, videntur quidem manducare, reuera tamen nequaquam manducant. Indigna quam communio corporis, & ſanguinis Domini velut quædam oculorum illuſio eſt, non vera comeſtio, cum non comedat anima, à qua comeditur Chriſtus.

*D. Bona. ſer. 4. Dñ. 1. Quadrag.*

4 Apud Iſaiam inuenies peccatum cũ vua acerba conferri. Cum Deus (inquit Vates) vineæ animæ noſtræ plantator, expectaret ex ea bonorum operum fructus; culpis, & tranſgreſsionibus adinueniens onuſtam: *Expectaui*, ait, *vt faceret vuas, & fecit labruſcas.* Et ſi nõ me fugiat, labruſcam propter, quam affert, amaritudinem typum eſſe peccati, quod morte amarius eſt: hæc tamen ſimilitudo ob dentium ſtuporẽ, quem ſua ex acerbitate affert labruſca, propoſita eſt; vt expoſitum eſt à Hieremia Propheta, dicente. *Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.* Adnotandum verò dentibus ſtupidis comedi nequaquam poſſe; namq; acerbitate, qua imbuti ſunt, colligantur, ſuoque munere prorſus deſtituũtur. Quare quoties homo acerbiſſima peccati depaſtus vua, ad Chriſti menſam audet accumbere; impoſſibile eſt propoſitum manducare panem: edit quidem ore, quod colligatum nõ eſt, corde verò, quod ſtupeſcit, nequaquam. Audi D. Hieronymum quam eleganter philoſophantem. *Dum peccato anima paſcitur, panem iuſtitiæ edere non valet; quoniam ligati dentes ex peccati conſuetudine, iuſtum, quod intus ſapit, edere nequaquam poſſunt.*

*Iſa. 5. 4.*

*Hieron. 31. 30.*

*D. Hierõ. in cap. 3. Hierem.*

5 Perpendamus aureã ſententiam Hilarij, pertractantis de luctu. *Lugentes non dicuntur orbitantes, aut contumelias, aut damna mœrentes; ſed peccata vetera flentes.* Ac ſi clariùs diceret. Præter eos tantum, qui Deum culpis ſuis exacerbaſſe cognoſcunt; ac pœnitẽtia ducti lacrymarum vocibus veniam deprecãtur, miſericor-

*D. Hilar. Canon. 4. in Matt.*

diam

diam implorant, nemo quiſquam eſt, qui plorare poſſit: nam qui temporalium rerum detrimentis affecti, plorant; non plorant. Hoc magnum eſt paradoxon, ac magnum ęnigma: quotidie quippe videmus, audimuſque fęminas filij, mariti, aut alterius affinis mortem adeo deplorantes, vt cœlum lacrymis, gemitibus, & flectibus attingant: paſsim item aduertimus aliquo alio dolore percuſſos, laterum nẽpe, pedum, aut alterius membri, mirabiliter ingemiſcere. Scimus quoque pleroſque, quos aut latrones inuaſerint, aut aliqua aeris depauperauerit iniuria, aut honoris detrimentum læſerit, ità plãctibus indulgere, vt experiantur inconſolabiles. Quare ergo Sãctiſſimus Doctor hos non plãgere ait, cum eos plangere ſole clarius ſit? Cum Hilario tenendum, ac dicendum tales non plangere, eo quia eorum planctus proprio defraudatur effectu. Nam ſicuti medicum, qui cum medetur, propria, quæ morbum expellant, medicamenta non adhibet, mederi non dicimus, ſed vel oleũ, & operam perdere; vel ægrotum occidere: ità etiam, qui præſentium dolore percuſſi, plorant, & lacrymantur; quia eorum lacrymę malis ſuis mederi non poſſunt, dicendum eſt non plorare. Secus cenſendũ eſt de peccatore, qui, vt ab offenſo Deo peccatorum ſuorũ veniam extorqueat, & plagarum ſuarum medelam obtineat, frequentiſsimè plorat. Is verè plorat; quia ad placandum Deum offenſum, & medẽdum animæ morbis planctus proprium eſt, & efficax pharmacum, quod nunquam ſuo deprauatur effectu. Iure ergo ait Hilarius: *Lugentes non dicuntur arbitrantes, &c.* Proinde, ſi qui carnaliter lugent, quia luctus eorũ proprij effectus eſt expers, flere dicendi non ſunt: haud abſimili modo ij, qui peccatorum ſordibus fœdati comedunt myſteria Chriſti; quia proprio eorum priuantur effectu, non ſunt dicendi comedere; ſed ſeipſos potius interimere, ac æterno ſupplicio ſeſe digniſſimus reddere.

6 Quæ Rex noſter ait Iudæorum turbis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sãguinem, in me manet, & ego in illo*, afferuntur à D. Auguſtino pro ſigno eſus, & potus Corporis, & ſanguinis Domini: Eo quia Chriſti in communicante, & communicantis in Chriſto manſio ſignum eſt, quod anima iam ederit Sacratiſsimum Corpus, & biberit pretioſiſsimum ſanguinem. *Signũ*, inquit, *quia manducauit, & bibit,*

*Io. 6, 57.*

*D. Augusti. tract. 27. in Ioa.*

*bit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitat, & inhabitatur, ſi hæreat, & inhæreatur.* Quare, cui ſcire lubet, an peccator manducauerit, & biberit corpus, & ſanguinem Chriſti, opus eſt ad hoc ſignum recurrat, videatque ſi in ipſo Chriſtus maneat, & moretur; nam ſi poſt ſacram aſſumptionem non manet; neque comedit, neque bibit reuera. Quia verò certum eſt Chriſtum in animam peccatricem non ingredi, dicente Cyrillo Alexandrinorũ Antiſtite: *Super animam mortuam Chriſtus non superuenit, quia ſapientia eſt, & ſapientia non intrat in animam maleuolam. Ipſa eſt enim mortua; quia cui ineſt malitia, ineſt peccatum; peccatum autem cum conſummatum fuerit generat mortem, & propter hoc Ieſus non intrat in animam mortuam:* certum eſt etiã, quod neque in ea remaneat, neq; inhabitet. Ergo neque comedit neque bibit corpus, & ſanguinem eius, etſi edere videatur, & bibere.

D. Cyrill. Alex. li. 12. in Leuit.

7 Minimè prætereundum, quod Dominus ſuo de ſacro pertractans, ſignatum eſſe ait à Deo Patre. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater ſignauit Deus.* Expende verbum *Signauit*, quod idem fere eſt, ac diligentiſſimè clauſit, ſigno, ſeriſque muniuit. Id plerumque ſignificat ſignare. In hoc ſenſu Ioãnes hoc vſus eſt verbo, dum recẽſeret Hebræos, ne Diſcipuli Domini Sacrum Corpus è Sepulchro ſurriperent, vt impiè coniectabant, omni diligentia clauſiſſe Sepulchrum. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem.* Hinc eſt quod pro claudere litteras, ſignare litteras, dicere conſueuimus. Ratio autem, qua Deus panem Filij ſui ſignauit, & clauſit, præcipua eſt, quia nullo modo à canibus, & ſuibus inueniri voluit, & manducari. *Ita ſignauit*, ait Rupertus, *ità clauſis omnibus cælorum portis apud ſe continuit, vt non cum cibis communibus patiatur à canibus, vel porcis inueniri.* Quia S. Euchariſtia panis eſt filiorum, ne forte ad canes porcoſue perueniat, diligẽtiſſimè occluditur, & obſeratur. Dices. Cum per ſingulos dies aduertamus Sancta Chriſti myſteria à canibus, & porcis non ſolum inueniri, ſed etiam manducari; inueniuntur ſanè, & manducantur à ſceleſtis, & ſordidis peccatoribus; quare clauſa dicuntur, nè inueniantur, & mãducentur à talibus? Videtur quidẽ (inquam) inueniri, & manducari; ſed tantum Sacramentaliter: reuera tamen nec inueniuntur, nec man-

Io. 6. 27.

Mat. 27. 66.

Rup. li. 6. in Ioan.

manducantur. Quonam ſodes pacto poterunt inueniri, quæ Deus ſignauit, & clauſit, vt ſolis ſanctis, & innocentibus eorum pateat aditus?

8 In Pſalmo vigeſimoſexto Chriſtus cum Patre conqueritur de ſceleſtis quibuſdam, & impijs peccatoribus, carnem

Pſ.26.2. eius commanducantibus. *Appropriant*, inquit, *ſuper me peccatores, vt edant carnes meas.* Attēdat prius lector, hic Chriſtum de peccatoribus conqueri, quod ad eum, vt carnes ſuas comedant appropinquent. Verum dum iuſti, & innocentes, vnà cum peccatoribus, appropinquāt ad Chriſtum, vt edant carnes ſuas: vnde eſt, quod cum illis vnà non criminentur, & iſti? Sanè ſi inſtar iuſtorum peccatores carnem ſanctam comederent, vt comederent; minimè Chriſtus de eis conquereretur; quia verò comedunt, vt dilanient, dilacerent, ac trucidant, iure de illis lamentatur. Cum Chriſtus, ait *Vt edant carnes meas*, idem eſt, inquit Hiero-

D. Hier. in Pſ.21. nymus, ac ſi diceret. *Vt corpus meum rabido dente dilacerent.* Quare dum peccator ſacro accumbit altari, & Chriſtum comedit, tantum abeſt, vt comedat, quod potius, quantum in ſe eſt, conculcet, dilaniet, crucifigat, & trucidat Dominum ſuum. Ideoque ait Guitmundus. *Ille, qui indignè manducat, nec æſtimandus eſt manducans, ſed potius, quantum in ſe eſt, conculcans.* Guitmūd. lib. 3. de Sacram.

9 Tradit Diſcipulus, quod dum quidam Epiſcopus ſacra myſteria diuideret, plebemque communicaret; quales eſſent, qui acceſſerant, ex ſingulorum aſpectibus ediſcebat: Nam iuſti, & innocentes ſydere nitidiores prǫferebant facies; peccatores verò carbonibus nigriores, oculoſque ſanguine plenos. Sed cum idem fuiſſet panis, quem æquè mali, & boni percipiebant, quare præ ſtellis iſtorum facies enitebat, illorum verò præ carbonibus obſcurabatur? Huius diſcriminis ea eſt ratio; quia videntur peccatores eodem ipſo pane veſci, quo, & iuſti; reuera tamen nigerrimis, ac fædiſsimis carbonibus inferno obſcurioribus veſcuntur. Legit Algerus in vitis Patrum: *Aſpiciente quodā ſanctiſſimo Patre; Angelū corpus Domini qbuſdā cōmunicātibus ſubtrahere, & pro illo carbones porrigere.* Quid ergo mirum ſi ſceleſtorum facies, cum Chriſtum manducant, nigriores carbonibus videantur, cum non Chriſtum, ſed carbones manducēt? Diſcipul. in Tract. Exēpl. de Euch. 20. Alger. li. 2. c. 1. de Sacram.

## THEOREMA XII.

### In loco paſcuæ ibi me collocauit.

*Chriſtiani hominis ingenuitas in eo maximè enitet, quod carne Dei ſui, quotidie delicietur.*

HIs anima Chriſtiana congratulatur, & gaudet; ſeque effert, & prædicat, quod eo in loco poſita ſit à Deo, vbi paſcua eius vireſcit; nimirum in Eccleſia Catholica, vbi appoſita eſt menſa carnis Filij Dei. *Locus paſcuæ*, ait Iorgius
Card. Iorgius in Pſ. 22. Cardinalis, *eſt Sancta Eccleſia, in qua paſcimur in altari*. Sanè iure optimo ob tantum munus effertur, gaudet, & congratulatur: nam etſi nobilitas, & ingenuitas Chriſtiani generis infinitis propemodum pateat argumentis, quod tamen Dei ſui carne quotidie depaſcatur, tam honorificum eſt, & magnum, quod quoſcumq; titulos excellit, cæteris ſupereminet honoribus, prȩeſt dignitatibus, omnem demum ſupergreditur nobilitatem.

1 Diſtrictè precepit Deus Hebræorum populo nè, dum ederent agnum, eius oſſa con-
Exod. 12. 46. Io. 19. 36 fringerent. *Os non comminuetis ex eo*. Quod, ni fallor, præceptum eſt; quia voluit quidem Deus, vt pro eorum libito carnes agni comederent, minimè verò medullam, quæ continetur in oſſibus. Vnde autem eſt, quod Deus tam charam plebem, ac tãtopere amatam, à medullæ comeſtione prohibuit, rebus alijs, quas exhibēt animalia, nobilioris, delicatioris, ac ſuauioris nutrimenti? Quia maiori populo aſſeruabatur, & chariori, ſcilicet Chriſtiano. Scias medullam agni præſignaſſe S. Euchariſtiam, quã Pſaltes Holocauſtum vocat medullatum. *Holocauſta* Pſ. 65. 15
*medullata offeram ſibi*: & Iſaias, vt Salmeroni placet, conuiuiũ pinguium medullatorum: *Faciet*, inquit, *Dominus exercituũ in monte hoc cõuiuium pinguiũ, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*: Iſa. 25. 6. Salmer. tom. 9. de Euchar. tract. 2.
Quippe quemadmodũ, vt dictum eſt, medulla nobiliſſimum, delicatiſſimum dulciſſimumq; eſt cũctarum partiũ, quæ ex animalibus apponuntur in menſa: ſic & Sancta Euchariſtia omnium ferculorum, quæ ſiue in terris, ſiue in cœlis mandi poſsunt, excellentiſſimum eſt: quod Deus tanto rigore Chriſtiano populo reſeruauit, vt nec Hebræis conceſſerit, quamuis dilectis, & charis: innuens Chriſtianos gratia tanti muneris præferẽdos Hebræis vtpote nobiliores, & delicatiores, cũ nobiliores, & delicatiores cibi nobiliores, & delicatiores deceant. Quod ſi per Sacrã Euchariſtiã Hebrȩis ꝓferimur Deũ agnoſcentibus, potiori iure cæteris Deũ ignorantibus, ac Dȩmonem

nem adorantibus præferemur.

2 Tradit Citharedus Vates Sanctam Matrem Eccleſiā ad Dei ſui dexteram aurato pallio circumamictā aſtare: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*. Pſ.44.10 Dicere quidem poterat in veſtitu ferreo, admodum conſentaneo Eccleſiæ in campo tantorum certaminum militanti. Poterat item dicere in veſtitu argenteo, ad denotandam eius puritatem, & candorem, nulla macula conſpurcatam. Poterat demũ in veſtitu purpureo, qui Reginarum eſt proprius, ſicuti facit Eccleſiā. Verum omiſſo ferro, argento, ac purpura, auro dixit indutā. Quorſum hoc? Vt ſupereminentem, ac nulli vnquam conceſſam nobilitatem eius expliceret. Velim te meminiſſe Platonis apologi, Deum, cum primo plaſmaret homines, ijs, qui ad imperandā erant idonei, aurũ in generatione cõmiſcuiſſe, fingentis; ijs verò, qui eorũ futuri erant auxiliatores, argentum; æs autẽ, & ferrũ agricolis, & alijs opificibus. Clemens Alexandrinus vnà cũ alijs quibuſdā attẽdẽs huic figmẽto, Platonẽ cẽſet tria hominũ genera diuinare, Iudęorũ ſcilicet, Gẽtiliũ, & Chriſtianorũ, Iudęos intelligens in argẽto, Gręcos hoc eſt Gẽtiles in ferro, Chriſtianos in auro. Clem. Alex. lib. 5 Strom. *Plato diuinat tres nationes, vt quidā exiſtimarũt, Iudæorũ quidẽ argẽteā, Græcorũ ferreā, & Chriſtianorũ aureā, quibus regale aurũ eſt admixtũ.* Et hęc eſt ratio, qua S. Mater Eccleſia, non in veſtitu ferreo, vel argẽteo Dilecti aſtat à dextris, ſed deaurato. Nā ſicut aurũ in ſplẽdore, pretio, & nobilitate metallis omnibꝰ ſupereminet, ſic gẽs Chriſtiana omnibus mundi nationibus. Si verò petis vnde Chriſtianis tātũ aurũ, tanta nobilitas, tanta dignitas, tātus honor, vt tā lõge alios excellant. Ex cibo, inquam, potuq; Corporis, & Sāguinis Domini: ait .n. Os aureũ, nos tāto ſacro aureos fieri. *Quemadmodũ*, inquit, *ſi quis liquefacto auro manum, aut linguā iniciat, quam primũ deauratur; ità hæc Sacramenta nobis propoſita animam auream reddunt.* D. Chryſoſt. Hom. 60. ad populum. Vide quam magna ſit dignitas hominis Chriſtiani ex Sacro Euchariſtico, quod ſi alijs cõferatur hominibus, Rex erit, quem modò aurum decet; reliqui verò mancipia, ſerui, & agricolæ.

3 Sed nè ꝑtermittas, ꝙ dum Pſaltes in veſte deaurata Sāctā deſcribit Eccleſiā, ad Dei dexterā aſtare ꝑmittit. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Pſ.44.10 Viſa iā veſte deaurata, vidẽdũ reſtat ꝗd agat in latere Dei, ꝗdue portẽdat huiuſcemodi aſſiſtentia. Sciendũ proinde, quod dũ nos in latere Dei aſtātes adſcribi-

mur, enutriri dicimur Sacro Corporis, & ſanguinis ſui. Nã vbi paſsim legimus *Filij tui de lõge venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*, loco *Surgent* legunt alij *Sugent*, ſiue *Nutrientur*, vt apud Sanctium videre eſt: dum enim Sacra recipimus, ex latere Saluatoris, vnde manant, ſanguinem ſugimus, ac prędulciſſimo carnis eius enutrimur edulio. *Quam dulciſsimus eſt calix iſte*, ait D. Cyprianus, *vbi ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam?* Ergo ſi dum tanto Sacro fruimur, lateri noſtri Regis aſtamus, & adhæremus; tanta inſignimur dignitate, efferimur claritate, donamur nobilitate, tantoq; fulgemus honore, vt non ſolum alijs nationibus præferamur: ſed maiori, & excellẽtiori priuilegio gaudere non poſſimus. Nã cum verum ſit, quod Ariſtoteles ait, *Nobilius eſt, quod eſt propinquius optimo, & meliori*: & verum etiã ſit, quod cũ cęteri homines appropinquent, imò adhæreant Dœmoni, cũctarum rerum viliſſimo, abiectiſsimo, deterrimoq; nos verò tanti ſacri gratia Deo, infinitè optimo, in cuius bonitatis cõparatione aliorũ bonitas defectus cenſetur; quodnã genus hominũ nobiſcum de nobilitate, dignitate, gloria, de maieſtate cõtendet? Cedãt, cedant inquã, oẽs chriſtiano ſanguini, qui dũ diuino lateri aſtat, ſupra quod dici poteſt nobilitatur, effertur, inſignitur.

*Iſa. 60. 4. Sãct. ibid.*

*D. Cypr. de Cœna Domin.*

*Ariſt. 1. cœli 64.*

4 Viſa olim eſt Eccleſia à dilectiori Chriſti Diſcipulo in cœlo ſuperexaltata, ſole circumamicta, & ſupra lunam poſita. *Signum magnum apparuit in cęlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* Quæſo te, nè, cùm Eccleſiam Sole audis amictam, nomine ſolis viſibilem ſolẽ intelligas: Intellige Ieſũ Chriſtũ ſolem iuſtitiæ, qui ſuper bonos, & malos nullo nõ tempore naſcitur: Chriſto quippe veſtitur, nõ ſole materiali. Sed operę pretiũ eſt videre, propter qd Eccleſia Chriſto Rege, ac Deo ſuo meruerit ſuperindui, ac pariter in cœlo inter Angelorum choros reponi. Euchariſtici gratia Sacramenti, (ait D. Chryſoſtomus) tam pretioſa, & prædiuiti ſtola exornari, ac inter cœleſtes ſubſtantias tam altè meruit honorari. *Qui huius ſanguinis ſunt participes cum Angelis, & Archangelis, ac ſupernis virtutibus commorantur; ipſam regiam Chriſti ſtolam induti. Sed nihil dixi, imò ipſum induti ſunt Regem.* Sed nè obliuiſcaris, quod dum tã magno inſignitur honore, ſupra lunam præeminet; *Luna ſub pedibus eius.* Quod oſtenſum eſt, vt erudiaris de, quam habet

*Apoc. 12. 1.*

*D. Chryſ. Hom. 65. ad popul.*

bet Eccleſia gratia tanti ſacri, nobilitate, ac dignitate; quippe q̃ non ſolũ ſupra terreſtria, ſed & ſupra cœleſtia, ſupra lunam ipſam, admirabiliter extollitur.

5 Idem Aureum eloquẽtię flumen, manus puritatem, ac ſanctitatem commendans, cui puriſſimum & ſanctiſſimum Redemptoris Corpus à Deo datum eſt attrectare, ſic inquit: *Quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat?* Vbi, vt aduertis, Euchariſticum ſacrum per manus Sacerdotis fidelibus porrigendum, coronam appellat; velut ſi eo Sacerdos coronet, Regeſque cõſtituat, ad ſacrum altare accedentes. Regium geſtamen eſt corona. Vt ex hoc intelligas Chriſtianum fidelem ſic miro modo ex Chriſti corporis comeſtione nobilitari, vt ex plebeo conſurgat in Regem, diademate redimitum; ac tantum inter fidelem, & infidelem intereſſe, quantum inter Regem; & abiectiſſimum quemque.

*Idem D. Chryſoſt. Hom. 83. in Matt.*

6 Dum Beatiſſima Virgo ſummũ decus extolleret, quo præ cæteris meruit inſigniri, vt ſuum Deum pareret, ait; *Flores mei fructus honoris.* Ideſt virtutes meæ, nempe humilitas, virginitas, puritas, charitas, & quam plurimæ aliæ, quibus effulgeo participes fuerũt fructus honoris, meruerunt inquam, vt ego fructum parerem ſalutiferum, qui ſe mortis ſuæ tempore præſtitit manducandum. Aduerte hic Deiparam, dilectum ſuum factum cibum noſtrũ, non fructum cœli, vel paradiſi, ſed fructum honoris appellare. *Flores mei fructus honoris.* Cuius præcipua ratio eſt, quia prædicare intendit ſummũ Chriſtianæ gentis honorem in comeſtione Corporis filij ſui præcipuè conſiſtere. Verum videamus quantus, & qualis ſit hic honor. Ex quadam Gloſſa Iuriſperitorũ habetur, quod *Honor conſiſtat in melioribus, & delicationibus cibis conſerendis: alij enim inferioribus, alij ſuperioribus ferendi ſunt cibi.* Sane ſi alimenta debentur ſecundum qualitatem perſonarum, ex qualitate alimentorum arguenda eſt qualitas perſonarum. Quoniam verò non modò te Deus tuus communibus non enutrit edulijs; ſed neq; etiam ea tibi dignatur apponere, quæ Regum menſas exornant; quid de tua dignitate, ac nobilitate concludam? Minimè enim turdos, attagenas, phaſianos, aues externas, pauones, vitulos, nec Phœnicẽ (quam vnicam prodigus Heliogabalus Romanorum Imperator conuiuis ſuis temerè p̃miſit) ſua tibi

*Eccleſi. 24. 23.*

*Gloſſa apud Chaſſan. ĩ Catal. par. 1. cõſid. 22.*

tibi præparat in culina; ſed diuiniſſimum, ſed delicatiſſimũ, ſed omni dulcore repletũ corporis ſui fructum exhibet comedendum. Quiſnam vnquã magnatum, Regum, aut Imperatorum tali vnquam fuit honoratus edulio? tali fructu donatus? tali menſa refectus? Principibus emines, Regibus præes, Imperatores excellis.

7 Quod ſi mihi nefas eſt te Magnatibus, ac Regibus huius mundi conferre; conſcendam in cœlum, ſupergrediar aſtra; teque nobiliſſimis Cœlorum ciuibus dicam æqualẽ. Dum Diuus Auguſtinus conſidera tverba Pſaltis in Pſalmo

*Pſal.* 77. 25. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, perpulchrè quærit. Cum Angeli non egeant cibo, quia natura ſimplices ſunt, & potentia ſolum ſpirituali vigentes, quare dicuntur à Propheta comedere? Elegans ſanè petitio: nam eatenus cibo indigent animantia, quatenus egent reſtauratione.

*Auerr.* 4. *meteor. commẽt.* 19. *Cibi, & potus non ſunt neceſſarij, niſi vt reſtaurent corruptum,* ait Auerroes. Quia nihil eſt in Angelis, quod deperdi poſſit, nullo eos indigere cibo aſſerendum eſt. Demum non minus eleganter reſpondit.

*D. Auguſti. Quæſt. ex veteri Teſtam. quæſt.* 19. *Panis, quem Angelorum appellat manna eſt; vt quod tunc factum eſt, eius rei, quæ nunc in Eccleſia offertur figura fuiſſe exiſtimetur. Vt Chriſtiani populi, quos in Angelis ſignificauit ſcriptura, panem manducarent homines, ideſt Iudæi, quos homines dixit.* Ac ſi diceret. Cum inquit Propheta, *Panem Angelorũ manducauit homo*; per panem intelligendum eſt manna typus Dominici Sacramenti, quod dicitur panis Angelorum, non ſublimium ſpirituum, ſed fidelium Chriſtianorũ, quod olim Iudæi, quos homines vocat, licèt in vmbra & figura, manducauerunt. Vides ergo quantą nobilitate, quantoque inſignimur honore, ex quo digni ſumus pane corporis Chriſti, vt non amplius homines, ſicut cæteri, ſed Angeli denominemur?

8 Maius aliud dicam. Monet Dominus Chriſtianos, nè quemquam eorum, qui in terra degerent, patrem appellarent. *Patrem nolite vocare, vobis ſuper terram.* Sed quorſũ *Matt.* 23. 9. ſpectent hæc verba, egrè quidem percipio. Si, qui me genuit, pater meus eſt, quid eſt quod Patrem eum vocare prohibeor? Tuo his verbis Dominus proſpicit honori: Namque, tametſi patrem habeas, qui te genuit in terra, quia terrenus eſt, ignobilis, & obſcurus; dum illum patrem appellas, ingenuitati tuæ magnam affers iniuriam, ſic tuo te ore confitens terrenũ ignobili

bili genere nactum, obſcura ſtirpe progenitum. Deum etiã habes, à quo verè creatus, & regeneratus es, cuius verus es filius. Quem, quia omnem ſupergreditur excellentiã, nobilitatem, dignitatẽ maieſtatem; non quæ terrenis modo, ſed & q̃ cæleſtibus reueretur ſubſellijs, vt ingenuitatis tuæ non ſis immemor, modo patrẽ vocare debes. Prohibuit nos Chriſtus neminẽ præter Deũ vocitare Patrem, ait Auctor Operis imperfecti: *Quia non ſuper filij terreni*. Si Macedonum Rex Alexander cum filius fuiſſet hominis, ſe Iouis filiũ mentiebatur, vt Dei filius diceretur, diuinoque afficeretur honore: dum tu procul à mendacio verè ſis filius Dei, quare Patrem vocabis alium præter Deum, teque tam excelſo expoliabis honore? Magna profectò Chriſtiani hominis dignitas, incõparabilis ingenuitas, admirabilis maieſtas eſt Dei filium eſſe. Verum quonã pacto Chriſtianus homo tam altum nactus eſt ſoliũ, tam elatum thronum, tam excelſum ſubſellium? Euchariſtiæ munere. Exponens Hugo Cardinalis verba D. Ioannis *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, ſic inquit, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri ijs, qui receperunt eum dignè in Sacramento*. Obſtupeſce Chriſtiane dignitatem tuã, ad quam, quia pane cœli reficeris, es erectus, cuius gratia non ſolũ mũdanis hominum Regibus; ſed etiam Angelis digniores, & nobilior.

*Auct. Oper. Imperf. Homil. 45.*

*Ioan. 1. 12.*

*Hug. Car. ibid.*

9 Quæ quidem dignitas, ac nobilitas ità conſtanter animabus noſtris adhæret, vt nullam vnquam ob cauſam poſſit obliterari. Dũ Chriſtus ſponſam ſuam nullo maculatã dedecore commẽdat, & laudat: *Sicut lilium*, ait, *inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Tanta eſt (ac ſi diceret) pulchritudo dilectæ cordis mei, quanta eſt deformitas filiarum mearum; quas ob fæditates, & ſordes dum dedignor vocare amicas, voco filias: vnde mihi videtur hæc pulchrum, & candidum lilium, illæ deterrimæ, abiectæque ſpinæ. Quæro mi Domine Deus, ſi eo quod filiæ ſe peccatorũ ſordibus coinquinarunt, non modo eas vocare dedignaris amicas, ſed ſpinis confers abiectis, æterno igne cremandis; quorſum vocas filias? Dedecet ſanctitatẽ tuã eas vocare filias, quæ à tanto Patre degenerant. De Carino Sceleſtiſſimo, & enormiſſimo Romanorum Imperatore, *Nõ eſt meus* eius dicere conſueuerat pater. Erubeſcebat probus homo tot enormitatibus inuolutum, tametſi Romani Im-

*Cãt. 2.2.*

*Flau. Vopiſcus in Carino.*

Imperij moderaret habenas, nuncupare filium. Vnde ergo tu Deus Omnipotens eorum animas, qui culpis fætent, & ſceleribus ſordent, transgreſſionibus maculātur, nuncupare filias minimè dedignaris? *Spinæ ſunt*, reſpōdet Deus ex Auguſtino, *propter mores ſuos, filiæ propter Sacramēta mea.* Tametſi peccatorū animæ ſordibus deturpētur innumeris, ex eo tamen, quod fidem profiteantur, cuius dono, dum reſipiſcunt, corporis, & ſanguinis mei Sacramenta participans, ab albo Chriſtianæ dignitatis nequaquam obliterātur, adhuc filiæ ſunt, pro filijs habendæ, filiæ nuncupandæ. Quantum debet homo ineffabili Sacramento, cuius gratia Dei filius factus, non hominum modo, ſed & cœlorum ſpirituum dignitates excellit, honoribus præeminet; cuius nunquam poterit ſidus obnubilari?

*D. Auguſt. in Pſal. 99.*

## THEOREMA XIII.

### In loco paſcuæ ibi me collocauit.

*Nimis honorandi ſunt Sacerdotes, quorum gratia Gratiæ deliciamur edulio.*

Avdi quam pulchrè, pariter & eleganter Aponius pertractans de paſcuis ſacris altaris, philoſophetur. *Iſta paſcua non videt Iudæus, neque Gentilis, qui non ſequuntur paſtorem, quem Princeps paſtorum Chriſtus mundo Vicariū dereliquit, dicendo. ſi amas me, paſce oues meas.* Hoc eſt; Solis hæc paſcuæ Chriſtianis relictæ ſunt, qui Petrum, Petrique ſucceſſores ſequuntur, quibus arcæ cœli cōceſſæ ſunt claues; vt quotieſcunque libuerit aperire poſſint, diuinum educere panem, eoſque ſuper cœleſtib⁹ delicijs educare. Propterea magnus honor, magna reuerentia tales decet miniſtros, quos tanto Deus donauit munere, vt nos participes Chriſti corporis & ſanguinis faciant.

*Apon. li. in Cant.*

1 Placet Diuo Bonauenturæ in miraculo multiplicationis panis, quod Chriſtus in deſerto patrauit, Euchariſtiam delineatam fuiſſe. Pulcher ſanè typus: quippe ſicut in illo miraculo accepiſſe Ieſum panem, benedixiſſe, fregiſſe, vtque turbis diuiderent, dediſſe Diſcipulis ſuis refert Euangeliſta: *Et cum iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnū, acceptis duobus panibus & quinque piſcibus aſpiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis:*

*D. Bonau. ſer. 4. Domin. 4. Quadrag.*

*Matt. 14. 19.*

bis:

*bis:* haud aliter feciſſe recenſet in conſecratione corporis, & ſanguinis ſui. *Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis.* Aduerte quod nõ tantum dedit, vt ſumerent, ſed & alijs traderent. *Vt ſumant & dent cæteris,* ait Eccleſia. Vt ſic figuratum reſponderet figuræ: ibi enim panẽ diuinitus multiplicatum turbis dederũt, hic verò panem cõſecratum Chriſtianis. Et quemadmodum in illo miraculo Redemptor noſter turbam Hebræorum paſci eo conſilio voluit ab Apoſtolis, vt honoratiores redderet: *Honoratiores,* inquit Chryſoſtomus, *hac re ipſos cõſtituit:* Sic & in diuiſione corporis, & ſanguinis ſui tribuit eis diuidẽdi poteſtatẽ, & contribuendi, vt honoratiores efficeret. Planè nimis honorati erãt Apoſtoli. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus,* ĩquit Pſaltes: vtpote qui Regis Regũ, non ſecus, ac Angeli in Cælo, aſſiſtebant in terra: mira & obſtupeſcenda efficiebant prodigia, vitæ mortuos dabant, Dœmones expellebant, elementis imperabant; totque mundum illuminabant virtutibus, quot Deus ſyderibus cœlum. Verum cùm eos Chriſtus Sacerdotes elegit, adimplens manus eorum ſuo corpore & ſanguine, honoratiores conſtituit. Digni quidem ſunt honorari ab hominibus, vt Diſcipuli Chriſti, vt opifices tantum ſignorum, vt poſſeſſores tantarum virtutum: vt tamen miniſtri venerabilis Euchariſtiæ honorationes ſunt, maiori honore digni, profundiori reuerentia proſequendi.

*Ibid. 26. 26.*

*D. Chryſoſt. Hom. 30. in Matt.*

*Pſal. 138. 17.*

2 Dum Deus è cœlo formoſiſſimum ſuæ ſponſæ, ac noſtræ matris Eccleſiæ collum reſpiceret, miro cõmendauit, & prædicauit encomyo *Collum tuum,* inquiẽs, *ſicut turris eburnea.* Ac ſi diceret. Dum tuum inſpicio collum tali oblector ſpectaculo, vt me minime poſſim ab eius laudibus abſtinere: videtur enim mihi inſtar pulcherrimæ turris; haud ex cæno, rudique lapide, ſed ex ebore nobiliſſimo, & pretioſiſſimo fabrefactę. Quod nam eſt collum Eccleſiæ, quod Deus adeo commendat, & effert? Si Philoni Carpacio (vt fas eſt credere) credẽdum eſt, Sacerdotes Dei ſunt. Eius hæc ſunt verba. *Eccleſiæ caput Chriſtus eſt huic ſancta omnium fidelium membra firmiſſimè adhærent; ijque præcipue qui miniſtri fideles diuiniſſimum eius corpus adminiſtrant, & ſanguinem ſalutis æternæ Chriſtiano populo, ſalutarem cibum, & potum, ijs ſolum notum, qui guſtauerunt. Vt enim collum capiti proximum eſt, & coniunctum, ſic veri mini-*

*Cãt. 7. 4.*

*Philo Carpac. in Cant.*

*niſtri Dei ſacratiſſimo corpori, & ſanguini Ieſu Chriſti ſanctiſſimè adhærent.* Pulchrè per collũ Eccleſiæ ſacerdotes ſignificãtur, non modo, quia propinquius Chriſto capiti accedũt, adherentque, vt placet Philoni; ſeu quia ſicut caput per collũ totius corporis vniuerſitati alimenta vitę miniſtrat: ita Deus per Sacerdotes panem vitæ æternæ fidelibus cunctis impertit: ſed etiam quia, queãdmodum natura locum collo dedit eminẽtiorẽ, capitique viciniorem: ſic Deus Omnipotens ſupra fideles alios locauit, & extulit Sacerdotes, ſicque ſibi vicinos fecit, & proximos, vt Imperatoribus, & mundi Regibus, longè ſuperemineant. Ex eo verò pręcipuè quod honor in altiori, & eminẽtiori loco conſiſtat, vt in Regum & Epiſcoporum ſolijs paſſim videtur, quæ ſupra alios eriguntur: voluit Deus tam altè & eminenter ſacerdotes erigere, vt ex loci eminentia cõiectes neminem in mundo tali, ac tanto proſequendum honore, quaſi, & quanto proſeqũedi ſunt ſacerdotes. Videnſque eos ſupra cæteros honorari, ſupra cæteros honores & tu. Nec quidem immeritò: eis enim, velut collo cuidam, dulciſſimum, ac ſaluberrimum panem Corporis Domini, pabulum vitæ æternæ, propugnaculũ noſtræ imbecillitatis, ſpem vnicam noſtræ ſalutis, debemus.

3 Aduertẽdum, quod dum meminit Iſaias ſe duos Seraphim ſolio Dei aſſiſtentia conſpexiſſe, eos ſe vidiſſe ſuis alis obuelatos, adiungit. *Duo Seraphim ſtabant ſuper illud ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ſuam, & duabus velabãt pedes ſuos.* Si forte quid ſignificabant Seraphim inquires. Ait D. Germanus Cõſtantinopolitanus Patriarca ſacerdotes ſignificaſſe. Quod ex eo coniectat, quia eorũ alter tulit ex altari pretioſũ carbonẽ, quo vatis labia tetigit, vt eius iniquitatem & immunditiam adurendo abſtergeret. *Et volauit ad me* inquit *vnus ex Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dicit. Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ mundabitur:* quod per ſingulos dies faciunt ſacerdotes: dum enim Deo in altaris ſolio eleuato aſſiſtunt, & miniſtrant, ſacrum, & pretioſũ carbonem corporis Ieſu Chriſti in manibus ſuis accipiũt vt mundent, & ſanctificent communicantium corda. Quare ait S. Doctor. *Seraphim ſignificat ſacerdotem tenentem ſpiritualem carbonem Chriſtum forcipe manus ſuę in ſancto altari; & ſanctificantem, & purgantem aci-*

*Iſa.6.2.*

*Ibid. ver. 6.*

*D. German. lib. Rerũ Eccleſiaſt. theoria.*

*cipientes*. His ita præhabitis, expende, quod dum Iſaias ſacerdotes vidit ſub typo Seraphinorum, à capite vſque ad pedes obuelatos vidit, vt dictum eſt. Quare Deus eos nõ oſtendit detecto corpore, ſed operto? Vt honorem eorum muneri debitum perpetuo cõſeruaret illæſum. Quippe, quæ paſſim obuia ſunt, parui pretij ſunt, & honorantur à nemine, imò cũctis vileſcunt. Hinc deuotiores imagines, ac Diuorũ reliquiæ tot inuolucris cooperiuntur & velis. In hac igitur re, quaſi in clariſſimo ſpeculo proſpicere poteris, quali ac quanto honore digni ſunt ij, qui pietoſiſſimum carbunculum Ieſu Chriſti ſuis manibus detinent, quod eos Deus, ne eorum deficiat honor, obuelatos oſtendat.

*Boccac. Gen. Deor.* 4 Tradit Ioãnes Boccacius de reuerẽtiæ ſtirpe concertaſſe Poetas. Qua in re plurimi plurima dixerunt: inter quos Seruius enumerandus, cui viſum eſt filiam eſſe Plutonis. Quod ſi ſtudioſè cõſideras, ingenioſum, figmentũ exiſtimabis. Nam quia *Pluto* iuxta ſententiam Fulgentij latinè *diuitias* ſonat, idem erit reuerentiam Plutonis, ac diuitiarum filiam eſſe. Sanè, vt cunctis patet, totus mũdus diuites reueretur, etſi degeneres, inertes, ĩſcij, vulgareſq; ſint homines.

*In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores* *Ouidius 5. Faſt.*

ait Ouidius. Hinc eſt quod pictura honoris ſemper diuitem repræsẽtat. In numiſmate Antonini Pij expreſſus eſt ad modum iuuenis purpurati cornucopiam tenentem. Alibi etiam totus onuſtus auro. Sed quorſum hac dicta ſunt? Vt ſacrum miniſtrum præ cæteris hominibus honore, ac reuerẽtia colendum aduertas. Nã ſi diuitiæ honoratiorem cõſtituunt, quis ditior ſacerdote, qui eum habet in manibus, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, qui de ſeipſo: *Mecum ſunt diuitiæ, & gloriæ, opes ſuperbæ, & iuſtitia?* *Prou. 8. 18.* Quare ait D. Hieronymus. *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinemque portat in vitro.* *D. Hiero. epiſt. 4. ad Ruſtic.* Ergo ſi nemo ditior Sacerdote, nemo etiam ſacerdote illuſtrior ac venerabilior.

5 Dum, ſuã D. Chryſoſtomus plebem Sacerdotes edocet venerari, ſic ait. *Qui honorat Sacerdotem, Deũ quoque honorat. Qui verò Sacerdotẽ ſpernit; ad id ſenſim prolabitur, vt in Deum ipſe aliquando cõtumelioſus euadat.* *D. Chryſo. Hom. 2. 2. ad Timot.* Ac ſi diceret. Attendite filij honorare ſacerdotem; in eo enim Deus honoratum ſe ſentit: quod ſi ſecus feceritis, Deum ipſum contemnetis. Ego in hac ſententia, vt præſens argumentũ exi-

git, nil aliud expendendũ du-
co, quam verbum *Honorat:* ait
enim S. Doctor: *Qui ſacerdotem*
*honorat*. Rogo autem quare
potiùs dixit *Honorat* quam ve-
neratur. cum idem prorſus ho-
nor, & reuerentia, idéque ho-
norare, & venerari ſignificet?
Non abſre Os aureũ verbo po-
tius honorandi, quam vene-
randi vti voluit: nã etſi reue-
rentia, & honor idem eſſe vi-
deantur; differunt tamẽ ab in-
uicem. *Sunt qui dicant*, ait Boc-
*Boccac.* cacius, *honorem & reuerẽtiam*
*Geneal.* *differre inter ſe: honor enim eſt*
*Deor. lib.* *cultus, qui alicui ex decreto iu-*
*3. cap.* 11. *ſtitiæ impenditur; reuerentia ve-*
*rò, quam maioribus, non ex de-*
*creto, ſed ſponte vel conſuetudi-*
*ne exhibemus, cum flexis geni-*
*bus, & aperto capite venerabiles*
*viros alloquimur.* Nè forte exi-
ſtimes honorem Dei miniſtro
exhibendum tuo placito com-
miſſum, tuæque voluntati re-
lictum, non ait Oſaureũ. Qui
ſacerdotem veneratur, ſed *Qui*
*honorat ſacerdotem:* etenim ad
honorem illius, qui dum ſacrũ
facit, Deum trahit è cœlo, ter-
ram Angelis replet, viatores
reficit, defunctos ſolatur, mun-
dũ tuetur, cœloſq; nouo replet
tripudio; cõpelledꝰ es, & gra-
ui plectendus ſupplicio, ſi de-
bita prætermittis obſequia.

6 Peruulgatum eſt in hiſto-
rijs Græcorum, & Romanorũ,
veteres Sicanos vnà cũ Athe-
nienſibus in Deorum albo Ce-
rerem deſcripſiſſe, eodemque
honore vt reliquos Deos co-
luiſſe. Sed quid meruit fœmi-
na apud homines illos, vt eam
diuino honore proſequerẽtur?
Audi Diodorum noſtrum.
*Tradunt Cererem, cum Proſer-* *Diod. Si-*
*pinam filiam reperire non poſſet,* *culus lib.*
*varias orbis partes Proſerpinam* 5. *cap.* 2.
*quærentem deambulaſſe: homi-*
*neſque, qui eam gratè ſuſcepe-*
*rant, tamquam beneficij memo-*
*rem, frumenti edocuiſſe vſum,*
*in queis primi poſt Siculos fuiſſe*
*Athenienſes. Qua ex re publi-*
*cè hanc Deam præ cæteris colue-*
*re, tũ ſacrificijs ampliſſimis, tum*
*Eleuſinæ myſterijs.* Hucuſque
Diodorus. Hinc eſt ꝙ autu-
mãt aliqui ideo dictã Cererẽ,
quia fruměta gerebat. Quare
ſi ſimplex muliercula, ex eo tã-
tũ, quod corruptibile frumen-
tũ gereret, & oſtenderet, tanto
coli meruit honore, vt relata
ſit inter Deos: quãto ſacerdos
eſt à te ꝓſequẽdus, q̃ nõ ſolum
tibi ſacroſãctũ panẽ, cibũ An-
gelorũ, vitę ęternę pabulũ, oſ-
tẽdit, & gerit; verũ & cõficit,
teque eo reficit, impinguat, &
nutrit? Quę q̃dẽ dicta nõ ſũt,
vt Deum facias ſacerdotẽ, ei-
que diuinum cultum impen-
das. Homo eſt, nõ Deus: ſed vt
infra Deum tali proſequaris
cultu, quali neminem alium.

7 Audi, quæ Chriſtus Bri-
gittæ Sponſæ ſuæ de Sacerdo-
tis dignitate dixiſſe legimus.

Elegi

Reuel. S. Brigit. li. 4. c. 153.

*Elegi Sacerdotes præ omnibus Angelis, & iuſtis, & dedi eis poteſtatem, vt corpus meum tractarent. Si enim voluiſſem, potuiſſem benè eligere Angelum aliquem ad tale officium; ſed tantum dilexi Sacerdotes, vt eis tale officium committerem.* Vides Sacerdotes pluſquam Angelos honoratos à Deo? Quos ſi Deus tanti facit, vt præferat Angelis, quanto honore proſequi debes & tu, à quibus ſalus tua, vita tua, gloria tua, tam clarè dependet? Huius rei gnarus Seraphicus Patriarca, vt tradit Bernardinus,

D. Bernardin. to. 1. ſer. 2. ar. 2. c. 5.

*Aſſerere ſolitus erat, quod ſi obuiaret Angelo ſimul, & Sacerdoti, prius reuerentiam debitam faceret Sacerdoti, quam Angelo Dei.*

8 Recenſet Galatinus Rabbinum quendam, quem cęteri Hebræi, Sanctum magiſtrum noſtrum, honoris gratia appellant, retuliſſe ſe vidiſſe olim Vatem Eliam altari aſſiſtentē, ſacrum celebrantem, dicentemque.

Galat. de Arcan. li. 50. c. 7

*Hoc eſt ſacrificium, quod poſtquam venerit Meſſias, facient Sacerdotes coram Deo ſancto. Quod cum primum Sacerdotes exercebunt, omnes Angeli cœli audientes illa ſacra ſanctaque verba ex ore Sacerdotis prodeuntia, inuidebunt mirum in modum illis, & cōtremiſcent.* Huic traditioni fides aliquantula præſtanda eſt: nam, tametſi tenendum non ſit Angelos Sacerdotibus inuidere: nam cum Sancti ſint, innocentes, & puri; nulli poſſunt inuidere, vel alia ſorde coinquinari. Præcognita tamen ineffabili Sacerdotum dignitate, & poteſtate, nulli Angelorum conceſſa; dici poteſt, quod ſi Angeli poſſent, inuidia Sacerdotes proſequerentur. Animaduerte quam magno honore Deus extulit Sacerdotes, quod eos prætulit Angelis, Principibus Paradiſi.

9 Maius dicam. Non modo Deus Angelis prætulit Sacerdotes, ſed & Genitrici eius Angelorum Reginæ. Cum Beatiſsima Virgo vnà cum Sponſo Ioſeph, pueroq; Ieſu, feſto interfuiſſet, ac reuerſa eſſet in ſuam Ciuitatem, dum ſe non reduxiſſe prædilectum filium, quem ad feſtum adduxerat, aduertit; magno cordis dolore perculſa iterum Ieroſolymam rediјt, animæ ſuæ delicias quæſitura. Quem cum poſt triduum inter Phariſæos inueniſſet philoſophantem, diciſſetque *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, tale accepit reſponſum: *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

Lu. 2. 48.

Quibus verbis Chriſtus, vt placet Bernardino, *Magis*

D. Bernardin. to. 4. ſer. 48.

appre-

*appretiauit Phariſæos, qui habebant gradum, quam Beatam Virginem, ex qua cæperat carnem.* Mirum dictu, ac penè incredibile, Chriſtum ſummum Deum maiori affeciſſe Phariſæos honore, quam Sanctiſſimam Matrem. Si Deus æque honorare iuſtos, & deſpicere peccatores conſueuit; quis ſanctior Deipara, quæ Sanctos pietate, & Angelos ſuperat puritate? Quid iniuſtius Phariſæis, in animi prauitate, & cordis malignitate nemini ſecundi? Vnde eſt ergo quod Sapientia Dei, vt prauos honoraret, ſanctam ſanctorum poſthabuit? Audi quæ habeat ad hæc Sanctus Doctor. *Non reſpexit Deus quod erant maligni, & magni peccatores; ſed quia erant in gradu Sacerdotij, vnde præpoſuit eos carni Virginis Mariæ. Quia ſi eſſent mille Virgines Mariæ, non poſſent conſecrare Corpus Chriſti, vnus Sacerdos peccator poſſet conſecrare illud. Vnde quantum adhoc oſtenditur dignitas, & auctoritas Sacerdotij; quia ſunt Vicarij Chriſti præferendi carni Beatiſſimę Virginis Mariæ.* Perinde gradus Sacerdotalis extollitur, vt quamquam homini omnium ſceleſtiſſimo ſit collatus, ex eo, quod panem cęli valeat conſecrare, non modo Angelis Dei, ſed & Angelorum Reginæ Dei Genitrici, exemplo Chriſti præhonorandus eſt, & præferendus.

## THEOREMA XIV.

### In loco paſcuę ibi me collocauit.

*Vnum recipit; duos deijcit Sacrum Chriſti Sympoſium.*

VBi Septuaginta transferunt, *In loco paſcuæ ibi me collocauit*, Pagninus habet, *In tugurijs germinis accubare faciet me.* Ex quo patet ſacrum Corporis Chriſti, quod Vulgatis appellat *Paſcuam*, Sanctes vocare *Tugurium*. Quare, ſicut, vt ait D. Iſidorus, *Tugurium caſula eſt, quam faciunt ſibi, cuſtodes vinearum ad tegimen ſui quaſi tegurium, quam ruſtici capannam vocant, quod vnum tantum capiat*; ità etiam Corpus Redemptoris tugurium, ſiue capanna eſt, vnum tantum admittens, alterum autem expellens. Sacramentum pacis eſt, ſolos eos, quorum anima vna, & cor vnum eſt, aſſumens; diſcordes, & ab vnitate ſeiūctos longè repellens. Quicumque igitur tantum bonum participare deſiderat, vbi vnum fiet cum proximo, confidenter accedat: ſi verò permanſerit alter, recedat: non enim recipietur ad menſam, ad quam non niſi vnus, accumbit.

*Transl. Pagn.*

*D. Iſid. Etymol. lib.* 15. *c.* 12.

1 Rex noſter Chriſtus viſus eſt ab Iſaia ſedens, *ſuper ſolium excelſum, & eleuatum;* nimirum ſupra ſacrum altare; quod quia eſt ſolium Dei eleuatum, dictum eſt altare, res nempe alta, & eleuata: quippe ibi ſub typo carbonis igniti Euchariſtiam, vt placet D. Thomæ, repræſentantis, præſidebat cum gloria. Quem mox alter ex Seraphim, velut Vatem communicaturus, accepit, & in labia eius immiſſo, eum ſãctificauit. Ex hoc loco pro modo nil aliud expendendum cenſeo, quam ſolij nomen, quo diuinus Vates ſacrum vocat altare: quare vero ſolium, & nõ cathedram appellat, quę idem, regum nẽpe ſedes ſignificant? Idcirco potius ſolium dixit, quam cathedram, vt daret intelligi ſacroſanctam mẽſam ſic vnum recipere, vt duos reijciat. Inter ſolium, & cathedram hoc intereſt, quod iſta duos recipiat illud verò vnum. Nam vt Auctor Apophtegmatum ait, cathedra apud Græcos dicitur Diphros quaſi duos recipiens, quod pariter applicatur currui, qui duos ferat, pugnantem ſcilicet, & aurigam. Tales olim erant cathadræ, minimè, vt nunc, vnum, ſed duos accipiẽtes, præſulem, & aſſeſſorem. Aſſeruatur adhuc in Archiepiſcopatu Cantuarienſi huiuſmodi ſella, quam dicunt fuiſſe Sancti Thomæ Acrenſis. Hæc eſt ergo ratio, quare ſacrum altare non dicitur cathedra; nõ enim recipit alterum à proximo; vnitatis, & pacis contemptorem; ſed ſolium eſt, vnum, & ſolum admittit; eos videlicet, qui vnitatem ſeruant, & pacem: ſicque indiuiſibiliter ad inuicem vnum idemque ſentiunt, vt vnus cẽſeantur, non plures.

*Iſa. 6. 1.* *D. Thom. opuſc. 58 c. 22.* *Auct. Apophţ. lib. 8.*

2 Cum ſe ſponſus Ieſus cãpi comparauerit flori: *Ego flos campi*, poterat perfectò ſe flori paradiſi, item horti, prati, viridarijq; conferre: maluit tamen dicere *flos campi*, vbi plurimi certant, vt victoriam cõſequantur, & præmium. His enim verbis ſeipſum oſtentare ſategit tamquam brauium quoddam in virtutis ſtadio currentibus, & decertantibus. Audi Hugonem Cardinalem, *Ego flos campi. Ideſt ſuauitate odoriferus, aſpectu decorus, guſtu dulcis, tactu ſuauis, olfatu delectabilis. Sed non lecti, quem tu quæris, aut horti, ſed campi per victoriam certaminis obtinẽdus. Quaſi diceret: Ego ſum brauium in ſtadio currentibus.* Hæc eſt pręcipua ratio, qua Sancti currunt ad Chriſtum. *Sine iniquitate cucurri, & direxi*, ait Pſaltes: *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum;* cum puellis Sionitis ait Sponſa.

*Cãt. 2. 1.* *Hugo Cardin. ibid.* *Pſ. 68. 5.* *Cant. 1. 3*

Qua-

Quare, ſicut pro aſſequendo brauio multi ſunt qui currũt, ſed vnus eum accipit. *Omnes quidem currunt ſed vnus accipit brauium*; ſic pariter, & ſi omnes ad altare accurrant, inter tot tamen vnus accipit Chriſtum: Quid eſt hoc (inquies) cum multos videam Sanctos Sanctam properantes ad menſam, & Corpus Domini accipere? Rectè ais: ſed ij omnes, cum ſancti ſint, vnum ſunt. *Meritò ipſi omnes*, ait Origenes *non ſolum vnum, ſed vnus dicuntur. Omnes quidem vt ait Apoſtolus currunt, ſed vnus accipit palmam. Vides manifeſtè quia omnes iuſti vnum ſunt?* Eo quia ſic inſolubiliter charitatis vinculo ad inuicem colligantur, & adamantur, vt non cenſeãtur plures, ſed vnus. Horum tantum eſt Euchariſtia. Vnum ſolum excipit.

*1. Corint. 9. 24.*

*Origen. Hom. in lib. Regũ.*

3 Poſtquam ſemel Baſilius Sacra Corporis, & Sanguinis Domini confecit, *Diuidens panem in tres partes vnam quidem ſuſcepit cum timore multo, aliam verò ſeruauit ad conſepelendum ſibi, tertiam verò poſuit ſuper columbam auream.* Expende quod Sanctus Antiſtes Euchariſtiam non poſuit ſuper aquilam, ſuper cygnum, ſuper gallum, ſuper pauonem, ſiue ſuper aliam alterius generis auem; ſed ſuper columbam. Cur ſuper columbam? Quia nulla eſt auis, quæ tanto proximum proſequatur amore, quanto, vt tradunt, columba, quod mutuis illarum oſculis comprobatur. *Columba inter omnes aues ſolùm oſculum nouit*, ait Richardus à Sancto Laurentio. Idcirco ſignificat Sãctam Matrem Eccleſiam, cuius membra, & quæ ſurſum erigit, & quæ deorſum habet, ſic mirè concordant, vt verè vnum cenſeantur. Hinc eſt, quod non ſolum à Sponſo dicta eſt columba; ſed & vna columba: *Vna eſt columba mea.* Baſilius ergò probè ſciens ſacra myſteria conferenda nõ eſſe, niſi ijs, qui charitatis glutinio ad inuicem connectuntur, vt in vnũ euadant, poſuit eam ſuper columbam, non ſuper aquilam, gallum, aut cygnum, belli, ac diſſidij ſectatores.

*Vit. Patr. lib. 1. c. 6. de S. Baſilio.*

*Rich. à S. Laur. li. 5*

*Cant. 6. 8*

4 Sapientiſſimus Rex Salomon tactus radijs Sancti Spiritus Sacræ Euchariſtiæ vidit inſtitutionem, cũ hæc deſcripſit. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuã: miſit ancillas, vt vocarent ad arcem, & ad menia ciuitatis.* Vbi diligenter aduerte, ſapientiã Dei Chriſtum Regem noſtrum nulla alia ratione Eccleſię domum ædificaſſe, niſi vt inſtructo conuiuio corporis, & ſanguinis ſui, ad eam fideles ſuos aduo-

*Prou. 9. 1*

aduocaret, vt ſacris reficerentur edulijs. Quocirca ancillæ mittendæ erant vt ad domum conuiuas vocarent. Verum vt audio miſſæ non ſunt vt vocarent ad domum; ſed ad Ciuitatem. *Vt vocarent*, inquit, *ad arcem & ad mœnia Ciuitatis.* Quare magis ad ciuitatem, quam ad domum? Vocabant ad ciuitatem, quaſi vocaſſent ad domum, quia domus illa ciuitas erat. Ciuitas inde dicitur, q̃ in vnum redigat ciues; *Quaſi ciuium vnitas*; ait Antoninus. Sanè domus illa Sanctam Eccleſiam ſignificabat, quæ, quia magno charitatis vinculo, quos recipit, vnit; non ſolum domus, ſed & ciuitas dicitur; ad quā aduocantur ſacroſanctis epulis nutriendi. Prius enim ad inuicem cōcordare, & cum proximo oportet vniri, mox verò ſancta participare, quorum eſt vnū recipere, pluresue repellere.

*D. Antonin. par. 4 tit. 15. cap. 2.*

5 Idipſum in Pſalmo Septuageſimo primo concinnè ſubindicat Propheta, vbi dū agit de Euchariſtia, *Erit*, ait, *firmamentum in terra.* Ne te per firmamentum Euchariſtiam accipere pigeat, non modo, quia velut firmamentum Deum cōcludit, & continet; verum etiā quia, vbi Septuaginta *Firmamentum habent*, *Pugillum frumēti* trāsfertur à Pagnino. Sed obſerua quod ait Dauid hoc ſacrum firmamētum futurum in terra, *Erit firmamentum in terra*; non ſuper arenam. Quare tantum ſuper terram, & non ſuper arenam? Sanè proficiet terræ ſacroſancta comeſtio: arenæ verò, quæ, quia humoris eſt expers, ſemper areſcit, & ſitit, qua de re ieiunandum? Quia ſicut Chriſti ſacra vni ſoli conferūtur, ità pluribus abnegantur: ideo dum terra tanto bono paſcitur, & pingueſcit; areſcit, & ieiunat arena. *Quia terra* ait D. Chryſoſtomus *vnita eſt, & in ſeipſam ſtricta*; *arenæ autem grana non conueniunt ſibi, nec adhærent ad inuicem.* Sub typo terræ mites intelliguntur, & manſueti, pacis ſectatores, & odium odio habentes, qui chriſtiana charitate ità ſe ad inuicem cōnectuntur & compaginantur, vt vnū eorum ſit cor, vna voluntas, anima vna: Per arenam verò iracundi, diſcordes, odio habentes, ab altero auulſi, nulli conſentientes, ab omnibus diſcrepantes. Idcircò Sancta Euchariſtia non in arena, ſed in terra repoſita eſt à Pſalte. *Erit firmamentum in terra.* Sacramentum pacis eſt, mitia quærit, odit turbulenta. Si terra es, accede confidenter, tuus cibus eſt *Erit in terra*: ſi verò arena, nequaquam accumbes, nè prius terra euaſeris ex arena.

*Pſal. 71. 16.*

*Translat. Pagnin.*

*D. Chryſoſt. Hom. 20. in Matt.*

6 Drogo Cardinalis Chriſti pallium vocat Euchariſtiã. *Remanſit*, inquit, *pallium tuum in memoriam tuam, vt præſentia eius abſentiæ tuæ dolorem ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat. Hoc eſt Sacramentum Corporis tui.* Perneceſſarium pallium: eo enim Eccleſia Dei, non ſolum ſe protegit, verum & quotidianas corporis ſui ſordes, vt tota ſit pulchra, & decora, ſine macula & ruga, feliciter abſcondit. Hoc pulcherrimo, & pretioſiſſimo pallio exornantur omnes, qui ad cœnam gloriæ properant. Veſtis eſt nuptialis, ſine qua nefas eſt inuitatos ad agni nuptias accedere. Verum videamus quãtæ magnitudinis amplitudiniſve ſit hoc pallium? Certè cum tot, ac tantos cooperiat, maximæ erit. Ne (te quæſo) quæras amplitudinem, & magnitudinem pallij Corporis Chriſti: breuiſſimum eſt ſtrictiſſimum vnum tantũ cooperiens, ſe extendere non valens ad duos. *Pallium breue, vtrumque operire non poteſt*, ait Iſaias. Si pluſquam mille, & millia millium charitatis glutinio compacti, & in vnum redacti fuerimus, ſufficientiſſimè cooperiet omnes: Si verò duo, diſcordes tamen, & diſſides; non poterimus operiri. Breue eſt, anguſtum eſt, indiuiduum eſt cooperit vnum, nõ tegit vtrumque.

*Drogo Card. de Sacram. Dom. Paſſ.*

*Iſa. 28. 20.*

7 Cũ meminiſſet Vates Euchariſtici ſacri, dixiſſetque ſacro eius eſu S. Eccleſiæ membra ampliari, augeri, & multiplicari *A fructu frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt*; adnectit, *In pace in idipſum dormiam*; Ac ſi dixiſſet. Quærant ſibi alij eburnea ſtrata, deauratos lectulos, plumeas culcitras; ibique quieſcant, & dormiant. Ego verò alibi dormire, & requieſcere non cupio, quam in arca huius frumenti: in ea enim eſt ſopor meus, requies mea, dulcor animæ meę, refectio laborũ meorum. Vbi, vt aduertis, ſub typo lecti Euchariſtia ſacra proponitur. Lectus eſt quidem: in ea enim dormiunt Sancti. Tradũt Philippum Nereum graui morbo correptum, cum quadam nocte quieti corpus tradere nulla ratione potuiſſet, enixius rogauit aſtantes Euchariſtiam ſibi darent; quam cum negaſſent, quod vererentur nè ſumpto Sacro ab oratione & lacrymis ſpe ſomni capiundi priuari; certiores eos fecit, ſi voti compos fieret, ſe cum Sanctiſſimo ferculo quietem capturum, vt factum eſt: nã eo ſumpto dulciter quieuit: nec mirum, lectulum ſuum inuenit, extra quem ſanctorum animæ requieſcere non poſſunt. Sed qualis lectus eſt Euchariſtia? Il-

*Pſal. 4. 8.*

*Anton. Gallon. in vita S. Philippi Ner. An. Chriſti 1577.*

Ille de quo inquit Sponſa ad
Cāt. 1. 16. ſpõſũ; *Lectulus noſter floridus.*
Deſcribitur floridus, quia eo
decoratur, qui de ſe ipſo ait:
Iſid. 2. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Huic lectulo, vt ait Bernardus, *Duæ culcitræ ſupponuntur: de præterito ſecuritatis, & fiduciæ amplitudo: de futuro remunerationis, & præmij certitudo. Ceruical, quod ſupponitur capiti, diuinæ familiaritatis, & gratiæ largitudo.* Tandem perpende quod nõ dicitur lectus, ſed lectulus, *Lectulus noſter floridus.* Et de multiplicatis Eccleſiæ membris, in eo dormiẽtibus & quieſcẽtibus, ait Pſaltes in ſingulari: *Dormiam & requieſcam.* Eo quod vt Iſaias
D. Bern. in ſenten.
Iſa. ibid. teſtatur *Coanguſtatũ eſt ſtratum ità, vt alter decidat.* Paruus eſt, ſtrictus, vnum tantum admittens, alium repellens, ità quęrens vnanimes, excipiens vnicordes, admittens charitate complexo; vt auulſos à proximo eijciat, & in ignem æternũ
Iſa. 30. 20. proijciat. *Panem arctum*, eum idem Iſaias alibi nuncupauit.

8 Locus, in quo S. Mater Eccleſia Sacri Corporis Chriſti cuſtodit myſteria, paſſim tabernaculũ dicitur; à tabernaculo fæderis, in quo Deus credebatur inhabitare. Hinc, vt Deum ſecum Petrus perenniter haberet habitantem, fa-
Matt. 17. 4. brefacere tabernaculum conſtituit. *Faciamus hic tria tabernacula, &c.* Ad hoc tabernaculum Sancti dum in carne viuunt, vt quotidie ab æſtu, & labore refocillentur, diuertunt. In hoc etiam tabernaculum Pſaltes bis introire cõcupiuerat, vt videre eſt in Pſalmo cẽteſimo trigeſimo primo: ſemel, cum diceret: *Si introiero in tabernaculũ domus meæ;* Pſal. 131. 3. 7.
& iterum, *Introibimus in tabernaculum eius.* Pro quorum exploratione aduertendũ, quod modò Vates ſingulari numero vtitur, modò verò plurali: modò ait, *Introiero*, modò verò, *Introibimus.* Rogo ergo, ſi ſolus in tabernaculum Dei conſtituerat introire, quare dixit *Introibimus?* Si verò cũ alijs, quare *Introiero?* Reſpondet Hugo Cardinalis ſecum Prophetam conſtituiſſe nõ ſolum, ſed vnà cum alijs in ſanctum tabernaculum introire, ſiue cũ dixit *Introibimus*, ſiue cum *Introiero.* Quod autem in ſingulari perſona locutus ſit de multis, ratio eſt: *Quia omnes* Hug. Car.
*iuſti vnum ſunt in fide, & charitate.* ibid.
Optimè cognouerat ſapientiſſimus Vates Eccleſiæ tabernaculum ex ijs, qui ad illud properant, vt ſacro pane reficiantur vnum tantum admittere, plures autem eijcere. Nè ergò eijceretur cũ reprobis, ſed admitteretur cum electis, factus eſt vnus cum alijs, vinculo nimirum charitatis cũ

proximo adnexus & colligatus: vnde etſi cum pluribus ingredi decreuiſſet, aitq; *Introibimus*; quia tamen ij plures, nõ plures, ſed vnum erant, *Introiero*, dixit. Nemo enim dignus eſt introire in tabernaculum Euchariſtiæ, & ſacro refici pabulo, qui, non conſentiens cum alio, alter eſt à proximo.

9 Patet ex præhabitis Sãctam Chriſti menſam manſuetorum & mitium, charitatẽ, & pacem proſequẽtium eſſe: diſſidentium verò, ſeque inuicẽ inuidentiũ, minimè: his enim ibi non refectio, ſed interfectio aſſeruatur. *Non facit ad dentes iſta farina tuos*. Dentes lupinos, ac leoninos habent rixoſi, ſanguine, & carne fædatos: aufugiant tales è ſacris; non accedant, quouſque dentes ouinos, mites, innoxios, neminem mordentes, ac dilacerantes, aſſumpſerint.

## THEOREMA XV.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Paruulus dignè capit, quem orbis totus non capit.*

PRO eo, quod Vulgatus transfert, *In loco paſcuæ ibi me collocauit*, habet D. Hieronymus *In paſcuis herbarum* *Trãsl. D.*
*acclinauit me*. Perpendendum *Hieron.*
eſt verbum *Acclinauit*, quod inclinare, ſiue potius humiliare ſignificat. Velut ſi Pſaltes diceret. Vt me Deús meus paſcuæ corporis ſui participẽ faceret; acclinauit me, ideſt humiliauit me, quem alioquin minimè paſceret. Edocens ad perceptionem Sãctiſſimi Corporis Chriſti quam neceſſariã eſſe humilitatem. Quamuis enim Deus perinde immenſus ſit, vt eum cœli, & terra capere non poſſint: dum tamen eſt in ſacro, nõ niſi à paruulis capitur, neceſſe eſt proinde magnum fieri paruulum, vt tantum excipiat hoſpitem.

1 Hieremias Propheta deſcripturus eſuriem populi Iſrael, clamore, ac plantu magno, panem perquirentis, præmiſit *Caph*, vndecimũ hebraici alphabeti elementum: prius enim dixit *Caph*, mox verò
ſubiunxit: *Omnis populus eius* *Thren. 1.*
*gemens, & quærens panem, de-* *11.*
*derunt pretioſa quæque pro cibo.* Quæro quid ſignificat *Caph*, quod ab eſurientibus, & perquirentibus panẽ à Deo, præmittendum eſt? *Caph* latinè, vt placet Ambroſio, interpretatur, *Incuruati ſunt*, nempe inclinati, ſiue humiliati, animi demiſſionem, humiliationemque ſignificat, quæ eouſque pro cœli pane obtinendo neceſ-

ceſ-

ceſſaria cenſetur; vt ſi petentibus eum deſit, nihil quidẽ agere, operam ludere, inanem laborem ſumere, compertum eſt. Proinde ait Sanctus Doctor: *Ergo, qui animæ ſuæ quærit refectionem, humilitate curuetur, qua poſſit citius ad domini peruenire miſericordiam.* Quaſi diceret. Panis, quem Hebræorum populus perquirebat fremens, ad animam pertinebat, nõ ad corpus, Euchariſtia enim erat, qua non corpus, ſed anima ſubſtentatur: quem rectè præuia petebant humilitate, ſcientes neminem ſacri panis participem fieri, qui nõ fuerit humilitatis particeps. Incuruandus eſt prius, & humiliandus, qui in menſa Saluatoris refici concupiſcit. Opus eſt vt clamet cum Centurione: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Sic erit dignus Chriſto, dũ ſe ſe cenſebit indignum.

*D. Amb. in Pſal. 118. lect. 12.*

*Matt. 8. 8.*

2 Cum mecum ipſe perpẽdo, citharedum Prophetam ad delicias Sacræ menſæ ſolos pauperes aduocare, vt videre eſt in Pſalmo vigeſimo primo, vbi, *Edant,* inquit, *pauperes, & ſaturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum,* minimè continere me poſſum, quin exclamem: Si, vt teſtatur Scriptura, nulla perſonarũ eſt apud Deũ exceptio; quippe qui cũcta æqua lance diſpẽſet, æquè regat, & dirigat, ſolemque ſuũ oriri faciat ſup bonos, & malos: quid rei eſt, quod mittens Vatem ſuum conuocare conuiuas ad menſam ſuam, diuitum oblitus, ſolos pauperes ĩuitare iubet? Rurſus ſi Deus, quæ pinguiora, dulciora, ac delicatiora ſunt in mundo diuitibus abunde dedit, pauperibus vero parce, quorsũ pinguiſſimum, dulciſſimum, ac delicatiſſimum panem corporis ſui, ſic peculiariter concedit pauperibus, vt abnegaret diuitibus? Demum haud me latet, diuites maiori, ac efficaciori, quam pauperes, indigere remedio, noſque, dum ſumus in mundo, maiori medicamento potiri nõ poſſe, quã Euchariſtia: Cur ergo periculoſiori ægroto efficacior denegatur medela? Planè, cum ad Euchariſtiam audis ſolos pauperes aduocari, q̃ſo, nè in ſolo ſono vocis perſiſtas, vt arbitreris ſolos pauperes accerſitos, diuites autẽ excluſos: ad eam enim & diuites & pauperes promiſcuè cõuocantur: Sed ſcias ſub vocabulo pauperum humiles intelligi: ait enim Oleaſter: *Pauper dicitur ab Anan quod eſt humiliari, quaſi humilis.* Dummodo ſis humilis, ſiſque ditior Cræſo, & locupletior Mida, ad ſacram mẽſam confidenter accede; ad eius vocatus eſpulas. Quod

*Pſal. 2. 27.*

*Oleaſter I. cap. 25. Deut.*

ſi è

ſi è contra pauper es & ſuperbus, quamquam ſis pauperior Iro, feſtinanter recede. Humilium eſt menſa Chriſti, ſoli humiles ad eam congregātur.

3 Dum Diſcipulos ſuos erudiret Chriſtus, oſtēdereque quales eſſe debeant ij, qui Regno Dei potiri concupiſcunt, paruulum aduocauit, aitque: *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Quibus mox adnectit: *Et qui ſuſceperit vnū paruulum in nomine meo, me ſuſcipit.* Horum pro modò poſtrema tantum expendam; ac perquiram: Quamobrem, qui paruulum recipit, Chriſtum recipit, cum Chriſtus ſit alter à paruulo? Paruulus pura creatura eſt, Chriſtus creator; paruulus homo tantum, Chriſtus Deus & homo; paruulus omnibus eget, Chriſtus omnibus affluit. Verum, cum ait Dominus, Qui ſuſcipit paruulum, me ſuſcipit, minimè intelligit ſe idem eſſe cum paruulo, ſed eſſe in paruulo. Audi Abbatem Paſchaſium hæc interpretantem. *Ac ſi diceret: me ſuſcipit, quia in talibus ipſe ſum, qui ſeipſos ità deijciunt, vt propter me ad tantam innocentiam redire velint, vt habitudinem, quam habet puer ex ætate, ipſi per rationem, & fidem in ſe ſuſceperint.* Vbi clarè doceris Chriſtum in humilibus eſſe, ſub typo puerorum expreſſis, extra quos impoſſibile eſt inueniri. Quare dum ad ipſum, vt eum hoſpiteris, accedis, diligenter attende ſi puer, & humilis ſis: talem ſi te inuenies, audacter accede; habebis enim Deum hoſpitem tuum. Sed ſi te magnum preſenſeris, refer pedem ab eo, qui ſolis in paruulis habitat, atque ità humilium appetit manſionem, vt ſuperborum, & elatorum domicilium fugiat, deteſtetur, abhorreat.

Matt. 18. 4.

Paſchaſ. ibid.

4 Vt probè ſcias (ait Chriſtus Sponſæ) quid ſim ego dilectus animæ tuæ, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Nihil me aliud cenſeas, quam pulcherrimum florem, nec qualemcumque, ſed lilium, in vallibus commorantem. Expendendum modò tātum eſt, qua ratione Deus cunctarum rerum pulcherimus ſe lilio conuallium conferat. Venuſtiùs, & ſatius dixiſſe videretur, ſi ſe lilio montium contuliſſet: nam quæ formoſa ſunt, & pulchra, vt omnium exponantur obtutibus, admirentur, & collaudentur; non deprimuntur in valle, ſed eriguntur in monte. Qua de re ergo flos cœli, lilium Paradiſi, pulchritudo fontana, quam ipſimet Angeli perenniter inſpicientes, inſpicere magis inhiant, neglectis

Cāt. 2. 1.

ctis montium cacuminibus, profundorum vallium quærit, & diligit habitacula? Eo quia vſque adeo ſuperborum odit proceritatem, paruitatemque amplectitur humilium, vt elongetur à montibus, ſeque abſcondat in collibus; vbi ſuas, quas appetit, delicias habeat. Nec alia virtus eſt, qua lilium Paradiſi delicietur, quemadmodum humilitas, quam inter alias Matris ſuæ virtutes legimus proſpexiſſe. Lilium conuallium eſt, non montium. *Ego flos campi, & lilium conuallium. Quaſi diceret*, ait Hugo Cardinalis, *Mihi iuſtitia placet, placet charitas, ſed specialiter placet humilitas; vnde non charitatem Mariæ proſpexiſſe dicitur, ſed humilitatem*. Id circò Pſaltes non ait: Montes, ſed: *Valles abundabunt frumento*: vt daret intelligi, quod etſi nullo non tempore Chriſtus humilium habitacula quærat; dum tamen frumentum eſt, ſiue ſub frumenti ſpecie in Eccleſiæ menſa propoſitus, profundas appetit manſiones, ima quærit loca, humilium ac paruulorum diligit corda, lilium conuallium eſt.

*Hug. Car. ibid.*

*Pſal. 64. 14.*

5 Velim, attēdas, ſedilibus conuiuij, quod pientiſſimus Ieſus appoſuit in deſerto, cùm quinis tantum panibus biniſque piſcibus magnam eſurientium turbam exatiauit: minimè eburnea, argentea, vel aurea, aut alterius rei pretioſæ fuiſſe, vt talis conuiuij requirebat magnificentia; ſed ex vili, rudique fœno. Ait enim Ioānes, Apoſtolos iuſſu Domini ſuper fœnum, quo locus ille affluebat, diſcumbere turbam feciſſe. *Dicit ergo Ieſus. Facite homines diſcumbere: erat autem fœnum multū in loco.* Quærendū hic quare magis ſuper fœnum, quam ſuper ligna, vel lapides, quæ forte in illo loco vnà cum fœno iacebant? *Iubet* (inquit Paſchaſius) *recumbere ſuper fœnum, vt ſuper, quam calcauerunt, carnē, ſedeāt, & ſuper omnes flores illius: quia omnis caro foenum, & omnis gloria eius tamquam flos foeni.* Noluit (ac ſi diceret) Dominus alia conuiuis ſuis preparare ſedilia, quam ex fœno; quia teſte Iſaia Propheta huius mundi gloria fœno comparatur: vt edoceret inanis gloriæ cupidum, & ſectatorem ad mēſam ſuam non admitti, vbi humiles tantum, nempe fœni concoltatores, requirit.

*Ioan. 6. 10.*

*Paſch. in cap. 14. Matt.*

6 Quam longè ſedilia huius mundi ab ijs abſunt, quæ Deus præparat. Mundus enim non ſecus, ac Heliogabalus amicis ſuis folles pro accubitis ſternit. Eos tantum inuitat, quos inflatos agnoſcit, quoſque temporalium rerū effert

*Aelius Lampr. in Helio gabalo.*

affluentia. Chriſtus è contra rerum omnium contemptores, nihil ſibi arrogantes, nihilque de ſe præſumentes, ſuam ad menſam admittit. Hinc aduertere licet quam peruerſa ſit fœminarum conſuetudo, quæ plus quam aliàs conſueuerint, depicto vultu, fucato crine, indutæ ſerico, ſplendentes auro, onuſtæ gemmis, quaſi ad mundi nuptias, accedunt ad Euchariſtiam; ad quam non, niſi cõtritos corde aſperſas cinere, indutas cilicio, calcanteſque fœnum gloriæ huius mundi, appropinquare neceſſe eſt. Fortaſſe has dignas cenſes Sacroſancta Synaxi? Imò indigniſſimas. *Vide Bonauenturam*, ait D. Bernardinus, *Auguſtinum, & Cyprianum, qui dicunt, quod domina fucans, ſeu imbrattans, aut imbellectans ſibi vultum, non poteſt ſumere corpus Chriſti.*

D.Bernardin. tom. 4. de Regno Dei ſer. 1.

7 Dum de lecto ſuo, vbi vnà cũ Chriſto Sponſo requieſcere cõſueuerat Sponſa, pertractat, ait, *Lectulus noſter floridus.* Ac ſi diceret. Perinde Sponſi mei excreuit benignitas, quod cum ſit immenſæ maieſtatis Deus, mecum in lectulo meo non dedignatur quieſcere, quem ideo nõ meũ, ſed noſtrum nuncupo: *Lectulus noſter.* Sed aduerte lectũ, in quo Deus ſecum requieſcebat, non lectum, ſed lectulum nuncupari. Quare potius lectulum, quam lectum, qui illum includit, quem cœli cælorũ claudere minimè poſſunt? Si verũ eſt, quod aſſerunt Peripatetici, locum debere locato proportionari, lectus, qui Deum capit immenſum, minimè lectulus, ſed immenſæ molis lectus dicendus eſt. Verum enim verò & ſi (ait Hugo) lectus ſponſæ, in quem ipſa Deũ excipiebat, magnus, imò maximus, & immenſus fuiſſet, ipſa tamen lectulum vocat *Ex ſui opinione, qua ſe ſemper minuit: nam proprium ſolet eſſe humilium, vt ſemper de ſe ſentiant infra, quam ſint.* Ex eo, quod ſponſa quam optime in ſchola humilitatis profecerat, cuncta ſua modica, parua, & exilia cognoſcit; & ſi aliorum obtutibus magna repræſententur: anguſtum, & paruum nuncupat lectulum ſuum; quem, quia Diuinitas ampliſſimum indicauerat, in eo non dedignabatur quieſcere. *O humilitas*, inquit Guerricus, *anguſta tibi, ampla Diuinitati; inſufficiẽs tibi, ſufficiens ei, quem non capit orbis.* Quouſque lectus cordis noſtri ſtringetur, & anguſtabitur, eouſque capax eſt Dei: nã Deus non lectos, ſed lectulos quærit, non, niſi in humilibus ac paruis, requieſcere conſueuit. Diligentiſſimè attendendum eſt tibi, dum ſacra ſcãdis alta-

Cãt. 1. 6.

Hug. Car. ibid.

Guerric. ſer. 3. de Aſſumptione.

altaria, Deum excepturus, vt tecũ in corde tuo requieſcat, ſi pro eo lectum, aut lectulum ſtraueris: æquè enim ipſe abhorret à lecto, ac lectulum diligit: lata, & elata habitacula ſpernit; quæritque ſtricta, & humillima: de ſe magna ſentientes aufugit, ijſque afficitur modo, qui ſua, cum Sponſa, paruifacere, ac diminuere norunt.

8 Imminebat hora, qua Dominus Ies⁹ decreuerat Sãcta corporis, & ſanguinis ſui exhibere ſacra, cùm binos ex Diſcipulis ſuis, nempè Ioannem, & Petrum, ad parandum cœnaculum miſit, *Ite*, inquiẽs illis, *in Ciuitatem ad quendam, & dicite ei. Magiſter dicit. Tẽpus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis.* (Matt. 26. 18.) Obſerua, quod Dominus nomen Domini domus, in qua Sacroſanctum myſterium facturus erat, omittit: *Ite* (inquit) ad *quendam*, quis autẽ fuerit, non explicat. Quærendum ergò qua de re illum non nominauit? nunquid erat anonymus? an potius ignorabatur à Chriſto? Inerat illi, ait D. Ambroſius, nomen ſuum, neque ignorabatur ab eo, quẽ nihil latet in mundo: *Sed ideo ſine nomine deſignatur, vt ignobilis æſtimaretur*. (D. Amb. ĩ cap. 22. Lucæ.) Decreuerat enim Dominus inſtituere ſacra corporis, & ſanguinis ſui in habitaculo ignobilis, atque humilis hominis, vt innoteſceret Chriſtianis, ea non, niſi paruis, & humilibus conferẽda; ijſq; qui æquè gaudent nomina ſua ſcripta eſſe in cœlis, quàm obliterata in terris: eorumque neminem participem eſſe, qui à paruitate ſpiritus decreuerit in tumorem.

9 Quam magnum fuit, quã pretioſum, quam elegans ſolium illud myſtici Salomonis Chriſti Regis noſtri, tot, ac tãtis laudibus prædicatũ à Spiritu Sancto? De eo modò materiam tantum expẽdam, quã exhibuit ebur. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*, inquit Auctor tertij Regum. (3. Reg. 10. 18.) Sed quæro à te: quorsũ fabrefactum eſt ex ebore, & non potius ex lignis ſetim, aut aliqua re nobiliore, at pretioſiore? Propter candorem, inquies: nam nõ, niſi in puro, & candido, nigredinisque vacuo corde ſedere conſueuit Ieſus. Inſto adhuc: ſi candida quærit ſedilia, q̃a puritate gaudet, ligna ſetim, quæ cãdidiſſima, ac puriſſima ſunt, fuiſſent pro ſuo throno ſufficientia: quorſum ergo, ijs omiſſis, maluit ebur? Vt erudiret te, perinde Deum in ſuo throno candorẽ, & puritatẽ exquirere, vt humilitatem non negligat. Ebur enim, de quo Dei thronus cõſtruendus eſt, non modo can-

didum eſt, ſed & eſt os ſuperbiſſimi animalis iam defuncti; quod, quia, dum viuit, flexibiles iuncturas non habet, & ad terram procumbere non poteſt, nulli genua flectit. Vt compertum habeas, quod, etſi candidus ſis, omnique ſorde mundatus; attamẽ, niſi prius occidat in te ſuperbia, cordis extinguatur elatio, animi tumor euaneat, arrogantia pereat, poſſibile non eſt te fieri thronum Altiſſimi. *Sed vt materia huius throni inueniatur, oportet elephantem mori, vt de oſſibus eius ebur habeatur;* inquit Richardus à S. Laurẽtio. Non ſolum thronus Chriſti in puritate fulget, ſed etiam in humilitate nitet. Dedignatur Dominus Ieſus in eo corde quieſcere, quod, quamuis decorauit puritas, humilitas tamen & animi paruitas non honeſtauit.

*Rich. à S. Laur. de laud. B. Mar. lib. 10.*

## THEOREMA XVI.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Rerum omnium pulcherrimũ locus decet pulcherrimus.*

NIhil quidem in hoc Pſalmo prætermiſſum eſt à Propheta, quod ad extollendam Sanctam Euchariſtiam verè exquiri poteſt. Eo quia Deum in hoc Sacramento nouit includi, qui cum pulcherrimus ſit, non niſi in loco pulcherrimo, ſedem ſuam collocat. *In pulchris amænis,* ait, *collocauit me,* vt transfert Felix pro eo, quod Vulgatus habet: *In loco Paſcuæ ibi me collocauit.* Quod ſanè idem eſt, ac ſi dixiſſet: Introduxit, & collocauit me Deus in loco pulchro, & amæno, vbi repoſitam vidi paſcuam corporis ſui, qua me abunde refecit. Iure optimo Sancta Euchariſtia pulchro repoſita eſt in loco; nã Deum omnium rerũ pulcherrimum habet, quem, non, niſi locus pulcherrimus, decet.

*Transl. Fel.*

1 Excogitaſti quandoque tecum quanta pulchritudine præditus ſit mundus? Si pulchritudo terræ, quam herbæ, flores, plantæ, fontes, & flumina, colles, & montes, metalla, aues, & quadrupedia, & gemmæ, tam mirè condecorant; cum pulchritudine cœli ſtellati conferatur, pro nihilo erit habenda: cuius nec ipſamet figura expers eſt pulchritudinis. Tot luminibus nitet, tot ſyderibus fulget, tot facibus ſplendet, vt, cui illud conferas, non habeas. Quid dicendum de cœlo Empyreo, deque decore, quo donatum eſt? *Si eſset poſſibile* (inquit D. Bernardinus) *quod oculus cor-*

*D. Bernardin. to. 2. ſerm. 48. par. 1.*

poris

*poris humani poſſet videre vnum modicum illius cœli, non poſſet imaginari, quod nedum anima, ſed nec Angeli, nec ipſe Deus poſſit eſſe pulchrior*. Sed quæ nam eſt ratio, qua Creator omnium Deus tanta pulchritudine cœlum fabrefecit Empyreum? Quia futurum erat domus eius. *Cęlum cęli Domino* (ait Pſaltes) *terram autem dedit filijs hominum*. Deum.n. non niſi pulcherrimum decet habitaculum. *Eſt enim hoc rationi planè conſentaneum* (inquit Philo) *propterea quod ipſe Deo domus futura eſſet longe auguſtiſſima*.

*Pſal. 113. 16.*

*Philo Hebr. de fabr. mũdi.*

2 Tali, ac tanta pulchritudine venuſtatur Deus, vt nihil, niſi ab eo, ſit pulchrum: quare tota mundi pulchritudo, rerumque contentarum in ipſo, cenſendus eſt diuinæ pulchritudinis radius: nec aliud quidquam in inuiſibilibus pariter, & viſibilibus, niſi diuina ſpecies, ſpectatur, & admiratur. Hoc Plato ſignificauit in Epiſtola ad Dionyſium Syracuſanũ Regem, vbi Deum cauſam pulchrorũ omnium facit, fontanamque pulchritudinem tradit. Quod Marſilius Ficinus Platonis aſſecla luculentiori ſtylo proſequitur. *Quiſquis* (inquit) *decorem in mente, anima, natura, & corpore contemplatur, amatque; Dei fulgorem in ijs, perque fulgorem huiuſmodi ipſum intuetur, & amat. Nam pulchritudo actus quidam, ſiue radius eſt per omnia penetrans primo in Angelicam mentem, ſecundò in animã totius & reliquos animos; tertio in naturam, quartò in materiam corporum*. Si igitur omne quod pulchrũ eſt, & admiratur, diuina pulchritudine nitet: eo quia Deus fontalis eſt totius pulchritudinis origo; quanta nam, & qualis erit eius pulchritudo? Si flumina è mari profluentia, admirabilia ſunt, quanta admiratione dignum erit mare, à quo ea p̃terfluũt? Deum ergo tanta ſpecie, tantoque decore micantem, non, niſi in loco pulchro, conſtitui neceſſe eſt. Meminit Ioſephus, Caligolam, Romanorũ Imperatorem, quæcunque in toto orbe pictura, aut ſculptura venuſta fuere, vel alio quopiã opificio pulchra, ad ſe afferri iuſſiſſe: *Non enim alibi pulchras res eſſe dicebat oportere, niſi in pulchriori loco, hunc autem Romam eſſe affirmabat*.

*Marſil. Ficin. Orat. 2. cap. 5. in Cõuiu. Plat.*

*Ioſeph Hebr. li. 19. c. 1. Antiq.*

3 Qualis ac quanta ſit ſæui Dœmonis ex peccato orta turpitudo, & deformitas, elicitur à D. Cyrillo, ex maxima animę conturbatione, & afflictione, dum in extremis laborans, tale monſtrum intueri conatur. *Quãta* (inquit) *formidine & tremore arbitraris animam die illa percelli horribiles intuenté atro-*

*D. Cyrill. Alex. Orat. de exit. anim.*

*ces, impios, & aduerſos Dæmones æquè, ac Aethyopes caliginoſos aſtantes, ita vt forma ipſa quouis tormento ſit grauior, quos nimirum aſpiciens ſubſaltat, conturbatur, affligitur, exterretur, contrahitur, ad cœleſtes Angelos confugiens?* Quid igitur mirum ſi Deus Dæmonem in turpiſſimum, ac deformiſſimum totius terræ locum abegerit, & concluſerit? Decebat fortè aliquod ſpeciei veſtigium in illo relucere habitaculo, quod turpitudinem ipſam, ſpeciei contrariam, debuit in ſe recipere? Audi de turpi Vatinio Velleum Paterculum eloquentem, non minus appoſitè huic loco, quã ingenioſè, eloquentem; ait enim in eo *Deformitatem corporis cum turpitudine ingenij decertaſſe. adeo, vt animus eius digniſſimo habitaculo incluſus videretur.* Quod autem ex hoc inferre velim, puto te præſenſiſſe. Scis quidem, vt tradit Philoſophus, contrariorum eamdem eſſe diſciplinam: dum igitur deformi, deformis; turpi, turpis conuenit locus, operæ pretium eſt pulchro, pulchrum conuenire; pulcherrimoque pulcherrimum. Concludе iam de Deo ſermonem.

*Velleus Paterc. lib. poſt. Ro. Hiſt.*

*Ariſtot.*

6 Recenſet Matthæus, Chriſtum Regem noſtrum ciuitatem regiam ingreſſurum, in qua Rex recipiendus erat, & acclamandus, vt regalẽ præoſtenderet pompam, equitare conſtituiſſe. Hinc eius Diſcipuli aſinam, & pullum eius equitaturo ſtrauerunt. *Et adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua:* Chriſtus verò, vt meminit Lucas, relicta matre, ſuper pullũ inſedit. *Iactantes veſtimenta ſua ſuper pullum, impoſuerunt Ieſum.* Si verò quæſieris, quare Dominus maluit ſuper pullum, quam ſuper matrem eius equitare: Ratio eſt in promptu: Habetur enim ex Petro Bercorio *Aſellum pulchrioris eſſe formæ quando ætate eſt tenellus, quam quando ſenex efficitur, & antiquus.* Quia Deus pulchra quærit loca, pulchraque ſedilia; negligit, ſpernitque deformia; aſcendere noluit ſuper aſinam, quæ vtpote vetula deformis erat; ſed ſuper pullum ſpecioſum, & pulchrum. Quod verò latet in hoc facto myſterium? Magnum profectò: nam quia cũ D. Auguſtino ait Eccleſia: *Nos ſumus aſellus*, datur nobis intelligi quod niſi pulli fuerimus, ſpiritaliter pulchri, & formoſi, nequaquam Deus in cordibus noſtris ſedebit, qui veterem aſinam, & de formem negligit, & contemnit.

*Matt. 21. 7.*

*Luc. 19. 35.*

*Pet. Bercor. Reduc. Moral. lib. 10. c. 8.*

*D. Auguſtin. in Pſal. 33.*

7 Baſilius Magnus, Seleuciæ Antiſtes, percontatus. *Nunquid in communi dom o Domi-*

*D. Baſil. in Reg. Breu. Inter. 310.*

mi-

*minica cœna debeat cœlebrari?* Si id, ait, non expoſcat neceſſitas, nullo audendum modo. Sancta id exigunt loca, Deo dicata, precibus ſacra, quæ mundi fœces non ſordidant, actus non maculant, non deturpant illuuiæ: verendum, honorandum, colendum eſt ſanctum, & purum ſacrificium; non probro habendum. Sed ſi id extorqueat neceſſitas, quidnam erit agendum? *Si neceſſitas poſcat, locum*, ait, *ædemque elegantiorem diligat in tempore opportuno*. Multo ſtudio, multa indagine, pulchrior, ornatior, eligantior, cæteris venuſtior, auro nitens, aulæis prædiues, marmoribus ſtrata, pictis laquearibus, exquirenda, domus. Sanè Deum omnium pulcherrimũ decet locus pulcherrimus.

8 Velim memineris verborum Prophetæ ſuis de filijs Eccleſiæ alloquentem; quibus prædulciſſimo lacte, ex Chriſti latere effluente datum eſt enutriri. *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſugent*; vt habet alia lectio. His Vatem ne dubites, Sanctam Euchariſtiam prophetaſſe, ad quam ſi pro dignitate accedimus intra metipſa Redemptoris vulnera linguam figimus, deque ipſiuſmet latere ſacrum ſanguinem ſugimus. *Quoties* (inquit Chryſoſtomus) *ad mirandum calicem accedis, tamquam ab ipſo latere hauriens accedas*. Ex hoc latere, dum Eccleſiæ filiæ communicãt diuiniſſimum nectar exugunt. *Filiæ tuæ de latere ſugent*. Verum enim verò, ſi deliciæ menſæ Domini æquè filiabus, ac filijs apponuntur; quare vates, filiorum immemor, de ſolas ait filias nutriendas? Si filiæ, & filij pariter, vt de latere Domini ſugerent, de longe venient, quorſum admittendę filiæ, filij verò excludendi? Audi Sanctiſſimum Brunonem. *Sanctas animas præ nimia virtutum pulchritudine filias dicit, eo quod maior ſpecies, & pulchritudo inſit filiabus, quam filijs*. Profectò in ijs, quibus ad ſacrũ Sympoſium patet ingreſſus, nullus ſexus attenditur; ità admittitur fæmina, vt nequaquã excludatur vir. Quod ſi tradit Propheta ſolas filias ex Chriſti latere paſci, viros non excluſit, ſed accumbentiũ venuſtatem expreſſit, quia fæminæ venuſtiores ſunt viris. Quod ſic apertiùs dixiſſet. Quamquam ad ſacra altaria & fæminæ, & viri promiſcuè properent, ij tantũ admittuntur, & digni habẽtur, quorum animi venuſtate præfulgent. Quoniam ibi in noſtri cordis cubile Deum accipimus, pulchros neceſſe eſt nos eſſe, & decoros: horret enim Deus deforme,

*Iſa.60.4. Alia lectio.*

*D. Chryſoſt. Homi.84. in Ioan.*

*D. Bruno in Pſal.* 149.

deforme, & indecorum hoſpitium. *Ego Deus pulchrior, & fortior, quæro pulchra in hominibus:* ait Chriſtus D. Birgittæ.

*Reuel. S. Brigit. li. 8. cap. 54*

9 Minime hic prætereundum, quod diuinus Pſaltes eidẽ ait Eccleſiæ in Pſal. cẽteſimo vigeſimo ſeptimo de filijs ſuis, eadem in menſa accumbentibus, pariter agens; *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu mẽſæ tuæ.* Aduerte quod Eccleſiæ filios circuentes altare, oliuis, non alijs comparat arboribus. Sed, cum non deficerent aliæ, nimirum platani, mali, vites, cedri, & huiuſcemodi plurimæ, quibus conferri congruè potuiſſent; quare tantum comparauit oliuis? Quid præ alijs plantis habet oliua, cui dignè conferri debeat communicandus? Pulchritudinem habet, qua aliæ carent. Cum ſe diuina Sapientia multis contuliſſet arboribus; cedro nimirum, cypreſſo, palmæ, roſæ, oliuæ, ac platano, ſolam oliuam dixit ſpecioſam. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in mõte Sion, quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho, quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata sũ iuxta aquas in plateis.* Veluti ſi, dum apparet oliua, reliquæ non ſint ſpecioſæ; quemadmodum fulgente ſole non fulgent alia ſidera. Quare ait Petrus Bercorius: Filij Eccleſiæ menſæ Domini aſtantes conferuntur oliuis; *Propter pulchritudinis apparentiam; oliua enim habet pulchritudinem magnam pro eo, quod folia nunquam deponat, imò ſemper, & quotidie ſeruat virorem ſuum.* Perinde Chriſtus Ieſus dum reſidet in altari, vt ſua nos carne ſaginet, pulchritudinem animæ noſtræ concupiſcit, vt ad ipſum non, niſi pulchros, & decoros, admittat. Nec quidem immerito: ait enim Chryſoſtomus: *Si Rex Babylonius ex captiuitate eligens iuuenes, honeſtos forma, & decoros facie eligit: multò amplius, & nos aſtantes menſæ regali, honeſtos ſpecie animi eſſe oportet; ornatum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia; vultum animæ formoſum, & ornatu aureo circundatam eſſe.*

*Pſal. 127. 4.*

*Ecclеſ. 24. 17.*

*Pet. Bercor. in Dic. Moral. verb. Oliua.*

*D. Chryſoſt. Homi. 17. ad Hebr.*

10 Peruulgatum eſt apud fideles, nemini fas Chriſti mẽſam adire, niſi peccatorum ſuorum confeſſionem premittat (de qua re infra fuſius:) quam ſi temerarius peccator omiſerit, & neglexerit, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Verum hæc confeſſio quorſum tam diſtrictè præcipitur? Quia nil præter peccatum eſt, quod animas noſtras deformet, deturpet, Deoque red-

reddat inuiſas, deteſtabiles, exoſas: vnde *Adã peccati conſcius* (vt ſcribit Philippus Abbas) *ad triſtes tenebras mox receſſit; triſti deformis facie Deo vocanti obuiam non proceſſit, ſciens maculas ſordium, quas triſtis culpa intulit faciei, non placituras Deo, qui amator legitur ſpeciei*. Deus autem pulcherrimus circa menſam ſuam non niſi pulchros, admittit: idcirco vbi peccator ad S. Euchariſtiam accedere debet, ſua compellitur confiteri peccata. Hoc enim habet confeſſio, vt perinde animæ deformitatem adimat, vt ei pulchritudinem afferat. Super illud Prophetæ; *Confeſſionem & decorem induiſti*: ait D. Hieronymus: *Vide ordinem: prius aliquis confitetur, & ſic accipit pulchritudinem*. & D. Vincentius: *Quando aliquis cum cordis contritione confitetur peccata ſua, & Sacerdos abſoluit illum, in illo puncto datur in anima ſignum, quod dicitur ornatus*. Hæc eſt ratio, qua nefas eſt peccatori ad S. Synaxim accedere, niſi culparum ſuarum confeſſionẽ præmittat. Profecto nulli obſcæno, & turpi Dei conſpectui adeſſe licet, cui æquè formoſitas placet, ac turpitudo diſplicet.

*Philip. Abb. lib. 3. cap. 12. in Cant.*

*Pſ. 103. 2*

*D. Hiero. ibid.*

*D. Vinc. ſer. 6. Domin. in Albis.*

11 Crediderim te multoties obſeruaſſe, ſpõsã nõ ſemel aut bis, ſed ſępius, Dilectę pulchritudinẽ cõmendaſſe: nunc quippe ait: *Si ignoras te o pulcherrima mulierum*, nunc verò: *Ecce tu pulchra es amica mea*, iterum: *Quàm pulchra es amica mea*. Demum *Pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Hic non modò expendendum nobis, quid hæc pulchritudinis importet exaggeratio: ſed ẽt, quod maiori dignum eſt animaduerſione, quid myſterij habeat, quod tanta pulchritudo, non aliorum auribus, ſed ipſiusmet ſponſæ tantocies replicetur: *Ne pertimeſcat ad pulchrum accedere*; ait Hugo de S. Victore. Eo quia (ſenſus eſt) ſponſa, vtpote quæ non parum in humilitatis ſchola profecerat, ſuæ pulchritudinis excellentiam ignorabat, cùm ad amplexus, & oſcula Dilecti ſui concupiſcebat irruere: probè ſciẽs neminem, qui pulchritudine non excelleret, tãtis delicijs dignum ſuauiari, trepidabat accedere: Quia verò ipſa debito pulchritudinis non carebat ornatu, vt timorem repelleret, de pulchritudine ſua tantocies eruditur. Vides qua ſpecie decoranda ſit anima ad Chriſtum acceſſura; dum, quæ omni decore eſt prædita, vt Chriſti perfruatur amoribus, indignam ſe autumat & deformis.

*Cãt. 1. 8. Ibid. nu. 15. Ibid. 4. 1. Ibid. num. 7.*

*Hugo de S. Victore Ser. de Aſſumpt.*

12 Vbi pulchritudinis laudes, à Sponſo ſponſæ iteratas,

audi-

audiuimus, age nunc etiam à ſponſa ſponſo redditas audiamus. Hæc cæteris eius partibus delineatis, vbi venit ad

*Cãt. 5. 15*

crura: *Crura* (inquit) *illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Ac ſi diceret. Crura illius nullibi fundantur, niſi vbi ſtratum eſt aurum; extra aurum nũquam viſa fuerunt. Quia verò D. Ambroſius per baſes aureas Sanctorum mentes intelligit, qua, ſancta terunt veſtigia

*D. Amb. de fide li. 3. cap. 5.*

Saluatoris. *Solus Chriſtus* (inquit) *inambulat & graditur in mente Sanctorum, ex quibus velut aureis baſibus fundamẽtiſque pretioſis ſolidata veſtigia Verbi cœleſtis hæſerunt;* expendẽdum quare Sanctorum mentes aureæ dicuntur. Ego autem ex pulchritudine cenſeo: omne enim quod pulchrum eſt, aureum dicitur. Familiare, hoc, præcipue Poetis, eſt, Venerem auream dicere, iuſtitiæ cultum aureum, aurea verba, vt pulchra deſcribant. Aureum itidem vellus, vt in prima parte noſtri Quadrageſimalis adnotauimus, non aliunde dictum,

*Diodor. Sicul. Bibliot. lib. 5. cap. 2.*

vt patet ex Diodoro, quam à pulcherrimis Heſperidum pecudibus. Vt ergo aduertas Chriſtum nullibi pedem figere, niſi vbi niteat pulchritudo, baſes aureas habere dicitur; nimirum Sanctorum mentes, quæ ob virtutum ornatum aureæ ſunt, & decoræ, à quibus nunquam recedit, quia extra pulchritudinem manere non conſueuit.

13 Demum, priuſquam à Canticis recedamus, ſit huic theòremati meta alia eiuſdem ſponſæ de ſuo ſponſo cantatio.

*Cãt. 2. 16. Transl. Pagn.*

*Dilectus meus mihi, & ergo illi, qui paſcit inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Nimirum: Dilectus animæ meæ non, niſi vbi lilia florent, ſuam menſam apponit. Quid magni habent lilia, propter quod Deus ſuas non exhibeat dapes, niſi vbi illa viſuntur? Pulchritudinem, pro cuius typo ponuntur.

*Pier. lib. 55.*

*Eſt pulchritudinis ſignum lilium; ſiue formam, ſiue colores eius contempleris,* ait Pierius. Hinc mollem, delicatamque Perſarum vrbem, vbi Regum erant hyberna, ob mitiſſimam cœli plagam, pulchritudinem, aliaſque amœnitates, Suſas cognominatã tradunt: Suſas elim Perſarum lingua lilium ſonat. Volentes itaque loci pulchritudinem deſignare, nomen à lilio deſumpſerunt. Vt igitur Sponſa Chriſtum Deum noſtrum non, niſi inter pulchra, ſui corporis exhibere panẽ ſubindicaret, *Paſcit* (inquit) *inter lilia.* Chriſtiane, ſi non es lilium, ſi turpis es, & deformis, ad altare ne properes, in longinquum abi, nequaquam di-

gnus

gnus corporis Chriſti es. Inter lilia paſcit, lilium paradiſi quia ſpecioſus eſt præ filijs hominum. In turpem relegaberis manſionem ab eo, ſi turpe ei hoſpitium præparabis.

## THEOREMA XVII.

### In loco paſcuæ ibi me collocauit.

*Amor noſter Chriſtus expoſitus in altari raptor cordium eſt.*

TRãſlationem Felicis minimè dimittam, niſi aliud ex ea profundioris myſterij eliciam argumentum *In pulchris* (inquit) *amænis*. Expenſis iam pulchris, expendenda reſtant amœna. *Amænus* (inquit Feſtus) *deriuatur ab amo quia ad ſe amanda allicit intuentes*. Vbi ergo Vulgatus transfert Paſcua, pro Euchariſtiæ typo, vt D. Vincentio placet, non immeritò Felix transfert Amœnum. Quoniam ineffabile Scramentum tanta repletum eſt dulcitudine, tanto decore, & amore, vt intuentiũ, & contemplantium corda magna vi trahat, & rapiat. Quod modo videndum eſt.

*Feſt. apud Calep. ver. Amœnus.*

*D. Vinc. fer. iiij. Domin. Inuoc.*

1 Quicunque ſacro aſſiſtit, monetur à D. Vincentio, vt vbi ſacerdotem videt immaculatam eleuantem hoſtiam, ſecum cogitet argenteum diſcũ videre, in quo appoſitus ſit agnus Dei pro refectione cordis ſui: *Cogita* (inquit) *quod hoſtia conſecrata ſit diſcus argenteus, vbi eſt ille agnus filius benedictæ ouis Virginis, coctus in veru Crucis*. Nota quod non appellat hoſtiam diſcum aureũ, gemmeum, eburneũ, cryſtallinum; ſed argenteum. Fortaſſe ob eandem rationem Eccleſia in ciborio argenteo Euchariſtiam paſſim reponit. Si vero inquires quænam ſit ratio, quod hoſtia Sanctiſſima potius dicenda ſit diſcus argẽteus, quam cryſtallinus, eburneus, gemmeus, aureus; aut ſmaragdinus, qualem fuiſſe perhibent paropſidem, ſeu catinum, quo vſus eſt Dominus Ieſus in cœna; Genuæ modo aſſeruato. Vt (inquam) ex ſono vocis continentis, contenti proprietatem aduertas. Argẽtum, teſte Petro Bercorio, idẽ ſonare videtur ac *Ardens gentem*. Euchariſtia verò ſic vehementer accendi corda intuentium: & comedentium eam, vt prorſus ignefcant, & rapiantur in Deum. Dicatur ergo diſcus argenteus hoſtia, illum ignẽ includens, qui gentiũ corda rapit, ardet, exurit.

*Idem ſer. 2. in Feſto Corp. Chriſti.*

*Petrus Berc. Reduc. Mor. lib. 11. cap. 38. 1.*

2 Miro quodam ſtupore tacti ſunt Apoſtoli, dum Chri-

ſtus ab Oliueto peruolauit ad Patrem ità, vt lapidis inſtar remanerent inanimes, in cœlum ſuſpicientes. Quapropter illis ab Angelis dictum eſt: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Ac ſi clariùs diceret. Vnde vobis animi tãtus emerſit ſtupor, vt fixis in cœlũ oculis, velut excordes inueniamini, & mortui? Congrua ſanè petitio. Quandoquidẽ *Chriſtus* (ait D. Bernardinus) *quaſi mater aquila ſollicitiſſima prouocans ad volãdum pullos ſuos, extendit alas ſuas, & aſſumpſit corda illorum.* Tanta ſuauitate, tantoq; dulcore conſueuerat Chriſti præſentia, ſocietas, & conuerſatio, corda eorum afficere, quibus datum eſt perfrui tanto bono, vt occulta quadã, & mirabili vi ad ſe traheret, raperetque. Quare mirum nõ ſit remanſiſſe ſuſpenſos, immobiles, & quaſi inanimes, inſtar ſimulachrorum, cum fuiſſent excordes. Quod non ſemel Sãctis accidere conſueuit, vel deuotè Chriſtum Dominũ comedentibus, vel ab altari elatum proſpicientibus. De Catharina Senenſi, Virgine Sãctiſſima, recenſent, quod, *Quotieſcunque hoc ſummum Sacramentum, vel vidiſſet, vel ſumpſiſſet, nouum ac, ineffabile gaudium in eius anima exiſtebat ità, vt non rarò in eius pectore cor exiliret.* Exiliebat cor S. Virginis ac foras tenus egrediebatur, rapiebat enim à Chriſto, qui, dũ preeſt altari, corda rapit Sanctorum.

*Act. 1.11*

*D. Bernardin. ſer. 2 de Aſcẽſ. ar. 3. c. 3.*

*Surius 29. Apr.*

3 Magnum planè cordoliũ perpeſſa eſt Virgo Deipara cũ Dilectus animæ ſuæ per triduũ ab ea latitauit. Quod ipſa non obſcurè ſignificauit, vbi inuento iam puero cum Rabinis philoſophante hoc dixiſſe legimus. *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Helredus hæc audiens ſic loquitur ad Deiparam. Quid cauſæ eſt Sãctiſſima Chriſti parẽs, quod te adeo dolentem explicas in amiſſione pueruli? Fortaſſe illum famis, ſitiſque paſſurum inediam procul à te verebaris? Sed eſurire, aut ſitire non poterat, qui nutrit Angelos, ſaginat homines, paſcit oues, & boues, & vniuerſa pecora campi. Ait denique. *Credo non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras; ſed tantum ſubtractas, vel ad modicum, ineffabiles præſentiæ eius delicias querebaris. Tam enim eſt dulcis Dominus Ieſus guſtantibus eum, tam ſpecioſus ad videndum, tã ſuauis ad amplectendum, vt breuis eius abſentia maxima materia doloris ſit.* Ac ſi diceret. Tanti dulcoris, ſaporiſue conuerſatio Chriſti & præſentia eſt; quod ſi ij, quibus eo datum eſt frui,

*Luc. 2. 49.*

*D. Helredus.*

vel

vel per paruam moram priuentur; doleant, diſcrucientur, illacrymentur, eiulent. Nec mirum: preſentiunt enim ſe corde priuatos, quod Ieſus diſcedens aſſolet transportare, mortiſq; ſe cōfitentur experiri dolores: ꝙ de eadē Catharina teſtatur, quæ, cùm diutius, quam cōſueuerat, à menſa Chriſti vacaret, in ſe vitam mori, mortem viuere ſētiebat. *Hoc vno ſolatio diù carere non potuit. Corpus Chriſti edere, hoc illi viuere erat; ab illo verò diutiùs abſtinendo ſeparari, hoc erat ei emori.* Surius ibid.

4 Minimè prætereundum, quod de Chriſto Rege noſtro in Pſalmo decimo octauo concinitur, ſuum nimirum in ſole tabernaculum poſuiſſe. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſ. 18. 8. Hic minimè repetendum, quæ alibi dicta ſunt, vt probemus Sacram Euchariſtiam hoc tabernaculo figurari: ſed ſolum videndū, qua de re corpus Chriſti potius in ſole, quam in luna, Ioue, cæteriſue cœli ſideribus, quæ propemodum infinita ſunt, dicatur eſſe repoſitum? Hoc autem ni fallor dictum eſt, vt daretur intelligi Chriſtum amorem noſtrum, nil aliud à nobis expetere, quam noſtri cordis poſſeſſionem. Cū enim idem in cœlo ſit ſol, quod in homine cor, cor hominis per ſolem hoc loco ſignificatur. *Phyſici* (inquit Chaſſanæus) *nuncupant ſolem cor cœli; id enim in æthere ſol eſt, quod in animali cor.* Chaſſan. in Catal. par. 12. conſid. 8. Dum ergo Propheta Chriſtum in ſole poſuiſſe tabernaculum ſui corporis cecinit, idem eſt, ac ſi in corde hominis corpus ſuum poſuiſſe diceret. Vbi Euchariſtiam vides amator Chriſti, cor tuum ibi eſſe nè dubites. Raptor cordium eſt. Quid mirum ſi Catharina ſe mori intelligeret, cùm ab Euchariſtia ieiunabat? Cor ſuum longe erat ab ea, quod ſibi raptor Chriſtus, vt in eo tabernaculum reponeret ſui corporis, retinebat.

5 Tradit Ioānes, Dominū, dum tranſmare Galilææ iter perageret, magnam hominū mulierum, ac puerorum multitudinem conſectaſſe. *Abijt Ieſus trans mare Galileæ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eū multitudo magna.* Ioan. 6. 1. Hic textus in eo petit expendi, quod tanta dicitur multitudo abijſſe poſt Chriſtum. Quæ nam res fuit in cauſa, quod Chriſtum tantus, omnis ſexus, ætatis omnis, numerus ſequeretur; quod proprijs rebus, domibus, commodis, ipſo etiā pane, relictis; tam duro itineri ſe obiecerint? Illa equidē, quam deuotiſſimus Cartuſianus aſſignat. *Quoniam Dominus Ieſus etiam ſecundum corpus ſpe-* Dionyſ. Cart. ibi.

*cioſus valde, & eloquentiſſimus fuit, & optimæ habitudinis; veriſimile eſt, quod multi ſequebãtur eum delectati ſpecie, & eloquentia eius.* Vſque adeo Dominus (inquit) excellebat in eloquẽtia, & venuſtate, quod omnium alligaret corda, traheretque ad ſe. Quod clarius viſum eſt, vbi Dominus panũ multiplicationis miraculum perpetrauit, in quo Euchariſtiam innuit. Tunc enim deuota plebs, ſolo illius typo refecta, excordicata penitus viſa eſt. Nonne fuit excordicata, dum Chriſtum Regem conſtituit eligere? Cæſaris iræ, Herodis gladio, bonorũ perditioni, ac certiſſimo mortis periculo ſeſe obijciens, ſi Dominus coronam paruipendẽs, confeſtim non aufugiſſet in montem?

6 Minimè mentiuntur qui tradunt tantum dulcitudinis & ſaporis præ cæterorum animãtium humano ſanguini ineſſe, quod ſi beſtia vel ſemel eum libauerit, perinde eius accendi deſiderio, vt pro eo acquirendo nec mori quidem timeat. Eandem quoque ſuauitatem, quam in ſanguine, experiuntur in carne. *Vbi carnem deguſtauerunt, & ſanguinem humanum biberunt* (inquit Chryſoſtomus) *poſtea non facilè abſtinent à talibus epulis, ſed multa cum auiditate ad eamdem currunt menſam.* Quin nec ſola bruta, ſed etiam homines (ſi homines digni ſunt appellari) humani ſanguinis, carniſque ſapor allicuit. Mos erat homini truculento (Marcellus refert) adoleſcentes, quos aut furto ſuſtulerat, aut abſque arbitris iugulauerat, domum allatos heluari. Ob hoc deteſtandum ſcelus vnà cum coniuge, totaque familia, vnica feminei ſexus annua prole ſolummodò excepta, viuus flammis obiectus eſt. Sed illa Diodoni educata, poſtquam duodecimum ſuperauit annum, in paterno ſcelere deprænhenſa, vt viua terra defoderetur, ſententiam accepit. Cumque ad ſupplicium duceretur, & ingens mortalium, mulierum preſertim, multitudo execraretur, quod facinus tã immane auſa fuiſſet, ad loquẽtes vultu crudelitatem proferente conuerſa: *Quid (inquit) me obiurgatis, velut ſcelus homini indignũ admiſiſſem? Mihi credite, vbi experti eßetis quàm palatum delectet humana caro, qui à liberorum eſu abſtineret, inueniret nemo.* Ijs itaque præhabitis, audi Bernardũ diuinitùs philoſophãtẽ. *Quantũ in ſe credis habere dulcedinis ſanguinem filij hominis Ieſu Chriſti? Beſtiæ currunt in mortem ſuam, dulcedine ſanguinis humani attractæ: & e-*

*D. Chryſoſt. Aduer. Iudæos Orat. 3. in princ.*

*Marcel. Donat. de Medic. hiſt. lib. 2. c. 1*

*D. Bernard. de Paſſ. c. 33*

go

*go non feſtinabo ad vitam meam, & ad ſanguinem rubicundi Ieſu, & candidi? Imò verò feſtinabo, emam, & bibam, emam abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Velut ſi diceret. Si noſtræ carni, noſtroque ſanguini, tantus ineſt ſapor, vt feras, quæ ſemel guſtauerint, ad ſe, vel ipſo mortis imminente periculo, trahat, & rapiat; quãta nam carni, & ſanguini Redemptoris mei ſuauitas inerit, & dulcedo? Quod me detinebit periculum, quiſnam deterrebit interitus, quin ad ſacroſanctas dapes feſtinè properem, quin eius corpus repetendo comedam, comedendo repetem, in quo me nõ mortem, ſed vitam inuenturum æternam firmiſſimè credo? Quiſnam vnquam talia audiuit, ſic ignita, & accenſa, vt ex fornace potius, quàm humano corde, proſilire videantur? Excordicati ſunt verba, cui Chriſti caro, & ſanguis, ob magnam, quam attulit, ſuauitatem, radicitus cor abſtulerat, atque ad ſeſe rapuerat: nonnè eum aduertis in Euchariſtiam ferri, feræ inſtar, ad prælibatum hominis ſanguinem accurrentis?

7 Potuit vtique Chriſtus cœlum non aſcendere, ſed quemadmodum aſſueuerat cũ diſcipulis ſuis, alacriter conuiuere. Hoc quippe, ais, illis expediebat: languet ſine duce acies, ſchola ſine magiſtro, templum ſine Deo, ſine anima corpus. Sed toto erras cœlo, magis, inquam, illis expediebat Magiſtrum cœli culmen aſcendere, quam vnà cum eis terræ ſolum incolere. Si Chriſtus cœli aulã minime petijſſet, nunquam diſcipulorum corda, vt cœlum concupiſcerent, in cœlum eleuarentur: vt ea ergo ad cœleſtia raperet habitacula, rectè cœlum adiuit. Adeo enim illorum rapiebat corda, vt vbi eſſet, ibi corda eſſent eorum: vt igitur eſſent in cœlo, ſe ſe tulit in cœlum. En tibi Vincentius. *Quælibet res ardenter amata trahit ad ſe cor, ſicut calore ſolis trahuntur ſurſum vapores terræ. Quia igitur Apoſtoli ardentiſſimè amabant præſentiam corporalem Chriſti, ideo plurimum a dilectione, & receptione cœleſtium bonorum quandiù Chriſtus fuit in terra, impediebantur, nec curabant eleuare cor, & deſiderium in cœlum. Dicit Chriſtus. Ego faciam eleuare cor, & intellectũ in altum, quia ego aſcendam in cœlum.* Vides Chriſtum cordium raptorem. Si verò è terra in cœlum corda rapit terrena; cur non rapiet ad altare? *D. Vinc. ſer. de Aſceuſ. Dom.*

8 Quod habeat ſponſa. *Faſciculus myrrhæ*, ſiue vt alij legunt *Colligamentum muſci Dilectus meus mihi inter vbera* *Cãt. 1. 13.*

mea

*mea commorabitur*, ita poteſt elucidari. Gerent, pro vt libebit, mundi huius fœminæ odorifera, prætioſaque vnguenta; ego eorum loco meum habebo Dilectũ, quem meo collo ſuſpenſum, pectoris in medio, pompatice præferam. Quid nam mundanæ mulieres per hæc vnguẽta perpetrant, quod per ſponſum ſponſa perficere ſatagebat? Aliorum excitationem amorum; etenim vt amentur, muſco fragrant, thimiamate olent, zapetio odorant. ſic Pſellius hunc locum illuſtrat.

*Pſellius ibid.*

*Quamuis inquit mulieres ad amorem excitandũ alia geſtent vnguenta in veſtimẽtis: Ego autem cuiuſuis fragrantiſſimi odoris loco pulcherrimum ſponſum, vti ſuauiſſimum vnguẽtorum faſciculum, collo ſuſpenſum retinebo*. Pios, ſanctoſque ſponſa, quos corpori ſuo copularet, exquirebat amãtes, iuſtorum corda trahere, furari, rapere ſatagebat: nõ ignorãs autem hoc Chriſti propriũ eſſe, ĩ medio ſui pectoris Chriſtum ferre conſtituit. Cuius per communionem voti compos fieri debebat, cuius gratia Chriſtus in noſtro ſiſtitur corde, quod eſt inter vbera noſtra:

*Ioa. 6.*

*Qui manducat*, ait, *meã carnem & bibit meum ſanguinẽ in me manet & ego in eo*. In eo inquit maneo. Nimirum in corde eius, cordis non carnis eſt incola.

9 Hinc eandem ſponſam crediderim, vt ſuauitatẽ carnis, & ſanguinis Chriſti viuo typo ſignaret, Cypri botrum ſumpſiſſe. *Botrus Cypri Dilectus meus.* Sed nonne (inquies) botris Palæſtinæ, vbi tunc ipſa degebat, poterat comparare; qui non mediocris nominis inter botros fuiſſe prædicãtur? Tametſi Palæſtina ſit in ferendis botris excellens; nihil tamen ad eos, quos Cypri tellus profert. Audi Cyprianum Monachum de Cypri botris agentem.

*Cãt. 1. 12.*

*Terram Cypri feraciſſimam eſſe vini, & pretioſiſſimi vini, teſtatur Plinius; & vinũ Cyprium inter omnia vina tranſmarina præcipuum haberi, vites etiam ad præcipuam altitudinem exire, quantam vix alibi obtinẽt: enarrãs etiam tectum Dianæ ſcalis ſcandi vite vna Cypria. Erit ergo botrus Cypri iuxtà hunc ſenſũ botrus inſigniter piguis, præſtantiſſimum vini ſuccũ continẽs.*

*Cyprian. Monac. ibid.*

Pretioſiſſima, ac præ cæteris inſignia vina requirit, vt eis Chriſti corpus & ſanguinem conferat. Pulchra quidem collatio. Ea enim explicitur mirus excordicationis effectus, quem præ nimia ſuauitate, & dulcedine, Chriſti Sanguis, & caro in præguſtãtibus operatur: cum eundem etiam pretioſiſſima vina patrare notiſſimum ſit. *Galli*, inquit Plu-

*Plutar ĩ Cami*

tar-

tarchus, (*fama eſt*) *primum guſtantes vinum ex Italia delatum, ſic illius admiratione, ac nouitate ſuauitatis, amentes facti ſunt omnes, vt collectis armis ſumptiſque filijs ad Alpes conceſſerint, quæſierintque eam terram, in qua eiuſmodi fructus oriretur.* Si ſponſa Chriſti Dilectum ſuū ſicut botro contulit, pani etiā Cyprio cōtuliſſet, idem explicuiſſet myſterium. Siquidem talis ſapor ineſt pani Cyprio, quod magnetis inſtar, trahat hominū corda, vt ait Eubulus apud Athenæum.

*Eubulus apud Athen. lib. 3. cap. 15*

*Graue eſt quidem panes vidēti Cyprio*
*Hos præterire; magnes vt lapis trahunt famelicos.*

10 Parum eſſet ſuauitatem Chriſti in altari manentis ſola rapere hominum corda. Maius dicam. Rapit etiam Dei. En ipſum ad Eccleſiam Sponſam querulè proclamantem: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Ac ſi diceret. Tametſi tibi multi ſint oculi, decori omnes, & pulchri; vnus tamen eſt inter tantos, qui cor meum vulneret, ſiue rapiat: nam vbi legit Vulgatus *Vulneraſti cor meum*, vertunt alij *Excordicaſti me.* Excordicatum ſe Deus ab vno oculorum Eccleſiæ confitetur. Et quinam eſt hic Eccleſiæ oculus, qui rapit cor Altiſſimi,

*Cāt. 4. 9.*

*Alia lectio.*

niſi Chriſtus? Audi Cyprianum Monachum. *Nec mihi videtur*, inquit, *à ratione alienum, quod iuſtus quiſque totius reipublicæ oculus poſſit appellari propter dignitatem & lucem diuinam, qua vita, & exemplo in ipſam rempublicam infert. Sed ſi de iuſtis agitur iure poſſis dicere vnicum illum iuſtitiæ, ſanctitatiſque exemplum, Chriſtum ſcilicet, ea ratione qua homo eſt, oculum fuiſſe; quo Deus velut faſcinatus, & vulneratus Sponſam capit, veluti impotēter, diligere.* Si verò hanc rem exactiùs cōſideres, inuenies Chriſtum eatenus eſſe oculū Eccleſię, quatenus occultatur in Sacramēto. Oculi ex eo, quod occultantur, dicti ſunt oculi, quaſi occulti. *Oculi vocati, quia eos ciliorum tegmina occultant* inquit Iſidorus. Chriſtum verò præter altare, nullibi inuenies abſconditum. In altari igitur Chriſtus intuentes, ſiue homines, ſiue Deum, excordicat.

*Cyprian. Monac. ibid.*

*D. Iſid. Etymol. lib. 11. c. 1.*

11 Quod ſi à priori excordicationis huius rationem inquires. Illam eſſe inquam, quam Sponſa priuſquam botro Cypri dilectum Salomonē ſiue pluſquā Salomonē, Chriſtum contuliſſet, eius deſcribens ferculum, aſſignauerat. *Ferculum*, inquit, *fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum,*

*Cāt. 3. 9.*

*reum,*

*reum, media charitate conſtrauit.* Poſtrema hæc, *Media charitate conſtrauit*, myſterium claudũt. Quod huiuſmodi ferculũ Euchariſtiam allegoricè ſignificet, præoſtenſum eſt aliàs. Hæc vna ratio eſt inter cæteras quod ſicut Veteres fercula dicebant Deorum ſuorum geſtamina, ſic & nobis Euchariſtia, quæ Deum Deorum geſtat, dicenda eſt ferculum. Iam verò dictum eſt, in medullio huius ferculi poſitum eſſe amorem. Id ſignificant illa vltima *Media charitate conſtrauit*. Ecquid quæſo aliud Euchariſticum ferculum, quam noſtrum defert amorem? Conſule Philippum Nereum, qui, cum illi ægrotanti deferretur Sãcta Synaxis, ſic traditur exclamaſſe. *Ecce amorem meum, ecce amorem meum; hic eſt ille, in quo me oblecto, ſolũ id eſt charum mihi.* Et ad Presbyterum Ciborium afferentem, *Præbe*, inquit, *amorem meũ, præbe mihi eum quam celerrimè.* Iam quod ſequitur inſpice. Si Chriſtus amor eſt in Euchariſtia, quis neſcit amori proprium eſſe, corda vulnerare, corda rapere, corda prædari? Præda, raptum, & ſcopus amoris, cor ſolum eſt. *Præbe fili mi cor tuũ mihi*, inquit idem amor noſter.

*Anton. Gallon. i eius vita an. 1551*

*Prouer. 23. 26.*

12 Hinc liquidò patet quã rationabiliter Richardus de Sancto Laur. referat de Deipara, dum terram incoleret, à nullo fuiſſe vnquam, à quo caſtè non amaretur, inſpectam. *Creditur quod ferè nullus potuit eam intueri, quin eam ſtatim non amaret; nunquã tamen malè fuit adamata.* Hinc Bernardus cordiũ vocat raptricem. *O Domina quæ rapis corda hominũ dulcore, nonnè cor meum Domina rapuiſti? O raptrix cordiũ, quando mihi reſtitues cor meum?* Quã congruenter hæc de Domina noſtra dicuntur? Nam ſi ex fructu vt habet Saluator, arbor dignoſcitur: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Cur nõ excordicabit amoris mater, ſi filius amor excordicat?

*Richar. à S. Laur. de Laud. B. Virg. lib. 5.*

*D. Bernard. ſer. ſup. Salue Regina.*

*Matt. 7. 16.*

## THEOREMA XVIII.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Dum euchariſticas deguſtaueris dapes, cuncta delectamenta trades obliuioni.*

ADhuc retinendũ eſt verbum *Amœnum*, quo ex tranſlatione Felicis ſacri altaris decoratur paſcua. Eo enim vtuntur Latini ad delicias ſignificandas, apud quos amœnum idem, ac delicioſum eſt. Quare vt S. Euchariſtiam diſcas fontem eſſe cœleſtium deliciarum, viridarium omnium

voluptatum, theatrum omniũ delectationum, nuncupatur amæna, *In pulchris amœnis collocauit me*. Quæ quidem deliciæ tam magnæ, & præcipuæ ſunt, tantæ dulcedinis, & iucunditatis; vt qui vel ſemel eas deguſtauerit, qualeſcunque terræ voluptates tradet obliuioni.

1 Vbi Chriſtus ſub typo Sponſi amicos, chariſſimoſque ad comedendum, & libendum inuitat: *Comedite* inquiens, *amici, & inebriamini chariſſimi,* ad eſum corporis ſui inuitat ſub ſenſibilibus panis appoſiti. *Ipſis Virginis filius dat corpus ſuum*, inquit Pſellius. Inquiro; Cum panis non bibatur, ſed comedatur, eſto quod aptè dixerit *Comedite*, quorſũ addidit, *bibite?* Rurſus: ſi panis comeſtio exſaturat, non inebriat; quare non ait, *Saturamini*, ſed *Inebriamini chariſſimi*? Quiſnam vnquam pane vidit inebriatum? Scio reſpõderi poſſe; Quia cum Corpus Domini, ſub formis panis contecto, per realem concomitantiã cõtineat, & ſanguinẽ, quẽ ex vi verborum ſub vini ſenſibilibus adoramus in calice: cibus eſt, & potus, manducatur, & bibitur; ſaturat, & inebriat. Sed ad rem noſtram hoc nõ eſt, & de eo latiùs infrà. Alia igitur aſſignanda eſt ratio, quam ſic accipe. Sãctus Chriſti panis idcircò inebriare dicitur, & eſſe potus: quia non ſolas panis, ſed vini quoque continet proprietates: quemadmodum enim vinum, immodicè bibitum quod bibentes non modo exhilarat, ſed inebriat; cęterarum rerum obliuionem inducit; vnde ait Salomon: *Date Syceram mærentibus, & vinum ijs, qui amaro ſunt animo, bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*: Sic & Sacrum altaris tanto ſapore, dulcoreque comedentes afficit, vt inebriet, & omnium mũdi voluptatum afferat obliuionem. Præſto eſt Pſellius, verba prædicta modo eodem expendens. *Inebriamini, inquit, præ lætitia, & propter ebrietatem ſtupore perculſi omninò mũdi ſollicitudinem obliuiſcimini*.

*Cãt. 5. 1.*

*Pſellius ibid.*

*Prouer. 31. 6.*

*Pſell. ibi.*

2 Minimè ambigẽdum eſt Chriſtum ijs verbis; *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, ſermonem cum hominibus, mundi ſectatoribus, & amatoribus, habuiſſe; quos exploratũ eſt ſitire perpetim. Voluptates enim, quibus inceſſanter inuigilant, dipſades ſunt, ſitim inducunt, cupiditatem accendunt: Quapropter, inſtar Tantali, infeliciſſimi.

*Quærunt aquas in aquis, & poma fugantia captant.*

Quos Dominus miſericordia motus ad aquas ſuas inuitat,

*Ioan. 7. 37.*

tat, quibus, vel ſemel expleti, nequaquam amplius ſitirent. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternũ,* dixit Samaritanæ. Sanè tam magno dulcore, & ſapore aquæ Saluatoris ſunt præditæ, vt mundi omnia delectamenta amareſcere faciant, & obliuiſci. Verum, pijſſimè Domine, quænam aqua tua hæc eſt tanta præſtans ſuauitate, vt terrena amareſcere, & obliuiſci faciat oblectamenta? Sanguis meus (inquit) quem ſub ſpecie vini in mẽſa altaris exhibeo. Ac ſi diceret, ait Bernardinus, *Si quis ſitit in anima delectari, atque inebriari, veniat ad me, & bibat, ſcilicet ſanguinem meum, quia talibus omnis mundana delectatio amareſcet.* Nimirum: ſi cruoris mei dulcorem, vel ſemel attigerit, eouſque inebriabitur anima, vt cunctas, quas mundus offert, voluptates perpetuæ obliuioni cõmittet; amareſcent enim illi, diſpliceburtque penitus, velut ſi latices Clitorij ebiberit, de quo Ouidius:

*Ioan. 4. 13.*

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 56. ar. 2. cap. 3.*

*Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit,*
*Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis.*

*Ouid. 15. metam.*

Siue potiùs Alis; *Cuius aquę, vt tradit Boccacius, adeo ſuaues ſunt in potionibus, vt nulla potiùs aqua deſideretur.*

*Boccac de. Fõtib.*

3 Prædicans Iſaias ineffabilem panis Euchariſtici dulcitudinem, hęc dixiſſe legitur. *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra Doctorẽ tuum: & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Cõgruè ſacrum altaris panem dicit arctum, nimirum breuem: perinde enim in eo verbum abbreuiatum fecit Dominus, vt in modica mica, non ſolum in tota hoſtia, totus Chriſtus inueniatur, in eadem quantitate & figura, qua regnat in Paradiſo. In qua quidem re, vt ait Doctor Angelicus. *Fit demõſtratio magnitudinis Sapiẽtiæ artificis tantæ rei, ſcilicet Spiritus Sancti. Videmus enim quod artifices, quando ſunt in arte ſculpendi peritiores, tanto ſculpunt imagines ſubtiliores.* Quod autem ex hoc loco ad rem noſtrã facit, illud eſt, quod alij vertunt. *Dabit vobis Dominus panem anguſtum, & aquam compreßam.* Nimirum, dabit vobis panem & aquam, qui perinde comedentes, & bibentes arctent, & comprimant; vt ſui iuris amplius non ſint. Siquidem, quibus datum eſt ſacro pane dignè nutriri, tam eximias, tam ingentes experiuntur delicias, vt velut quibuſdam compedibus alligari videantur, & detineri, vt poſt mũdi voluptates ampliùs ferri non poſſint. Audi Galatinum:

*Iſa. 30. 20.*

*D. Thom. opuſc. 58 cap. 13.*

*Alia lectio.*

Super

*Galat. de Arcan. lib. 4. c. 27.* *Super verbum illud, Panem anguſtum, & aquam compreſſam, ſic ait Gloſſa Rabbini Selomonis. Non erit nobis facultas vundi poſt voluptates, vt hactenus feciſtis.*

4 Fateor me illa Hieremiæ verba *Pars mea Dominus, dixit anima mea* (*Thren. 3. 24.*) nequaquam intellecturum, niſi de Sacra Euchariſtia ſermonem habuiſſe cognouerim: Deus enim totum illud eſt, quod Sanctorum animæ quærunt; totum, quod amant; totum, quo iubilant, non pars: pars autem in Euchariſtia, vbi imperfectè obuelata facie conceditur Sãctis, totus concedendus in cœlo, in quo reuelato vultu, nulloque mediante velamine totus eorum erit. Cum D. Dionyſius in proximo coronandus ſacra celebraret myſteria, apparuit ei Dominus Ieſus Angelorum agminibus conſtipatus qui è ſacra menſa cœleſtem patrem accipiens cõmunicauit athletam, hæc dicens: *Accipe hoc chare meus, quod mox complebo tibi vnà cum Patre meo, quoniã mecum eſt maxima merces tua.* (*Lippom. 9. Octob.*) Certũ ergo ſit vatẽ, cũ inquit *Pars mea Dominus*, de Chriſti ſacro locutum: Aduertendum autem quod priuſquam hæc ſcriberet, præmiſit litteram *Heth*, quam plerique interpretari dicunt, *Bonum, & excluſio*. Vt daret intelligi eos, quibus pars eſt Dominus, quibus nimirum Sacra conceditur Euchariſtia, tanto bono potiri, tantis delicijs perfrui, tantis voluptatibus oblectari, vt ab alijs omnibus, quas proſecuti antea fuerint, excludantur. Hæc eſt interpretatio Paſchaſij. (*Paſchaſ. ibid.*) *Cui pars Dominus fuerit, totus inhæret bono, totus excluſus eſt à ſæculi actibus, & præſentis vitæ oblectamentis.* Vileſcunt pariter, & amareſcunt, quę caduca ſunt, Dei ſuauitatis experto. Cunctarum voluptatum obliuiſcitur homo, vbi diuina preguſtauit edulia.

5 Breui quidem verbo, ſed magnis expleto myſterijs Euchariſticum calicem deſcripſit Pſaltes, cum diceret; *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt*: (*Pſal. 22. 7.*) quo inter cætera videtur innuere quam magna ſint, & ineffabilia ſacri altaris delectamenta. Aduerte autem, quod vbi Vulgatus habet *Calix meus inebrians*, Pagninus transfert *Calix meus ſaturus*: (*Pagn. Tranſl.*) ex quibus Euchariſtiam mẽſam, & edentes ſaturare, & bibentes conſtat inebriare. Sed quorſum hæc dicuntur, cum ob maieſtatem, & dignitatem cœleſtis conuiuij maiora, potioraque dici poſſent, & prædicari? ſaturare enim, & inebriare cuicunque cibo, ac vino vulgare quidem eſt; ſed ſatietas, ebrietaſque, quã affert Chriſti

panis, & vinum pluſquam dici poteſt, à ſaturitate, & ebrietate diſtat aliorũ ciborum, & potuum. Quiſnam vnquam, hac ebrietate appræhẽſus, furens viſus eſt, & amens; vt toties ex ſui vini ebrietate apparuit? Quiſnam vnquam vidit ex ſaturitate, & ebrietate mũdi virgines procreari, ſicut ex ſaturitate, & ebrietate corporis, & ſanguinis Chriſti? Quiſnam vnquam expertus eſt ex ſaturitate, & ebrietate mundi diſcordes inuicem vniri, quẽadmodum ex ea, quam affert Sacra Euchariſtia? Inebriare dicitur, & ſaturare Chriſti panis, & ſanguis, ſed laudabili ebrietate, ac penitus expetẽda ſaturitate. Sed aperiamus tãdem quid ſibi velit Propheta. Voluit innuere mirabiles delicias, ineffabiles voluptates, quas deguſtãt ij, quibus ſacer calix apponitur: faſtidiunt enim mundi delectamẽta quæcunque. Ebrij ſunt, & ſaturi, qui quæ vlteriùs apponuntur faſtidire conſueuerunt. *Solet homo*, inquit Bernardinus, *poſt ſaturitatem, & crapulam quæcunque appoſita faſtidire. Sic quod ad hanc ſaturitatem peruenerit mens deuota, manifeſtiſſimum ſignũ eſt quarumlibet corporalium deliciarum faſtidium: atque ex intimo affectu exteriorum omnium rerum quendã ſpontaneum habere deſpectum.*

*D. Bernardin. tom. 2. ar. 1. cap. 7.*

6 AEgrotabat Regis noſtri Dilecta, ſuique languoris expedientia petebat medicamina, cum eam dixiſſe legimus, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Sed vnde illi hæc ægritudo? quidue ſignificat eius languor? Inde (inquam) accidit, quod eam Dilectus in cellam vinariam introduxerit; prius enim ait, *Introduxit me in cellam vinariã, ordinauit in me charitatem*; mox verò ſubſequitur, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.* Verum, bone Deus, ſi panis & vinum huius ſacræ cellæ noſtræ mortalitatis eſt pharmacum, noſtrorũ peccatorum antidotum, omniumque languorum noſtrorum efficaciſſimum medicamen; vnde eſt, quod Dilectam tali lãguore percuſſit, dũ eam deberet ab omni languore liberare? Talis languor dulcis eſt, expetendus, ſanctis animabus gratiſſimus. Languor eſt quidem, ſed ſine languore; morbus, ſed morbo purgatus, cordibus benè habentibus vltra, quod dici poteſt, conuenientiſſimus, ex dulciſſimo diuini amoris telo dulciſſim⁹. Quorſum verò nomine lãguoris exprimitur, ſi quæ languorẽ indiuiduè comitãtur, minime callet? Quia qui ſacri edulij factus eſt particeps, quaſi languens, ac graui morbo correptus

*Cant. 2. 5*

*Ibid. nu. 2.*

tus cibos quoſcunque nauſeat
& faſtidiat. Tanta eſt Sanctiſ-
ſimi Sacramenti ſuauitas, tan-
ta iucunditas, & dulcedo, vt
faſtidioſos cæterarum volup-
tatum efficiat Sanctos. Hæc
*Hug. Car.* eſt Hugonis interpretatio. *Cũ*
*in cap. 7.* *Sponſa dixiſſet: Introduxit me*
*ſapien.* *in cellam vinariam, ſtatim ſub-*
*didit: Fulcite me floribus, ſti-*
*pate me malis, quia amore lan-*
*gueo. Quaſi dicat. Omnia poſt-*
*pono dulcedini, quam in cella vi-*
*naria guſtaui.* Tali languore
perculſam tradunt Catharinã
Senenſem, in hãc cellam vina-
*Lippom.* riam introductam. *Cũ ex ma-*
*29. Apri.* *nibus confeſſarij ſumpſiſſet Sacrã*
*Euchariſtiam, tale aliquid ſe vi-*
*diſſe narrabat, quod mentem eius*
*adeo ad ſe pertraxerit, vt alia om*
*nia, quæ hic habentur, velut abo-*
*minanda ſtercora ipſi viſa ſunt:*
*nõ ſolum opes, & voluptates cor-*
*poris, ſed etiam animæ lætitia:*
ait Lippomanus.

7 Haud leuis momenti eſt
*Prouer.* Salomonicum illud: *Anima ſa-*
*27. 7.* *turata calcabit fauũ.* Scio qui-
dem hoc primo aſpectu para-
doxum videri: nam vel pueris
notum eſt, nil ferè terram dul
cius melle, cuius olim ſuaui-
tas tanto fuit in pretio, quod
*Athenæ.* veteres Poetæ, vt ambroſiam
*lib. 2. c. 1* fingerent, qua Deorum men-
ſas ſcatere dicebant, mellitam
effinxerint, nihil melle ſuauius
inuenientes, quod diuinum
palatui dignum foret. Quare
ſi mel tam eximiæ dulcedinis
eſt, quali cibo ſaturari poterit
anima, vt mel deſpiciat, faſti-
diat, & conculcet? Corpore
Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti,
reſpondet Angelicus Doctor;
mundi voluptates ſub typo
mellis intelligens. *Anima ſa-* *D. Thom.*
*turata calcat fauum: quia Corpus* *opuſ. 58.*
*Chriſti ſatiat ad faſtidium mun-* *cap. 9.*
*di fugiendum.* Corporis Chri-
ſti ſuauitas ea eſt vt mellis
ſuauitatem proſternat. Illo
quiſquis ſaturabitur, eorum
omnium, quæ mundi iucun-
da ſunt, iucundiſſimum de-
ſpiciet, & contemnet, ſper-
net, proq; nihilo ducet, faſti-
diet, & calcabit. Guſtus illo
refectus hoc iudicabit amarũ.
Non erit mel, ſed fel, ſi melli
ineffabilis comparabitur iocũ-
ditati. Audi Seraphicum Pa-
triarcham Dei melle repletũ,
& ſaturatum, ex Bernardino
dicentem: *Guſtanti Deum om-* *D. Bernar-*
*nis delectatio mundi videtur a-* *din. tom.*
*maritudo: guſtate ergo, & vide-* *4. ſer. 17.*
*te, quia dulcis, & ſuauis eſt Do-*
*minus; & nunquam pœnitebit te*
*de guſtu Dei.*

8 Quocirca ſi Sacram Eu-
chariſtiam loto arbori compa-
rauero, mea nequaquam clau
dicabit opinio. De arbore lo-
ti refert Pierius, olim Aegyp- *Pierius*
tios in eius medio Deum ſub *lib. 52.*
infantis imagine collocaſſe,
velut ſi arbor illa Deum pro
fructu ederet, ac præberet edẽ-
dum.

dum. Apud nos autem nil eſſe cōſtat ab Euchariſtia, quod fructum ſalutiferū ferat pretioſi corporis Dei. Iam verò mira, ac magna ſunt, quæ de loto Poetæ veteres cecinerūt. Inter cætera cæterorum Princeps Homerus recenſet tanta ſuauitate comedentes afficere, vt reliquarum rerum perpetuam ferat obliuionē. Hinc eſt quod Vlyſſis commilitones vbi lotum apud Lotophagos deguſtarunt, ſic omnium deſiderabilium obliti fuere, vt neque patriæ meminiſſe potuerint.

*Homerus Odyſſ. 11.*

*Ex ijs autem quicunque loti*
*comedere mellitum fructū*
*Non amplius renuntiare retrò*
*volebant, neque redire.*
*Sed illi volebant cum viris*
*Lotophagis*
*Lotum comedentes, manere,*
*redituſque obliuiſci.*

Quę quidem loti proprietas ſic propria eſt Euchariſtiæ, vt eam Poetæ in figuratione loti diuinaſſe videantur. *Cibus hic,* inquit Sanctius, *non aliter, ac Poetarum lotos aliarum rerum obliuionem inducit; guſtato enim ſpiritu deſipit omnis caro.* Saturat, inebriat, languorem inducit, coarctat, vt excludit ceteras mundi voluptates, mellis etiam obliuiſci facit. lotus eſt. Lethem etiam diceré, niſi ferculum eſſet, in quo diuinæ cōſortes naturæ trāſportaremur in cœlum.

*Sanct. in c. 2. Cāt.*

9 Quod ſi innumeri penè ſint, qui quamuis quotidie ſacræ menſæ accumbant, ſacroque pane veſcantur; ità tamen mūdi voluptatum, & caducarum deliciarum ſunt cupidi, quod, vt illis potiantur, Deum non vereantur offendere. Hoc ſanè accidit, non ex eo, quod Chriſti panis præfata careat dulcitudine, ſed quod mortui peccato, talium deliciarū delectamenta non ſentiant. Quod quam egregie Seraphicus Doctor confirmat. *Cum autem, inquit, Sacramentum expletum fuerit, cogitet in corde ſuo: poſt tam nobilem cibum nolo ſtercora deguſtare; & cum ipſe ſit ſumma iucunditas nolo de cætero affici circa aliam creaturam. Si autem affectionem ibi nullam habuit, recogitet ſignum eſſe infirmitatis, vel mortis. Ignē poſuit in ſinu, & calorem non ſenſit? mel poſuit in ore, & dulcedinem non percepit?* Mortui ſunt, exanimes, cunctis vitæ muneribus deſtituti.

*D. Bonau. de Præp. ad Miſſam. Diſcurſ. alio.*

## THEOREMA XIX.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Non modo Chriſtus eſus, ſed identidem viſus, miro recreat modo.*

Pro

PRo loco paſcuæ, in quo Regius Vates ſe Sacro Corporis Chriſti paſci commemorat, ait Titelmanus alios tranferre *In virentibus herbis.* Videbatur enim illi dum ad ſacram menſam accumberet, inter virentia eſſe, quæ non ori ſolum alimenta exhibent; ſed etiam recreamenta oculis adminiſtrant. Nō modo namque comeſtus Chriſtus, verum & viſus, miro recreat modo.

*Titel. hic.*

*Alia Transl.*

1 Locus, in quo Moyſes, mirabilia mannæ percenſens, ait: *Man quaſi ſemen coriandri coloris bdellij*, vertitur ab aliquibus hebraicum idioma callentibus *Et oculus eius ſicut oculus bdellij*. Ex qua translatione infert Ioannes Lorinus, *Indicari, habuiſſe man ocellos quoſdam, vel ocellatum fuiſſe:* oculis nimirum vndique micuiſſe, vndique coruſcaſſe. Hoc autem ità intelligendum, quod cum cibus eſſet ſapidiſſimus, dulciſſimus, omnique dignus admiratione, vtpote qui nouiter è cœlo deciderat, tanta auiditate in eum cūctorum iactabantur oculi, vt plenus, onuſtuſq; oculis videretur. De re noua, ac mira, pulcherrimaque, quam vt ea perfruantur, auidiſſimè omnes inſpiciūt, dicere cōſueuimus: Nemo eſt qui in eam non iactet, non inijciat oculos. Ogni vn le laſcia gli occhi di ſopra. Quod nouo mannæ Sacroſanctæ Synaxis quamoptime quadrat; hoc enim, quia ſpecioſiſſimum, gratioſiſſimum, ſuauiſſimum Chriſtum includit, ſic miro modo intuentes recreat, exhilarat, confortat, vt oculos cunctorum rapiat. Sit teſtis Nazareth, quæ Chriſtū digna fuit oculatim proſpicere. In ea cum Chriſtus Iſaiam explanaret, *Omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eū.* *Nam*, ſubdit Iāſenius, *è diuino vultu gratia quædam fulgebat, omnium facile in ſe conuertens oculos.* Perinde homines cœleſtem illum vultum aſpicientes, deliciebantur, recreabantur, vt oculos in eum defigerent, relinquerentque.

*Nu. 11. 7*

*Alia Transl.*

*Ioan. Lorin. ibid.*

*Luc. 4. 20.*

*Ianſ. in concord. Euang. cap. 54.*

2 Conflixerat iam in arena deſerti cū Deo Rege ſuo truculentiſſimus Dœmon, pudoreque affectus, & victus receſſerat, cùm Angelorum agmen ſummo è cœlo deſcendit, vt Deo victori aſſiſteret, & miniſtraret. *Reliquit eum Diabolus*, inquit Matthæus, *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Sed quid (inquies) miniſtrabant Angeli Chriſto, vbi ſæuus Dœmon aufugerat? Palacius tibi reſpondet: *Veniunt vt ſi puriſſimos Domini oculos Dœmonum præſentia afflixerat, Angelicum miniſteria, & pulcherrimus aſpectus recrearet. Sique tædiū habuerat Chriſtus Dœmones*

*Matt. 4. 11.*

*Palacius ibid.*

*mones aſpiciens, hilaritatem conciperet Angelos ſpectans.* Certum eſt quidem æquè excellere Dœmones in deformitate, ac Angelos in pulchritudine. De illis ait Cyrillus: *Dæmones forma ipſa quouis tormento eſſe grauiores*: de his Antoninus: *Quantæ venuſtatis ſunt æſtimandi Angeli, ad cuius aſpectum expauit Regina Angelorũ?* Et rurſus: *Quales ſeruitores, & miniſtros debuit ſibi ipſi creare pulcherrimus Deus Omnipotens, & ſapientia totus, qui tam ſplendidas ſtellas vita priuatas concauo fixit?* Non immeritò igitur è cœlo deſcendunt Angeli vt oculos Domini, Dœmonum deformitate laxatos, refocillent, cum tali, & tanta eniteât pulchritudine. Hoc poſito ſic mecum diſcurre. Si tanti oblectamenti eſt aſpectus ſyderum, quanti erit contemplatio ſolis? Si gutta venuſtatis oculos ſic miro modo delectat, quantum oblectabit fons totius pulchritudinis? Si Deus operis ſui intuitu tantopere gaudet, quantum deliciabitur opus in viſione Dei ſui?

*D. Cyrill. Alex. Orat. de exitu animæ.*
*D. Antonin. par. 1. tit. 1. c. 2. §. 2.*
*Ibidem.*

3 Præclarè admodum Regius Vates hanc, quã præ manibus habemus, aſſecutus eſt veritatem, cum Dei ſuauitatẽ commendans, *Guſtate*, ait, *& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. Non ait ſolum *Guſtate*. Addidit *videte*; quia non tantum guſtatus, ſed & viſus dulceſcit Chriſtus Dominus, dum latet in Euchariſtia. Dũ (inquam) latet in Euchariſtia: Nã Iacobus Apoſtolus, Cyrillus Alexandrinus vnà cum Gaudentio Brixienſe, eadem, ipſa verba ad Euchariſticum ſacrũ reduxiſſe videntur. En etiam Philonem Cardatium. *Cœleſtis illa manna, Euchariſtia ſcilicet, ſi rectè meditetur, tãtum dulcedinis cœleſtis alimoniæ affert, & ſuauitatis, vt rectè cum Dauid dicere queas: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Expende quod non ait: *Si rectè comeditur*; ſed: *Si rectè meditetur*, ideſt oculis mentis inſpiciat. Vt innuat Chriſtum Dominum, non modo comeſtum, verum, & viſum dulcitudine ſua afficere, reficere comedentes, & intuentes.

*Pſal. 33. 9.*
*D. Iacob. in Liturg.*
*D. Cyrill. Alex. de cœna Do.*
*D. Gaudens. ſer. 2. de Paſch.*

4 In varijs, magniſque laboribus, quibus præſens vita redundat, defeſſus Moyſes, vt refocillaretur, ſupplex à Deo diuini vultus petijt intuitum. Cui Deus. *Non poteris, videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet.* Quæ audiens Auguſtinus eadem, qua Moyſes exardeſcens ſiti, ait Chriſto: *Cur faciem tuam abſcondis? Fortè dicis: Non videbit me homo, & viuet? Eia Domine moriar, vt videam te: nolo viuere, volo mori, diſſolui cupio, mori deſidero, vt videam*

*Exo. 33. 20.*
*D. Aug. Soliloq. cap. 1.*

*Chri-*

*Chriſtum* . Auguſtine expetis mori ? cupis diſſolui ? ignoras mortem profectò, neſcis quam amara ſit eius facies, quam terribiles cruciatus . Quis vnquam vidit mortem, & non expauit, non exhorruit, non obſtupuit?quẽ,vel ſolꝰ mortis metus non perterruit, qui ab ipſo etiam Dei filio ſãguineos rores expreſſit? Non inconſultò mortẽ expetit S. Doctor, cum tale quid exoptet, vt faciem Chriſti videat . Tantæ ſuauitatis eſt, tantæ dulcitudinis, & iucunditatis Chriſti faciem videre, vt mors, velut rerum omnium iucundiſſima, & ſuauiſſima,habeatur in votis . Huiuſcemodi deſiderio accenſus erat Ignatius, cum ardentiori , ac vehementiori ſtylo ſcriberet ad Thracenſes, quibus *Paratum*,inquit, *me offero igni, feris, gladijs, Cruci, dummodo Chriſtum videam Saluatorem, & Deum meum, qui propter me mortuus eſt.*

*D. Ignat. Martyr. Epiſt. 7.*

5 Non Ieroſolymam, Romam, Memphim, aut quempiam aliam totius orbis Vrbẽ, ſed paruam Bethleem Deus, vt in ea naſceretur, elegit: nec eum in thoro, purpureis culcitris, aulæiſue aureis compto; ſed in ſordido præſepi, & paupere; fœno, paleiſue ſtrato , enixa eſt Deipara . Bethleem naſci voluit; quia, cum eſſet panis, in panis domo, quam ſignificat *Bethleem* reponi debuit . *Sanè*,inquit Palacius, *in domo panis, ſiue in loco panis naſcitur, & reconditur panis . Recõditur in præſepi*, inquit Chryſippus, *vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciſcantur.* Sed, cum in occaſu Dominus Ieſus cibus hominum eſſe decreuerit, non autem in ortu; non in ortu, ſed in occaſu panis dicẽdus erat; & domus panis tumulus, non incunabulum eius nuncupandum . Cur ergo dicitur panis, quando vix incipit eſſe ſeges? Panis vtiq; erat Chriſtꝰ in ortu, viſus.n. reficiebat, cõfortabat, ſatiabat, æquè, ac modò comeſtus . Eò q̃a tunc oculi paſcebãtur, nutriebantur, reficiebantur, etſi poſtmodum in occaſu pabulũ fuerit oris . En tibi Guerricũ. *Proculdubio fratres, ſi faciem nõ auertimus à cõſideratione illius, qui iacet in præſepio, ipſo intuitu poſſumus feliciſſimè paſci, dicemuſque: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

*Palac. in c.2. Mat. Chryſip. Presbyt. de laud. Virg. Mariæ.*

*Guerric. ſer. 4. de Natiu. Domini.*

6 Vox illa Sponſæ *Num quẽ diligit anima mea vidiſtis?* non ignorantis, ſiue perquirentis tantummodo, vt diſceret, vbi Sponſum conuenire poſſet; ſed & admirantis eſt: percontatur enim à cuſtodibus Ciuitatis, ſi forſitan eis tantum, ac tale bonum datum eſſet inſpicere: admiratione dignos exiſti-

*Cant. 3. 3*

mans, quibus talis obuiaſſet aſpectus. Inquies autem. Quare non potius, num Dilectum comediſſent, interrogat? Ex eo enim, quod, qui Chriſtum comedunt habent vitam æternam, ac propterea, quamuis terram inhabitẽt cum hominibus, velut ſi regnarent in cœlo cum Angelis, cenſentur beati, maiori admiratione digni ſunt ijs, qui modo digni habiti ſunt eum videre. Nihilo ſecius ipſa, ſi vidiſſent, nõ ſi comediſſent, Dilectum, ſciſcitatur ab eis. Quandoquidem æquè viſio Chriſti videntes beatos efficit, ac comeſtio comedentes; parique dignos, admiratione vtraque dignos reddit vtroſque. En D. Bernardum hunc metipſum ſenſum luculentiùs exoſſantem. *Sciebat, quia beati oculi, qui vidiſſent eum, & admirans eos, qui viderant, aiebat: Num vos eſtis qui meruiſtis in carne aſpicere ſapientiam, in corpore veritatẽ, in homine Deum?*

D. Bern. ſer. 78. i Cãt.

7 Proprietates omnes, virtutes, & prerogatiuæ, quæ prædicantur de manna, eatenus illi conceſſa fuerunt à Deo, quatenus Euchariſtiam figurabat. Aduertendum ergo eſt inter cætera, quæ de mãna dicũtur, illud haberi, quod ſmaragdinum præſeferret colorẽ. Vbi paſſim legimus *Man quaſi coloris bdellij*, vertunt aliqui *Coloris ſmaragdi*. Huiuſcemodi autem collatio minus apta videtur, imò magis impropria, vtpote qua panis cõfertur lapidi, quodque nutrit, & recreat, rei nequaquam nutrienti, aut recreanti. Verum ſi diligentiùs, & ſtudioſiùs expendatur, aptior, & proprior æſtimabitur. Siquidem ſmaragdus, & ſi non comeſtus, inſpectus tñ, & viſus, reficit, ac recreat intuentes. *Smaragdi*, inquit Chaſſanæus, *ſoli implent oculos, omnium lapillorum iucũdiſſimi, nec ſatiant; quoniam nihil omninò viridiùs comparatum illis viret, quin & feſſa nimia intentione, oculorum acies viſu ſmaragdi recreantur*. Cum ergo legis Sanctiſſimum Euchariſtiæ manna coloris eſſe ſmaragdini, immenſitatem ſuauitatis eius intellige, quod non tantum comeſtum, ſed & viſum, te ſuarum deliciarũ participem facit: vnà enim eo cũ ore affluenter paſcuntur, & oculi.

Num. 11. 7.

Alia Transl.

Chaſſ. in Catalogo par. 12. Cõſid. 93.

8 Nequaquã ruditer Cardinalis Drogo Chriſti Aſcenſionem cum Eliæ aſſumptione, pallioque huius Sacramẽtum confert illius. Nam, quemadmodum hic in locum deliciarum aſſumptus pallium, in abſentiæ ſuæ leuamen, Eliſæo dimiſit; ſic ille in cœlum aſcendens eodem nobis intuitu ſuũ corpus pretioſiſſimum in terra reli-

reliquit, quod ad cooperiendam Diuinitatis ſubſtantiam inſtar cuiuſdam pallij miniſtrauit. *Ecce, inquit, ſublatus es amplius te tuus non videbit Eliſæus; remãſit tamen ei pallium tuum in memoriam tui. Hoc ſumite, ait, in meam commemorationem. hoc eſt Sacramentum corporis tui; pallium tuum eſt caro tua, qua veſtitus ad nos proceſſiſti.* Quamuis ergo ob Saluatoris noſtri in Regnum Patris ſui receſſum, triſtes remaneremus, & orphani; quia tamen nobis corpus ſuum reliquit, reprimitur gemitus noſter, ſolatur dolor, & mœror, lacrymæq; abſtergũtur. Quod quidem pretioſiſſimum corpus, non præſtat modo comeſtus; verum etiam viſus. Nã, ſi, vt ait Diodorus Siculus, ſiue potius Agyrenſis, *Plures Aegyptij progenitorum corporibus domi magno ſumptu conditis, reſpicientes ſuorum imagines viuentium magnitudine, & habitu, à longa progenie ducta, tanquam viuentium aſpectu animo, oblectabantur;* quantum nos oblectabimur, verum, & viuum corpus eius videntes, qui nos è nihilo extraxit, talique charitate eſt proſecutus, vt proprio redimeret ſanguine, hæredes faceret diuitis Regni ſui? Si mors, ſi cinis, ſi puluis, ſi putredo, & caligo progenitorum ſuorum delectabat Aegyptios; quanta nam ipſamet incorruptibilis vita, lux vera, Deo vero vnita, hominem omnem illuminans, caliginum, & tenebrarum expultrix, Chriſtianis fidelibus afferret oblectamenta?

*Drogo de Sacram. Domin. Paſſ. li. 1.*

*Diod. Sicul. lib. 2 cap. 5.*

9 Tandem huius quoque theorematis calci Cãticorum locus eſt adijciendus. Aduertendum ergò, quod, vbi legitur: *Vulneraſti cor mẽum ſoror mea Sponſa*, legit Nyſſenus: *Cordificaſti nos ſoror noſtra Sponſa:* aitque ijs verbis amicos Sponſi, Eccleſiæ Sponſæ loquentes, innuere, perinde ſuo ſe iucundatos, & recreatos aſpectu, quod, ſi mortui fuiſſent, redijſſent ad vitam. Id enim ſignificat *Cordificaſti nos. Ideſt*, inquit S. Doctor, *Animã quamdam per te ipſam nobis indidiſti*. Sed vnde hoc Eccleſiæ, vt intuentes eam, ſi mortui ſint, reuocarentur ad vitam? A' Chriſto Sponſo, (ſubdit idem ibidem) quem, vt pote caput ſuum, repræſentat in facie: ĩ ea enim videbãt Chriſtum, ob cuius intuitum taliter recreabantur. *Nam ſi*, inquit, *Eccleſia eſt corpus Chriſti, Chriſtus autem eſt caput corporis, ſuo caractere formans faciẽ Eccleſiæ, fortè per hoc ad eam aſpicientes amici Sponſi cordificati ſunt: quoniam per ipſam clariùs aſpiciunt Sponſum.* Sic facies Chriſti lætificat intuẽtes,

*Cant. 4. 9.*

*D. Greg. Niſſ. Homil. 4. in Cant.*

*Ibidem.*

vt ipſomet mortuos reuocare poſſit ad vitam. Quam ergo mirabilis tua pietas eſt mi Chriſte, mi Deus, mi Creator, mi Redemptor, qui corpore tuo viuifico animæ non modò reficis ventrem, ſed & mentē; non os tantum, ſed oculos; nō eſus ſolum, ſed viſus, voluptatis tuę torrentem inundas? Dicam ergo tibi, deque tuo prædicabo conuiuio, quæ Socrates dixiſſe fertur, cœnam Calliæ laudans: *Theomata, ideſt, quæ oculos paſcunt, adijcis quoque*. Sed adijciam quoque ſuppliciter, humiliterque depoſcam, ne dedigneris illud, quod obuelatum aſpicimus in altari, nobis in cœlo reuelata facie intuendum præbere. Sequatur ſplendida dies, cuius cādida præceſſit aurora: fruatur anima in patria, quo digna facta eſt deliciari ī exilio: conſumetur in termino beata tui corporis viſio, quæ mira tui benignitate initiata eſt in itinere.

*Cælius li. 28. c. 8.*

10. In Guloſos inuehitur Seneca, quod non modo poma, vt guſtui, ſed & viſui oblectēt, ſtudioſiſmè ſelegant. *Non ſunt ad poma dentibus, & ventre, & ore contenti; oculis quoq; guloſi ſunt*. Sed tuos ego conuiuas harum participes oblectationum feliciſſimos prædico, quid ni feliciſſimos, cum in hac vita vere beatitudinis, quæ tuo poſita eſt in vultu p̄libamenta recipiant? & non tantum guſtus, ſed etiam viſus ſatisfaciunt votis.

*Seneca li. 3. Natural.*

## THEOREMA XX.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Euchariſtia vterus eſt, in quo homo regeneratur in Angelum.*

QVam vber, quam ferax eſt locus iſte, quantis ſcatet myſterijs quantis abundat ſenſibus, diues eſt lectionibus; quibus expenſis Euchariſtici ſacri laudes conclamantur? Præter iā dictas, & conſideratas, legunt alij: *In habitaculis germinis collocauit me*. Quia verò germē, in cuius loco Vates ſe collocatum effert, teſte Iſidoro, *Dicitur ſurculus prægnans à gerendo*, aptè S. Euchariſtia nuncupanda germen: vterus enim quidam eſt, qui gerit homines, vt pariat Angelos: ſanè quicunque ea dignè paſcitur, Angelus euadit.

*Alia lectio.*

*D. Iſid. etym. lib. 17. c. 6.*

1 Primum inter probationes, Eccleſiæ, quam Paraclitus illuſtrat, auctoritas, locum obtineat. Hæc quidem à celebrante aquam vino cōſecrāda

tāto rigore præcipit immiſcēdam, vt, ſi temerarius Sacerdos omiſerit, grauiſſimæ culpæ indicetur obnoxius. Quæres autem: In hac miſtione, nullo pacto præter mittenda, quod nam latet myſterium? Multa inquam, & magna, noſtriſque obtutibus abdita. Inter ea verò, quæ paſſim afferuntur, hoc vnum habetur. Aqua plebē, vinum verò Chriſtum ſignificat. Primi teſtis eſt Ioannes, qui ſibi ab Angelo dictum refert: *Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt:* de ſecundo nos infrà rationem trademus. Fidelium plebs igitur, figurata per aquam, Chriſto Domino ſub vini typo coniungi debet, & immiſceri: vt inde ſciamus, nos per diuinam comeſtionem, & potum cœlorum ciuibus & Angelis coæquari: aqua enim ab æquando dicitur. Ecce Durandum. *In aqua populus repræſentatur, quæ ideo immittitur in calicem, quia per hoc ſacrificium Angelis æquari debemus.* Ac ſi igitur ſacer miniſter, dum talem perficit miſtionem, tacitè aſtantibus dicat. Aduertite mortales, pariterque ſtupeſcite, quàm admirabilia, quàm magna; quam excelſa, quam ſublimia Redēptoris noſtri ſint munera. Quamuis nos hæc aqua, nimirum molles, caduci, mortales, & ad interitum proſluētes, ſimus; virtute tamen huius ſacri ſic immutanda iamdudum eſt fragilitas noſtra, vt Angelis coæquemur.

*Apoc. 17. 15.*

*Dur. Ration. Diuin. lib. 4 cap. 30. num. 15.*

2. Sāctam Dominici corporis communionem olim ab Eccleſia poſt aduentum Spiritus Sancti quotidie frequentatam fuiſſe, refert Angelicus Doctor: vnde factum eſt, vt non, niſi poſt Penteçoſten, feſtum Corporis Domini celebretur. Sed videamus qua de re primiores fideles poſt aduentum Spiritus Sancti Euchariſtiæ Sacramentum percipiebant. Vt Spiritus Sancti aduentu Communionem præueniri debere oſtenderent: tum ob communicantis diſpoſitionem: niſi enim homo Spiritum Sanctum acceperit à quo ab animæ ſordibus expurgari, ſanctificari, & ad ſuper cœleſtis edulij perceptionem diſponi ſolet, cenſendus eſt indignus, deq; altari reijciendus: ſed de hac re plura dicenda ſunt infra. Tum etiam, vt poſt ſanctam refectionē nos in Angelos Dei trāſformet, & commutet. Ipſe ſanè eſt qui Angelos creat, qui faciem terræ in cœli faciem renouat. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Præſto eſt Maximus Monacus, qui nobis miro modo concordat, & rationem noſtrā ſatis acutè ſubindicat. *Spiritus Sancti gratia tempore*

*D. Thom. in off. Corp. Dom.*

*Pſal. 103. 30.*

*Maxim. Mon. lib. 22. Litur. expoſit.*

ſan-

*ſanctæ Synaxis vnumquéque eorum, qui inueniũtur tranſmutat, & transformat. Et, vt verè dicamus pro modo, & proportione ipſorũ, ad id, quod eſt diuinius, traducit, & effingit.* Quod dicit Spiritum Sanctum communicãtes in id, quod eſt diuinius, transformare, ne te pudeat intelligere, quod homines trãſmutet in Angelos, nam ſupra hominem, & infra Deum nihil eſt diuinius Angelo.

3 Dictum eſt toties, ac multoties adhuc ſupereſt repetendum, quod poſtquam Beatiſſima Virgo Regem cœlorum enixa eſt, in præſepio collocauit; velut ſi eũ iumentis apponeret comedendum. *Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum innoluit, & reclinauit in præſepio.* Dices iam, quænam hæc eſt loci ad locatũ proportio? Dum Chriſtus eſt cœlicum manna, cuius typus in pretioſiſſimo vaſculo aſſernatus fuit à Moyſe, quorſum in ſordidiſſimo loco à Genitrice reconditur? Cum Chriſtus, vtpote panis Angelorum, in Angelorum menſa ſit collocandus, cur in præſepio reclinatur, in mẽſa brutorum? Denique ſi præſepe cellarium eſt, non nectaris, ſed paleæ; & fæni; vnde eſt, quod nectar Diuinitatis primò in terram effuſum, locum habuit in præſepi? Propterea quod fænum factus eſt, cibuſque iumentorum, hominum nimirum, qui poſtquam peccauerunt, conuerſi ſunt in iumenta, vt ex eius comeſtione in prioré formam redirent. *Idcircò*, ait Iſidorus Clarius, *Verbum caro factum eſt fænum, vt ſit cibus eorum iumentorum, qui priſtinam dignitatem, ac figuram recipere cupiunt.* Priſtina figura hominis, Angelica erat. Audi quæ ſcribit Moyſes Barcepha deſcribens Adamum, dum eſſet in paradiſo, imponeretque ſubiectis animantibus nomina. *Quidam putant, Adamum voce, quæ ſenſu percipi, audirique poſſet, pronuntiata, ſingulis animantium ſpeciebus, volucrumque nomina indidiſſe. In editiore colliculo terræ pro paradiſo inſidentem, auguſtaque amictum maieſtate, & ſplendore, quem habitus præferebat, ſolis radios ſuperante: illa ſubmiſſis capitibus prona, neque præ nimio decore, quo ille ſplendebat, intueri ipſum audentia, ſingillatim præterirent, ſuiſque ab illo appellarentur ordine nominibus.* Nota illud: *Solis radios ſuperante*, eo ſanè ad Angelicum decorem Adamum acceſſiſſe deſcribit, etenim; ſolus ſole nitidor Angelus eſt. *Decorus eſt ſol*, ait Chryſoſtomus, *ſed excelſior Angelus.* Deus igitur factus eſt fœnũ, cibuſque brutorũ, nem-

*Luc. 2. 7.*

*Iſid. Clarius orat. 9. in Lucam.*

*Moyſes Barcepha par. 1. de parad.*

*D. Chryſoſt. ſer. 1 de Ieiun. & Gen. tom. 1.*

pe hominum conuerſorum in bruta, vt comedentes illum, in priſtinam reuocarētur formā, ideſt Angelicam, qua homo inſignitus erat initio. *Antea quaſi cœleſtes Angeli viuebamus*: ait idem Chryſoſt. Dicatur ergo hoc cibo homines in Angelos transformari.

*D. Chryſoſ. Hom. 16. in Geneſ.*

4 Quoties Regium Vatem canentē legis: *Panem Angelorum manducauit homo*; quæſo, nè eo quod cœlorum ſubſtantiæ corpora non incolant, eodem pane, quo & nos, dubites enutriri, vt te aliàs monui: Eodem] ſanè enutriuntur, tametſi] diuerſimodè. Idem conuiuium quieſcentes in cœlo, ac laborantes in terra, participant, quamquam Deus illis aperto vultu, his ſub formis panis velatus, exhibeatur in cibum. Verū vnde eſt, quod ſibi Deus complacuit homines Angelorum eduſio ſaginare? Vt Angeli ex hominibus fiant, ait Hugo Cardinalis. *Datus eſt hominibus, vt fiant Angeli.* Nam, quemadmodum Poetæ fingebant, ſomniabantque, homines in Deos tranſire non poſſe, niſi prius Dearum lac ſugerent: vnde eſt, quod vt Herculi Iuppiter immortalitatem conciliaret, Iunonis dormientis admouit vberibus, quo ab excitata reiecto, pars lactis, quæ in cœlum cecidit, viam lacteā fecit, quodue cecidit in terram, lilia, quæ prius erant crocea, dealbauit; Non abſimili modo Deus, dū quærit homines in Angelos transformare, ipſos Angelorum pane, Euchariſtia nēpe, ſaginat; ſine qua impoſſibile foret ex mortalibus immortales fieri, ex terrigenis cœlicolas, Angelos hominibus fieri.

*Pſal. 77. 25.*

*Hug. Cardi. in c. 31 Prou.*

*Nat. Cō. Mythol. lib. 2. c. 4*

5 Cauſam inquirunt plurimi, quare Chriſtus in inſtitutione cœleſtis edulij terrenis vti voluit rebus, cur nimirū panē elegit, & vinum, quos terra parijt, vt in ſui corporis, ſāguiniſque ſubſtantiā abirēt? Cum enim potuerit cœleſtibus, & ſpiritualibus vti, vt diuinam ſubſtantiam, nequaquam terrena, & ſenſibilia, ſed cœleſtia, & ſpiritualia tegerent inuolucra; hæc ſatius videtur adhibuiſſe debere. Nam alioqui ſupremę quo pacto cōſulit maieſtati, dū Regē Regū vilibus operit indumentis? Verū, quia Clementiſſimus Dominus Euchariſtiam faciens, nō ſuæ, ſed noſtræ dignitati ꝓſpexit, terrenis potiùs fructibus, quā cœleſtibus, vti ſibi cōplacuit. Audi Rabanum Maurum. *Quia ipſe filius Dei homo inter homines factus, & ex terrenis parentibus, ſcilicet ex ſtirpe Adæ progenitus, veritas de terra orta eſt, vt ex terrigenis cœlicolas faceret: de terrenis fructibus cibū cœleſtem homo cœleſtis fecit. Vt*

*Raban. Maurus Inſtit. cleric. lib. 1 cap. 31.*

*in eadem re ſimul ediſcerent, & quid Deus propter nos factus eſt, eo quid nos propter ipſum futuri ſumus.* Quemadmodũ (ac ſi diceret) vt nos Deus è terra eleuaret, cœleſteſq; efficeret, terrã aſſumpſit, ſeque terrenũ effecit: ſic ad tranſubſtantiationẽ corporis, & ſanguinis ſui res terrenas expetijt, vt ex cœleſtis participatione myſterij, nõ modo Deũ intelligeremus pro nobis factum terrenum; ſed ét nos per ipſum ex terrenis cœleſtes efficiendos. Cœleſtes reuera per Euchariſtiam efficimur, quia ex hominibus trãſformamur in Angelos.

6 Expẽde auream Stephani Epiſcopi ſententiã. *Quod ſacerdos eleuat, non deponit.* Quid eſt (inquies) quod Sacerdos eleuat, & nõ deponit? Nõ tantum panẽ, ſed & noſmetipſos: non tãtũ eleuat panẽ, quẽ, cùm cõſecrauerit, plebique oſtẽderit, nõ deponit panem, ſed Corpus Chriſti: eleuat nos etiã ſupra nos, vbi ſacri panis participes effecerit. Quod Pſaltes docere intendit, dum Euchariſtiam ſuam vocat eleuationem: nam vbi transferunt Septuaginta: *Pretiũ meũ cogitauerunt repellere,* ꝓ pretio, vt aduertit Lorinus, poteſt etiã trãsferri. *Cibum,* ſiue *Eleuationẽ*; quia Euchariſticus cibus eleuatio noſtra eſt. Quo circa, ſi, quod Sacerdos eleuat, non deponit; dũ nos, ſacro pane participes faciẽs, eleuat ſupra nos; non nos, ſed nos à nobis alios, deponit, Angelos nimirũ, in quos tanti edulij virtute trãſimus: eleuat terreſtres, ſed deponit cœleſtes. Proinde ait Drogo Hoſtiẽſis: *Ex huius ſumptione dirimuntur lites, vitia diſplicent, diligitur pudicitia, terrena vileſcũt, efficiturque homo alius, non per naturam, ſed per gratiã, mutatus in melius.* Aduerte quã apto penicillo Chriſti Sacro refectũ ex homine figurat Angelũ. Angelus, non homo eſt, cui lites deſunt, vitia diſplicent, pudicitia placet, terrena vileſcunt.

*Steph. Educẽſ. de Sacram. Alt. c. 13*

*Pſal. 61. 5.*

*Ioan. Lorin. ibid.*

*Drogo de Sacram. Domin. Paß. li. 1*

7 Minimè prætermittã, quæ accurato ſtudio perpẽdã, quæ Euchariſtiã inſtituturus, Luca teſtãte, fatus eſt ſaluator. *Deſiderio,* inquit, *deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum,* antequã patiar. Verba ſunt ex cordis penetralibus prodeuntia, verba potius ex camino quodam, quã ex carnis ore manãtia. Non ſolum ait deſideraſſe, ſed deſiderio deſideraſſe, vt deſiderij ſui immenſitatem expliceret. Quid autem tantopere deſiderauit? *Hoc Paſcha,* inquit, *manducare vobiſcum:* Rogo te Clementiſſime Domine: Cũ toties olim cum Diſcipulis accubueris, teque frequenter vnà cum illis

*Luc. 22. 15.*

illis non ingratè refeceris, in conuiuio præſertim Bethaniæ, non longè ab hac die conſtructo, à quo nec proditor abfuit; quorſum modo ais te cõuiuare cum illis tantopere deſiderare, cum tuum tantoties expleueris deſiderium? Planè nunquam expleuerat: nam, & ſi cum illis tantoties comediſſet, nunquam tamen aliàs ſacri corporis, & ſanguinis ſui participes eos effecerat. Hoc autem ſympoſium non immeritò tantopere cupit, quo perinde eos melioraturus, ſupraque ſeipſos erat euecturus, vt non amplius, hominum inſtar, terrreni, ſed Angelorum, ſpiritales exiſterent. En imperfecti operis Auctorem. *Hac de cauſa, inquit: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, quo vos ſpirituales efficiam.* O ineffabilem cibum, admirabile edulium, deſiderabile ſacrum, quo vſque adeo prouehuntur homines, vt creſcant in Angelos.

*Auct. oper. imperfec. Hõ. 83.*

8 Afferam locũ Malachiæ, quo non parum res, de qua loquimur, illuſtrabitur. *Placebit*, ait, *Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſęculi, & ſicut anni antiqui.* Hic apertiſſimè de Sacramento altaris alloquitur, quod iure dicitur ſacrificium Iuda, & Ieruſalem; ideſt militantium, & triumphantium cibus. Iuda, quia latinè *confeſſio* interpretatur. militantem Eccleſiam innuit, vbi, quia frequenter peccamus, frequenter, vt abluamur, crimina confitemur. Ieruſalem, quia *Viſio pacis*, eos innuit, quibus datum eſt hiſce perturbationibus exui, cœlique regnum incolere, vbi pax ſumma eſt, & æterna trãquillitas. Vtrorum eſt hoc cõuiuium, quamquam aliter. Hoc itaque ſacrificium, ait Vates, Deo placere, *Sicut dies cęli, & anni antiqui.* Per dies cęli, perque annos antiquos, vt placet Ruperto, Angelos accipe. Dies cœli ſunt Angeli, q. diuino lumine fulgent; dieſq; antiqui, quia, priuſquam cęlum, & terram fieret, procreati ſunt. Sed te velim admonitum, nè putes hic Vatem paritatem afferre, quaſi ęquè placeat Deo Chriſtus in altari, ac Angeli in cœlo: longè namq; maiori in Vnigenitum afficitur, quàm in cęleſtes Spiritus complacẽtia. Sed ſenſum eſſe: Eo quia Deo Angeli placent, placet & hoc Sacramentum. Si rationem expoſcis: quia, inquam, per hoc ſacrificium homines fiunt Angeli: ſicut enim arbor, quia fert fructus, placet agricolæ, ita hoc Sacrum, quia fert Angelos, placet Deo. Sic philoſophatur Rupertus. *Ita placet hoc ſacrificium, ſicut dies ſęculi, & ſicut anni antiqui,* ideſt

*Malach. 3. 4.*

*Rup. Ab. lib. 1. ca 26. ĩ Dã.*

*ideſt anni æterni: nã per hoc ſingulare ſacrificium fit, vt ſimus æquales Angelis Dei.*

9 Conuiuas ſuos, ſacro accumbẽtes altari, Saluator noſter inſpiciens, mira quadam iucunditate perfuſus, vt alacriùs ſua dona perciperẽt, his eos adhortabatur. *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Ac ſi diceret: Eia adimplemini, ſaturamini, inebriamini ijs, quas vobis appoſui, prędulciſſimis epulis, poculiſque ſuauiſſimis. Quod hic aduertẽdũ affero, illud eſt, quod Dominus conuiuas ſuos non vocat homines, fratres, filios, aut ſodales, ſed amicos. *Comedite amici.* Qua de re amicos? Sanè viderat eos ex eſu corporis ſui, potuque ſanguinis conuerſos in Angelos: dum enim ait amicos, Angelos intelligit: quemadmodum paulò infra, dum ait Sponſæ: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te,* nomine amicorũ Angelos intellexit. *Amici auſcultant te, ideſt Angeli,* Gloſſa. cum Lyrano ſubiungit. Quare, ſi, vt refert Cælius, viſum eſt Catoni, nil eſſe aliud prophanorum menſam, *Quàm magnam amicorum parentem, & procreatricẽ;* nobis quoque cenſendum eſt Sacram Chriſti menſã matrẽ, ac procreatricem amicorum Dei, nimirum Angelorũ, eſſe.

Cant. 5. 1.

Cãt. 8. 13
Gloſſ. ibi.
Lyr. ibid.

Cælius li. 28. c. 6.

10 Si æther altare dixerim, dum ſuper illud noua conficitur, vel iam cõſecrata reſidet Euchariſtia, non incongruè ratiocinatus exiſtimabor. Tũc enim, vt cætera omittam, quæ ad hoc inſtitutũ minimè ſpectant; facibus ardet, quemadmodum ſyderibus æther, vnde *Aether,* ideſt *Ardens* appellatum eſt. Quare autem hæc lumina, vbi Euchariſtia lucet, adhibeantur, nonnullas ſuperiùs rationes adduximus, nonnulla ſue alias infra ſubijcim⁹. Nunc appoſitè pro hoc argumento, lumina dicito in hunc finem apponi, vt fæcunditas Euchariſtiæ denotetur. *Lumen generationis eſt ſignum,* ait Plutarchus, rationem aſſignans, cur Gentiles in nuptijs adhibere lumina conſueuerint. Si verò quæſieris, quid generet altare, quid germinet Euchariſtia: Angelos inquam ex hominibus, ex caliginibus lumina, ſanè lumina ſunt Angeli, de quibus habetur Geneſis initio: *Fiat lux. Fiat lux,* ait Gloſſa, *ideſt Angelica natura Dei viſione illuſtrata.* Expẽde verba Ioannis, dũ de Chriſto loquitur ſuæ narrationis initio. *Erat,* inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ,* Quid eſt illuminare hominem, niſi in lumen ſublimius, ideſt in Angelũ trãsformare; qui vero ſoli, qui primæ luci proximiùs hæret, quiue altiorem intelligen-

Plut. in Proble.

Gen. 1.
Gloſſ. Interl. ibid.

Ioan. 1.

gentiæ gradum ab eius imměſitate obtinet? Sed hæc illuminatio, ſiue in Angelos transformatio, ſanctæ debent homines Euchariſtiæ.

11 Tradit Zacharias menſam ſacri altaris quemdã vterum eſſe, in quo virgines germinantur. *Quid enim,* inquit, *bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Cum autẽ certiſſimum ſit virgines potius Angelos, quàm homines eſſe, quippe quæ præter carnẽ in carne viuunt: Vnde Bernardus: *Angelica planè vita virginitas, & qui non nubent, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei;* In eo pariter cẽſendum eſt Angelos procreari. Firmiter tene, conſtanter ſuſtine, quicunque dignè ſacræ menſæ accumbunt, Angelos à ſacra menſa diſcedere.

Zach. 9. 17.

D. Bern. ſer. 1 Natiu. B. M.

12 Tandem Malachias accedit, qui *Labia,* inquit, *ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius exquirent; quia Angelus Domini eſt.* Vbi, vt aduertis, Vates Sacerdotem Angelum facit labijs ſuis Dei ſcientiam cuſtodientem, & legem. Magna vis profectò, magnaq; legis Dei virtus, quæ in labijs hominis poſita hominem commutat in Angelum. Quid aliud eumdẽ Malachiã ex homine in Angelum tranſtulit (vbi Hebræus *Malachiam* legit, Latinus *Angelum* interpretatur) niſi lex Dei, qua, dũ plebem inſtrueret, eius labia coruſcabant? Age nunc meũ diſcurre, ac noſtro theoremati colophonem adde. Si in labijs hominum lex Dei ſita, hominem transfert in Angelum: Deus ipſe legis conditor non ſolum in labijs hominum poſitus, ſed & ore comeſtus, ſed & faucibus diglutitus, ſed & corde receptus, ſed & anima vnitus, homines non commutabit in Angelos? In Angelos planè commutabit. Magna profectò dignitas noſtræ gentis, magna nobilitas Chriſtiani hominis, cui datum eſt tali edulio frui, quo & mortalitatis pellẽ relinquat, & immortalitatis ſtolam aſſumat. Agnoſcat fidelis in quem celſitudinis apicẽ erigitur dum ſacri cibi communione, Dei domeſticus efficitur, in Angelorum conſortium eleuatur, ſummi Regni Principum, & cœleſtis aulæ primatum. Sed nec obliuiſcatur diuinis ſe præparare myſterijs, corporeitatẽ hominis exuens, in incorporeitatem ſpiritus aſſumendus.

Malach. 2. 7.

## THEOREMA XXI.

### In loco Paſcuæ ibi me collocauit.

*Euchariſtia laborantis animæ iucundiſſimũ hoſpitiũ.*

QVoniam benigniſſimus, ac pijſſimus Ieſus laborum noſtrorũ miſertus, ſacram nobis menſam inſtruxit; vt ad eam, tantarum ærumnarũ mole defeſſi, quotidie diuertentes, minimè deficeremus ſub onere: vbi ex vulgata trãslatione ait Pſaltes: *In loco paſcuæ ibi me collocauit*, Genebrardus habet: *In caulis germinis ſtabulat me*, ſtabulum locus eſt ad quod longo ex itinere fatigat diuertere conſueſcunt, quod etiam hoſpitium, & diuerſorium dici ſolet. Aliud reuera non eſt Euchariſticum Sacramentum, quam dulce quoddam, & exoptatum animæ laborantis hoſpicium, ſiuè diuerſorium, ad quod, vt reficiatur, ne deficiat, quotidie diuertit. *Genebr. in Pſ. 22.*

1 Elegans parabola, quam de cœna magna Chriſtus effinxit, Euchariſticam cœnam ſubindicat. Magna eſt equidem, tum conuiuantium magnitudine, cum ſolis Sanctis, Dei magnatibus, pateant; tum famulorum nobilitate, & numero; hi enim ſunt Angeli, cœli ciues, tum etiam epularum indiuidua dignitate, corporis ſcilicet, & ſanguinis Dei quibus nil vllibi maius. De hac cœna pro nunc velim expendas, quod Deus ſeruo, cui aduocare conuiuas dederat, iuſſit eos ad introeundum, cœnandumque compellere. *Exi* inquit, *in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Sed hæc nota verba. Ad cœnam Chriſti, in ferculis, ĩ delitijs, in nouitate, & ſuauitate excellentem, ſeruus conuiuas compellere mittitur, cũ ſeruum conuiuæ, vt eos inuitaret, compellere debuiſſent? Quorſum hoc? Quia perinde noſtræ ſalutis excreuit incuria, vt ad diuinas dapes, omni dulcore præſtantes, non, niſi compulſi, accedamus. Seruus, à quo ad diuinam menſam compellimur, mũdus eſt: compellit is nos, innumerabilibus malis, laboribus, & ærumnis per dies ſingulos defatigans, pro quorum refectione ad Deum confugiamus oportet. Audi D. Anſelmum. *Quia in ijs temporibus crebeſcunt aduerſitates ſæculi, ob hoc dicitur compelle intrare. Aliquando enim nos mundus retraxit à Deo; ſed nunc tot, tantiſque malis plenus eſt, vt ipſe nos iam mittat ad Deum*. Planè quis homi- *Luc. 14. 23.* *D. Anſel. in Euang. enarrat.*

minum immenſa mole harum ærumnarum quotidie preſſus, ſubſiſtere poſſet, & viuere, ſi, vt reficeretur, ad Deum pro pane carnis, poculoque ſanguinis ſui quotidie non confugeret? Nullum aliud hoſpitium, vel diuerſorium preter Euchariſtiam in hac lacrymarum valle relictum eſt nobis, in quo reſpiraremus, pauſaremus, recrearemur.

2 Dura nimis, & inhumana locutus quibuſdam ex Diſcipulis viſus eſt Redemptor, cùm de ſacro corporis ſui, ſanguiniſque diceret: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quapropter eo relicto, ad mundum, quem reliquerant, redierunt. Ipſe autem ad Apoſtolos: *Numquid*, inquit, *& vos vultis abire?* Cui amantiſſimus Petrus: *Domine ad quem ibimus?* Ac ſi clariùs diceret: Quid habemus in mundo, ad quod te derelicto, in refugium noſtrum, & in patrocinium, confugere valeamus? Nihil profectò. Quomodo nihil? Nonnè parentes, vxores, & cognatos habebant? Nonnè prædia, cæteraque bona, ad quæ etiam pro vitæ ſolamine confugere potuiſſent? Quod ſi ais, eos hæc omnia Chriſtum ſecuturos dimiſiſſe. Potuiſſe (inquam) hæc eadem repetere, necnon alia quoque maiora ſibi ipſis adijcere. Audi reſpōſionem Hugonis. *Quoniam omnibus eſt eis Chriſtus honorabilior, & patribus, & matribus, & alijs omnibus; vt deſiſtentes ab eo, non reputent ſe alibi refugium inuenire.* Planè pro refugio, & conſolatione tantorum malorum, quibus indeſinēter nos mūdus exagitat; vt fratres, amici, opes, & cætera huiuſmodi bona, Chriſto comparata, pro nihilo reputentur. Nihil eſt, quod nos laborantes reficiat, mœrentes ſoletur, lugentes exhilaret, fameſcentes ſaturet, profugos recipiat, iactatos firmet, impulſos conſolidet, ſauciatos ſanet, defunctos viuificet, præter Chriſtum. Chriſtus refugium noſtrum eſt, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ in nos ſequiunt. Quæ cum ipſe præuiderit, nolens nos, vtpote clementiſſimus, deſolatos relinquere, vbi ſtatuit redire ad Patrem, Euchariſtiam adinuenit, in qua ipſe vſque dum ſtabit mundus, nobiſcum permanebit, vt eum haberemus pro diuerſorio, proque refectione, & requie laborum itineris noſtri, dum peregrinamur ad patriam.

3 Quàm aptè Regius Pſaltes hoc diuerſorium indicat, dum Deum introducit Vnigenito ſuo dicentem: *Dominare*

*Ioan. 6. 54.*

*Hugo Card. ibi.*

Pſal. 109 3. *in medio inimicorum tuorum?* Ideſt: Dum Sanctos ſuos mundi hoſpites regis, in hoſtium tuorum medullio præſidebis, ſiue in medio inimicorum tuorum tuam ſtatues aulam. Sed quod nam mādatum eſt hoc? Primo intuitu haud ſatis congruum videtur. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Chriſti ad Belial? Quid tibi puriſſime Ieſu cum tuis ſceleſtiſſimis hoſtibus, qui te frequenter lædunt, iniuriant, exaſperant? quibus inferorum dominatur tyrannus? Sanè, dum Deus ait: Dominare in medio inimicorum tuorum, non inter inimicos, & hoſtes; ſed inter amicos, & charos, ſuam Filio ſedem deſignat. *Dominare in medio inimicorum tuorum, ideſt in iuſtis*, ait Bruno Sanctiſſimus, *qui dicuntur medium inimicorum, ideſt infidelium: eo quod ab infidelibus, & perſequentibus vndique circundantur; ſicut illud, quod medium eſt, ab ijs, quæ circūquaque ſunt, circundatur.* Ex eo, quod ſancti, dum ſunt in mundo ſuperſtites, nullo non tempore à peccatoribus, Deique inimicis, vt continuis laceſſerentur iniurijs, vndequaque circundantur, & obſidentur, mediū inimicorum Dei dicuntur; quibus Chriſtum ſuum Deus præſidere iubet, vt, dum calumniantur, tantiſque iniurijs afficiuntur, ſecum Saluatorem, conſolatorem, & refugium ſuum haberent, in quo laborum eorum requiem, inuenirent. Is quidem eſt, qui laborantibus clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* (D. Bruno ibid.) (Matt. 11. 28.)

4 Dum Sinæ ſummitatem, Moyſenque ſua præſentia nobilitaret Altiſſimus, talia ipſum Moyſi dixiſſe legimus. *Fac mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Quoniam (ac ſi diceret) vnà cum populo meo habitare decreui, vbi de hoc monte deſcenderis, mihi in eorum medio conſtrues habitaculum, quod, quia Sanctum ſanctorum recipiet, ſanctuarium nuncupabis. His monitis deſcendit Propheta, Deique mandatis obtemperauit. Rogo te Domine Deus: Si manſionem hanc pro tuorum neceſſitatibus tuo petis à Moyſe, cur non in monte, potius, quàm in medio populi, præcipis fabricandam? Ad eum enim populi cum Moyſe cōfugere poſſent, laborumque ſuorum requiem, languorum medicamen, ſolamen tribulationum exquirere; tuque decentiùs maieſtati tuæ dignitatiue conſuleres. Forſan, quia Moyſes nequibat tibi ſanctuarium in mōte conſtituere? Sed brachio virtutis (Exodi 25 8.)

tuæ cuncta poſſibilia ſunt, & agilia. An quia populi tui miſeratus laborum, vtpote clementiſſimus, non eos ad te confugere pateris, ſed ad eos ipſe properas adiuuandos? Ità planè. *Nè ſit eis labor recurrere ad montem hunc*, ait Durandus. Ne ad eum adeundum (ac ſi diceret) ſi in monte maneret, laborioſa, longaque itinera eſſent nobis laborantibus ſubeunda. Adderentur enim labores laboribus, differretur remedium, preque cunctatione certus immineret interitus. Maieſtatẽ quidem eius mons Sina decebat: ſed maluit noſtræ neceſſitati proſpicere, vt cum premeret aduerſitas, præſto eſſet conſolatio; cum ſæuiret morbus, adeſſet medicina; cũ perſequeretur hoſtis, non abeſſet refugium; ac vno, eodẽque tẽpore, quo profligamur malis, reficeremur bonis. Hæc eſt potiſſima ratio, qua Deus ĩ altari nobiſcum adeſt ſub ſenſibilibus panis.

*Guliel. Dur. Rat. Diuin. lib. 1. c. 1*

5 Innumera, ac infinita, propemodum vt nulli non innoteſcat, ſibi olim homines conferunt idola. Nulla gens fuit, quæ Deos ſuos non fingeret, fictos non adoraret, non coleret. Nullis parcebant sũptibus, difficultatibus, & laboribus: pro nihilo ducebant aurum, floccipendebant argentum, vt ſua ſibi confingerent ſimulachra. Hinc Iſaias populo Hebræorum idolatranti: *Confectis*, ait *aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis, conducentes artificem, vt faciat Deum, & procidunt, & adorãt. Portant illum in humeris geſtantes, & ponẽtes in loco ſuo.* Quidnã boni, & lucri ex inſenſibili ſimulachro ſibi homo promittit, quod illud effingere ſatargit tantis laboribus, & expenſis: *Hoc facit*, inquit, Oleaſter, *propter indigentiam, qua laborat, & cupit non longè remedium habere: & ideo illum corporeum fingit, ad quem facilè accedere poſſet.* Ex eo, quod frequenter homines præſentium malorum congerie agitatos ſe ſentiunt; quorum ſolamen, niſi ex Numinis confugio, prodire non poſſe cognoſcunt; ad quod, ſi longè abeſſent, difficile foret perfugere, ſibi ipſum effingunt, propeq; ſe conſtituunt; vt, quoties immuneret aduerſitas, refugium haberent præſentaneum. Sic ſe gentes decipiebant. Ex quo, tum humanorum laborum magnitudinem, tum diuinæ præſentiæ neceſſitatem, vt, cùm illis premimur, hæc promptius adiuuemur, licèt animaduertere: admirabilem inſuper Dei noſtri benignitatem, qua, nè vel per momentum nobis ærumnarũ noſtrarum conſolatio, labo-

*Iſa. 46.7*

*Oleaſter.*

rumque refectio deeſſet, ſe ſub ſenſibilibus panis obuelans, nobiſcum non vnquam receſſurus, cohabitat; vt quoties laboraremus, ad eum tamquam ad diuerſorium noſtrum diuerteremus, conſolationem, & requiem imploraturi.

6 Audi Regium Vatem hac malorum mole defeſſum dolentem, eiulantemq; *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem*. Legit Innocentius: *Miſerijs afflictus, & turbatus ſum vſque in finem*. Ideſt. Ità me præſentia ſubigunt mala, detinentque oppreſſum, vt nō hominem, ſed iumentum onere præuagatum me ſentiam. Nullū tempus eſt, in quo anima mea repauſet, cor meū reſpiret, caro mea quieſcat: neque mihi aliquantulam tantorum laborum conſolationē promitto, niſi finem attingam. Totum hoc dicit, cum *Miſer*, inquit, *factus ſum, & curuatus vſque in finem*. Sed quiſnam eſt finis, tantæ ſuauitatis compos, & lenitatis, quod laboribus, ærumnis, & languoribus hominū imponat finem? Chriſtus, ait idē Innocentius. *Turbatus ſum vſque in finem: finis Chriſtus eſt: vnde Chriſtus finis legis*. In caſſum laborant (ac ſi diceret) ij, qui, præterquam à Deo, laborum ſuorum refectionem exquirunt. Terrena adiutoria potius augent, mala quàm dirimant; potius exugunt lacrymas, quam abſtergant; onerant quàm leuent; contriſtant, quàm exhilarent. Solus Chriſtus eſt conſolatio noſtra, laborum noſtrorum refectio, itineris noſtri diuerſorium, malorūque omnium finis. Ego proinde, qui tantis premor anguſtijs, nullam vnquam ſpero refectionem, niſi vbi ad Chriſtum peruenero, à quo ità ſuauiter me reficiendum confido, vt præteritorum malorum penitus obliuiſcar.

*Pſal. 37. 7.*

*Innoc. III. in Pſal. 3. Pænit.*

7 Dum hinc tecum ipſe reuolues, quanta paſſi ſunt Sancti; contra quos, nō modo mūdus ſæuiſſimis decertauit iniurijs; ſed & inferorum rabies truculētiſſimis ictibus profligauit: hinc verò ipſos nō tantum non repugnantes, verum & tali hilaritate, & ſtudio quibuſuis malis obiectos, vt magis ad nuptias, & ad lauta cōuiuia cogitares admiſſos; mirabiliter admiraberis. Vbi Crucem vidit Andreas, in qua ſæuiſſimè configendus erat, ac ſi thalamum nuptialem vidiſſet, *Exclamauit, & dixit: O bona Crux diu deſiderata, & iàm concupiſcenti animo præparata, ſecurus, & gaudens venio ad te*. De Laurētio ait Chryſologus: *Vt oblata eſt torrenda, &, vt verius dicam, aſſanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula, ille craticulam ſupplicij lectū quie-*

*Breu. Rom. 30. Nouembris.*

*D. Chryſ. ſer. 155.*

tis

*tis putabat*. Demum (vt omittam cæteros) Agatha noſtra *Tamquã ad nuptias inuitata, agonem ſuũ Domino precibus commendabat*. Vnde quæſo eis tãta cordis hilaritas, tanta voluntas, imò magis voluptas; vbi non, niſi luctus, dolores, gemitus, conſuetum eſt experiri? Quoniam in prædulciſſimum Chriſti diuerſorium fuerant introducti, ſacrique muneris participatione refecti, ac ebrij; ſponte, hilariter, & voluptuosè cuncta perferebant tormenta, cunctis ſe malis ſubijciebant, mortemque rerum omnium amariſſimam, vt melle ſuauiorem, amplectebantur. *Sancti omnes*, inquit Paſchaſius, *niſi iſto ebrij eſſent muſto, nequaquam talia, tantaque ferrent ſpontè, quæ pertulerunt*.

*Breu. Rom. 4. Febr.*

*Paſch. in cap. 1. Matt.*

8 Manifeſtum eſt cunctis, nullum eſſe diem, in quo S. Mater Eccleſia filios ſuos Euchariſtiæ participatione non nutriat. Quamuis enim in Paraſceue ex eo, quod tunc ſciat ſceleſtiſſimos hoſtes Dilectum ſuum occidiſſe, à ſacrificio vacet; à communione tamen, vt iam dictum eſt, non vacat. At vnde eſt tam crebra, neq; per diem omittenda, ſacræ menſæ communio? Quia magna, quia crebra, quia intolerabilia ſunt mala, quibus fideles ſui afficiuntur: ſcitque eos nullibi diuerſoriũ, in quo recreentur, & pauſent, niſi in corpore, & ſanguine Dilecti ſui ſponſi habituros: idcircò quotidie ſanctam menſam apponit, cœleſtibus refocillamẽtis expletam. *Hoc Sacramentum*, inquit Auctor Gẽmæ animæ, *Eccleſia neceſſario repetit, vt in vinea laborantes quotidie eo reficiantur*. Hinc eſt, quod Auguſtinus, molem ſciens laborum ſuorum, niſi in Euchariſtico diuerſorio, nullibi dimittendam, aiebat Chriſto: *Repauſet in te cor meum, da lapſo cibum, collige diſperſum, libera captiuum, reintegra ſciſſum: ingrediatur ad te, & requieſcat in te, & reficiatur de pane cœleſti*.

*Auct. Gem. Animæ lib. 1. c. 35.*

*D. Aug. cap. 4. Manual.*

# THEOREMATA
# MORALIA
## EX VERSV SECVNDO PSAL. 22 DECERPTA,
## DE AVGVSTISSIMO
## EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.

POſtquā Pſalmographus paſcuam appoſuit, aquā attulit. Vbi ait: *In loco paſcuæ ibi me collocauit*, addidit, *Super aquā refectionis educauit me*. Apta quidem additio; nam tametſi in conuiuijs quę edenda ſunt, exquirantur; quæ potanda ſunt non negliguntur. Perinde vtriſque debet redundare conuiuium, vt, ſi alterum deſit, magnæ adſcribatur incuriæ. Sed, de quibus agimus, tantam vim habet paſcua, vt paſcua, & potus ſit; potuſque, ſit potus, & paſcua: neque alteri alterum deficiens, deficere poterit. Quod vnà cum alijs myſterijs, ex textu hoc eliciendis, compertum habebis.

## THEOREMA I.

### Super aquam.

*Admirabilis plane dignatio, qua vbi ſibi Chriſtus paſſionis ſuæ praelegerit amara, nobis aſſeruauerit dulcia.*

PEr aquam Vates Euchariſtiam intelligit, dum ait: *Super aquam refectionis educauit me*. Quæ quidem *Dicitur aqua*, vt ait Hugo Cardinalis, *quia ſitim cupiditatis, & peccati extinguit*. *Hæc eſt aqua,* *Hugo Card. in cap. 6. Ioann.*

quæ

*quæ fluxit de petra Chriſti. Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eas petra, vt dicitur ad Corinthios.* Aquam verò, an mel dicam? Mellis dulcedinem ſapit. *De petra melle ſaturauit eos.* Mel ſanè: erumpit enim ex amaro mari amaritudinem Chriſti. Nec tantam poſſet ſuauitatem afferre, niſi ex tanta prodiret amaritudine: *Pluuiæ, quæ fiunt ex ſalſis aquis, dulciores ſunt, quam reliquæ* habet ex Plinio Bercorius. Animaduerte verò obſtupeſcendam Dei noſtri dignationem, dilectionem, immenſam charitatem, qui ſibi mortis ſuæ ſeligens amaritudinem, vnde ait: *Amaritudo mea amariſſima,* nobis dulciſſimum, ac ſuauiſſimum ſeruauit Sacrum, ex tanta amaritudine decolatum.

*Pſal. 80. 17.* — *Plinius apud Berc. Redu. Moral. lib. 14 capit. 65. num. 19.* — *Iſa. 38. 17.*

1 Quæ ſponſus habet in Cãticis. *Meſſui mirrham meam cum aromatibus; comedi fauum meum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, & inebriamini chariſſimi;* de Sacramento altaris communiter interpretantur. Sancta Euchariſtia mel, & lac eſt. Præſto eſt Antoninus, qui illud Canticorum *Mel, & lac ſub lingua tua,* ad Sacerdotem dictũ intelligens; *Benedicitur*, ait, *ſub lingua, eo quod poſtquam Sacerdos ſuper hoſtiam verba conſecrationis finiuit, ibi eſt mel Diuinitatis, & lac humanitatis.* Ex eo autem, quòd nihil eſt in edulijs melle, & lacte dulcius; Ambroſius Euchariſtici panis omnimodam elicit dulcitudinem, omnis expertem amaritiæ. *Vides,* ait, *quod in hoc pane nulli ſit amaritudo, ſed omnis ſuauitas.* Sed quonam pacto tam magna ſuauitas, ab omni amaritudine procul, Sacro poteſt ineſſe, cum eadem met hora, qua amariſſimam mortis mirrham Crucis legebat in ligno, confectum ſciamus? Sanè dum ait: *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi,* præmiſerat: *Meſſui mirrham meam cum aromatibus:* quonam pacto manus felle inunctæ, imò plenæ, panem apponere potuerunt, qui ſic amaritudinis veſtigiũ omne ſecludat, vt nullo non dulcore, ſuauitateq; polleat? Oportebat certè manus felle, mirrhaque illitas, in panem, quem tenebãt, amarorẽ ſuum transfundere. Sed manus amoris erant, cuius (vtpote ignis,) non minus ſegregare, quàm rarefacere proprium eſt, vnde ſic amarum ſegregarunt à dulci, vt omni ſibi felle retento, omne mel, omne lac, omnemque ſuauitatem in panem tranſmiſerint. Quid facerent manus, niſi quod, à quo regulãtur, patrauerat cor? de quo ait Bernardus. *Cum enim in*

*Cant. 5. 1* — *Cãt. 4. 11.* — *D. Antonin. par. 1 tit. 6. c. 2. §. 10.* — *D. Amb. lib. 5. c. 3 de Sacramen.* — *D. Bern. de Paſſ. Dom. c. 12.*

*in ſumma Crucis eßet amaritudine, nihil exiuit de eius corde niſi dulcedo.* Tanti nos Deus facit, perinde diligit, ſic charos habet, vt ſibi amara ſeligat, nobis dulcia conferat.

2 Siſtamus adhuc in huiuſmet loci interpretatione. Vbi transfert vulgatus: *Comedi fauum meũ*, Selomon habet: *Comedi cannam meam*, aitque ſcripturam. *Loqui de melle, quod creſcit in cannis*; nimirum de ſaccharo. Dulciſſimum eſt ſaccharum, ac ſuauiſſimum quidem, dulciſſimum, ac ſuauiſſimum amoris noſtri corpus præſeferens. Tale D. Elzearius, eximium noſtri Ordinis decus, ac totius Franciſcanæ familiæ laus preclariſſima, illud expertus eſt. *Retulit quandoquidem Virgineæ coniugi ſuæ, cum Chriſti corpus acciperet, videri ſibi optimum ſaccharum ſe in ore habere, ac deglutire.* Sed cum notum ſit ſaccharum ex canna fieri, & oriri, quid eſt quod hoc ſaccharum ſub panis formis incluſum, ſic depuratum, ſic excolatum habetur, vt nulla in eo, dum editur, cannæ moleſtia ſentiatur? Quia Rex noſter Ieſus humanæ ſalutis amator, ac diuini huiuſce ſacchari fabrefactor, ſui illud amoris igne colauit, & ſelegit à canna; ſibi ipſi cannam, vt illuderetur, percuteretur, felle potaretur, aſſeruans; dulciſſimum nobis ſaccharum ex hac canna prolatum, *Omne delectamentum habens, & omnis ſaporis ſuauitatem* proferens.

*Cant. 5. 1.* *Rabb. Selmon ibid.* *Lippom. 27. Septembr. c. 20.* *Sap. 16. 20.*

3 Quod ſi mellis nomine, non quod homines ex canna exprimunt, ſed quod, vt noſtra ſonat littera ex floribus apes legunt, mauis intelligi, *Comedi fauum meum cum melle meo*: nec tibi rei noſtræ ſenſus deerit opportunus. Iam ſupra diximus. Euchariſtiã eſſe mel, qua metaphora vſus eſt Salomon Prouerbiorum vigeſimoquarto, vbi te ad Sanctam Synaxim exhortans, *Comede*, ait, *fili mi mel, quia bonum eſt. Mel corpus Chriſti dulce ſignificat*, ait Angelicus Doctor. Qui apum naturam memoriæ prodiderunt, eas aiunt ex amarioribus floribus dulciora mella conficere, præcipuè autem ex thymo, cuius planta non modicam ſapit amaritudinem. Hyblea mella, quæ apud Veteres tanti erant, vt quidam Poetarum canat: *Mella iubes hyblea tibi, vel hymettia naſci*, colliguntur ex thymo, vt toties, hyblea prata peragrans, obſeruaui. Hinc quidam, ex vitæ aduerſitatibus non paruum eliciens delectamenti, thymum apibus circundatum depinxit in clupeo, inſcripſitque. *Et ex amaris.* Quod ſi dulciora mella ex ama-

*Cant. 5. 1* *Prou. 24. 13.* *D. Thom. opuſc. 58 cap. 1.* *Martialis*

amarioribus plantis eliciuntur, & Euchariſticum mel notum ſit omne dulce, ac ſuaue ſua ſic ſuperare dulcedine, vt conferri poſſit ambroſiæ, quæ (vt apud Atheneum Ibycus affirmat) ad mellis naturam nonocuplam habet dulcedinem; arguendum eſt eam ex amarioribus Chriſti amaritudinibus confectam, collectamque, quas ſibi Saluator, vt nos prædulciſſimo cibo reficeret, concoquenda percepit.

*Athen. lib.2.c.1*

4 Dum ſub typo mellis Euchariſtiam haberem, eouſque, vt dictum eſt, omnem dulcorem exhibens, vt nullum ſit incommodum, nullus labor, nullum opus, quod ad eā aſſequendam ſeſe nobis obijceret: veteris memor adagij. *Neque mel, neque apes*; in eos, qui incommodum ferre recuſant, quod ſit commodo quopiam coniunctum; veluti ſi quis apes, quod ſint aculeati, nolit perpeti, is nec melle, quod optat fruatur; ita mecum ipſe ratiocinabar: Bone Deus cum nullus melle gaudeat, quem apum non contriſtent aculei, vnde nobis mel ab aculeis apum innoxijs? vnde tantum bonum nullo malo permictum? vnde tanta oblectatio omni decolata triſtitia? Sed, qui, vt nos exaltaret, humiliari; vt nos ditaret, depauperari; vt viuificaret, occidi venerat, ſic ſibi omne prælegit malum, vt omne nobis impertiret bonum. Vt Euchariſticum mel qualicumque refertum dulcore noſtra exhiberet in menſa, ipſe ſibi immanium prælegit apum aculeos, ſpiculos, morſus, ſpinas, clauos, & cætera, quibus vſque ad mortem dilaceratum agnouimus. Hinc illa vox eius. *Circundederunt me ſicut apes.*

*Adag. Aldi Manut.*

*Pſal. 117. 12.*

5 Præterea per arborem, ſiue lignum, *Quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuū dabit in tēpore ſuo:* vt placet Interlineali, intelligendus eſt Chriſtus. Chriſtus ſecus decurſus aquarum plantatus eſt, in vtero nimirum Virginis Beatiſſimæ, ad quam cœleſtes aquę celeberrimè cōfluebāt: vel ſecus noſtræ mortalitatis defectus, quibus inſtar aquarum ad interitū fluimus: nam, cum eſſet æternus, mortalis fieri, mortemque voluit experiri. Huius arboris fructus Euchariſticum eſt Sacramentum, quod, *Fructum ſalutiferum*, dictum eſt ab Eccleſia ſua, quem Chriſtus ex paſſionis Sacratiſſimæ tulit, deditque radice: dedit enim illum in tempore ſuo, nimirū in hora mortis, quæ Chriſti tēpus fuit: *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem:* ait Ioannes. Quam bellè Sacrum Euchari-

*Pſal. 1.3.*

*Gloſſ. ibi.*

*Ioan. 13. 1.*

ſticum

ſticum dicitur fructus: eo enim
& homines, & Angeli fruun-
tur: in menſa Eccleſiæ, & in
conuiuio cœli beatificæ viſio-
nis beneficio mãducandus ap-
ponitur. Verè fructus arbo-
ris vitæ plantatæ in medio pa-
radiſi, cuius eſu iuueneſcunt
ſenes, iuuenes à ſenio p̄ſeruã-
tur; euitantur mortis inſidiæ,
à quo demum noſtra depẽdet
beatitudo. Si verò de ſua dul-
cedine percontaris, rem ma-
gnam expoſcis, humano elo-
quio prætereundam: perinde
enim ſapit, vt & ipſimet Ange-
li, quò amplius perfruuntur,
eo amplius perfrui cõcupiſcãt.
Verum enim verò ex immenſa
dulcitudine tanti fructus, ar-
guas oportet immenſam radi-
cis, ex qua lat⁹ eſt, amaritudi-
nem. Nam, vt ait Richardus
*Rich. à S.* à S. Laurentio; *Natura arboris*
*Laur. de* *eſt, quod quãto radix fuerit ama-*
*Laud. B.* *rior, tanto fructus erit dulcior.*
*Mariæ* Quare ſi in Euchariſtico fruc-
*lib.* 12. tu prægustatur dulcedo quæ-
dam cœleſtis, cenſendum eſt
Dominum in ſuæ paſſionis ra-
dice infernalem amaritudinẽ
expertum eſſe. Quod ipſe non
*Pſal.* 17. obtinuit, cum clamaret: *Do-*
6. *lores inferni circundederunt me,*
*præoccupauerũt me laquei mor-*
*tis.* Dulciſſimus, & amantiſ-
ſimus Ieſus, vt omni nos ſuaui-
tate, dulcoreque repleret, om-
nem expertus eſt amaritudi-
nem; vt nos vitali fructu re-
crearet, viuificaretque, mor-
tem ſubire voluit acerbiſſi-
mam.

6 Ficus illæ p̄dulces, quas
Hieremias vidit in tẽplo Dei
*Ficus bonas, bonas valdè*, Eu-
chariſtiæ typus erant. *Ficus* *Hierem.*
*bis dictæ dulces corpus Chriſti* 24. 3.
*Dei, & hominis ſignificant.* ait *D. Thom.*
D. Thomas. Nec inconſultò: *opuſc.* 58
nam, ſi, vt cõmuniter ſentiũt, *cap.* 1.
arbor Adamo vetita ficus fuit;
Deum, *vt medelam ferret inde,*
*hoſtis vnde læſerat*, oportebat
ficu medere plagas inflictas à
ficu. Quærit autẽ Plutarchus
in Problematibus: *Cur ficus* *Plutar.*
*arbor, facile amariſſima, dulciſ-* *Proble.*
*ſimos edit fructus?* Ac ſi vellet 9. *decad.*
inferre, cum ſit truncus ama- 5.
rus, rami amari, folia amara;
fructum etiam amarum ferre
deberet. Ait tandem; *Ficum,*
*expreſſo quidquid reliqui erat*
*dulcis ſucci; conſumpto, trãſmiſ-*
*ſoque in fructum ſuum, quidquid*
*pinguedinis, maturique ſucci ha-*
*bebat, ipſam expertem dulcoris*
*omnis manere.* Ex hoc cenſen-
dum eſt ficum in homines be-
neuolentiſſimè affectam: nam
vt eos dulciſſimo fructu depa-
ſceret, non niſi amaritudinem
ſibi reſeruat. Hæc eſt ratio
potiſſima, qua corpus Chriſti
ſub typo ficus exprimitur. Si
quidem Dominus Ieſus, cum
ficum hanc ſacratiſſimam tu-
lit, vt nos in ea dulcedinem
experiremur omnimodam,

omnem

omnem quam habuit ſuauitatem in eam transfudit; omne ſibi fel, omne abſinthyum, omnem mortis dolorem, & amaritudinem retinens.

7 Quid de ea margarita dicendum eſt nobis, quæ in toto mundo, euangelico negotiatori quærenti multas margaritas, ſola oblata eſt? Si, vt ferunt, India tot margaritarũ eſt ferax, vt orbem impleat totum, vnde ſolam vnam inuenit? Eſt ne tantũ vna in in mundo margarita, ſicut vnus in cœlo Sol, & vna phœnix in terra?

*Matt. 13. 46.*

*Inuẽta vna pretioſa margarita*, &c. ait Euangeliſta. Quia ſub typo margaritæ Chriſtum inuenit, quem margaritę inſtar ex rore Sancti Spiritus in vterum pluente Virginis, tamquam in margaritifera concha credimus generatum.

*Hugo Card. ibi.*

*Inuenta vna pretioſa margarita, ideſt Chriſto*, ait Hugo Cardinalis, *Fertur enim, quod margarita naſcitur ex rore cœli in concham maris ſe aperientem. Sic Chriſtus de Spiritu Sancto in Beatam Virginem verbis Angeli conſentientem.* Chriſtus autem vnus eſt, ſolus eſt, nec illi vnquam alius inuentus eſt ſimilis. Quod ſi hoc de Chriſto ſub ſenſibilibus panis exponi cupis, oportet te meminiſſe, Hebræorum manna, panis Euchariſtici typum, coloris margaritæ fuiſſe, vbi enim vulgatus habet: *Man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij*, pro *Bdellio* transfert Oleaſter cum Pagnino *Aledolach*, quod, inquit, *propriè ſignificat margaritam, quod noſtri vertunt perolam*.

*Num. 11 7.*

*Oleaſt. ibid.*

Scias item oportet, Euchariſtiam immẽſum illud pretium, quo redemptus eſt mundus, acquiſitum cœlum, expoliatus infernus, debellatus Dœmon, extincta mors, continere; vt non inconſultò fidelis negotiator omnia, quæ habet, vt eam adipiſcatur, abſumat. Vnam præterea eſſe in toto orbe; quia, tametſi hoſtiæ ſint innumerabiles, vnum tamen cunctæ cõtinent Chriſtum. Tandem (quod huius loci proprium eſt) quemadmodum margarita, quamuis in amaro mari feratur, ipſa tamen amarorẽ non modo nõ ſapit, ſed ea repletur dulcedine, vt in Regũ menſis pro delicijs apponatur, vt menſæ Cleopatræ Aegyptiorum Reginæ, ac Romanorum Imperatoris Heliogabali, filijque Eſopi tragici, teſtes ſunt: Non ſecus diuiniſſimum Sacrum, quamquam ex amariſſimo, atque acerbiſſimo mari paſſionis Chriſti apponatur nobis; tanta tamen excellit dulcedine, vt non ſolum in menſa Eccleſiæ, quam inferior orbis habet, ſed & in conuiuio Angelorũ apponatur in cœlo: omnem

nem

nem enim ſibi abſorbuit Chriſtus amaritudinem, vt omni nobis ſuauitate repletum exhiberet edulium.

8 Attende, quod Sponſa in Canticis vbera ſponſo adſcripſit *Meliora*, inquit, *ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*. Planè noua nunc laude, & inaudito encomyo voluit vti. Quiſnam vnquam virum ex vberum præſtantia cōmendauit? Mulierum eſt hæc laus, non virorum: matres, nō patres, vtuntur, & exornantur vberibus. Certè etſi Chriſtus vir ſit, & non fœmina, eius tamen vbera non immeritò commendantur: non enim ſolum, vt cæteri viri, pater eſt; ſed, vt fæminæ, mater, & nutrix. *Habet ſponſus vbera*, inquit Guerricus, *ne vllum de omnibus officijs, & nominibus pietatis eum prætereat, vt, qui pater eſt creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, ſit & mater affectu clementiæ, ſit & nutrix ſedulitate officij, & curæ*. Nullum quidem eſt pietatis, & clementiæ munus, quod erga nos non exerceat pientiſſimus Ieſus: agit etiam matrem, & nutricē: habet vbera, quibus nos alit ad vitam æternam, ſacra nimirum Euchariſtica. *Quod ſi*, inquiunt tres Patres, *vbera vis intelligere per vbera illa admiranda, & vino præſtantiora: cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus nos omnes pietatis alumni enutrimur*. Ex illa autem Dei voce noſtram ingratitudinem exprobrante, *Ego quaſi nutricius Ephraim portabā eos in brachijs meis, & neſcierunt, quod curarem eos*, habetur ipſum nutricis inſtar Euchariſtico lacte, non ſolum fameſcētes paſcere, ſed & ægrotos curare. Sed expende quod non medici, ſed nutricis inſtar medetur nobis Chriſtus Euchariſtico pharmaco. Nam quemadmodum nutrix, dum ægrùm curat infantulum, nè palatum eius amaro potu contriſtet, ipſamet calicem bibit, moxque illum medicato lacte lactans, & paſcit, & ſanat. Similiter amantiſſimus Ieſus noſtris expetens mederi languoribus, qui non, niſi pharmacis expelli poterant amariſſimis, ipſe nobis acerbiſſimæ mortis potauit calicem, ex quo ſalutiferum lac prodijt Euchariſtiæ, quod quotidie nobis ad ſalutem animæ conſequendā propinat. Hinc, ni fallor, Laurentius Iuſtinianus Euchariſtiam Antidotum ſpiritale vocauit. *Fecit antidotum ſpiritale ſputo, felle, aceto, ſanguine, flagellis, irriſione, opprobrijſque compoſitū. Sed ijs omnibus excolatum, pariter & defæcatum*. O magnū, & prorſus ineffabile dilectionis adinuentum, quo, vt deliciarentur filij, imo potiùs ſerui,

*Cant. 1. 1*

*Guerric. ſer. 2. in Natiu. Apoſtol.*

*Tres Patres ī Catena ibid.*

*Oſeæ. 11. 3.*

*Laur. Iuſ. de Caſto Connub. cap. 6.*

ni, tanto felle potatus eſt pater, imò Dominus, imò Deus.

9 Aduerte Chriſtum ſub tritici typo deſcribi in Canticis: videns enim Deus Virginem Beatiſſimam Chriſtum gerentem in vtero: *Venter tuus*, inquit, *ſicut aceruus tritici vallatus lilijs*: eo quia, ait Ambroſius, *In Virginis vtero ſimul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinauit, quoniam & granū tritici generabat, & lilium.* Quā bellè Chriſtus ſub tritici typo proponitur. Quemadmodum ex tritico fieri aſſolet panis, ità ex eo factus eſt panis, qui de cœlo deſcendens, dat vitam mundo. Sed cum triticum non triticum modo, ſed & frumentum, & granum nuncupari ſoleat: vnde eſt, quod Chriſtus potius dicitur triticum, quam frumentum, aut granū? Vt, de qua agimus, veritas cōfirmationem ex etymologia tritici nanciſcatur. Etenim, ſicut, vt ait Bercorius: *Triticum dicitur à tero teris, eo quod teritur ad hoc, vt edatur.* Sic Dominus Ieſus, vt nobis ſacri corporis ſui delicioſiſſimum panem apponeret, ſub duriſſima patibuli mola, tritici inſtar teri voluit, & frangi. Illius ſane in confeſtione cœleſtis panis fuit attritio, noſtra vero refectio. Vnde ſibi amara ſelegit, dulcia nobis exhibuit.

*Cant. 7. 2.* — *D. Ambroſ. de Inſt. Vir. cap. 14.* — *Berc. Redu. Mor. al. lib. 12. cap. 166. num. 1.*

10 Vas illud mirabile, Dei opus excelſi, cuius Eccleſiaſticus meminit, dicens: *Vas admirabile, opus excelſi*, Chriſtus eſt, vt placet Gloſſę Interlineali, cui inſcripſit, *Verbum caro factum eſt.* Quare admirabile? Quia non vulgare, & ordinarium eſt; ſed nouum, ſed ab alijs vaſibus longè diuerſum: Neceſſario enim *Vas plenū felle effundit amaritudinem, plenum melle dulcedinē* ait D. Thomas. Sed noſtri vas Redemptoris, cum felle, aceto, ſputo, opprobrio, totiuſque amaritudinis pelago, plenum fuerit, effudit nobis dulciſſimum S. Euchariſtiæ nectar: amara ſibi in Cruce mordicus retinens, ſola nobis dulcia reliquit in Sacramento.

*Eccleſiaſ. 43. 2.* — *Gloſſ. Interl. ibid.* — *D. Thom. opuſc. 58 cap. 32.*

11 Iā percipio Domine Ieſu myſterium verborum illorum quæ per os Pſaltis locutus es. *Refloruit caro mea*: Flos quidem eſt caro tua, de quo & tu paſceris, vt tuus ait Guerricus, & nos quoq; reficimur. Sed valde aliter: tu de eo toxica ſuxiſti amariſſima, nos vero mel ſuauiſſimum quotidie legimus, & dulciſſimum: quia tu aranea es, nos apes; vt appoſitè de te dixeris: *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meā*, deque nobis: *Circumdederunt me ſicut apes.*

*Pſal. 27. 7.* — *Guerric. Abb. ſer. 3. de Annunt.* — *Pſal. 38. 12.* — *Pſal. 117. 12.*

12 Dum itaque ſacram ac myſticam menſam Baxanę cōferam plantæ, puto non aber-

rauerim; de qua ita Maiolus: *Arbor Baxana in regno Delij cō-perta eſt radicibus, adeo veneno-ſis, vt ſtatim perimat tangentes. Verum illius fructus, cui nomen Nirabix, adeò ſalubris eſt, vt huic veneno, & reliquis omnibus præſentaneum remediū ſit.* Quid quæſo ſunt ſacræ huius menſæ radices, niſi crux, claui, lancea, flagella, fel, irriſiones, ſputa, liuores; & cætera ſeuiſſima mundi, Dæmoniſque adinuēta, adeo venenata, ac mortifera, vt cūctorum vitam, quemque mori nō poterat, atrociter occiderint? Fructus autē, quē profert, tanta, ac tali expletur ſalubritate, dulcedine, ſuauitate, vt omnem mortem eliminet, ſalutem conferat, vitā cōciliet. Tu vero pijſſime Deus vt nos tali fructu reficeres, ægrotiſque mederes; radicibus paſtus, paſſus, & mortuus es. O quam bonus Deus, O quam ſuauis Dominus, qui vt ingratiſſimis ſeruulis ſalubria conferret antitoda, ſibi prælegit amara, venenata, mortifera.

*Maiolus de Plātis*

## THEOREMA II.

### Super aquam refectionis.

*In cælo eſt, qui cæli menſæ recumbit.*

NOtat Lyranus Selomonē Rabbinum autumare, Vigeſimum ſecundum Pſalmū in ſaltu Areth à Pſalte compoſitum; qui, cum antea inaquoſus fuiſſet, & ſterilis, vt Dei amicus, ibi degens, reficeretur, *Diuina virtute factus eſt abundans fructibus, & animalibus, & irriguis fontibus.* Hinc Vates tātæ gratię memor, canticum hoc compoſuit, cecinitque, Deo pro tāto munere debitas grates reddens. Planè videbatur ſibi in paradiſum translatus, vbi virent herbæ, florent plantæ, fructificant arbores, vernant auiculæ, ludūt animalia, fluunt, & murmurāt aquæ. Quod totum virtute ſolius aquæ Deū feciſſe reor: difficulter enim crederet homo paradiſum tantis affluere voluptatibus, ſi fontis illius magnis, miriſque incrementis voluptatis irrigantis hortum, diuinus codex non meminiſſet. Aquarum vbertas paradiſos efficit, viridaria cōſtruit, hortos exuberat. Quod ſi Virginum Virginis vterus à Spiritu Sancto prædicatur hortus, ſiue paradiſus. *Hortus concluſus*, talem ex æterno fonte, quem geſſit, cenſendum eſt. *Hortus autem ideo eſt appellatus quia vniuerſæ deliciæ paradiſi in eo effloruerunt; vbi fons emicuit noſtræ redemptionis*: habet Paſchaſius. Propterea Pſaltes, dum

*Lyran. in Pſal. 22.*

*Cantic. 4.*

*Paſchaſ. l. c. 5. Mat.*

dum ſuum delineat paradisũ, aquarũ meminit: *Super aquã refectionis educauit me*. Nobis autem quid de ſacro illo dicẽdum eſt loco? de altari nimirũ, in quod è Sacro latere Chriſti
D. Chryſoſt. Homil. 45. i Ioa. fons Euchariſticus manat? (*A menſa hac prodit fons*,) inquit Chryſoſtomus. Quantis exornatur coloribus, lætatur viriditatibus, decoratur floribus, ditatur fructibus, illuſtratur luminibus? Nonnè paradiſus eſt? paradiſus planè, & in paradiſo, quicunque dignè tali menſæ recumbit.

1 Cenſet Eccleſiaſticus inter paradiſum, & eam gratiã, quæ ex crebris fit benedictionibus, nihil quidem differre.
Eccleſ. 40. 17. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus.* Ac ſi diceret. Si tibi fortaſſe videre paradiſum lubet, vide gratiam in benedictionibus, & paradiſum vidiſti: ea namque paradiſo quorſus ſimilis eſt. Sed quænam eſt hęc gratia in benedictionibus, paradiſum pręferẽs? Ineffabile Sacramentum, quod Euchariſtia, ideſt Bona gratia, dictum eſt, quæ, quia, cùm fit, multis benedictionibus vtimur, gratia in benedictionibus appellatur. Meritò quidem Euchariſtia dicitur paradiſus: quemadmodum enim, vbi Rex eſt, ibi regnũ: ita pariter, vbi Deus eſt, ibi paradiſus, quod eſt regnum illius.

Quia verò certum, & indubitatum eſt Deum eſſe in hoſtia, quę in altari proſpicitur, altare paradiſus dicẽdum eſt, iſq; qui Sacris intereſt, paradiſum colere. *Si gratiam*, inquit Gerſon, *dicit Sapiens vnus, eſſe paradiſum in benedictionibus: numquid non Euchariſtia, quæ per excellẽtiam dicitur Bona gratia, ritè dicitur eſſe paradiſus? Eſt igitur recipiens Euchariſtiam illius ſuperadmirandæ dignitatis promiſſi particeps, quod Dominus petenti latroni iureiurãdo dixit: Hodie mecum eris in paradiſo. Vbi Papa, ibi Roma; vbi Rex, ibi regnum.* Ioan. Gerſon. i Docum. de Sacr. Altar. to. 3.

2 Per ſcalam, quam Iacob vidit, Euchariſtiã Iuſtinianus intelligit. Scala quidem eſt, terræ fixa, celoq; porrecta; nam niſi per eam è terra non licet in cælum aſcendere. Per eam quidem aſcendunt, deſcenduntq; Angeli. *Aſſiſtunt*, inquit, *planè fruitione beata letantes: nunc in Verbi contemplatione deſcendunt; nunc in ipſius aſſumpti hominis iucunda conſideratione deſcendunt.* B. Laur. Iuſtin. de Euchariſ. Ei Deum habes innixum, Deus enim in ea eſt, non, vt Hæretici ſomniant, figuraliter, ſed verè, & eſſentialiter. Cæterum nè te pretereat ſacræ Euchariſtiæ locum, non terram, quamuis ſit terra, ſed cælum, dictum a Patriarcha. *Quam terribilis eſt*, inquit, *locus iſte? non eſt* Gen. 28. 17.

*hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Ex quo idem concludit. *Hinc loci huius euidétiſſimè percipitur quanta ſit dignitas, quantumq; colendus, vbi Domus eſt Dei, & porta cæli, Dominus vniuerſorum, innumerabiliumq; Angelorum honorabilis frequētia, deliciarū ſpiritualium affluentia.* In cælo vtiq; es, dum ſacro aſtas altari.

3 Vt ſcirent, & experiētur homines, quantæ ſuauitatis, quantique dulcoris ſit Dominus, ad eum deguſtandū ſic inuitabantur à Pſalte: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Vt quid (ac ſi diceret) homines mendacium, vanitatemque quæritis, & diligitis? Quidnam ſaporis, quidue dulcedinis, aut voluptatis proferre poterit mūdus, ſtercore plenus, & felle? Si oblectari lubet, veriſque delicijs perfrui, vnum Deum guſtate, qui verè dulcis eſt, & ſuauis. Scire vellē à Pſalte, qualis nam Dei ſit, ad quam non inuitat, ſuauitas. Mellis forte? lactis? nectaris? ambroſiæ? quibus, vt ſomniant Poetæ, ſuperi perfruuntur? an potius mannæ è cœlo delapſi, *Omne delectamētum habentis, & omnis ſaporis ſuauitatem?* Tam noua eſt, tā magna, tam ſuperadmirabilis, & eximia, quod non modo mellis, lactis, nectaris, ambroſiæ; demū & ipſius mannæ ſuauitatem; ſed qualiſcunque etiam edulij, quod vel in terra deorſum, vel in cœlo ſurſū excogitari poterit, & concupiſci, longè, latèque excellat. *Huic ſuauitati*, inquit D. Bernardus, *huic ſapori omne, quod deſideretur, non valet comparari.* Si itaque Dei ſapor talem, ac tam magnam exhibet ſuauitatem, in paradiſo cenſendus eſt eſſe, qui ſacræ menſæ recumbit, vbi diuinæ ſuauitatis eſt particeps: nihil enim aliud eſt paradiſus, quam magnæ ſuauitas dulcedinis. *Dicitur paradiſus*, ait D. Bernardinus, *à dulcedinis ſuauitate.*

Pſ. 33. 9.

D. Bern. in Feſt. Omn. Sāctor. ſermo. 1.

D. Bernardin. tom. 3. ſer. 7. de Beatit. artic. 3. c. 3

Sap. 16. 20.

4 Inter cætera, quibus De⁹ Omnipotens, ſub Regis Tyri typo in hominem inuehitur, ab inocentia elapſum in culpam, hæc etiam habentur. *In delitijs Paradiſi Dei fuiſti.* Videlicet. Heū à quanta gloria elapſus es in ignominiam: heu à quali honore, tale adeptus es probrum; quales deperdidiſti opes, delitias, oblectamēta? In Paradiſo te olim vidi, quem modo cruciatum in inferis agnoſco. Sed cum ex paradiſo nullum ad infernum conſtitutum ſit iter: Cur Deus animam, in Paradiſo beatam, infernalibus addixit ſupplicijs? Minimè hic per paradiſum Sanctorum intelligenda eſt gloria. ſed innocens conſcientia, q̄ quia Chriſto perfrui-

Ezech. 28. 13.

fruitur habitatore, iure dicitur paradiſus. En Hugo Cardin. *Paradiſus dicitur anima iuſti, delectatur enim ex Chriſti præſentia.* Namque vbi Deus eſt ibi paradiſus conſtituitur. Quidni Eccleſiæ mēſa erit Paradiſus, in qua Dei præſentia gaudemus, delitiamur, perfruimur?

Hug. Car. ibid.

5 Detur & Eccleſiæ locus, quæ, cum ineffabiles, quibus in preſenti fruitur, delicias retuliſſet, hæc addidit: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Velut ſi diceret. Ne vos vlla tantarum deliciarum, opumque, quibus adeo exuperanter affluo, vt translata cenſeat in paradiſum, capiat admiratio: quandoquidē *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Percontor ab Eccleſia: Quod nam hoc eſt ſectatorium, paradiſo te perfrui, quia tibi datus Dei filius? Optimum quidem, & neceſſarium: debuit enim vnà cum Rege, regno; cum Dei filio, cœlo; cum Rege gloriæ, gloria; cumque bonorum omnium, ac deliciarum Domino, diuitijs omnibus delicijſque potiri: hæc namque ſe inuicē indiuiduè comitātur. Ità philoſophatur Guerricus. *Si miraris, inquit Eccleſia vnde repēte mihi paupercula multitudo diuitiarum, & magnitudo gloriæ. Inde nimirum, quia filius datus eſt nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, & Rex gloriæ. Imò magis mirum eſſet, ſi non conſequerentur Dominum bona ſua.* Quapropter dum in altaris menſa Deum habes appoſitum, Deoque comedendo frueris, te ēt puta, omnibus paradiſi perfrui voluptatibus, cunctorumque Dei bonorum, quæ Dominum ſuum conſequuntur, poſſeſſorem conſtitui.

Iſa. 9.6.

Guerr. Abb. ſer. 2. de Natiu. Dom.

6 Stabulū, vbi preſepe, erat in quo Dominum puerum Genitrix reclinauit, cœlum dicitur ab Athanaſio. *Rurſum apparet ſtella Magis, donec veniſſēt ſupra infantem in ſtabulo, vel potius in cœlo.* Sed quid ſtabulo, & cœlo? Quid ſordidiſſimo, ac puriſſimo loco? Quid iumentorum, & Angelorū hoſpicio? Multum per omnem modum; addit vtique. *Vbi enim Chriſtus, ibi & cœlum, nam ſtabulum viſum eſt eſſe cœlum in terra.* Ac ſi clarius diceret; dū fœda immunda, olentia, ſordida, obſcura Dei corpus excipiunt, adeò permutantur, vt tranſeant in cœlum. Quidni id dicendum de altari; quod inſtar Bethelemitici ſtabuli iugiter Deum habet? Chriſtum excepit ſtabulum, & illicò trāſiuit in cœlum; excipit eumdē altare, & in cœlum pariter trāſit. Itaque eum circumdantes in cœlo potius, quam in terra conuiuere cenſendi ſunt.

D. Athanaſ. Apud Lippom. 8. Decemb.

Vbi

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

7 Vbi ſuæ nos Deus præſentia maieſtatis aucturus, è coelo in terrã deſcendere ſtatuit.
Pſal. 17. 10. *Inclinauit cælos*, ait Propheta, *& deſcẽdit*. Ac ſi diceret. Quia Coelum cuiuſdam pulcherrimæ pellis inſtar à ſuæ creationis initio productum eſt, & ex-
Pſal. 103 2. tenſum; *Extendens cælum ſicut pellem*: Deus illud, ad nos deſcendens, complicauit. Sed vnde nam eſt, quod cum Deus ad nos deſcendit, cęlum, quemadmodum eum produxit, non reliquit extenſum, ſed complicauit, & inclinauit? Quia illud ſecum adducturus erat; quemadmodum, qui peregrè profecturus eſt, quæ ſibi opus ſunt in itinere, complicat, & ſecum aſportat: coelum enim Dei ſedes eſt, extra quam quia diuinam dedecet maieſtatem præſidere, illam Deus complicauit, ſecumq; ad nos adduxit; vt dum nobiſcum eſſet, ſuam ſecum ſedem haberet.
Abulenſ. in cap. 2. 2. Reg. quæſt. 2. *Cum dicitur*, ait Abulenſis, *Inclinauit cælos, & deſcendit, fingitur Deus tamquam quidam Rex excelſus ſedens in ſolio cæli, & ad hoc, vt aliquid agat in terra, neceſſe ſit ipſum deſcendere de cælo, & venire ad nos: &, vt ipſe ſẽper maneat in ſolio ſuo excellenti, dicitur inclinare cælos, & deſcendere, quaſi ſedes ſua ſimul cum eo veniat*. Cum nos itaque noſtra fides edoceat, toties ad nos Deum deſcendere, quoties conſecrationis verba complentur; abſque coelo, & paradiſo deſcẽdere minimè exiſtimabimus. Coelũ, igitur, & paradiſus eſt altare, in ꝙ Deus regnaturus deſcendit: altarique aſſiſtentes, minimè in terra, ſed in coelo ſunt, & ĩn paradiſo.

8 Ceterum, Deus omnimodam animæ puritatem, ſanctitatemque à ſuo populo flagitans, *Et vos*, inquit, *eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta*. Exod. 19. 6. Tanto (ac ſi diceret) puritatis nitore opus eſt vos excellere, vt Sacerdotes ab omnibus cenſeamini. Sic Oleaſter interpretatur hæc verba. *Eritis*, inquit, *mihi regnum ſacerdotale, ideſt, eritis mihi regnum tam mundum, tamque impollutum, ac ſi omnes eſſetis Sacerdotes, quos mundiſſimos volo*. Oleaſt. ibid. Rogo autem: Dum populum ſuum Deus tanta requirit ſanctitate fulgentem, cur non, mihi regnum Angelicum eritis, ſed regnum ait ſacerdotale? Sic nimirum ſi diceret, tãto maiorem, excelſiorem, purioremque ſanctitatẽ exigiſſet in ſuis, quãto maior, excelſior, puriorque eſt Angelorũ ſanctitas, puriſſimas coelorum ſedes habitantium, Sacerdotum, immundi mũdi ciuium, puritate ſanctitateque. Sanè cum Deus Sacerdotum puritatem, ſuo quærit in populo,

pulo, puritatem quærit angelicam. Sacerdotum puritas & ſanctitas, ſanctitas, & puritas Angelorum eſt. Dum dignè ſacro altari Sacerdotes aſſiſtũt, Euchariſtiam conficiẽtes, diuidenteſque, nequaquã manent in terra cũ peccatoribus; ſed aſtant in coelo cum Angelis. *Neceſſe eſt*, ait Chryſoſtomus, *Sacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret*. Quod ſi ſacrum altare, coelum, & paradiſus eſt, eos, qui circa illud ſunt, non in terra, ſed in paradiſo, eſſe, cenſendum. Sit idem Doctor ibidem ratiocinatur. *Dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem Sacrificio incubentem, & preces fundentem; tum verò turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri; etiam te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? & non potius è veſtigio in cęlos transferreris?*

D. Chryſ. lib. 3. de Sacerdotio.

9 Auguſtiſsimum Sacrum, minimè ijs ait exhibẽdum Saluator, qui ictibus mundi cedunt, inſultibus carnis ſuccũbunt, certaminibus Diaboli ſuperantur; ſed ijs modò, qui corona potiuntur, & palma. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*. Quod ſi rationem cupis audire, cur victi, & captiui, quos ſcelerum turpitudo coinquinat, non ſint huius menſæ participes; ipſe tibi ſubiungit. *Quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Quaſi diceret, illis tantum licere paradiſi mẽſę diſcũbere, qui paradiſum colere digni ſunt, & inhabitare. Hæc tantum ratio nobis hoc loco examinanda ſe offert. Quorſum in paradiſo eſſe dicitur Euchariſtica mẽſa, cum in terra videatur cõſtructa? Eſt quidem in terra, in Eccleſia ſcilicet militante; ſed quia Deum tunc terra ſuſcipit, Dominum paradiſi tranſit in paradiſum ex terra. *Quod eſt in Paradiſo Dei mei, ideſt*, ait Richardus à Sancto Laurentio, *in Eccleſia militante per præſentiam corporalem in Sacramento altaris*. Et D. Thomas: *Paradiſus dicitur Eccleſia, quia Deus in ea ſuos amatores nutrit, & reficit ſuauiſſimis refectionibus*. Nemo ſit, inquit Chryſoſtomus, cui de hac re ambigere liceat: *Nam, dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cælum ſit, facit hoc myſterium*.

Apoc. 2. 7.

Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. li. 12.

D. Thom. in cap. 2. Apoc.

D. Chryſ. Hom. 24 1. Corinth.

10 Suppono, quod dum Ieſus ait: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, vade, & recumbe in nouiſſimo loco*, Euchariſtica Sacra ſubindicauit, per quæ Chriſto nubet Eccleſia. *Sacramentum hoc*, inquit Apoſtolus, *magnum eſt: dico autem ego in Chriſto, & Eccleſia*. Nuptiæ eſt Euchariſtia, in qua Sponſus, vt mos Coijs erat, ſtola Sponſæ, nimirũ humanitatis, indutus progre-

Luc. 14. 10.

Epheſ. 5. 32.

Alex. ab Alex. Dier. Gẽ. li. 2. c. 5.

gre-

greditur: nuptiæ præterea cõmunione panis initæ, vt priſca matrimonia Romanorũ. Quod ſi olim Sponſus caput obnubebat, vnde dictæ ſunt nuptiæ, Chriſtus item ſub velo ſe panis obtegit, obnubitque. Demum adde in his ſacris nuptijs anulum, & oſculum tradi. *Deſponſationem anuli*, inquit Aponius, *& oſculi traditione corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum ſub paſsionis tempore in Apoſtolis tradidiſſe probatur.* Dum ergo Dominus ait: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco*, idem ac ſi diceret, eſt, cum inuitatus ad Euchariſtiam fueris, in qua meæ cum Eccleſia nuptiæ celebrantur, vbi corporis mei panem, ſanguiniſque vinum exhibeo conuiuantibus, in nouiſſimo loco recumbe? Sed quinam eſt nouiſſimus hic locus, in quem cõmunicantes inuitantur accubere? *Locus nouiſſimus eſt paradiſus*, ait Bernardinus Senenſis. Cum (ac ſi itaque dixiſſet Dominus) ad ſacram menſam accumbis, ne te in terra cum hominibus, ſed in paradiſo cũ Angelis, recumbere cenſeas. Paradiſus enim eſt locus, in quo panis Angelorum comedendus apponitur, in quo caro Chriſti diuiditur, & manducatur, in quo diuini cruoris nectar propinatur, & bibitur.

*Aponius lib. 5. in Cant.*

*D. Bernardin. to. 4. ſer. 15.*

11 Hic Pſaltis ſententiam diligenter obſerua, quæ primò tibi intuitu videbitur hyperbolica. *Erit*, inquit, *firmamentũ in terra.* Iungentur (ac ſi diceret) ſuprema infimis, expurgata ſordidis, venuſta turpibus, cœleſtia terrenis copulabuntur; cœlum ipſum in terra futurum eſt vt videas. Verum obſecro: quando nam vnquam deformitas terrę cœli pulchritudine ſplenduit, ſordities claritate micauit, humilitas ſublimitate ſuperbuit, cum tantis inter ſe ſpatijs locorum diſſideant, in quãtã vix acies oculi ſe extendit? Si vulgatæ Hieronymi lectionẽ addideris, ꝓbè intelliges, quando cœlum viſum ſit in terra. Pro eo, quod legunt Septuaginta: *Erit firmamentum in terra*, vertit ipſe: *Erit memorabile triticum in terra*, ideſt panis Euchariſticus, vt communiter interpretantur. Hęc inquam loca ſi ad inuicem connectes hunc ſenſum elicies: dum memorabile triticum, nimirum Chriſtus, triticum electorum, erit in terra, firmamentum erit in terra; ideſt in terram cœlum ipſum deſcendet. Vbi Papa, ibi Roma; vbi Chriſtus Deus, ibi cœlum. In cœlo es, cùm es cum Chriſto in altari.

*Pſal. 71. 16.*

*Trãslat. D. Hiero.*

12 Quod non prętcrijt ſpõſa, dum ait: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ſcilicet in templum Eccleſiæ, vbi iuſtorũ

*Cãt. 2. 4.*

animæ,

animæ vino cruoris Chriſti affluenter inebriantur. *In qua*, inquit Nyſſenus, *eſt vini myſterium, & Sacramentum.* Quibus patefecit dilecta ſe corporis, & ſanguinis Chriſti participaſſe myſteria. Sed expende quæſo, quod locus, in quo reconditur Euchariſtia, etſi ſub vocabulo Templi, Baſilicæ, Tabernaculi, & Domus, ſignificari potuiſſet, ipſa omiſsis his omnibus, nuncupauit cellam. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Quare potius cellã? Quia inde cella, vnde cœlum, nomen ſortita eſt. Si cœlum dicitur à cælando, à cælando quoque dicitur cella. *Cella*, inquit Iſidorus, *dicta, quod occultet, & cælet*. Et D. Bernardus: *A cælando cælum, & cella nomen habere videntur*. Vt ergo perſpicuè noſcas, ibi cœlum eſſe, vbi ſacra myſteria patent, ſacroſanctum templum, vbi ea apponuntur, nuncupauit cellam. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

*D. Greg. Nyſſen. Hom. 4. in Cant.*

*D. Iſid. Etim. li. 15. c. 5.*
*D. Bern. ad fratr. de monte Dei.*

10 Meminit Theodoretus cuiuſdam Maris, viri ſanctiſsimi, qui cum longo tempore ſpiritali, ac myſtico ſacrificio intereſſe percuperet, Theodoretum ipſum, caſu ad ſe diuertentem, vt ſacrum faceret, humiliter perorauit. Lubenter is annuit, pro que altari Diaconorum manibus vſus, diuinum, & incruentum obtulit ſacrificium *Ille autem*, addit Theodoretus, *omni ſpiritali replebatur voluptate, & exiſtimabat ſe ipſum cœlum videre, dicebatque ſe nunquam tantam concepiſse lætitiam*. Profectò cœlum videbat, imò in cœlo erat: in cœlo enim erat, cum eſſet in cella, in qua myſticum vinum offerebatur, premebatur botrus Cypri, de quo idem ait *Diſtillat muſtum æternitatis*, liquorem nimirum cœli dulciſſimum, quod Beatis in ſempiterna vita propinatur. Quod ſi duorum Pſalmiſta meminit cœlorum *Cælum cęli Domino*, quis neſcit in vno Chriſtum Deum reuelato ſe vultu Beatis, & Angelis intuendum prębere; in altero, quod altare diximus, ſub formis panis abſconditum viatoribus manducãdum? Deus faxit, vt ad Cõmunionem fideles, tamquam ad cœlum ituri, ſe præparent, vt ab vno cœlo in aliud transferantur, quodque in vno velatum aſpiciunt, & accipiunt, detecto in altero gaudeant, & perfruantur, cui laus, & gloria in ſæcula.

*B. Theodor. Hiſt. Sanct. Patr. 02.*

*Idem in Cant.*

*Pſ. 112. 25*

## THEOREMA III.

### Super aquam refectionis.

*Mirabilis animę dignitas accumbentis in menſa, cuius miniſtri ſunt Angeli.*

*Tranſl. Felicis.*

QVoniam, vbi Vulgatus habet *Aquam*, Felix vertit *Aquas*, aitque: *Super aquas refectionis educauit me*; rem Propheta magni momenti, magni noſtri honoris, & dignitatis, ſubindicat, dum nō ſub aquis, vel iuxta aquas, ſed ſuper aquas, educatum ſe dicit à Deo: idem enim eſt ſuper aquas educari, ac menſæ diſcumbere, cuius famuli, & miniſtri ſunt Angeli: Angelos multi dicunt aquarum nomine ſignificari. *Non deſunt*, ait B. Andreas Cęſareæ Cappadociæ Epiſcopus, *qui per aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, cœleſtes mentes deſignatas exiſtimant*. Vult igitur Pſaltes dum *Super aquas*, inquit, &c. dignitatem ſui ſtatus extollere, dũ ſacro altari diſcumbit: ac ſi diceret Cum me Deus meus ſuo corpore cibat, Sanguineque potat, ſic eleuat, & glorificat, vt cœleſtium ſubſtãtiarum ſuperiorem & Dominũ faciat: miniſtrant enim ipſæ, & famulantur in menſa, cui ego nobilitatus accumbo, tantumque ſuper illos excello, quantum ſuper menſæ miniſtros eminent conuiuantes. Magna profecto Chriſtiani hominis dignitas accumbentis ad menſam, in qua cœleſtes ſpirit[9] miniſtrãt, & famulantur.

*D. Andr. Cæſar. Cappad. c. 55. in Apoc.*

1 Princeps Apoſtolorum Petrus, principem inter teſtes huius theorematis locum obtineat, qui ineffabilẽ, & incomprehenſibilem Chriſti Regis noſtri maieſtatem extollẽs, ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Proculdubio hæc verba grauiſſima ſunt, ac ſtylo apoſtolico digna. Tanti enim delectamenti eſt Chriſtũ videre, eiuſquẽ ſpecie frui, vt ipſimet Angeli, qui inceſſanter, & perpetim decore eius exatiãtur; inceſſanter, & perpetim exatiari deſiderent. Quod æquè de Chriſto regnãte in cœlo, ac expoſito in altari intelligendum eſt. Nonnè eadem vtrobique circundatur gloria, nitet maieſtate, fulgetque decore? Nonnè Angeli eo pariter oblectantur in cœlo, & in altari? Ità ſanè, non eſt hæſitandum. Sed cúm Angeli, vt Chriſti pulchritudine delectẽtur, Chriſtũ proſpiciunt, quare potiùs non inquit Apoſtolus: In quẽ deſiderant Angeli aſpicere, vel inſpicere, ſed proſpicere? Quidnam importat verbum proſpicere, quod maluit Apoſtolus adhibere? Perhibent Græci idiomatis doctiores, quod Græcè idem eſt *proſpicere*, ac *cũ inclinatione aſpicere*. Quod probè nouit Ioannes, qui vt Magdalenam cernuam Chriſti in monumentum inſpicientem, deſcriberet, proſpiciendi vocabulum vſurpauit. *Dum ergo fleret, inclinauit*

*1. Petri. 1. 12.*

*Magaglian. in Ioſue c. 3 ſec. 1. nu.* 15.

*Ioan.* 20. 11.

Exod. 25. 18. *uit ſe, & proſpexit in monumẽtum*. Petrus igitur Angelos Chriſtum intuentes in eum proſpicere inquiens, ſeruorum inſtar effingit, qui cum omni ſubmiſſione, & humilitate Domino ſuo aſſiſtentes fruenteſq; imperia præſtolantur. O nouum, & admirandum ſpectaculum: in ea menſa recumbit homo, homo inquam puluis, & cinis, in qua Principes paradiſi famulorum more incuruati, miniſterium adhibituri cernuntur.

2 Hoc ipſum ante Petrum à Deo præfigurari iuſſum videre licet in Exodo: vbi enim Moyſi arcam, in qua manna, primarius Euchariſtiæ typus, reponendum erat, fabrefieri mandauit, adiecit. Exo. 25. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & ductiles facies ex vtraque parte oraculi: Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero: reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium*. Quia verò propitiatorium, à Cherubinis inſpiciendum, eſt Chriſtus: 1. Ioan. 2. 2. (*Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, habemus per Ioannem) idem eſt Cherubim in propitiatorium aſpicere, ac Chriſtum proſpicere ſub formis panis concluſum, & tectum. Sed ad quid Chriſtum aſpiciunt? Quia Dominus eos cõuiuio ſuo velut ſeruos quoſdam intereſſe iubet, vt ſe ibi miniſtros, famuloſq; profiteãtur, nã *Sicut oculi ſeruorũ in manibus Dominorũ ſuorũ, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ*, Pſal. 122. 2. ſic & oculi Angelorũ, dũ ſacris aſſiſtunt, præ Dei nutu paratos, expeditoſque ad quæcunque ſe ſe offerũt obſeq.a. *Propitiatorium*, ait D. Cyrillus, *eſt Chriſtus, qui ſupremas illas virtutes circum ſe ſeruilem in modũ ſtantes habet*. D. Cyril. Alex. de Adorat. lib. 9. Pag. apud me 173. Tantæ excellentiæ ſacra menſa miniſtros exhibet, famuloſque, è quorum manibus ſancta inferũtur fercula, vinaque pretioſa fũdũtur; q nos accũbentes cũ Deo tamquã eius commẽſales reuerentiſſimè cibant, & potãt.

3 Parabola, quã Dei Sapiẽtia Chriſtus de cœna magna cõpoſuit. *Homo quidã fecit cœnã magnã*, Luc. 14. 16. promit Euchariſticę cœnę myſteria. Cœna eſt Euchariſtia; quia primũ in cœna cõfecta eſt. *Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit*: præterea queadmodum coena apponi ſolet in fine diei, ſic Dominus in fine vitæ ſuæ corpus ſuũ comeſtibile fecit, ſanguinemque potabilẽ. Accedit, quod, ſicut poſt coenã dormitũ acceditur; ſic, vbi Chriſtus Euchariſtiã fecit, mortis ſomno ſuccubuit. Verum aduerte, Sanctam Euchariſtiam, non tantum coenam, ſed coenam magnam vocari. *Homo quidam fecit cœnam magnam*.

gnam. Si rogas, quare dicitur magna. Reſpondet Hugo Cardinalis. *Hæc cœna dicitur magna propter quatuor. Primò, quia Dominus magnus, ſcilicet Chriſtus. Secundo; quia conuiuæ magni, ſcilicet omnes fideles, qui digne accipiunt: Tertio, quia fercula appoſita ſunt magna, ſcilicet corpus, & ſanguis ipſius Domini: Quarto, quia ſeruitores magni, ſcilicet Angeli, qui creduntur aſſiſtere, & ſeruire Sacerdoti, & omnibus conuiuantibus in hac cœna.* Magna profectò mēſa, cuius cuncta ſunt magna: magnus Dominus, magni conuiuæ, magnæ dapes, magni demum miniſtri. Expende proinde quanta tibi maieſtas in ſacro altari confertur: haud enim Regum architriclinos, aut pincernas habes, neque Reges ipſos, quod ad gloriam tuam ſatis, ſuperque eſſet, in miniſterium; ſed Regibus omnibus longè nobiliores, & præſtantiores, Angelos Dei.

*Hugo Card. ibi.*

4 Perpendamus modò, quæ de S. Euchariſtia canit Regius Pſaltes. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* Per pluuiam carnium corpus Domini Ieſu intellige, quod quotidie è cœlorum ſummis ſub panis ſenſibilibus pluit: perque volatilia pennata Angelorum acies, quæ vnà cum Domino ſuo deſcendunt ad ſacrum altare. Hæc eiuſdem Hugonis eſt expoſitio. *Et pluet*, inquit, *ſuper eos carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata: Quia de cœlo venit corpus Chriſti cum volatilibus, ideſt cum Angelis.* Percontaris forte, quorſum Angeli deſcendunt de cœlo cum corpore Domini ſui? Deſcendunt, inquam, vt ſanctis ſuis manibus cælicas deferant, referantque dapes. *Cibus iſte*, ait Paſchaſius, *manibus Angelorum defertur, & refertur, per quem noſtra infirmitas diuinitus releuatur.* Vides quātis, qualibuſue famulis vteris in ſacro conuiuio? Sancti Angeli tibi miniſtrant, ſacras deferentes epulas, fundenteſque vinum pretioſi cruoris Saluatoris tui; quos nemo vnquam Regum, ſiue Imperatorum, quibus Reges deſeruiunt, habere recenſetur.

*Pſ. 77. 27*

*Hugo Card. ibi.*

*Paſchaſ. c. 10. de Corp. & ſāg. Dom.*

5 Dum venerabilis Sacerdotis manus, Deum ſub panis ſenſibilibus afferentes, ad te, vt cęlico cibo reficiant, extenduntur; te illas Angelorum choris onuſtas inſpicere exiſtima. *Tunc*, ait D. Vincentius, *manus Sacerdotis plenæ ſunt Angelis.* Tunc ſanè Sacerdotis manus cum cęlo certare poſſunt; quia illum, quem cęli capere non poſſunt, excipiunt, totamque

*D. Vinc. ſer. in ſexag.*

que

que cohortem Domini Dei Sabaoth. Sed quid Angeli præſtant in Sacerdotis manibus, plebem communicantis? Communicant vnà cum illis. Refert Euagrius; Beatum Machariun Alexandrinum, cum fratres ſui Sacram Synaxim acciperent, *Vidiſſe Sanctos Angelos manus ſuas Sacerdotis manibus iunxiſſe, vt dignè communicarent*. Deque Seraphico Bonauentura traditum eſt, quod cum dimiſſæ mentis humilitate potius, quam iniuſtitia, pluribus diebus ab Euchariſtiæ perceptione vacaſſet, die quadam Deus ad humilitatem eius, miſſam deuotè audientis, reſpiciens, *Particulam conſecratæ hoſtiæ de manu celebrantis per Angelum acceptam, illius ori clementer immiſit.* Quare tametſi te viſibiles, & corporeæ Sacerdotis manus enutriant, ſcias operæ pretium eſt te pariter tunc ab incorporeis, cælorum magnatibus, ſubſtantijs enutriri.

*Vit. Patr. par. 2.*

*In Off. propr. Fr. Min.*

6 Excelſum illud, ac eleuatum ſolium, Euangelico Vati oſtēſum, cui duo Seraphim aſſiſtebant à quo alter illorum pretioſum accepit carbunculum, quo Prophetæ labia expurgaret; ſacrum præfigurabat altare, in quo corporis Chriſti carbunculus, cęlo, terraque pretioſior, nitet. *Carbunculus*, inquit, D. Thom. *ſignificat corpus Domini, de altari ſūptum, & charitate inflammatum; quod de manibus Seraphinorum nos quoque, vt expurgemur, & reficiamur, accipimus.* Quia verò de manu Domini ſępe etiam de manu famuli res accipi ſolet, quales ęſtimandi sūt Angeli, dum ſacra nobis exhibent miniſteria? famuli nè, an domini? Ex habitu, quo, dum Vatem reficiebant, viſi ſunt, coniectandum: aliter quippe Domini, aliter verò veſtiunt ſerui. Ex eo verò, quod Iſaias ſe eos circūornatos alis vidiſſe recenſet: *Sex alæ*, inquit, *vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*; ſeruilem cēſendum eſt prætuliſſe conditionem: ob velocitatem enim, qua ad Dei iuſſa expedienda properant, binas alas extenſas, & ad volandum expeditas, oſtēdunt: binis verò vultum obuelant, vt laudabilem famulorum exprimant, quam cæcam dicunt, obedientiam. Demum binis pedes contegunt, pro quibus ſignificantur affectus: docentes, non ſuis ſe votis, & affectibus, ſed Dei nutibus deſeruire, quod ſeruorum, & famulorum eſt. Vnde ait Cyrillus. *Seraphim ſancti ſeruili habitu aſſiſtere in elato ipſo ſedenti ſolio*

*D. Thom. Opuſc. 58 c. 22.*

*Iſa. 6. 2.*

*Cyril. Alex. li. 11. cap. 20. in Ioan.*

Pro-

*Prophetæ videbantur*. Habes igitur Sanctos Angelos Euchariſtiã tibi miniſtrantes, porrigenteſque, ſeruos ſe profiteri. Et non miraris, non riges, non obſtupeſcis, cõſiderans, quam ab Euchariſtica menſa nactus es dignitatem? Dignitas incompræhenſibilis planè, recũbere ad menſam, in qua paradiſi Principes famulantur.

7 Vulgare illud eſt, quod mundi Regibus, magnatibuſque cœnãtibus famuli lucidis, ac ſumptuoſis aſsiſtant veſtibus exornati. *Qui ſeruiunt Perſarum Regibus cœnantibus*, tradit Athenæus, *loti omnes, ſumptuoſaſque veſtes habentes ſeruiunt.* Deque Tyrrhenis Regibus cõuiuantibus pariter addit: *Magna formoſorum ſeruorum multitudo aſtat, qui ſumptuoſis veſtibus ſunt induti.* Quod ad maiorem eorum gloriam fieri cõſueuit, & laudem: huiuſcemodi enim veſtes non niſi ſeruis ſuis, vt decentius ſibi miniſtrent, à Regibus permiſſum ſcimus. *Veſtes digniores, & excellentiores*, ait Chaſſanæus, *probibetur deferri à priuatis, niſi ex conceſsione Principis quibuſdam miniſtrantibus, vt ornatiores ſint coram Principe*. Hinc tuam te ſuperadmirabilem dignitatem, dum ſacræ menſæ accumbis, velim agnoſcas, in qua non tantum Angelos tuis promptos, & expeditos obſequis habes; ſed etiam, velut magno Regi, aut Principi deſeruirent, ſplendidiſſimis, ac pretioſiſsimis veſtimentis indutos. Sic enim Angeli ſacro aſſiſtunt altari. Sic eos refert Nilus ſæpe præceptorẽ ſuum proſpexiſſe Chryſoſtomum. *Plurimi*, inquit, *Angeli è cęlo delapſi ſplendidiſſimis ſtolis induti, nudo pede, aſpectu intento, vultu demiſſo circumſtantes altare vſque ad myſterij cõſummationem aſſiſtunt. Deinde diſcurrentes huc, atque illuc per totam Eccleſiam, Epiſcopos, & Presbyteros, qui corpus, & ſanguinem diſtribuunt, adiuuant, & corroborant.*

*Athen. li. 4. c. 6.*

*Idem ibi. c. 16.*

*Chaſſan. in Catal. Par. 12. Cõſid. 96*

*D. Nilus Epiſt. ad Anaſtaſ.*

8 Demum, audi Petrum Cellenſem. *Si ad conuiuium, ſimilaginis acceſſeris, cuius ſis cõditionis, cuius ſtirpis, cuius ſexus, ſtatim ab Angelo percuntaris. Officij ſui certè eſt, & dignos intromittere, & indignos excludere, benemeritos cum reuerentia ſuſcipere.* Poſtrema perpende, quæ tantum nobis arrident, atque obſerua. Angelos, ſacrę menſæ aſſiſtentes, cum reuerẽtia dignè communicantes excipere. Quia verò aliud non eſt reuerentia, quã pudor quidam cum obſeruãtia quadam coniunctus, minorum erga maiores, ſubditorum erga Dominos, ac plebeorum erga magiſtratus; cùm Sanctos Angelos vides te ad menſam Domini reue-

*Petr. Cellenſ. c. 10 de Panil.*

reuerenter excipere eorum erga te famulatum, ſeruitutemque cognoſce, necnon tuæ gradum dignitatis expende: tui tamen oneris ne deſeras librare menſuram. Qui enim Angelos Euchariſtię dono maieſtate, dignitateque excellis, præ eiſdem debes ſanctitate, ac puritate ſpiritus eminere.

## THEOREMA IIII.

### Super aquam.

*Panis vitæ mors mundo viuis, mortuis vita.*

FOns mirificus eſt Euchariſtia, à quo non tantum refectionis aqua, à qua ſe Vates dicit educatum, ſed, & interfectionis, præterfluit. Conferéda eſt ergo fonti, quem habet Epyrus, *In quo*, vt ait Iſidorus, *faces extinguntur accenſæ, & accenduntur extinctæ*: quandoquidem mortuos, ſiue mundo mortificatos, animat, & viuificat, viuos verò vita carnali, ac mundana, exanimat, & extinguit. Vnde cantat Eccleſia. *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus: mors eſt malis, vita bonis.* Horum autem vtramque probandum nobis hoc loco.

D. Iſid. Etym. li. 13 c. 13.

In offic. Corpor. Chriſt.

1 Et primas quidem mortuorũ viuificationi referamus. Pro qua expendendum, quid ſit, quod prius, quàm Chriſti corpus conficiatur, & ſanguis, noſque illis reficiamur, & nutriamur, panem, & vinum offerimus. Cum enim hæc eorum, quæ poſsidemus in mũdo vulgaria ſint, & vilia, videmur his donis Deum quodammodo paruipendere, eiuſque maieſtatis, ac potentiæ derogare. Regem quidem magnum dona decent magna, & pretioſa; quare auro potius, argento, & gemmis noſtra ditari deberet oblatio. Verum quia Deus ditiſsimus diuitiarum noſtrarum, earumque rerum, quas mũdus habet in pretio, haudquaquam indiget; quodque tantum expetit, ſalus, & vita noſtra eſt, noſtris neglectis opibus, ſolum panem, & vinum ſibi gaudet offerri, vt nobis vitam, cuius corpus ſuum edentes participes facit, impertiat. Quia enim neminem Deus viuificat, niſi quem mortuum, & defunctum inuenerit, noſtris vult nos alimentis, nempe pane, & vino, ex quibus animalis vita dependet, priuari, ſibique offerri, velut ea re noſmetipſos occideremus, atque ad eius eſum mortui præſentaremur. *Quoniam*, inquit Hugo de S. Victore, *in victualibus, ſine quibus vita animalis non trãſigitur, principalia ſunt panis, & vinum, hæc ſeruus offerens, quod* ani-

Hugo de S. Vict. de Miſſ. obſ. lib. 2. c. 26.

*animaliter viuit, ſe occidit; vitã enim occidit, qui ſibi victum ſubtrahit.* Neque enim aliter vitæ illius participes erimus, quã non qui viuunt, ſed qui mortui ſunt, potiuntur. *Idolum, & vnumquodque habentium figuram, fit ex non habentibus illam figuram*, inquit Ariſtoteles. Ariſt. 1. Phyſ. Sũ. 4. c. 11.

2 Hoc quàm concinne ſubindicauit Sponſa, Chriſti ſui dilecti vẽtrem effingens eburneum. *Venter eius eburneus.* Cant. 5. 14 Sanè cunctis patet fideles Eccleſiæ Chriſti membra eſſe: *Membra ſumus corporis eius, & de carne eius, & de oſſibus eius,* inquit Apoſtolus. Ephes. 5. 30. Quemadmodum autem contemplatiui oculi Chriſti ſunt, prædicatores labia, actiui manus, humiles pedes, & ſic de reliquis; ità communicantes, Deique, ſub ſpecie panis ſacra recipientes in menſa, Chriſti venter erunt. Venter inquã eburneus, non aureus, gemmeus, aut argenteus, *Vẽter eius eburneus.* Fontè quæris, quare potius non dicatur aureus, gemmeus, ſiue ex aliqua alia ebore pretioſiore materia? Dictum eſt iam Chriſtum, noſtras nequaquam opes, ſed ſalutem, & vitam exquirere: Quoniam verò in comeſtione ſacri corporis eius vita nobis ſempiterna confertur, quam mortui ſoli participant, non immeritò venter, ſacro replendus edulio, deſignatur eburneus. Os animalis mortui eſt ebur. Solis mundo mortuis, ſiue mortificatis hæc vita confertur. Huiuſcemodi rei conſcia eſt Eccleſia, dum, vt ait Durandus, Durand. Ration. Diu. lib. 1. c. 3. n. 25 capſam in qua ſacræ ſeruantur hoſtiæ, candidiſsimo ex ebore fabrefacit. Vt ex eboris qualitate chriſtiani cordis proprietas, in quo inde aſſeruandæ ſunt, aduertatur, & cognoſcatur, nequaquam homines vera vita potiri, ſi nõ ſecus, ac ebur, vitæ ſenſu nudentur. *Nam quicunque corpus Chriſti dignè manducare voluerit, neceſſe eſt, vt moriatur præteritis.* Ait Auguſtinus. D. Aug. ſer. 201. de Temp.

3 Priuſquàm ſacrum corporis, & ſanguinis ſui Chriſtus inſtituiſſet, eoque refeciſſet Diſcipulos ſuos, meminit Euangeliſta Deo gratias egiſſe. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis.* Luc. 22. 19. Quorſum hęc gratiarum actio in inſtitutione ineffabilis ſacri? Audi Stellam hanc rem egregiè attingentem. Didac. Stella ibi. *Benè, antequam tãtum Sacramentum inſtitueret, gratias egit. Nam ſi ſuſcitaturus Lazarum gratias egit dicens: Pater gratias tibi ago, quoniam exaudiſti me: quanto nunc potius gratias egit per ſacram Euchariſtiam, non vnum, ſed multos mortuos excitaturus?* Ex quo habes ſacroſanctum panem vitam præbere, defunctoſque reſu-

ſu-

ſuſcitare. Neceſſe igitur eſt, talem participaturos vitam, reſurrectionemque, defunctos eſſe: ſoli enim mortui ſuſcitantur. Mundo, & carni mortificatus ſit homo, vt per ſanctum cibum viuificetur à Chriſto, qui mortuos tantum viuificat.

4 Quàm ingenioſè Baſilius Salomonicæ illius ſententiæ, Eccl. 3. 2. *Tempus naſcendi, & tempus moriendi*, ordinē inuertit, & mutat, aitque: *Tempus moriendi, & tempus naſcendi.* Haud fallor primo intuitu incongruam inuerſionem hanc cēſeri, eodem ipſo ſententiam finendam ordine, quo à Sapientiſsimo Rege conſtructa eſt. Quiſnam enim neſcit priorem eſſe morte natalem, priuſq; hominem naſci, mox mori, non è conuerſo? Nemo vnquam vidit hominem ante quàm naſceretur, defunctum. Verum enim verò etſi hæc rectè de vita, & morte, quę corporis ſunt, concludant, de quibus philoſophatus eſt Salomon: de vita tamen, & morte qua ſpiritus viuit, & moritur, ſe res aliter habet, immutandaque eſt ſapientis ſententia: nam, qui ſpiritaliter viuere concupiſcit, priùs moriatur oportet. Audi Sanctum Doctorem. D. Baſil. Conc. de Baptiſ. *Ille quidem de generatione, & corruptione diſſerens, corpoream naturam ſequens, generationem, & natiuitatem morti præpoſuit. Ego verò de generatione ſpiritali verba facturus, mortem vitæ prępono: per hoc enim, quod carni morimur, contingit nobis, vt ſpiritu generemur. Iuxtà quem modum dicit etiam Dominus: Ego occidā, & ego viuere faciam. Moriamur igitur, vt viuamus.* Cum igitur in perceptione corporis, & ſanguinis Chriſti ſpiritualis vita conferatur, moriendum nobis eſt prius, mortificandi ſunt ſenſus, relinquendi mundus, & caro. *Moriamur igitur, vt viuamus.*

5 Ex Baſilio ad Chryſoſtomum tranſeo, cui ſanctam mēſam admirabili fonti, qui naſcitur in paradiſo cōferre placuit, additque totidem ab Euchariſtia manare flumina, quot ab illo manabant. Hæc ſunt eius verba. D. Chryſ. Hom. 45. in Ioan. *Ex paradiſo fons ſcaturijt, à quo ſenſibiles fluuij emanarent: à menſa hac prodijt fons, qui fluuios ſpirituales diffundit.* Ex fonte igitur Euchariſtico egrediuntur Phiſon, ideſt Gangis, Geon, ideſt Nilus, Tygris, & Euphrates, qui ex Paradiſi fonte, vt Moyſes refert, exibant. Sed, vt interim Gangis, Nili, & Euphratis cōſiderationem omittam, quę rei, quam præ manibus habeo, minimè quadrat, dicam tantum de Tygri. Qui, quoniam Latinè *Lætus ſonitus*, ſeu *Læta vox*, interpretatur, æternæ, beatæque vitæ refert promiſſio-

ſionem: nihil quidem in hac vita lætus, ſiue dulcius, quam cœlicæ vitæ promiſſio, in qua
*Apoc.* 21 4. *Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, nec dolor erit vltra*, poteſt à ſanctis audiri. Hic autem Tygris, ſeu lęta hęc vox, non niſi ab Euchariſtia
*Io.* 6. 55. prodit. *Qui manducat meam carnem*, ait Dominus, *& bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam*. Aduerte autem, quod quemadmodum Tygris, vt ait Richardus, à S. Laurẽtio, *Fluit*
*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib.* 5. *in mare mortuum*, ſic æternæ vitæ promiſsio, Euchariſtia nempe, in mortuos tantũ prorumpit, ſolos mortuos viuificat, ſolos defunctos ſuſcitat, ſolos mortificatos animat.

6 Hoc probè nouerat Sponſa, cum in Canticis dicentem
*Cant.* 5. 1. audis: *Meſſui myrrham meam cum aromatibus, comedi fauum meum cum melle meo*, ſiue, vt alij vertunt, *Comedi panem meũ cum melle meo*. Intellige autem pane carnis dilecti ſui Chriſti refectam: hic quidem panis vnà cum melle comeditur, cũ omnimoda ſcilicet dulcitudine, ineffabili voluptate, & ſuauitate. Obſerua verò, quod priuſquam ait: *Comedi panem meum cum melle meo*, dixerat, *Meſſui myrrham meam*. Velut ſi diceret: Si myrrham prius non meſſuiſſem, Sponſi mei panem minime delibaſſem. Quaſi, qui non indignè cum ea tanto expetit refici pane, myrrham prius colligere oporteat. Quod nam quæſo ineſt myrrhæ ad recipiendam Euchariſtiam tantopere neceſsarium, vt nefas ſit præteriri? Mortificatio, vt reor, myrrha ſiquidem mortuorum condimentum eſt. Vt ſignificet, inquit Paſchaſius, *Quod non prius panis comeditur, quam* myrrha *in nobis mortificationis turgeſcat*. Ideſt prius moriendum eſſe nobis, quàm, vt viuamus, ad viuifica Sacramẽta accedendum. Non niſi myrrha lotis, & inũctis, ideſt mortificatis, vita confertur ęterna. *Paſchaſ. de Corp. & Sang. Dom. c.* 10

7 En cęlum quale veritatis huius teſtimonium perhibet. Tradit Chaſſanæus ſuper glorioſiſsimum Redemptoris noſtri ſepulchrum rotundum quoddam miri, ac ſupernaturalis effectus patere foramen. Nam per hoc, vt quidam affirmant, Angelorum miniſterio cœleſtis deſcendebat ignis, à quo ſepulchri lampades ſæpiùs accendebantur. Alij verò perhibent, *Roſido cęlo per hanc aperturam dulciſſimum manna ſæpe pluiſſe*. Vtrumque magnũ eſt, & admirabile. De hoc tantum quæro: Quorſum manna in cunas, ſiue in pręſepiũ Chriſti deſcendiſſe nõ dicitur; quemadmodum in S. Sepulchrum pluiſſe refertur? Niſi ad innuẽdum, quod Euchariſtia, quam figurat manna, vitam, non viuis, *Chaſſan. in Catal. p.* 12. *conſid.* 75.

nis, quos recipiunt cunæ; ſed mortuis, quos tegũt ſepulchra, conferre? Planè non aliorſum: viuis enim mundo ſempiterna mors imminet, de qua re pauſubijciam.

8 Exituris ab AEgypto Iudeis præcepit Deus, agnum nonniſi hora veſpertina, comederent. *Edent carnes nocte illa aſſatas igne* quaſi nefas eſſet illum comedere, dum ſplendor ſolis mũdum illuminaret. Sed quare nefas agnum comedere, dũ Sol clare nitet in die, priuſquam langueat, & ad occaſum propinquet in ſero? Quodnam malum ſolis fulgor afferre poterat agnum edẽtibus? Nihil equidem Sol, ſed, quod per Solem intelligitur; terrenæ nimirum vanitatis nitor, cui auerſus à Deo viuit. Dum enim homo taliter viuit, ad agni immaculati eſũ, qui tollit peccata mundi, minimè admittitur. Niſi ſol declinauerit, ideſt, niſi homo ijs, quæ in mundo nitẽt, abrenuntiauerit, abq; ijs inſtar mortui longè abfuerit cælica refectione indignus cẽſebitur. Sic Bernardinus exponit. *Hora*, inquit, *Veſpertina comedendus eſt agnus, in qua ſol declinat, & tendit ad occaſum. Quod ſignificat, quod tu debes cogitare de hora veſpertina, ſcilicet de tua morte, & deponere vanitates; quia, ſi non depones iſta, non poteris capere corpus Chriſti.* Quia (velut adnecteret.) ſi dum ſol nitet, dum mundi viuis illecebris, diuiniſsimas agni carnes manducare præſumpſeris, crudeliſſima tibi mors imminebit: quemadmodum namque Chriſtus à mortuis huic mundo comeſtus vita æterna eſt: ſic a viuis eidem mundo manducatus mors eſt æterna.

*Exod.* 12. 8.

*D. Bernardin. to.* 4. *ſer.* 39. *p.* 2.

9 Eleuante Dei miniſtro hoſtiam iam conſecratam à circumſtantibus adorandam, ait Chryſoſtomus, cęlum dehiſcere, Angelorumque cętus ad altare deſcendere. *Elata enim hoſtia, Chriſtoque immolato, tunc tecum reputa supernè cœlum ipſum diſcindi, & Angelos è cœlo elabi in terras.* Præ qua circum ſacrum altare ſanctorum Angelorum frequentia, ait Gulielmus Pariſienſis, quod *In medio Angelorum panis vita comeditur.* Sed quid faciunt Angeli Chriſtum Chriſticolis comedentibus? Multa quidem, & magna. Alij Domino Deo ſuo aſſiſtunt, miniſtrant alij, alij dignos excipiunt, & honorant; alij verò lictorum obeũt munus, aſtantque, quos fędat peccati macula, inſanabiliter ferituri. Quod ſi eos Chriſti bonitas operari permitteret, nec vnus ex indignè ſumentibus corporalem mortem euaderet. *Ab Angelis*, ait Hugo de S. Victore, *qui ad*

*D. Chryſ. Hom.* 5. *Epheſ.*

*Guilel. Pariſienſ. de Sacrã. Euch. c.* 7

*Hugo de S. Victore Ser.* 93.

*ad hoc poſiti ſunt, etiam nunc perimerentur, quicunque vel ſemel indignè communicant, niſi bonitas Chriſti, cuius iudicio pendent omnia, gladium ſuſpenderet, & temporalem mortem quibuſdam, vt pœniteret, reuocaret.* Vides qualis mors immineat viuis, viuis inquam mundo, ſenſui, & peccato, præſumētibus ſacram menſam attingere, quod potentiſſimus Angelorum exercitus nudis eos gladijs aſtant interfecturi?

10 Colligamento myrrhæ conferens Sponſa Dilectum, concinnè dicta confirmat. Vbi Vulgatus habet: *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi*, trāſferunt alij ex Hebræo: *Myrrha panniculis inuoluta Dilectus meus*, vt apud Cyprianum Monachum videre licet. Quibus verbis clare proſpicitur Euchariſtiam ſubindicaſſe, in qua Dilectus eius Chriſtus panis panniculis inuolutus inſpicitur, & adoratur. Sed quare tunc dicitur *Myrrha?* Vt daretur intelligi, quod quemadmodum myrrha ſic corporibus mortuorū prodeſt, omniq; corruptela præſeruat, vt viuis acerbiſſima ſit, & amara: Ità corpus Dominicum ſub panis ſpeciebus incluſum, ſicut mūdo mortuis, & defunctis, ideſt iuſtis, & mortificatis, vita eſt, æternæque mortis præſeruatio; ſic mundo viuis, eiuſque delicijs, lethale, & æternum ſupplicium, *Myrrha panniculis inuoluta.*

*Cant. 1. 12.*

*Cypr. Monac. ibid.*

11 Audi iàm tandem, eximiam Chryſoſtomi contemplationem, quam ex induſtria nouiſſimo tibi loco ſeruaui. Cum Redemptor Cruci penderet affixus, & nihil remaneret ex pœnis, moriq; deberet; non moriebatur tamen: quia mors, vt pote quę ſuum in illo nihil perſentiebat, illum primum, illum ſolum hominem peccati neſcium, noxa liberum, nil legibus ſuis debentem agnoſcens, ad eum pertimeſcebat accedere, *Accedit tamen*, ſubdit eximius Doctor, *confidata Iudaico furori, & diſperata tunc vita, & angit, & inuadit Auctorem, volens potius ſe perire totam, quàm tantam perdere prædam.* Quæſo vos mecum expendite mortis ingenium, ac pauorē ſuperuacaneum. Mors mortem in vita timet, vnde vitam ſperare deberet? Quennam vnquam audiuiſtis, in melle, vnde dulcor emanat, amarorem pauere? in ſole, vnde lumen prodit, formidare caliginem? in auro, quod diuitias affert, trepidare pauperiem? Timuit ipſa, nec inconſultò timuit, ſubijtque mortem, quam pertimeſcebat incurrere. Viua enim erat (nam feriebat, iugulabat, interimebat.) Viui autem

*D. Chryſoſt. ſer. 6 de Paſſ. Dom.*

tem in Chriſto mortem, ſicut mortui vitam, inueniunt. Res magna, ſed vera; res noua, ſed clara, vt ex eodem fonte, mortui mundo vitam, viui mortem exhauriant.

## THEOREMA V.

### Super aquam.

*Ardet ara Chriſti, ſuoque accendit accedentes ardore.*

SED ſi vbi Pſaltes vocat Euchariſtiam *Aquam refectionis*, aquam accenſionis vocaſſet, apprimè quadraret Auguſtiſſimo Sacraméto. Fõs enim eſt, non modo inſtar fontis Epyri, vt dictum eſt; ſed fontis Illiriorum, ſupra quem veſtes expanſæ, non ſecus, ac ſupra ignem, ardent, & accenduntur. Fons eſt igne ſpiritali repletus, diuino ſcatẽs ardore. *An neſcis*, ait Chryſoſtomus, *quod hæc menſa plena eſt igne ſpiritali? Nam, quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ità hæc flammam habet arcanam.* Quicunque igitur vero Dei igne flagrare, Deumque diligere, cõcupiſcit ſacra aſcendat altaria, & exardeſcet.

*Petr. Bercor. Red. Mor. lib. 14. c. 65. num. 5. D. Chryſoſt. de S. Philog. apud Lip. pom. 20. Decemb.*

1 Primo hic aduertendum, quod vbi Sacerdos ſacra confecit carnis, & ſanguinis Chriſti myſteria, maieſtatem diuinam exorat, vt eadem ſuum acceptare dignetur clemẽtia, qua Sacrificium Abel dignatus eſt acceptare. *Supra quæ*, inquit, *propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel.* Quibus quidẽ precibus Deus autumandus eſt non deficere, quinimmò magis annuere; quippe qui maiori reſpicit dignatione ad ſacrificium Filij, quàm ad alterius quantumuis iuſti. Quare vt innoteſcat quonam modo Deus ſacrificium Filij acceptet, quo acceptauit hoſtiam Abel, ſcrutandus eſt modus.

*In Canon. Miſſæ.*

De ſacrificio Abel Hieronymus diſſerens, ait; *Ignis venit è cœlo ad ſacrificium deuorandum.* Quod ingenioſè coniectat ex lectione, qua vtitur Theodoſion, qui ex eo, quod habet Vulgatus: *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius*, transfert: *Inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius.* Deus igitur ad ſacrificium Abel ita reſpexit, vt ignem ſuper illud è cœlo mitteret. Transfer hunc ad ſacrificium Chriſti ſermonem, quod æquè, ac illud à Deo diximus acceptari; dicque magnum in illud Spiritus ignem deſcendere. Quod idcircò non ignitum modo, ſed & ipſum-

*D. Hieronym. in Tradit. Hebr. in Gen. Gen. 4. 5.*

met

met ignem appellat Beatus Ephrem. *Ignis*, inquit, *immortalis ſunt myſteria Chriſti.* Hic autem ignis ad quid? Vt accedentes accedat, vratque. Nam, quemadmodum ignis elapſus ſuper ſacrificium Abel, Abel ipſum aſſiſtentem altari combuſſit. *Inflammauit ſuper Abel, & ſuper munera eius:* Sic dicendum eſt nobis Sancti Spiritus ignẽ ſic ſuper Chriſtum immolatũ deſcendere, vt propinquos illi comburat, ac ſui faciat amatores. Vis Deum amare? flagrare amoris eius ardore? Ad ſacram menſam accede. Menſam inquam, an caminum? Menſam ſimul, & caminum fas nobis eſt dicere, quæ animum cibat, & purgat; quæ cor replet, & rapit; quæque totum hominem paſcit, & vrit.

*D. Ephre. de Nat. Dei non curioſè &c.*

2 Quod Laudiceæ Præſuli, frigidiſſimo cordis morbo languenti, cœleſtis medicus ordinauit, huius veritatis euidens eſt teſtimonium. *Suadeo tibi*, inquit, *emere à me aurum ignitum*. Ac ſi diceret. Vt tua erga me viſcera caleſiant, auro opus habes ignito, quod non, niſi à me, emas neceſſe eſt. Si ſtudioſe examinabis hæc verba, in auro corpus Chriſti præfiguratum inuenies. Quid enim aliud eſt Eccleſiæ ſacrum, quo Chriſtus peccatorũ redimit delicta, hominũ cõpenſat debita, cœlorũ cõparat regna, quã probatiſſimũ, ac pretioſiſſimũ aurũ? Hoc Cyprianus Monacus illud Cãticorũ explanãs, *Caput eius aurũ optimũ*, quod de Chriſto dictũ non ignoramus, eleganter confirmat. *Sponſus*, ait, *ingeniũ, & naturam refert auri. Aurum nullis vſibus deteritur: nam, ſi hodie Chriſtũ in tuos vſus transferas, & cras, & perinde, ſemper tibi manet.* Quod Euchariſtiæ perinde quadrat, vt neminem lateat: Ex ea enim *Sumit vnus, ſumunt mille; tantum iſti, quantum ille, nec ſumptus cõſumitur.* Ijs itaque ſic diſpoſitis notandũ, quòd Gloſſa Interlinealis explicãs verba Chriſti; *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, inſcribit. *Ideſt me ipſum ignitum, in igne poſitum, ignientem.* Ac ſi Chriſtum hæc loquentem deſcriberet. Aurum ſum: accedentes ad me corpus meum eſuros miris opibus dito. Sed ignitum. Inflammo eoſdem, accendo, torporem ab eis omnem expurgo, meique amatores efficio. Admirabilis menſa, quæ frigidiores gelu, rigidioreſque Aquilone ſic intenſiuè calefacis, vt magis igne, pruniſue, quàm pane, & vino, cenſearis extructa.

*Apoc. 3. 18.*

*Cant. 5. 11.*

*Cypr. Mona. ibid.*

*In ſequẽ. Corp. Domin.*

*Gloſſ. Interlin. in cap. 3. Appc.*

Plu-

3 Pluries dictum eſt ferculum Salomonis, imò pluſquam Salomonis Chriſti Regis noſtri tot laudum encomijs celebratum à Sponſa, Euchariſtiam repreſentare. In eo autem maiori dignum aduerſione cenſendum, quod in eius medullio charitas continebatur. Hoc enim ſibi vult illud, *Media charitate conſtrauit*, ideſt ſymbolum quoddam præferebat amoris, vt communiter à Doctoribus erudimur. Quorũ aliqui carbunculum, adamantem alij fuiſſe dicunt, quem Italicè dicimus Diamante, velut, Dio amante: aliqui verò duas columbas ſeſe viciſſim exoſculantes. Demum Cypriano Monaco Chriſti Crucifixi imaginem fuiſſe placet. *In medio*, inquit, *totius ferculi pauimento ſymbolum quoddam, aut ſignum poſuit amoris. Nam Pater cœleſtis, inter cætera dilectionis ſigna, vnum illud medium poſuit maioris dilectionis, & charitatis indicium, Chriſtum ſcilicet filium vnigenitum ſublimi in ſtipite pendentem.* Recte Deus dicitur Chriſtum Crucifixum in medio Euchariſtici ferculi poſuiſſe; quoniam, vt cunctis patet, admirabile Sacramentũ viua quædam eſt paſsionis, & mortis Chriſti repræſentatio. Quare ſi Chriſtus Crucifixus, poſit⁹ in Euchariſtia, charitas eſt, & amor; arcu armatus, & igne, circumſtantes accendit, & ferit. *Ex hoc arcu*, inquit Hugo, *extenſo in Cruce iaculantur nobis ſagittæ amoris.* Hinc Innocentius Tertius: *Vt ergo ſuam erga nos charitatem oſtenderet, & noſtram erga ſe charitatem accenderet, qui dedit ſe pro nobis in pretium, ipſe tribuit ſe pro nobis in cibum.*

*Cãt. 3. 10* · *Cypr. Monac. ibid.* · *Hugo Cardin. in ep. Coloſſ. c. 1* · *Innoc. III. de Myſt. Miß. lib. 4. c. 44.*

4 Secretiora fidei noſtræ myſteria docebat Dominus Diſcipulos ſuos, ac nè perfidorum auribus pateſcerent, vileſcerentque, parabolarum teguminibus obtegebat, cum proſequens de Dei regno ſermonem, grano illud ſinapis comparauit. *Simile eſt regnum cęlorum grano ſinapis.* Ac ſi diceret. Si cupitis, quale ſit cœlorum regnum cognoſcere, granum ſinapis accipite, dentibuſque conterite, ac quale illud ſit experiemini. Quidnã eſt regnum cœlorũ, quod grano ſinapis cenſuit Dominus conferendum? Ipſemet Ieſus, hæc loquens. *Regnum cęlorum accipitur pro Chriſto*, ait Paſchaſius. Chriſtus igitur ſinapis eſt; maxime verò ſinapis dum ſub ſpeciebus panis comeſtibilis manet, ſinapis enim comeditur. Quare tunc ſinapis? Quia quemadmodum ſinapis ore accepta, dentibuſque cõtrita, præ nimio, quem habet, ardore, totum os calefacit, & accendit: ità Dominus Ieſus

*Matt. 13. 31.* · *Paſchaſ. ibid.*

(ait

(ait idē Paſchaſius) *Cū teritur in corde, ora noſtra guſtu feruentia viuido fructus ſui ſapore ſuccendit, in tantum etiam, vt ab oculis lacrymæ præ nimio ardore decurrant, & feruentes reddit.* Illi proinde, quorum corda torpent, languent, rigēt, ad menſam altaris accedant, vbi ſacra ſinapis apponitur, occulto igne candeſcens, vt torpentes excitet, languentes animet, accendatque rigentes.

5 Notiſſimum eſt Sanctis Seraphim ex creatis ſubſtantijs nullam eſſe feruentiorem, quippe quorum nomen Sanctæ linguæ peritiores, non ardentes modo, accendenteſque; ſed ardorem, & incendium ipſum interpretantur. Hinc eorum obſequia Deo chariora ſunt, & acceptiora. Sic Abbas Cellenſis: *Deo Seraphim obſequia ideo gratiora, quia feruidiora.* Verum ſi percunteris, vnde tantus ignis, tantus ardor, ac tanta combuſtio ſanctis Seraphim, vt præ alijs cęli ſpiritus accendantur, & ferueant? Ex vicinitate Dei, inquit idem Abbas. Nam, cum Deus ſit ignis, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*; eaque ferueſcere neceſſe ſit, quæ iuxta ignem ſunt poſita: quęcunque proximiora ſunt Deo, ea oportet, vt ſint calidiora. *Cum enim*, inquit, *approximant ei, approximant igni; iuxta ignem enim nihil frigidum reſidet.* Cum ergo, idem ignis, idem Deus, cui Seraphim appropinquātes tātopere feruent, in altaris ſolio datus ſit nobis, dum ei approximabimur, ferueſcere, & igneſcere oportebit, noſtrique cordis expurgare torporem.

Petr. Cellenſ. de Panib. c. 27.

Deutero. 4. 24.

Petr. Cellenſ. ibid.

6 Minimè prętereundum, quòd mandat Dominus Moyſi menſam propoſitionis, quæ Euchariſtiam figurabat, in tabernaculo ad partem aquilonarem eſſe locandam. *Menſa ſtabit*, inquit, *in parte Aquilonis.* Videamus cur in Aquilonari potius, quam in orientali, occidentali, aut meridionali plaga collocanda præcipitur. Primo enim aſpectu in Oriente potius locanda videtur: menſa namque Euchariſtica illum apponit, cui nomen Oriens, quòd ab eo bonum exoriatur omne. Siue in occidētali, quia panis, quem profert, memoriale paſſionis eſt ſolis iuſtitiæ in occaſu languentis. Vel in meridionali ſaltem, cum habeat Deū, qui lucem habitat inacceſſibilem, quemque Vates ait venturum ab Auſtro, *Deus ab Auſtro veniet.* Cur igitur tanto bono, neglectis reliquis, Aquilo dignus fuit? Audi Rupertum. *Quia nobis, qui eramus aquilonarij, ideſt in infidelitate frigidi, menſa prædicta propoſita eſt.* Propoſita planè eſt, vt nos calefaceret frigidos, accēderet algi-

Exod. 26.

Abac. 3. 4.

Rupert. lib. 14. c. 8. i Exod.

algidos, vreret gelidos. *In parte Aquilonis.*

7 Vbi ſibi Rex noſter carnẽ ſuam in cibum nobis exhibere complacuit, poſuiſſe eam, ait Pſaltes, in ſole. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Tabernaculũ ſuum, ideſt corpus ſuum*, ait D. Chryſoſt. Sol eſt Euchariſtia, ſine qua non ſecus, ac ſine ſole, totus orbis periret. Mirum ergo non ſit, quod tantopere frigeas, qui longè manes à ſole; appropinqua ad ſolem, & caleſies: accede ad altare, vbi ſol iſte nitet, & exardeſces. De Saturno, qui inter planetas ſeptimus eſt à Luna, frigidiſſimi temperamenti eſſe perhibent Aſtonomi: quapropter charactere quodam oſtendente ſenem, gerentem baculum apud eos exprimitur, & intelligitur. Si quare frigidus ſit, quæſieris. Ait Ptolomæus, quia valde remotus eſt, & longinquus à ſole. Sic & tu inſtar Saturni perpetim frigeſces, ſi remotus manebis ab euchariſtico ſole. Si vis accendi, accede, prope fias ad eum, & caleſies. *Accedite ad eũ, et illuminamini*: ait Pſaltes.

*Pſal. 18. 5.* *D. Chryſoſt. ibid.* *Ptolom.* *Pſal. 33. 6.*

8 Quid eos vidiſſe putas, q̃bus Seraphici Patris noſtri corpus videre conceſſum eſt? Viuam, ac veram imaginẽ Ieſu Chriſti, clauis defoſsã, lancea vulneratam, moxque de Cruce deſcẽsã, viderũt. *Totus*, ait Bonauentura, *in Ieſu Chriſti Crucifixi expreßã ſimilitudinem transformatus erat. Namque in manibus eius, & pedibus apparebant ſigna clauorũ; ac dextrum quoque latus quaſi, lancea transfixũ, rubra cicatrice obductum erat.* Age iam videamus quorſum Redemptor mundo hoc ſui ſimulachrũ expoſuit, quidue ex tali ſpectaculo ſibi ſpopondit? Noſtrorũ cordium ardorẽ, inflammationẽ, incendiũ, amorem, charitatẽ, inquit Franciſcanorũ Eccleſia: *Domine Ieſu Chriſte qui frigeſcente mundo, ad inflãmanda corda noſtra tui amoris igne, in carne Beatiſſimi Patris noſtri Frãciſci paſſionis tuæ ſacra ſtigmata renouaſti.* Si igitur ignis imago calefacit, inflammat, & vrit; quid faciet ignis ipſe? Si imago corporis Chriſti Crucifixi accẽdit hominum corda, quidni corda hominũ vret ipſũmet corpus, ipſamet caro, ipſemet Crucifixus, quẽ in altaris menſa, ſiue potius in camino, expoſitum intuemur?

*D. Bonau. in vit. S. Franc. cap. 13.* *In Feſto Stigm.*

9 Non me latet, verba, quibus ſe ſpõſa in cellã vinariã à ſponſo introductã effert, & p̃dicat, *Introduxit me in cellã vinariam*, quorumdam auribus non benè ſonare: turpe exiſtimantiũ Virgini de potu vini ſe prædicare, & extollere; cui ſobrietas, non ebrietas cõuenit; quã caſtitas decet, quæ comi-

*Cãt. 2. 4.*

tatur abſtemias; nō luxuria, q̄ ſubſeq̄tur ebrias. Verū .n. verò, quia de cella vinaria loq̄tur, vbi vinum germinãs Virgines, ſanguis ſcilicet Ieſu Chriſti ſub ſenſibilibus vini ſeruatur, eminentiori, ac ſibi conuenientiori laude efferri non potuit; grãdis ſanè honos, calicis Ieſu Chriſti participē fieri. Videamus ergo ad quid eam Dilectus in cellam vinariã introduxit; quidue epotum vinum, quod ſacris ſeruatur in dolijs, operatur. *Cella vinaria*, inquit D. Thomas, *eſt Eccleſia, vbi propinatur calidum vinum ſanguinis Chriſti, ad accendendum corda dilectionis Dei, & proximi.* Quaſi diceret. Vt Sponſa Dei amore ferueret, à Dilecto ſuo Chriſto in ſanctam introducta fuit Eccleſiam, in quã cruor ipſius pretioſiſſim⁹ manet, tanto igne ebulliens, vt bibentes ĩflãmet, vrat, accēdat, Deique amatores efficiat.

*D. Thom. opuſ. 61. cap. 30.*

10 Inter ſex centa euchariſtici panis encomya, quibus à Sanctis Viris nũcupari promeruit, ſpeculi nomē ſortitus eſt à Vincentio. *Hoſtia*, inquit, *eſt ſpeculum. De hoſtia conſecrata poteſt dici: Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula.* Quid autē (inquies) innuere voluit, cum Euchariſtiam ſpeculi nomine nuncupauit? Quem, inquam, ſæpiùs inculcauimus, accedentium ad altare feruorē. De ſpeculo namq; parabolico locutũ intellige, quod, vt eius artis perhibēt doctiores, ſphęrale ſit, oportet; qualē Eccleſia formare hoſtiã cõſueuit. Huiuſmodi autem parabolici ſpeculi vulgatiſſima eſt ꝓprietas, vt per illa ignem mutuemus è cœlo. Qua ĩ re Archimedes noſter peritiſſimus omniũ fuiſſe refertur, qui inimicas Marcelli naues Syracuſarum littus appellantes, tali concremauit ĩgenio. Dicito ergo nũc mecum, inſtar geometrę Deum eſſe, qui fideliũ mentes, frigida mundialiũ vanitatum æquora nauigantes, altaris portũ appulſas, igne ſuo p Euchariſticũ ſpeculũ cœlitus miſſo, cõburat. Ad quod inſpexit Hugo de S. Victore, omnia inquiens Dei dona, inter quæ cordis incendiũ numerandũ eſt, ad nos per Chriſtum (quē adoramus in Hoſtia) è cœlo tamquã per ſpeculum ignē delabi. *Præclara Dei beneficia per ipſum ad nos decurrunt; per ipſum petimus, & impetramus, ſicut per mediantem Chryſtallum lapidem cœleſtem in ſubiectam eſcam à longinquo ſole mutuamus ignem.*

*D. Vincent. ſer. 1. in Feſt. Corp. Domin.*

*Hugo de S. Vict. lib. 2. c. 16. de Miſſ. obſeru.*

11 Hinc eſt, quod poſtquam Apoſtoli S. Euchariſtiam è Redemptoris manibus comederunt; tantum feruorem, & ignem, vt quidam ait, paſſi ſunt in præcordijs, vt ſtupefacti dixerint:

Quid

Ludou. de Pōt. Perfect. tom. 1. trac. 4. c. 2. §. 2. *Quid eſt hoc, quis hic ſapor, quæ dulcedo, quæ efficacitas, quis hic furor, quem intra nos experimur?* Ignem enim per ſpeculum è cœlo hauſerant, in cellam vinariam fuerant introducti; feruentem ſolem, vrentem ignem, comburentem amorem, igniens aurum intus acceperant, ardentiſſimum ſinapis granum de Chriſti manibus tulerant, & contriuerant, aquas de Illiricorum fonte potauerant; è menſa tandem ſurrexerant, quæ in Aquilonis plaga propoſita recumbentes, vel ipſomet Aquilone rigentiores accendit; vt non incongruè caminus dicatur, & fornax. Hinc quoque facilè diſces, perperam eos agere, nullaque ratione muniri, qui, quia non caleſcunt, Euchariſtiam non accipiunt; quam deberent accipere, vt calefierent. *Nè cauſeris*, ait Lucas Burgenſis, *languorem tuum, quod minimè ferueas deſiderio accipiendorum myſteriorum: ità nè calefieri vis, antequam igni appropinquas?* Lucas Burg. ſer. 13. de Diu. vnion.

## THEOREMA VI.

### Super aquam refectionis.

*Mirum ſympoſium; panē apponens, qui cibum, & potum; vinum effundens, quod potum, & cibum, exhibet conuiuantibus.*

Quod Sanctiſſimus Pſaltes Euchariſtiam aquam refectionis dixerit, *Super aquam refectionis educauit me*, nefas eſt præterire. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Admirabilis aqua, quæ non tantum bibitur, ſed & manducatur; non ſitim modo, ſed & famem extinguit; ſicque portantes ſatiat, vt comedentes etiam nutriat, & reficiat. *Super aquam reficientem*, inquit Genebrardus, *& paſcentem; non tantum potabilem, ſed & pinguefacientem; non tantum aptam potui, ſed & ſaginationi.* Genebr. ī Pſal. 22. Quo quidem in loco, quod de S. Euchariſtia fides noſtra monet, apertè ſignificatur, ſub ſenſibilibus nempe panis, ex vi verborum Domini Corpus adeſſe, & ex concomitantia ſanguinem: rurſus ſub ſenſibilibus vini ex vi verborum ſanguinem, & ex concomitantia corpus. Quare in hoc cœleſti cibo cibum, & potum; in potu potum, & cibum, vna ſimul inuenies.

1 Magnum illud, & admirabile, nec per totam æternitatem obliterandum conuiuium, examinans D. Vincentius, in quo Dominus in deſerto turbas Hebræorum in-

innumeras quinque panibus, ac duobus piſcibus enutriuit; aduertenſque Euãgeliſtã nullã de potu mentionem feciſſe, ſic ſecũ ipſe ratiocinatur. Cum in conuiuijs, præſertim ſumptuoſis, & publicis, ciborum ſimul, & potuum, non eorum modo, quos neceſſitas exigit, ſed & qui ad lautitiam pertinent, affluentia requiratur; quid eſt, quod Chriſtus, tam magnum conuiuium exhibens, nulla fundit vina, nullos liquores exhibet, nullas ſaltem propinat aquas, quas biberent, quos tanta ciborum copia ſatiauerat? *Nihil de potu meminit Euangeliſta.* Sanè deficiente vino in Cana Galilææ, vnde Sponſo dedecus eminebat, vinum ex aqua factum appoſuit Clementiſſimus Ieſus. Egregia quidem, ac pulchra hæſitatio; ſed egregior ſolutio, & pulchrior. *Debemus dicere nè prandium videatur imperfectum; quia Dei perfecta ſunt opera, quod biberunt; & quod illi panes, & piſces fuerunt ſimul cibus, & potus. De pane, & de piſce exibat quidam liquor, qui refocillabat comedentes.* Nihil (ac ſi diceret) exhibet Dei manus, quod vndequaque perfectum non ſit, & omnibus numeris abſolutum. Quod Euangeliſta conuiuium Chriſti deſcribens ciborum tantum meminerit, non potus, non ideo factum intelligas quod defecerit potus; ſed, quod panes, & piſces cibum, potumque contulerint: quidam namque ex illis manabat liquor, qui ſuauiter, & perfectè conuiuantium ſitim extinguebat. Demum in hoc miraculo Sacramentum altaris præfiguratum intelligens, ſic concludit. *Quia in hoſtia conſecrata eſt ibi totum corpus ex vi verborum, & totus ſanguis ex concomitantia reali.*

*D. Vinc. ſer. 2. in Domin. Lætare.*

*Ibid.*

2 Vinum conditum, quod promittebat Eccleſia Cãticorum octauo, *Dabo tibi poculum ex vino condito*, Chriſti ſui ſponſi ſanguinem; quo olim poſt ætherei botri depreſſionem altarium torcularia ſcatere debebant, præfigurauit. *His verbis*, inquit Valentia, *obtulit Sponſa poculum Sacramenti altaris ex vino condito, & conſecrato.* Quod non immeritò conditum dicitur, ſiue, quia conditur & velatur; ſiue etiã, quia tantis condimentis excellit, vt omne delectamentum in ſe habeat, omniſque dulcoris ſuauitatem. Sed aduerte, quod Bonauentura vinum hoc nectar dulciſſimum nuncupauit. *Nectar eſt vinum*, ait, *de quo dicitur:*

*Cãt. 8. 2.*

*Valẽt. ibidem.*

*D. Bonau. Diet. Salut. de Charit.*

*tur: Dabo tibi poculum ex vino condito.* Quare autem nectar? Eo quod (dicere poſſem) immortalitatem conciliat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitã æternam*: nectar enim, vt etymon docet nominis, pharmacum immortalitatis ſignificat: Græce enim ex particula priuationem ſignificante, & occido, componitur: quoniam homines ex vſu illius immortales efficiebantur. Rurſus; quemadmodum Poetæ veteres, vt eximiam Deorum ſuorum nobilitatem, dignitatemque ſignificarent, eos nectare frui, nulli hominum conceſſo, fingebant: ita pretioſiſſimus Chriſti cruor Diuos tantum exatiat: aduertant omnes, quanto, quos Deus diligit, habeatq; in pretio. Demum quemadmodũ nectar, vt Athenæus tradit, modo potus eſt, modo cibus; nam ſecundum Homerum bibitur, ſecundum Alexandridem editur: ita pariter Chriſti Ieſu pretioſiſſimus ſanguis, potus eſt, & cibus; manducatur, & bibitur; quia corpus ſecum habet ſanctiſſimum, quod a bibentibus eum manducatur. Nectar deificum eſt.

*Io. 6. 55.* — *Athen. lib. 2. c. 1.*

3 Iudæorum populus iter per deſertum agens, in quo quia nulli erant latices, quos potarent itinerantes, ſitimque ſedarent; contra Moyſen ductorem ſuum conquerentes inſurrexerunt. Quibus ille: *Quid iurgamini*, inquit, *contra me? quid tentatis Dominum?* Velut ſi diceret: Qua fronte, qua ratione cõcupiſcitis aquã; cum nulla vos bibendi neceſſitas, nulla ſitis aſtringat, vt aquam extorqueatis à Deo? His verbis inferre volebat potibus eos redundare, eorumque petitionem irrationabilẽ eſſe. Sed vnde potum habebãt in deſerto Raphidim, *Vbi*, vt Moyſes ipſe teſtatur, *non erat aqua ad bibendum populo?* Et quare eorum irrationalis erat petitio: cum rem vitæ neceſſariam, ſine qua homines exuſti miſerrimè pereũt, quãque non habebant, inquirerẽt? Audi Oleaſtrum, quid dicat: *Ex Hebræis aliqui putant temeritate potiùs quadam, quàm labore ſitis, aquas deſideraſſe; quod videlicet man ſimul eſcam, & potũ ſuppleret.* Quamquam regio illa inaquoſa eſſet, & arida; quia tamen manna, quod cibum, & potum ſuppeditabat, potiebantur, temere, & irrationabiliter aquas, cum abundarent potibus, inquirebant. Hãc autem prærogatiuam nactum eſt manna, ad præſignandum, quod euchariſticum ſacrum, cuius typum gerebat, conſecratum ſub ſpecie panis, non modo cibus, ſed & potus,

*Exod. 17. 2.* — *Ibid.* — *Oleaſtr. ibid.*

eſt;

eſt; Chriſti carnem habens ex vi verborum, & ex concomitantia diuiniſſimum ſanguinem. Quare cum Hebræis obiurgandi, plectēdique ſunt laici, ſi dum ipſi ſub vna tantum, Sacerdotes verò ſub vtraque ſpecie, Chriſti ſacra percipiunt, Sacerdotibus coęquari petierint: talis namque petitio ſuperuacanea foret, imò nimium audax, & temeraria; cum habeant manna, quod cibum ſimul miniſtrat, & potum.

4 Venuſtè Clemens Alexandrinus Chriſtum Ieſum mammillam Patris appellat. *Qui in Deum*, inquit, *credidimus, ad mammillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit, nēpe Verbum, confugimus*. Ex qua quidem mammilla Crucis prælo ſubiecta, lac eucharīſticum expreſſum eſt, quo dotata S. Mater Eccleſia alio lacte non eget ad ſuos filios educandos: quapropter in Canticis dicitur vbera nō habere. *Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet*: nam: vt idem ait, *Ideo lac non habet, quod lac eſſet hic infantulus pulcher, & appoſitus, ſcilicet Corpus Chriſti.* Quorsū verò Corpus Chriſti dicitur lac? Vel, quia dulciſſimum eſt, ac delicatiſſimū, vtpote quod præbeat delicias Regibus: vel quia candidiſsimum, cū ſit candor lucis æternæ. Vel demū quia quemadmodum lac infantibus cibus, & potus eſt; ſic & corpus dominicum ſub ſenſibilibus panis vtrumque præſtat communicanti; eſcam, nimirum carnem; & potum, nimirum ſanguinem, quem concomitanter includit.

*Clem. Alex. lib. 1. c. 6. Pedag.*

*Cant. 8. 8*

*Clem. Alex. ibid.*

5 Obſerua, quòd Chriſtus cum turbis Hebręorum de ſacri eucharīſtici diſſerens veritate, ſe panem vitæ vocauit. *Ego*, inquit, *ſum panis vitæ*. Ac ſi diceret. Qui concupiſcit viuere, oditque mortem, ad me feſtinet, ſeque corporis mei pane reficiat. Tali enim edulio ſic ſibi vitam aſcribit, vt in æternum interire non valeat. Peto à te Domine Deus meus: Cum ità cibus ad vitam neceſſarius ſit prorogandam, vt potus negligendus non ſit, quippe cuius defectu non minus, quam cibi, plurimos perijſſe conſtat; quare te cibum tantummodo prædicas, panemque dicis; minimè verò potū; ſi, vt coram omnibus ais, noſtrā prorogas, imò perpetuas, vitam? Sanè, cum ſe Dominus vitæ panem appellat, rem omnem innuit victui neceſſariā, neque ſe ſolum cibum, ſed cibum ſimul profitetur, & potū. *Cum tantum dixiſſet*, inquit Iāſenius, *ſe eſſe panem vitæ, non autem potum; declarat tamen ſe, non tantum tollere famem, ſed* Io. 6. 48.

*Ianſen. Concord. Euang. c. 56.*

*etiam ſitim. Vt intelligamus, ea, quæ ſunt diuiſa in alimentis corporalibus, vnita eſſe in alimẽto ſpirituali, nec eßc hic eam alimentorum diſtinctionem; ſed panem vitæ ſecum afferre plenam ſatietatem.* Tametſi in alimentis corporalibus vnum non ſuppleat defectum alterius: nam nec cibus eſt potus, nec potus eſt cibus, nec panis bibitur, quemadmodum editur, nec vinum editur, quemadmodum bibitur. Attamen in alimento ſpirituali, in pane ſcilicet Corporis Chriſti, ſe res aliter habet: hic enim panis eſt cibus, & potus; ſicque cõuiuas cibat, vt & potum eis exhibeat.

6 Ad ſalutares fontis eucharistici latices Iſaias ſitibũdos

*Iſa.* 55. 1. dos inuitans. *Omnes*, inquit, *ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite, & comedite.* Pro eo, quod Vul-

*Sãct. ibid.* gatus habet *Emite*, transferũt alij apud Sanctium *Frangite*. Sed dum Vates inuitat ad aquas, quomodo, *Frangite*, ait, *& comedite?* Quiſnam vnquã aquam frãgi vidit, & comedi? Non aqua, ſed panis, frangitur, & comeditur. Iis autem non obſtãtibus rectè ad aquas inuitãs, *Frãgite*, ait, *& comedite.* Agit enim de ſanguine Domini ſub accidentibus vini, quod idcircò dicitur frangi, & comedi; quia non ſolùm potus, ſed & cibus eſt; non modo potatur, ſed & comeditur

*Mirum in modum*, ait D. Hie- *D. Hier. ibid.*
ronymus, *quod nõ bibunt aquas, ſed comedũt; ipſe enim, & aqua, & panis eſt, qui de cœlo deſcendit.*

7 Vbi Dominus Ieſus panis conſecrationem peregit, cœlicemque cõſecraturus accepit, hæc ait: *Hic eſt ſanguis* *Matt.* 26. 28.
*meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Vbi, vt vides, ſalutare, & myſticum poculum ſanguinem appellauit. Cur potiùs ſanguinem, quàm cruorem, cum cruor, & ſanguis ſynonima ſint, humoremque eũdem vitæ principaliorem ſignificantia? Quamuis ſynonima ſint: diſsident tamen in eo, quòd ſanguis in corpore, cruor verò extra corpus eſt. *Inter* *D. Iſid. li.* 1. *Diff.* 2 *& litt. S.* 529.
*ſanguinem, & cruorem hoc intereſt*, ait Iſidorus, *quod ſanguis dicitur quod intra corpus eſt, quod nos ſanciat, ideſt contineat.* Et iterum alibi. *Sanguis eſt, dũ in corpore manet; effuſus verò cruor fit.* Quia verò Chriſti ſanguis, quem potamus in calice, non extra corpus, ſed cum illo, & in illo eſt, ſanguis, non cruor, dicitur. *Hic eſt ſanguis:* Calix enim Euchariſticus non modo bibenda, ſed & exhibet comedenda.

8 Vt cœleſtis illius doni, quod præ nimio dulcore, ſuauita-

uitateque, manna dixerunt, Hebræorum plebi monumentum extaret, perpetuò duraturum, in phiala illud reponendum, & aſſeruandum in arca, Aarō ex mādato Domini Moyſes frater iniūxit. Pro eo autem, quod Vulgatus habet, *Dixit Moyſes ad Aaron. Sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras,* transfert Pagninus. *Tolle phialam vnam,* Chaldaica verò Paraphraſis *Tolle laguncula vnā:* pretereo Ambroſium dicentē *Dolium habens manna,* in arca fuiſſe. Ex quibus locis manna in phiala, in laguncula, & in dolio conſeruatum habes. Cum autem manna cibus, & panis fuerit, non potus, & vinum, quo pacto in phiala, in laguncula, & in dolio ſeruatū eſt, in quibus vinum conſuetum eſt cuſtodiri? Eo quia, vt toties repetitum eſt, ac multoties iterum repetendū, Hebræorum manna Corpus Saluatoris ſub panis ſpecie conditum figurabat; quod, quia concomitanter habet & ſanguinem, in dolio condi, in laguncula, & in phiala, quæ ſunt vaſa vinaria, deſignatur. Vt per hoc menſę Chriſti nouam, & admirabilem proprietatem attendas, quæ panem apponit, qui cibum, & potum; vinū fundit, quod potum, & cibum, exhibet conuiuantibus.

Ex. 16. 33 · Transl. Pagn. · Paraph. Chald. · D. Ambr. lib. 8. ep. 60.

9 Hoc oſtenſum legimus impijſſimo Sacerdoti, hæreticæ prauitatis aſſeclæ: qui dum ſacrum incredulus faceret, & hoſtiam ex more, antequam Dominicam legeret orationē; ſuper calicem eleuaret: viſum eſt ex hoſtia ſacrum ſanguinē fluere, calicemque replere; exq; calice in corporale deſcēdere; *Et cum gutta tangebat corporale, ibi fiebat figura vnius hoſtiæ: vnde totum illud corporale plenum erat hoſtijs*, recenſet Ferrarienſis. Hoc miro motus Vrbanus Quintus ſacri Corporis Chriſti feſtum inſtituit, proceſsionemque ordinauit. Vides ex ſacra hoſtia ſanguinem haberi, exq; ſanguine hoſtiam? Ni Chriſti corpus ſanguinem, ſanguinemq; corpus haberet, minimè quidem vnū alterum proferret.

Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcond. lib. 3.

10 Habemus ex Apoſtolo Chriſti ſanguinem loqui, *Melius loquentem, quam ſanguis Abel.* Eſt qui dicat; Quid eſt quod loquitur? *Sanguis Chriſti ī Cruce clamat ſtupor, ſtupor;* ſcribit idē Ferrarienſis. Quia vero ſtupor admirationis eſt ſpecies, & magnitudine miraculi proueniens; qualia Chriſti ſāguis continet mirabilia? Nūquam vidi ſanguinem ſordes lauantem; abſtergentemque hic lauat, abſtergit, dealbat.

Hebr. 12. 24. · Barth. Ferrar. de Criſto Abſc.

Di-

Apoc.1.5 *Dilexit nos, & lauit nos in ſanguine ſuo*: clamat Ioannes Apoſtolus. Cui, cum turbam dealbatam vidiſſet, dictum eſt: Ibi.7.14. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Nunquam vidi ſanguinem, vt vinum inebriare: hic autē inebriat, & inconſuetè inebriat. Inebriat ex Pſalmographo: *Calix meus inebriãs quam præclarus eſt.* Pſ.22. Inconſuetè inebriat; conuiuam enim caſtum, & cōtinentem nō libidinoſum efficit, Zach.9.17. *Vinum* eſt *germinans Virgines.* Demum ſanguis tantummodo bibitur; hic autem bibitur, & comeditur, potum, cibumq; prębet, ſitim & famem explet.

## THEOREMA VII.

### Super aquam refectionis.

*Sacra Euchariſtia contemplantium eſca.*

QVisnam ignorat diuinarum rerum contemplationem, meditationemque magnam animarū eſſe refectionem laborātium, ac decertantium in agone virtutis? Non ſecus, ac in medio maris, fluctibus agitata, ventis impulſa, procellis expoſita, tempeſtatibus obuia, propeque interitum, eſt anima, dum in hoc mundo laborat: perinde.n. angitur, affligitur, vt actum eſſet de ea, ſi Deus illi contemplationis portum non conſtruxiſſet: vbi Sponſi ſui charitatem, pietatē, cæteraque dona proſpiciens, ſic deliciatur, & gaudet, oblectatur, & iubilat, vt priorum laborum fiat prorſus immemor. Quare ſi contemplatio eſt refectio, dum Pſaltes *ſuper aquam*, inquit, *refectionis educauit me*, Euchariſtiam contēplantium, mētiſque refectioni incumbentium, cibum eſſe ſignificat: ea enim contemplatiui, diuiniſque meditationibus dediti, dignius perfruuntur.

1 Nidificātes aquilæ (phyſici referunt) lapidem, quem Hieronymus, *Amethyſtum*, Albertus, *Gagatem*, alij *Eſitem*, alij verò *Eſchitem* appellant, in nido recondunt. Lapis eſt prægnans, aquilarum oua viuificandi vim habens; vt ait idē Albertus. Non errabit, qui lapidem hūc exprimere Euchariſtiam dixerit, quæ prægnans eſt; Chriſtum enim continet lapidem angularem, & ſine qua homo viuificari nō poteſt, nec vtraq; vita, qua cœlicolæ viuunt, potiri. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ait Veri- Io.6.54.

tas. Verum aduerte lapillum hunc pretioſiſsimum, nulliſue opibus comparandum, non in foueis leonum, pardorum, leporum, cuniculorum, aliorūque terreſtrium; nec in nidis aliarum auium inueniri, ſed aquilarum ſolummodo: volatilium omnium altius euolantium, ſeque prope ſtellas recipiētium. Quorſum hoc? Quoniam aquilæ, vtpote quæ in tantam celſitudinem efferuntur, vt ab humanis obtutibus euaneſcant; eoque viſus præualent acumine, vt ſolę ſolem in rota valeant intueri, vnde ait Albertus: *Aquila ab acumine viſus dicitur: omniq; enim aquila viget acumine viſus, ita, vt ſolem in rota poſſit aſpicere*, contemplatiuorum præferunt hyeroglificum: qui mundi rebus neglectis, perinde in cœlum, & ſupra ſeſe efferunt, vt cœli potius, quàm terræ, incolæ cenſeantur. Sacrum Euchariſticum, Eſchites eſt, in aquilarū nidis inuenitur, imas aliorum negligit ſedes, contēplatiuorum eſt cibus. *Chriſtus* ait Ioannes de S. Geminiano, *ſub cibo Sacramentali contentus, ſimilis eſt illi lapidi, qui dicitur Eſchites, qui inuenitur in cordibus aquilarum, ideſt contemplatiuorum.* Huc ſpectat illud Domini: *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ.* Et illud Chryſoſtomi toties repetitum. *Aquilarum eſt hæc menſa non graculorum.*

*Alb. Magn. de Animal. li. 23*

*Ioa. de S. Gemin. li. 2. c. 11.*

*D. Chryſoſt.*

2 Quęret ſolertior aliquis, quare Domin⁹, nō in prādio, ſed in cœna Sacrum ſuū inſtituere, eoque Apoſtolos enutriri voluerit? *Cœnantibus*, non prandentibus illis, ait Matthæus, *accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit.* Quid nam maius cœna, quod prandium non habet, Euchariſtiæ confert, vt ea hoc dignum non fuerit, illa promerita ſit? Cōgrua quidem, ac pulchra petitio: ſed æquè placebit reſponſio. Quia non prandium, ſed cœnam, ſomnus ſubſequitur; non poſt prandium, quod mane proponitur, & poſt quod noſtris incumbimus agibilibus: ſed poſt cœnam, quæ ſero ſterni ſolet, dormitum acceditur. Somnus autem, vt cunctis patet, contemplationis eſt ſymbolum. Nam, ſicut, cùm dormit homo, eius colliguntur ſenſus, corporis exteriora frigeſcunt, interiora caleſcunt, ſolaque mentis, quamuis imperfecta, remanet operatio. Sic & in contemplatione humani colligantur, & impediuntur ſenſus, fitque quodammodo inſenſibilis homo; nam cœlo, Deoque raptus, nec ſapit, nec ſentit aliquid de terrenis: calor item chari-

*Matth. 26 26.*

tatis ad interiora redactus, frigeſcere facit externa; nam pro rebus, quæ animæ proſunt, adipiſcendis, ſic feruet, & ardet, vt ad externorum curam frigidus, & inſenſibilis reputetur: menſque ſola ſpeculatur diuinarum rerum inſpectrix. Quia verò Dominus Euchariſtiam fecit, vt eſſet contemplatiuorum refectio; noluit eam inſtituere, ſuoſque communicare poſt prandium; ſed poſt cænam, cum ſomnus imminet. Vt ex hoc perſpicuum fiat, ſacra Chriſti myſteria nulli pro dignitate præberi, qui poſt eſum eius cōtemplationibus, ac diuinarum rerum meditationibus non incumbunt. Quocirca ait Hugo. *Cænam iſtam debemus ſumere in tali veſpere, & poſtea ad ſomnum orationis, & contemplationis ire, non ad locutiones, & diſſolutiones.*

*Hugo Cardin. in c. 13. Ioan.*

3 Huic loco opportunè Apocalypſis expendendus eſt locus, vbi Ioannes Angelum vidit ſtantem in orbe ſolis, aueſque ad Euchariſtiam aduocantem. *Vidi vnum Angelum*, inquit, *ſtantem in ſole; & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cænam magni Dei*. Obſerua ſolas aues ex omni animantium cœtu ad cœnam euchariſticam inuitari. Dices autem: cum panis Angelorum, ob immenſam Dei bonitatem, animantium fieri dignatus eſt panis, quid eſt, quod ad eum vnà cum volatilibus non inuitantur & bruta? Eo quia inquam, vt ait Petrus Bercorius, *Aues ſatiatæ incipiunt cantare; ſed bruta incipiunt dormire*. Dominus quidem Ieſus ſolis contemplatiuis cęnam ſuam appoſuit, idcirco per Angelum ſuum ſolas aues aduocat ad cœnandum: quæ, quia poſt cibum canere conſueſcunt, contemplatiuos deſignant, qui poſt ſanctam, & myſticam refectionem orationi, meditationi, ac actioni gratiarum incumbunt: non ſomno, (ſomnum hic propriè ſume, non metaphoricè vt ſupra) torpori, & otio. Vt multi ſunt, qui minimè aduertentes quale donum è ſacro altari, quāue magnum hoſpitem intra ſua caſtra ſuſceperint, inſenſibiles, & velut dormientes exiſtunt; ſanctas voces eius non audiunt; dulcorem, quem affert, non deguſtant; lenitatem, quam perhibet, non ſentiunt; odorem, apud quē Sanctorum animæ currunt, non olfaciunt; os denique ſuum minimè ad Deum collaudandum fatiſcunt, factorem tanti edulij, & largitorem.

*Apoc. 19. 17.*

*Bercor. Red. Mor. lib. 7. c. 1. n. 14.*

rem. Horum brutorum, dormientium poſt cibum, non eſt ſacra menſa; ſed auium cantantium, contemplantium, & laudantium Deum.

4 Chriſtum Regem in excelſo quodam, ac ſupereleuato ſolio ſedentem Iſaias vidiſse ſe meminit, *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſoliũ excelſum, & eleuatum.* Suauis, & expetenda viſio, *Quam multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt.* Domini verba ſunt. Nos autem ea clementiſſimus Deus non cenſet indignos, quibus in altaris ſolio quotidie dilectum Filium intuendum exponit. Altare ſolium eleuatum, & excelſum eſt; *Altare* enim dicitur quaſi *Alta res.* Aduerte verò Dominum Ieſum non, niſi in locis excelſis, & eleuatis, vt ſolia ſunt, intueri. Nam, ſi regnat in cœlo, ſupra Seraphim eleuato ſedet in ſolio: ſi in terram deſcendit, ſolium virginalis vteri, cœlis excelſius ſibi aſciſcit: ſi turbas inſtruit, montem aſcendit; aſcendit & montem, vt pulchritudinis ſuæ lumen oſtenderet: ſi deniq; moritur, eleuatur in ſolio Crucis, vt neque mortuus in loco non excelſo, & non eleuato reſideat. Quid plura? ſacras reuolue paginas, & non, niſi

*Iſa. 6. 1.*

*Luc. 10. 24.*

in excelſis, & eleuatis ſedibus eum proſpicies. Quid hoc denotat? Neminem Deum ex dignitate, denotat, recepturum, ex altari præſertim, qui ſolium non ſit excelſum, & eleuatum. *In illis,* inquit Richardus à S. Laurentio, *ſed & Chriſtus, & quieſcit, qui ſunt quaſi ſolium, & thronus, eleuati ſcilicet, & ſuſpenſi ab amore mundi, quorum conuerſatio eſt in cœlis.* Chriſtus in eis ſolum moratur, qui ſolia ſunt, qui in contemplatione rerum diuinarum elati ſunt, & ſuſpenſi; ac proprius in cœlo, quà mens peruagatur; quàm in terra, vbi caro iacet, eſſe dicũtur. Solia quærit, ſolijs gaudet, in ſolijs reſidet: ac ſicuti eleuatas, excelſas, ac ſupra ſe erectas diligit mentes, & eligit; ità terrenis rebus affixas odit, & reprobat. *Non enim,* ait D. Ambroſius, *in abiecto corde habitat Deus; ſed ſicut tradiderunt nobis Prophetæ, Thronus virtutis exaltatus eſt.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. li. 10.*

*D. Amb. lib. 8. in Luc.*

5 Nunc ad Pſalmiſtam noſtrum accedamus, qui euchariſticum ſacrum panem Angelorum vocauit. *Panem Angelorum manducauit homo.* Pariterque aduertamus, quod non ait: Panem Angelorum manducauit Leo, Bos, Equus, aut aliquod

*Pſ. 77. 25*

aliud

aliud brutum; ſed homo, *Manducauit homo*. Neque putes hoc verbo Pſaltem à comeſtione ſacri panis excludere bruta, & iumẽta, rõis expertia, voluiſſe: (quid enim corpori Domini, brutiſque animantibus?) Sed homines illos ità humanitatis oblitos, brutiſque propinquos, vt minimè homines cenſeantur. Is homo eſt, qui ſupra terram erectus, contemplationi ſui Creatoris inuigilat. Quod ex nominis etymo, quo homo Græco ſermone dicitur, Iſidorus doctè deducit. *Græci, inquit, hominem Antropos appellauerunt eo, quod ſurſum ſpectet, ſubleuatus ab humo ad contemplationẽ artificis ſui*. Qui verò terræ ſunt obuoluti, terreniſque rebus affixi, non hominis, ſed iumenta cenſenda ſunt; quos Propheta, dum canit, *Panem Angelorum manducauit homo* apertiſſimè à ſacra menſa ſecludit: ſolis hominibus, ijs ſcilicet qui diuinarum rerum addicti ſunt contemplationi, propoſita. Contemplantium cibus eſt Euchariſtia, non iumentorum humo adhærentiũ.

*D. Iſidor. lib. 11. c. 1. etym.*

6 Semen illud magnum, quod alarum magnarũ aquila *Poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud; cumque germinaſſet, creuit in vineam*, Chriſtus Ieſus eſt: eum enim aquila grãdis, nempe Deus Pater, in terram vteri virginalis, vt fieret homo, demiſit; quod in fine vitæ creuit in vineam, cùm ſub formis vini pretioſiſſimum ſanguinem Diſcipulis potandum præſtitit. Aduerte verò, quod vbi Vulgatus habet *In ſuperficie poſuit illud*, vertunt Hebræi *In ſalice poſuit illud*. Ac ſi diceret: Ex vniuerſis terræ arboribus tantum bonum ſola ſalix digna fuit excipere. Cur ſola ſalix, & non aliæ arbores? Quia *ſalix*, vt Iſidorus affirmat, *dicta eſt eo quod celeriter ſaliat*: quapropter contemplãtium hyeroglificum gerit, qui ſemper ſaliunt; nullaque dies eſt, qua in corde ſuo nõ diſponant aſcenſiones: vnde conuerſationem eorum, non in terra, ſed in cœlo, legimus eſſe. Vt itaque compertum habeas, in ſolis contemplantium cordibus ſacra reponi miſteria, poni refertur in ſalice. *In ſalice poſuit illud*.

*Ezech. 17 5.*

*Transl. Hebræor.*

*D. Iſid. etym. lib. 17. c. 7.*

7 Fideliũ conſuetudo, qua, dum ſalutaris immolatur Hoſtia, vel põposè in altari adoranda, & oranda proponitur, muſicis inſtrumentis vtuntur, laudabilis admodum eſt, & commendabilis. Si rationem efflagitas, ex eo inquam; quia, dum fideles ſacrum circundãt altare, quemadmodum cõuenientiſſimum eſt corda ſurſum

eri-

erigere, ſic abſurdiſſimũ per iмas, caducaſque res, animo circumuagare: muſica verò perinde mentes eorum è terris eleuat, vt in cœlũ rapiat, transferatque. Hoc & Ethnici cognouerunt, dum in Sacris muſicam adhibebant: de quibus Natalis Comes *Illud efficere, putabantur vt tibijs vterentur in Sacris, quo animi præſentium hominum diuerterentur à priuatis cogitationibus ad Deorum immortalium reuerentiam: quia neſcio quid diuinum imprimit animis noſtris vis muſica.* Et D. Chryſoſtomus Citharam Dauid commendans, eleganti, &, quo ſolet, aurato ſtylò proſequitur. *Nihil enim,* inquit, *animam erigit, & alatam quodãmodo efficit, & à terra liberat, & exoluit à vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit; & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, vt verſus modulatus, & diuinum canticũ numero compoſitum.* Hactenus ipſe. De D. Elzeario fertur, quod, cum miro quodam exceſſu in Deũ raperetur ex muſica, ne ſpiritu in Deum abſorpto collaberetur, formidabat ab eo ſponſa modulationes muſices exaudiri. Quia igitur cœlicum Sacrum cœlica corda expetit, & excelſa; terrena deſpicit, & demiſſa; inſtitutum eſt à fidelibus, vt dum fit, ac ſacræ menſæ comedendũ apponitur, concinant muſici, dulcique circunſtantium aures ſono demulciant; mentes à terra eleuent, cordaque ad magnum hoſpitem recipiẽdum, qui excelſa colit, & eleuata, diſponant.

*Natal. Cõ. Mythol. lib. 1. cap. 1.*

*D. Chryſoſt. in Pſal. 41.*

8 Si Ezechiæ maieſtatem, vbi longæuioris vitæ promiſſionem accepit, inuiſendum iuiſſes, hæc inter alia Deo in gratiarum actionem verba proferentem audiſſes. *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo.* Fortè ſi quæris, ad quid clamat hirũdinis pullus; & quare non clamabo, ait, vt pullus turturis, columbæ, anſeris, vel alterius auis? Recentior quidam huncmetipſum locum explanans, tuæ curioſitati ſatisfacit: Ait enim hirundinis pullum magnis cibum ſuum eſurire clamoribus, famemque magnis ſignificationibus demonſtrare. Ezechias igitur, dum ſe vt pullum hirundinis clamaturũ prædicat, famelici perſonam induit, Euchariſtiam flagitantis. Sic enim Deo gratias pro longæuitate promiſſa ſat ſe agere reputat; vt eius prçeceſſor Dauid, gratias Deo referre pro donis illi conceſſis, ſacri ſumptione calicis, reputauerat. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.* Videndum ſupereſt, cur vt hirundinem,

*Iſa. 38. 14.*

*Sanct. ibid.*

*Pſal. 115. 4.*

non

non alterius generis auē, Euchariſtiam ſe accepturū promittat? Ideo inquam; quia Euchariſtiam contemplantiū cibum eſſe ſciebat, quorum hirundines præferunt hyeroglificum: Haud enim in imis, depreſſiſque locis ſuum ipſæ quærunt comeduntq; cibum; ſed, vt ait Albertus, *Volando cibum colligunt in aere obuiantem*. Quod verbo ſequenti, *Et meditabor*, enucleatiùs explicat. Hirundinem te eſſe oportet, è terra ſurgere, perq; aera ferri, contemplationibus abdicari, vt Euchariſtiam ſumas, quæ non, niſi à volante dignè percipitur.

Alb. Mag.

9 Quę in Pſalmo vigeſimoprimo Dauid Propheta deſcripſit, *Sicut aqua effuſus ſum*, verba Chriſti ſunt; querentis, dolentiſque, ſe e mundi amatorum cordibus, mox, vt excipitur, aquæ inſtar effundi. Si curioſiùs rogas; vnde eſt, quod iſtorum corda mox, vt Chriſtum excipiunt, eū velut aquā effundant? Ratio, vt ait, Sapiens, eſt; quia *Cor fatui quaſi vas confractum*. Tantis agitantur curis, franguntur ſollicitudinibus, patent cogitationibus, vt eorum corda vaſis confracti præſeferāt effigiem; quapropter Euchariſtiam, de qua ſub aquæ typo locutum eſt hactenus, continere non poſſunt, vt non effundant, imò potiùs expellant. *Effundunt*, inquit, Cardinalis Iorgius, *aquam iſtam cupidi, & auari, quorum cor eſt vas huius receptiuū, quod varijs curis diſtrahitur, & quaſi in multas particulas comminuitur*. Ad aquam euchariſticam recipiendam, & retinendam cor illud aptum, & opportunum eſt vas, quod perinde cogitationibus mūdi ſolidatur, & clauditur, vt ſoli Deo pateat, Deum ſolum admittat. Tale eſt ſolummodo meditationibus, & cōtemplationibus deditum.

Pſal. 21. 15.

Eccli. 21. 17.

Car. Iorg. ibid.

10 Quod gens Hebræorum tam largos latices, ex petra defluentes, ebiberint; te, dum ex Chriſto ſacra ſugis libamina, figurauit. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*, inquit Apoſtolus. Quā præclara, quam excelſa ſit, & pretioſa hæc petra, quam, vt in te fons ſit, in vitam æternam ſaliens, excipis ex altari, tecū velim expendas. Illud nunc de ea ſimul examinabimus, quod citharœdus Propheta decantat, *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. Velut ſi diceret. Lapis hic pretioſus ima ſpernit loca; excelſa quærit, & alta; fundamenta deſpicit, cacumina ſectatur, & diligit. Quod, vt refert Comeſtor, in nobiliſſima Salomonici templi ſtruc-

1. Corint. 10. 2. 4.

Pſal. 117. 22.

*Petr. Cō. i Ter. Reg. c. 10.* ſtructura præoſtenſum eſt. *Dū conſummaretur ædificium, poſitus eſt lapis in angulo ſuperiori, non ſine grandi omnium admiratione; cum enim ædificantes & in fundamento, & in muro eum locare niterentur, non eſt inuentus locus eius, donec in angulo ſuperiori poſtremus omnium conuenientiſſimè poſitus eſt. Secundum quod prædixerat Dauid: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli.* Hæc ille. Quid aliud eſt Eccleſia noſtra, quàm templum? *2. Corint. 6., 16.* *Vos eſtis templum Dei*, inquit Apoſtolus. Hoc templum ima habet, & ſumma; depreſſa, & alta; fundamenta, & cacumina: depreſſa, & ima dicuntur actiui; ſumma verò, & alta cacumina, contemplationibus deditì. Lapis hic alta quærit, ſumma diligit, cacuminibus gaudet. Vis eo fulgere, decorari, ſplendeſcere? Si fundamētum es depreſſum, & imum; te in ſummum, altūque cacumen transferre ſatage: è terra ſcilicet in cœlum aſſurge, teque toto corde cœleſtis contemplationibus abdica. *Factus in caput anguli.* Sed anguli caput poſuimus. Nunc noui Theorematis lapides iaciamus.

## THEOREMA VIII.

### Educauit me.

***Puriſſimum Chriſti lac ſoli pueri exugunt.***

DVM ſe Pſaltes Chriſti cibo educatum effert, & prædicat *Educauit me*, puerum agit: non enim viros, ſed pueros educatio decet. *Educauit me*, inquit Gloſſa cum Magiſtro ſententiarum, *paulatim vt pueros.* Vt per hoc daret intelligi lacte Corporis Chriſti ſolos pueros enutriendos. Hinc ſcitè D. Ambroſius per fontē ebullientem in Paradiſo Sapientiam Dei Chriſtum intelligit. *Fons dicitur Sapientia Dei: fons eſt enim ſecundum Euangelium dicens: Si quis ſitit, veniat ad me.* Quod mox ad ipſummet Chriſtum, quatenus in Sacramento comeditur, & potatur, perſtringens; ſubnectit. *Fons eſt & ſecundū Prophetam, qui ait: Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinū, quod miſcui vobis.* Ex eo autē, quod ex fonte Paradiſi inter reliquos, fluuius Philō dictus, emanat, quod Latinè *Os pupillæ* traducitur, Dominum ſub eſibilibus formis contentum, matrem noſtram eſſe ne dubites, quæ, *Vbere de cœlo pleno*, pupillæ ſuæ os in os noſtrum immittat, vt nos ſacro lacte reficiat. Hinc nobis per Chryſoſtomum ait: *Parentes quidem alijs filios tradūt alendos;*

*Gloſſ. in Pſal. 22. Mag. Sēt. ibid. D. Amb. de Parad. cap. 3. D. Chryſoſt. Homi. 61. ad Pop.*

*dos; ego autem non ità; ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono*. Sed, cum ſacra Euchariſtia panis ſit, ſub ſenſibilibus panis appoſita, quare dicitur vber, ſiue os pupillæ, quæ non panem habet, ſed lac? Vt detur intelligi, quod, quemadmodũ vbera ſolis infantibus affluũt, adultis arent: ſic diuiniſſimũ Sacrum ſolis pueris, ſimplicibuſque porrigitur: ijs verò, qui infantiles prætergreſſi sũt mores, penitus denegatur. Ità Richardus de S. Laurentio de hoc vbere tractans. *De eo*, inquit, *nutritur infantia ſpiritualis, de quo non hauriunt barbati, ſed pueri, & amatores puritatis*.

*Rich. de S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 9.*

2 Mirabilem Dei noſtri, nec vnquam ſatis laudabilem prouidentiã, qua nos, dum in hoc mundo ſumus, Euchariſtia nutrit, mirabatur Propheta, cum diceret. *Qui dat eſcam iumentis ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*: eſcæ enim nomine, vt ſæpe ſolitus erat, Euchariſtiam indicauit. *Eſcam dedit timentibus ſe*, ait alibi de eademmet diſſerens. Nec abſre, prout diceret: *Eſcam dedit hominibus*, dixit *Iumentis*: nam, vt ait D. Bernardus, *Cibus hominis mutauit ſe in cibum pecoris, homine mutato in pecus*. Subdit autem: *Et pullis coruorum inuocantibus eum*. Quare inquam non coruis, ſed coruorum pullis ait exhibitam? *Nulla alia auis*, inquit Hieronymus, *nuncupatur, niſi pulli coruorum; & non ipſi corui, ſed pulli coruorum*. Eo quia non adultis, & grandibus; ſed pueris, & infantibus eſt appoſita, puris nimirum, ſanctis, & immaculatis: in quibus perinde puritatis candor eluceat, vt longè ſint à nigredine, qua ob peccatum inficimur. Meminit D. Gregorius vulgaris opinionis, quod coruus editis pullis, *Eſcam præbere diſſimulat, priuſquam plumeſcendo nigreſcant*. Albeſcunt enim corui, dum pulli ſunt. Ex quo tibi clariùs liquet, quare Deus non coruis, ſed pullis coruorum præbeat Euchariſtiam. Quia nimirum ea nullo pacto peccatorum nigredine fœdatis apponitur; ſed ſimplicitate candidis, puritate albis, innocentia nitidis. Pullorum eſt eſca, puerorum lac, innocentium cibus.

*Pſal. 146. 9.* — *Pſ. 110. 5* — *D. Bern. apud Rich. ibid. lib. 12.* — *D. Hieronym. in Pſal. 146* — *D. Greg. Mor. lib. 30. c. 8.*

3 Et ſi cœlorum Regina, Sãctiſſima Dei genitrix Virgo, ob ſanctum, quem edidit, partum, nullis, vt reliquæ matres, fœdata fuerit ſordibus; quia tamen humilitatem apprimè colebat, purgari ſibi, ac purificari complacuit. *Poſtquam*, ait ſacer Chroniſta, *impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum*

*Luc. 2. 22.*

*ſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eũ Domino: & vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Huius loci, quæ nobis argumentum ſuppeditant, poſtrema ſunt: quod ſcilicet Beatiſſima Virgo, non columbas, ſed pullos obtulit columbarum. Quod, vt ait Oleaſter, Deus legis mandato ſanciuerat: *Quoniam in columbis videtur filius matre melior ad eſum.* Aeſtimat hic Doctor oblationes veteris legis, & ſacrificia *Fuiſſe prandia, & cœnas Domini*, velut ſi Dominus illis, quemadmodum nos, veſceretur. Sanè oportebat Deo puriores, & delicatiores eſcas apponere. Quia verò columbæ, vtpote voluptatibus indulgentes à puritate deficiunt, earũ pullos, ab omni ſorde ſemotos, iuſſum eſt offeri. *Quia*, inquit Bernardus, *columba libidinoſa auis eſt, non decuit offerre eam in ſacrificium Domini, niſi in ea ætate, qua neſciunt libidinem.* Quid autem (inquies) hæc ad Euchariſtiam, in qua non nos Deus, ſed Deum nos manducamus? Si dum ad ſacrum altare Deum eſurus accedis, comeſtionem hanc, qua decet, diligentia trutines, potius te à Chriſto, quàm à te Chriſtum ſenties manducari. Nam quemadmodum dum comedimus, non comedens in cibum, ſed cibus in comedentem, cõuertitur: ſic dũ cõmunicamus, in Chriſtũ velut in comedentẽ, vt dictum eſt Auguſtino, conuertimur. Quia ergo ſacra participantes, pabulum Chriſti ſumus, non immeritò pulli eſſe debemus ac pueri; vtpote ab eo, qui non, niſi puros, & immaculatos, comedit, comedendi.

Oleaſt. in cap. 1. Leuit.
D. Bern. ſer. 59. in Cant.
D. Aug. lib. 7. c. 10. Confeſſ.

4 Exploratum eſt, panem Abrahæ à Melchiſedech Sacerdote propoſitum, principaliorem, expreſſioremque fuiſſe Sacri Euchariſtici typum. *In Sacerdote Melchiſedech*, ait Cyprianus, *ſacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus.* Sed vnde eſt, quod Abrahæ potius, quàm Iſaac, Iacob, alteriue Dei amico, chariſſimoque, propoſita ſit Euchariſtia? Vt ſciant homines, ſic eam decere pueros, vt non, niſi pueris, præbeatur edenda. Abraham enim ſemper puer fuit, ſemper paruulus, ſemper infans, etiam cùm prope obitum eſſet, annoſque ageret centum ſeptuaginta quinque. Vbi Moyſes Abrahæ mortem deſcribens, ait: *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum ſeptuaginta quinque anni, & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona;* inquit Lyranus: *In Hebræo*

D. Cypr. lib. 2. epiſt. 3.
Gen. 25. 7.

po-

Lyran. ibid. *ponuntur numeri diſtincti ſic: centum anni, ſeptuaginta anni, quinque anni.* A quo ſi quæras, quorſum hæc diſtinctio, reſpondet cum Hebræis: *Ad deſignandum, quod Abraham fuit ità mundus à peccato quando fuit centum annorum, & ſeptuaginta; ſicut quando fuit ſolummodo quinque annorum.* Hæc eſt præcipua ratio, qua Dei Sapientia, poſtquam ſibi condidit domum, miſcuit vinum & propoſuit menſam,

Prou.9.3 *Miſit ancillas vt vocarent: Si quis eſt paruulus, veniat ad me:* Euchariſticam enim menſam ſolis paruulis appoſuerat.

5 Lubet hoc loco quærere, qua de re Deus ſuo mandauit Moyſi duos fabrefieri Cherubim, vt hinc inde Arcæ inuiſerentur aſſiſtere? Poterat proculdubio eidem iniungere, vt loco Cherubim, Patriarchas, Prophetas, aut Reges effingeret. Ratio verò eſt; quia illò Deus non, niſi pueros, volebat admitti: Teſte Oleaſtro, aduertunt Hebræorum Rabbini, *Cherub* nomen apud illos ex verbo *Rabiah* proficiſci, *Quod*

Oleaſt. ibid. *puerum ſignificat. Ac ſi dicatur* (adnectit) *ſicut pueri, quod puerorum haberent effigiem.* Quod factum eſt; quia Arca Chriſtum, quatenus futurus erat in Euchariſtia, figurabat; in qua, arcæ inſtar, corporis, & ſanguinis ſui manna reconditur, qua peregrinantes, & properantes ad patriam, quotidie reficiuntur. *Arca Chriſtus eſt,* ait D. Thomas, *qui continet vrnam auream, continentem manna.* D.Thom. in cap.11 Apoc. Hoc autem manna, nimirum Chriſti corpus, & ſanguis, non adultis, & barbatis, ſed pueris, & inſontibus, nec non ad infantilem declinantibus puritatem, apponitur. Idcircò igitur noluit Deus, circum arcam Reges, Prophetas, aut Patriarchas effingi; ſed pueros.

6 Quibus Dei clementia Chriſtum in Euchariſtia, videre permiſſum eſt, ſæpiſſime pueruli formam viſus eſt præferre. Sic tradunt appa- Metaph. in vita S. Arſen. ruiſſe Hugoni de S. Victore: ſenique illi, qui, cum idiota eſſet, & in fide deficiens, panem à Sacerdote conſecratum, non verum Domini corpus, ſed ſignum illius eſſe aſſerebat. Princeps item Vuideindus Carolo Magno ſe in eius caſtris quoſdam vidiſſe dicebat, qui, dum Sacram Synaxim perciperent, de manu purpurati Sacerdotis, pulchellum puerum in os ſuum recipiebant; & illum quidem quibuſdam ludibundum videre, vltro-

que properare; alijs vero vultum abhorrentem auertere. Multa huiuſcemodi alia afferre poſſem exempla; quę, quia apud alios legi poſſunt, teque tædio longa nimis hiſtoriarum ſeries moleſtaret, lubens, libenſque omitto. Quærendum autem, quare Chriſtus, dum ſacrum decorat altare, potius ſub forma pueri, quàm iuuenis, aut ſenis appareat? Dicam cum Guerrico; *Cum veraciter altus ſit, paruulus factus eſt pro nobis, cum ſolis nimirum paruulis concordat iſte paruulus.* Quamquam Dominus Ieſus re omni, quam tellus ſuſtinet, orbeſque cœlorum ambiunt, maior ſit: viſum tamen eſt ei paruulum fieri, ac proſpici, vt ſciamus eum non, niſi cum pueris, & paruulis; cum illis nempe, qui puerorum inſtar labis omnis, culpæ, doliue procul, puri ſunt, concordare. *Cum ſolis nimirum paruulis concordat iſte paruulus.*

*Guerr. ſer. 5. de Natiu. Dom.*

7 Tradit Euangeliſta, Chriſto Domino Ieruſalem prompaticè, vt Regem decet, introituro, Diſcipulos, vt equitaret, aſinæ pullum ſtrauiſſe. *Iactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Ieſum.* Attende, quod tunc temporis pullus, vt alius Euangeliſta meminit, vnà cum matre erat, & fortaſſe non procul à patre: quare Dominus noſter æquè ſuper matrem, vel patrem, ac ſuper pullum eorum poterat inſedere. Quare ergò neglectis illis, ſolum ſibi pullum elegit? Quia ſolis paruulis gaudet, paruulos quærit, paruulis vtitur; negligit, ſpernitque magna, paruipendit ingentia. Neque id ſine magno myſterio factum exiſtima: Quandoquidem quia vt ait Eccleſia. *Nos ſumus aſellus*, præſertim dum Chriſtum è ſacro altari ſuſcipimus. ( *Facti eiuſdem corporis, & ſanguinis Chriſti participes*, ait Cyrillus, *efficimur Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum corporibus noſtris ferentes*, ) erudire nos voluit nequaquam dignè ipſum ex altari ſumpturos, ac circumlaturos, niſi pulli fuerimus: nimirum ſine labe puri, ſine dolo pij, ſine faſtu humiles, ſine fraude ſimplices; puritate pueri, pietate teneri, humilitate parui, ſimplicitate tenues. Hos ipſe ſolos equitare dignatur. Dñ legis Deũ aſcẽdere ſuper Cherubim, ſuper pueros accipe: puerorum effigiem, vt dictum eſt, præferunt Cherubini.

*Luc. 19. 35.*

*D. Cyrill. Hieroſ. Cathec. Miſtag. 4*

*Pſal. 17. 12.*

8 Ioelis nunc ſententia eſt trutinanda, à quo vbi ſep-

Septuaginta ſcriptum legunt, *Joel.2.23 Transl. Septuag.* *Filij Sion gaudete, atque lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis eſcas in iuſtitia,* transfert Vulgatus, *Qui dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*. Quo loco eſca ſimul, & Doctor Euchariſtia dicitur. Et reuera per eam Deus nos cibat, & docet; reficit, & illuminat; paſcuam, & doctrinam impertit. Quid autem docet? Mirabilium ſuorum prodigia, ſuæ mortis myſteria; cœlorumque, cuius eſt pignus, ineffabile gaudium. Ex hoc palam fiet cuius eſt Euchariſtia. Conſueſcunt magiſtri dulcium ciborum vehiculo regios, ingenuoſque pueros, ad primorum elementorum notionem perducere: quibuſdam enim cruſtulis ſaccharo, aut melle cōpoſitis, & ad litterarum formam affabrè ſculptis, vtuntur, quorum ſingula dum eſui dant, elementi nomenclaturā edocent, quod ſingula præferunt. Hinc illud Horatij.

*Hor. lib. 1. ſer. Sat. 1.* *Pueris dant cruſtula blandi*
*Doctores, elementa velint, vt diſcere prima.*

Dum itaq; Deum magiſtrum agere vides, adque noſtram vtilitatem euchariſticum cruſtulum adhibere, illud pro ſolis pueris, ideſt pro illis, qui inſontes, & puri ſunt, inſtitutum agnoſcas. Planè euchariſtico ſaccharo regni ſui myſteria nequaquam impuros, doloſoſque à Deo doceri congruit: pretioſiſsima enim vnguenta puriſſima vaſcula, in quibus aſſeruentur, efflagitant.

9 Nullibi vnquam conſueuit Eccleſia vel ſacrum facere, vel Euchariſtiam plebi adorandam, ac deprecandam, cādelis extinctis, exponere. Vbicunque Chriſti corpus adeſt, ibi fulgent candelabra luminibus, nitent altaria facibus, ſplendeſcunt templa lampadibus. Quod ad puritatem inſinuādam efficit: lumen enim, quod nulla ſorde fędatur, puritatis hyeroglificum eſt. Hinc ſol fons luminis, Phœbus dicitur, quod purus interpretatur, *Phębus appellatur*, ait Plutarchus; *quia quidquid erat perſpicuum, purum, luculentum, hoc nomine veteres appellarunt.* *Plutar. de Pari. Ei.* Nec alia eſt ratio, qua Gentilium cœcitas in Deorum ſuorum ſacrificijs luminibus vteretur. *Adhibebantur lumina in ſacrificijs Deorum cœleſtium, atque per ipſa lumina puritatem ipſorum Deorum demonſtrabant, ad quorum ſacrificia non liceret, niſi puros, accedere.* *Nat. Cō. Myth. li. 1. c. 10.* Scribit Natalis Comes. Si itaque, dum ſacrum conficitur, dum populo oſtenditur, & dum aſſeruatur in tabernaculo, perpetuò lumina nitent: tuæ te puritatis meminiſſe velim; teque puerum,

ac ephębum, nimirum purum, effingere: vt Deum in corde tuo non indignus includas. *Pueri*, ait Iſidorus, *à puritate dicuntur: ij ſunt ephœbi, à Phębo dicti*.

D. Iſid. etym. lib. 1. c. 10.

10 Princeps tandem Apoſtolorum accedit, qui Dominum, triginta trium annorum expleto curriculo, puerum vocat: Prædicans enim Iſraelitis, eoſque de nece Domini, qua ſe conſpurcauerāt, repræhendens, in hæc incidit verba. *Conuenerunt verò in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuū Ieſum, quem vnxiſti.* Vnde eſt, quod talis ætatis hominem, virum ritè dicendum, puerum dicit? Scio pleroſque, vt reſpōdeant, ad Chriſti puritatem recurrere, dicentes tunc temporis ipſum non ſecus, ac puerum, puritate nitere: quare Apoſtolus ſceleſtiſsimos, ac cruentiſſimos arguebat, quí tam purum, tamque ſanctum perfoderint. Optimè quidem. Tu quoque teneritudinem adde, qua eius caro, quamuis annoſa, ac ſi puerilis fuiſset, tactū demulciebat. Hinc æſtimat Gloſſa ipſum à tenerrimo vitulo, Angelis ab Abraham appoſito, figuratum: quippe tunc non modo ſe comedendum, ſed & bibēdum prębuit. Nec immeritò tantam oſtendit teneritudinem, qui carnē ſuam ſolis infantulis, & edentulis, quos tenerrima decent, erat appoſiturus. *Factus eſt Chriſtus caro tenera, vt eſſet cibus infantium*, ait Richardus à S. Laurentio.

*Act.* 4. 27.

*Gen.* 18. 7 *Gl. ibid.*

Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. li. 12.

## THEOREMA IX.

### Educauit me.

*Euchariſtico pharmaco iuueneſcunt ſenes, iuueneſque ſeruantur à ſenio.*

ARabica tranſlatio, quæ pro *Educauit me*, legit, *Adoleſcere me fecit*, propoſito Theoremati anſam præbuit. Nam cum adoleſcens ab Adoleo prodeat: idemque ſit adoleſcere, ac iuueneſcere: dum ſe Pſaltes aqua Euchariſtica adoleſcere ſe dicit; videtur innuere, ex ſene factum adoleſcentulum. Rectè quidem: nam ad iuuentutem ſeruandam, reuocandamq; magnum eſt pharmacum Euchariſtia, ea quidem iuueneſcunt ſenes, iuueneſq; à ſenio ſeruantur.

*Arabica Tranſl.*

1 Primò ſenibus iterata iuuentus probanda eſt. Quibus Simeon nō immeritò præferendus eſt, cui datum eſt tāgere, quem nec Beatiſsimam Virginem, vt protulit mundo, legimus attrectaſſe. Quid, inquam, datum eſt tangere; cum

non

non modo tetigerit; ſed, quod maius eſt, portauerit? *Et ipſe* inquit Euangeliſta *accepit eum in vlnas ſuas.* Sed magnum eſt, inquies, debilem, languidum, ægrum, ac marceſcẽtem ſenem, tanto vigore, tanta fortitudine viguiſſe, vt portare potuiſſet, eum, qui ſic omnia portat, vt portari poſſit à nemine? Ne mireris, inquit Bernardinus; nam mox, vt in vlnas ſanctum accepit puerum, ſenectus eius effugit, à lãguore conualuit, ad iuuentam illicò reuocatus. *Mox ſenectus effugit, & iuuenilis vigor adfuit, & fortitudo; & q ſe ipſum vix ferre poterat, nunc leuiter ferens puerum, exultat.* Qui Chriſtum ſecum habent, & ferunt; vt ij, qui de manu Sacerdotis eum accipiunt, tametſi ſenio inficiantur, protinus iuueneſcũt. Quod de animæ intelligẽdum eſt ſenectute, quam magis expedit exui, quàm eam, qua corpus afficitur, iuuentutẽ indui. Periculoſiſsima enim, ac perniciofiſsima eſt, vtpote ad mortem æternam conducens.

*Luc. 2. 28*

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 10. ar. 2. c. 3.*

2 Hinc puto Chriſtum Sacerdoti cuidam, nomine Pelagiano, ſacra ex hoſtia *In illa forma, qua Sanctus Simeon ipsũ habuit in brachijs ſuis*, vt ait Ferrarienſis, ſeſe detexiſſe: quem dulciter pius Sacerdos bracchijs ſuis accepit, ſtrinxit, baſiauitq; Se ſic enim ſenij innouatorem oſtendit.

*Bart. Ferrar. de chriſt. Abſc. li. 3.*

3 Hieremiæ Prophetæ calathum legimus oſtenſum ficubus plenum, tantæ ſuauitatis, & dulcitudinis, vt Vates dignè eas commendare deſperans, ſolummodo, *Ficus bonas*, ait, *bonas valde*. Per has ficus Angelicus Doctor intelligit Euchariſtiam. *Ficus*, inquit, *bis dictæ dulces, Corpus Chriſti Dei, & hominis ſignificant.* Iure bonas dixit has ficus: nihil enim boni poſſidet mundus præter corporis Chriſti, eiuſdemque ſanguinis Sacramenta. *Quid enim bonum eius eſt*, inquit Zacharias, *niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Cum autem corpus Domini ſub alia ſpecie fructus, nempe, mali, vitis, palmæ, vel alterius arboris, potuiſſet oſtendi, quorſum oſtenſum eſt ſub ſpecie ficus? Vt daretur intelligi, ſenes ex eſu eius ſenectutem abijcere, & iuueneſcere. Nam, vt inquit Richardus à S. Laurentio, *Ficus ſæpius in cibum ſumpta à ſenibus, dicitur eorum rugas diſtendere.* Tantæ virtutis eſt Euchariſtia ad ſenectutem interni hominis abigendam, vt & animæ rugas diſtendat, duplicitatem nẽpè, ſi quam fortè lateat, tollat, ſimplicitatemq; puerilem inducat.

*Hier. 24. 3.*

*D. Thom. Opuſc. 56. c. 1.*

*Zachar. 9. 17.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. li. 12.*

4 Lignum Sanctæ Crucis intuebatur Sponſa cũ diceret.

Le-

*Lectulus noſter floridus.* Lectulus vtique eſt, in eo enim Chriſtus, velut in quodam lectulo, dulciter obdormiuit, mortuus nempe eſt; *Ego,* inquit, *dormiuit, & ſoporatus ſum*, ſua de morte pertractãs. Noſter autem ait, nobis, ac ſi diceret, debitum, tibi vero pro nobis exhibitum. Et hæc quidem patent: id autem quod hunc lectulum floridum dicat, negotium faceſſit. Quonam pacto aridiſſimum lignum, mortis, quam inferebat, palleſcẽs, areſcensque figura; floridum eſt dicendum? Sane ex ſe tale fuerat; vbi autem cœli florem excepit, ſacro irrigatum cruore, quod prius areſcebat, refloruit: mortiſq; hoſpicium vitæ factum eſt habitaculum, vt quæ antea efflore ſcebant per eum refloreſcerent, quæ marceſcebant, vireſcerent; quæque extincta erant, perenni exurgerent vitæ. En tibi Hugonem. *Crux lectulus dicitur, floridus, dicitur, non ſolum quia flos campi, & lilium conuallium exornauit illum: ſed quia ipſius Sponſi ſanguine rigatus ad fructum noſtræ ſalutis floruit. Aridus enim, & horribilis fuerat antè lectus iſte, at poſtquam ei inſertus eſt flos campi, floridus factus eſt, & qui prius erat locus mortis, factus eſt locus vitæ.* Vides quo pacto ea, quę Chriſtum excipiunt, innouantur, reflorent, iuueneſcant? Tale quid tibi pariter euenturum exiſtima, dum eum, vt fas eſt, ſacro excipies ex altari.

Pſ. 3. 11.

Hugo Cardin. ibid.

5 Fallar, ſi Chriſtum Roſmarinum vocauero? Minime quidem, Roſmarinum eſt, roſa ſcilicet maris, in mari progenita, ideſt in vtero Beatiſſimę Virginis, à mari nuncupata Maria. Sanè cùm ait in Canticis, *Ego roſa campi*, per campum Bernardus Mariam matrem intelligit; velut ſi diceret: Ego ſum roſa Mariæ, ſiue maris, aut Roſmarinum (idem ſanè eſſet.) Si verò per mare mauis mundum accipere *Mare magnum, & ſpatioſum manibus*, Chriſtus etiam Roſmarinum erit. Nam *Roſa in Iericho*, dicitur, ac teſte Adamantio per Iericum mundus præſignatur, quem mare diximus; vt idem ſit *Roſa in Iericho*, ac Roſa in mundo, Roſa in mari, ſeu Roſmarinum. Denique ſi Roſmarinum dici velis, non quia in mari, ſed in maris littore naſcitur, quod aquis elui gaudeat: hoc pariter pacto Chriſtus, qui, quia non, niſi in anima Baptiſmi aquis abluta, progignitur, Roſmarinum dicendus eſt. Sed quænam eſt vis huius plantæ, cui Chriſtũ contulimus? Senectutem adimere, iuuentamque ſenibus reſtituere. *Roſmarinum*, ait Chaſſanæus, *eſt balneum vitæ, & mors*

Cant. 2. 1.

D. Bern. ſer. 47. in Cant.

Pſ. 103. 25.

Eccli. 24. 19.

Orig. Hõ. 1. in Ioel.

Chaſſan. in Catal p. 12 Cõſid. 94.

*& mors ſenectutis: quoniam aſſiduatio eius facit renouare ſicut aquilæ iuuentutem*. Dominus enim in Euchariſtia ſumptus, ſic miro modo renouat à vetuſtate peccati, iuueneſq; efficit comedentes, vt mortem æternam euadant, in quam, hoc pharmacum negligentes, incurrunt.

Pſ.102.5 6 Præterea, Pſaltis accipe ſententiam. *Qui replet in bonis deſiderium tuum renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Quæ tibi primo obtutu videri poteſt incongrua; ſic tecum ipſe, Petrarchæ teſtimonio fretus ratiocinans. *Pauper certe diuitias optare poteſt, libertatem ſeruus, ſpeciem deformis, ſanitaté æger, feſſus requiem, exul redditum. At iuuētam optare verus ſenex nequit, puerile potius votum eſt.* (Frāc. Petrar. Dialog. 83.) Imo ipſa experientia, cum & lippis pateat, à ſenectute ad iuuentam nonnulli dari regreſſum. Vnde ait igitur Pſaltes ſenem, vt aquilam innouari, refloreſcere, iuueneſcere poſſe? Planè ſi de ſenecta carnis alloqueretur Pſalmographus: hoc tuum achilleum, aut potius herculeum, eſſet argumentum. Quia verò de ſenectute animæ, in quam, dum peccat homo, prolabitur, videtur habere ſermonem; flacidū eſt, inualidum, imbecillū. Talis quidem ſenectus Euchariſtico deſinit pharmaco. Iā antequam Pſaltes diceret, *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua* præmiſit. *Qui replet in bonis deſiderium tuum:* velut iſta bonorum repletio talem auferat ſenectutem, conferatq; iuuentam. Tunc repletur bonis deſiderium noſtrū, cum cœleſtia dona percipimus, nam, vt ait Hieronymus. *Hoc ſolū habemus in præſenti ſæculo bonum ſi veſcamur carne Domini, cruoreque potemur.* (D.Hier. i c.3. Eccl.)

7 Lætiſſimum quidem, ac iucundiſſimum nuntium Euāgelicus Vates deſerto afferebat, cum ſic clamaret, *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliū.* Iſa.35.1. Ac ſi clarius diceret. Plaude deſerte, iubila, feſtum age: nā ſic miro mutaberis modo, vt horridus tuus, ariduſque vultus, ſpecioſiſsimum transferatur in lilium: expurgata quippe cute veteris formę, nouam, ac iuueneſcentem figuram aſſumes. Cæterum vnde deſerto tāta innouatio, tam magna mutatio, ex arido in virens, ex ſicco in floridum, ex ſene in iuuené? Ex Saluatoris aduētu, ait D. Hieron. Eccleſiā per deſertum intelligēs. Expendēs enim illud Pſaltis: *Ecce elōgaui fugiens, & manſi in ſolitudine,* Pſ.54.7. ait, *Ecce elōgaui fugiēs à Iudæis, & manſi in ſolitudine cum gētibus incredulis, quas aduentu meo flore feci de quibus alius ait* (D.Hier. ibid.)

*Propheta: Lætetur, & floreat deſertum.* Ac ſi diceret. Pro innouandis, quæ vetera ſunt, efficaciſſimus eſt Saluator, qui vbi pedem figerit, omnia iuueneſcunt, virent, innouantur, & florent. Quantis rugis; quanta vetuſtate, quanto pallore afficiebatur olim Eccleſia, quę mox, vt illum ſuſcepit, renouata eſt ſicut Lilium? *Florebit ſicut lilium.*

8 Cogitaſti nè vnquam, quanta diligentia, quanta cura; quantoque honore, & reuerentia Ioſeph ab Arimathia ſacrum Domini corpus in ſepulchro repoſuit? Non modo illud mundo linteo inuoluit; ſed & in nouo condidit monumento. *Et accepto corpore*, ait Euangeliſta, *Ioſeph, inuoluit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumēto ſuo nouo.* Iuſtum, ac dignum fuit ſanctum corpus illius qui quauis immunditia caruit, mundo velo circundari; inque nouo ſepulchro recondi, cui nulla adhæſit vetuſtas. Peto tamen: ſi vel ex incuria, vel egeſtate, ſiue ex alia cauſa, iuſto mundum linteum defuiſſet, nouumque ſepulchrum, remanſiſſet fortè ſacratiſſimum corpus in Sindone immunda, ſepulchroque veteri? Minimè quidem: ſuo enim contactu ſtatim mundāda erant, ac renouanda: cum quidquid Chriſti caro tetigerit, protinus nouum fiat, & mundum. Audi Paſchaſium. *Inuoluit in ſindone munda, & poſuit in monumento nouo. Narratur munda fuiſſe; quia dignum erat, vt mundiſſimum Corpus Domini mundo inuolueretur in linteo. Sed Corpus Ieſu magis præſtabat munditiam, quàm illud, ex quo inuolutum erat: quia, quæcunque tangebat auctor vitæ, omnia noua fiebant, & munda.* Vides qualis ſit virtus corporis Saluatoris ad extirpandam hominis vetuſtatem, ac nouitatem, iuuentutemque pariter inferendam, cum ſolo contactu omne, quod immundum, & vetus eſt, mundum reddat, & nouum? Ergo, vt ait Nyſſenus, *Ama myſterium, quod eo modo, qui non cadit ſub aſpectum, veteres tranſmittit ad iuuentutem.*

Matt. 27. 59.

Paſch. ibid.

D. Greg. Nyſſ. Or. adu. eos, qui differunt, &c.

9 Modò probandum, à ſenio iuuenes euchariſtico pharmaco præſeruari. Sæpius Chriſtum fontem eſſe diximus. Nec id immeritò. *Fons dicitur, quaſi fundens aquam.* ait Iſidorus: & Chriſtus inſtar aquæ pretioſum cruorem effundit, quo Sanctorum animæ lauantur, mundantur, dealbantur. *Sicut aqua effuſus ſum*, inquit. Perenni curſu hæc aqua exilit de altari, qua non modo reficimur, & expurgamur; ſed & ani-

D. Iſid. Etym.

Pſ. 21. 15

& animæ venuſtatem, florem, viroremque ſeruamus. Fons enim, vt ait Richardus, *Loca vicina viridia reddit, & florida.* Quare ait D. Chryſoſtomus; *Hic ſanguis pulchritudinem, atque nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat, & nutrit, langueſcere non ſinit.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib. 9.*
*D. Chryſ. Hom. 60. ad pop.*

10 Sapiens de mannę mirabilibus diſſerẽs, vocat illud ambroſiam. Pro eo enim, quod Vulgatus habet: *Sicut glacies bonam eſcam*, legunt alij ex Græco, *Ambroſianam eſcã.* Porrò non modo manna nuncupatur ambroſia; quod, ſicut ambroſia, vt ſomniabant Poetæ, Deorum eſca diceba-tur; ſic & manna Angelorum, nempe deificatorum ſpirituũ, dictum eſt eſca. Verumetiam, quoniam à ſenio prę ſeruabat. Vnde Thetis apud Apollonium vngit ambroſia corpus Achillis pueri, vt immortalis fieret, nullaſque ſenij rugas contraheret. Quod ſecundum Hebraicam veritatem conuenit mannæ, quod, regius Pſaltes, diuinitus edoctus, panem Angelorum nuncupauit. Illud enim Hebræis eſus mannæ præſtabat, quod cœlicus cibus Angelis. Hi enim quãdiu manna nutriti fuerunt, Angelorum inſtar ſenium ignorabant. Quod ſi Ioſue decimoquarto legitur, eiuſdem vigoris, valoriſque fuiſſe Caleb, cum promiſſam introiret terram, quo fuerat olim ante annosquadraginta, ad eandem ſpeculator miſſus, mannæ eſui aſcribẽdum. Quare concludit Hugo Cardinalis. *Talis erat effectus illius cibi, & ideo vocatur panis Angelorum: Angeli enim in eodem ſtatu ſemper permanent, non corrumpuntur, nec ſeneſcũt.* Quia verò, quæ prædicantur de manna, Euchariſtiæ, quam præſignificabat manna, miracula promittebant; aſſerendum illam nos item à ſenio præſeruare; altiori tamen modo, & excellentiori; nam illud caduci, ac morituri corporis iuuentutem ſeruabat; hæc verò animæ, quæ nunquam perit, viriditatem cuſtodit.

*Sap. 19. 20.*
*Apud Lorinũ ibi.*
*Apoll. li. 4.*
*Ioſue 14. 11.*
*Hugo Cardin. in Pſ. 22.*

11 Sicut in medio Paradiſi vitæ arbor erigebatur, ità in medio Eccleſiæ Euchariſticum ſacrum extollitur. *Sicut,* inquit Hugo de S. Victore, *in medio Paradiſi erat lignum vitæ, ità Corpus Chriſti in medio Eccleſiæ.* Quod non modo ob Chriſti honorem affertur, quod locus honoratior ſit locus in medio: ſed ob noſtram etiam neceſsitatem; vt virtutem eius æquè omnes participaremus; quæ enim sũt in medio æqualiter ab extremis participantur. Sed quanã Deus vim in S. Euchariſtiã influit,

*Hugo de S. Vict. l. Canon. Miſſ. c. 3.*

ſtuit, qua vt æquè potiremur oēs, in Eccleſiæ centro eſſe neceſſe fuit? Eamdem ipſam, quam arbor vitæ, propter quā fuit in medio Paradiſi plantata, communicauit. Eſt enim in medio Eccleſiæ, vt arbor vitæ in medio Paradiſi. Quemadmodum (ait D. Hieronymus) omnipotēs Deus lignum vitæ plantauit in medio Paradiſi, vt vi ſua cœtera ligna viridia, ac florida conſeruarentur: ità etiam poſuit Chriſtum in medio Eccleſiæ, vt fideles ſuos virides cuſtodiret, & iuuenes. Hæc ſunt eius verba.

*D. Hier. in cap. 2. Eccl.* *Inter frugiferas arbores æſtimo tenere primatum lignum vitæ, quod eſt ſapientia: niſi enim in medio illa plantetur, ligna cætera ſiccabuntur.*

12 Hinc Propheta, vt æſtimo, filios Eccleſiæ, mēſam Domini circumeuntes, inſpiciēs,
Pſ. 127. 4. comparauit oliuis. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Si quæris quare oliuis potius contulit, quam vitibus, malis, platanis, aut ficulneis. Dicam: eo quod his arboribus accidat conſeneſcere. hyeme enim virorem amittūt, quem oliua ſemper cuſtodit. Itaque, vt ſcias, eos, quibus datum eſt ad menſam Chriſti accumbere, iuuenes, virideſq; ſeruari, non comparantur ficulneis, platanis, malis, vitibus, ſed oliuis. *Sicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.*

13 Sanè mirū, omnique dignum eſt animaduerſione, ꝙ Apoſtolus Eccleſiam extollēs, ait: *Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi.* *Epheſ.* 5. 27. Mirum inquam, videmus enim quotidie, membra, quæ gerit, enormiſsimis culpis multiformiter maculari, veteris hominis rugas contrahere, ſenioque indui. Si tot, ac tantis dedecorantur erroribus, quorſum deſcribitur iuuencula, ſine ruga, cum rugoſiores ſtola habere debeat genas? Hoc etſi verum ſit: quia tamen euchariſticam mēſam, habet, in qua, quia quotidie reficitur, quotidie mundatur, ac renouatur; nullas præfert maculas, nullas rugas, nullū ſenium. *Ex electorum cibo*, ait Paſchaſius, *bonum ſalutis Eccleſiæ, & pulchritudo decoris præſtatur. Quia, etſi quotidie ſordeſcit, exinde reparatur, vt ſponſa Chriſti ſine macula, ac ruga, talibus inueniatur reſperſa muneribus.* *Paſch. de Corp. & ſāg. Dom. c. 21.*

14 Cum ingenti magnæque molis deſiderio introeundi ad altare Dei Pſalmographus teneretur, *Introibo*, inquiens, *ad altare Dei*, minimæ voti ſui rationem ſubtexuit, cum adnecteret, *Ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* *Pſ. 42. 4.*

Dum

Dum adhuc ( ac ſi diceret ) ætatis meæ iumenta viget, ver floret, flos viret; nè flos hic decidat, , ver tranſeat, cedatque ſenectæ iuuentus, ad Dei altare introire percupio. Quid nam habet altare ad ſtabiliendam, prorogandamque hominis iuuentutem? Chriſti ſanguinem habet; quem, vt & iuuentutem ſtabilire ſenectamque reflorere diſcas, Deus ſub formis vini propinat. *Vinum*, inquit Cælius, *à Deo hominibus contributum Plato ſcribit, quaſi remedium aduerſus ſenectutem,*

*Cælius li. 28. c. 29.*

15 Quæ idem Pſalmographus concinit, *Erit firmamentũ*, ſiue, vt vertunt plurimi, *panis triticeus in terra ĩ ſũmis mõtibꝰ:* de Euchariſtia paſſim p̃ſertim alij, ab Antonino interpretãt: *Erit panis triticeus, qui eſt firmamentum, ſuper capita Sacerdotũ: montes hic intelliguntur ſacerdotes. Quod vtique fit, quando ipſum conſecratum populo oſtendunt eleuando.* Quod autem ſubſequitur, *Et florebunt de ciuitate*, de hominibus, & Angelis intelligit: *Venientes*, inquit, *Angeli de ciuitate triumphante, & homines de ciuitate militante.* Perpende Verbum, *Florebunt*, aperit enim myſterium; eius ſanè vi ſacro Euchariſtiæ tritico homines non ſecus ac Angeli floridos reddi ſignificatur, qui rugas neſciũt, ſenectutem ignorant, ac in æternum floridi conſeruabuntur. *Et florebunt de ciuitate.*

*Pſal. 71.*

*D. Antonin. par. 3. tit. 13. c. 5. in fine.*

## THEOREMA X.

### Animam meam conuertit.

*Sacra Hoſtia mentis, non ventris eſt cibus; animam, non corpus reficit.*

QVoniam pro eo, quod in Vulgata habetur, *Animam meam conuertit*, trãsfert Chryſoſtomus, *Animam meam refecit*; maniſeſtè conſtat Auguſtiſſimum Sacramentum animæ, non corporis eſſe refectionem; mentem, non ventrem replere: non enim ait, Corpus meum refecit; ſed *Animam*. Quod liquidus fiet ex ſequentibus.

*Trãsl. D. Chryſoſt.*

1 Primo hic Domini trutinanda videtur ſententia, qui de ſuæ menſæ cõuiuis hæc Diſcipulis ait. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Ideſt, menſæ in qua panis apponendus eſt corporis mei, vinumque ſanguinis effundendus, ſolas aquilas operæpretium eſt adeſſe. Abeant reliquæ aues, & animantia cætera: quorum ad ventrem hæc Sacra non faciũt. Quorsũ verò ex cæteris animantibus ſolis aquilis datum eſt paſci, & nutriri corpore, & ſanguine Domini? Quia aquila typus eſt animæ. Eucherius in explica-

*Matt. 24. 28.*

*Eucher. apud Pier. Valer. lib. 19.*

ca-

catione huius loci per aquilas ſanctas animas accipi tradit, vt apud Pierium Valerianum videre eſt. Quod ſi ad hanc eruditionem prophana etiam adiungere liceat: memorabile epigramma Antipatri, ſiue Speuſippi in Platonis extat ſepulchrum, quem vt diuinum antiquitas vniuerſa coluit, cuius ille animam, ad ſepulchrũ è cœlo dilapſam, in aquilę ſpecie agnoſcit: illud autem minimè iuuat tranſcribere. Rurſus: *Pro anima*, inquit Chaſſanæus, *ponitur aquila ex nominis interpretatione: vocatur enim apud Aegyptios Baieth: hoc autem nomen diuiſum animam ſignificat, & cor.* Cum itaque Dominus ait, ad menſam ſuam, in qua corpus ſuum edendum, cruorque bibendus apponitur, ſolas aquilas congregandas, animas ænygmaticè innuit; docuitque ſolas animas eo cibo, & potu veſci, ac deliciari, non corpora; mentes, non ventres, refici.

*Chaſſan. in Catal. par. 12. conſider. 80.*

2 Quod autem ait Propheta, *Panem Angelorum manducauit, homo*, ſi verbum Homo ritè perpendatur, minimè cõtemnendam addet huic theoremati probationem. Non enim hominem dixit, vt à comeſtione ſacri panis cætera ſecluderet animantia. Abſurdiſſimum quippe eſſet tale quid coniectare. Quæ nam conuentio corporis Domini ad brutorum ventres, & iumentorum? menſæ Angelorum ad bouum, equorumque præſepia? Bruta, non quæ cœlum, ſed quæ terra fert, comedunt. Quod ſi à muribus, aut vermibus Euchariſtiam corrodi cõtingat; non corpus Chriſti, ſed quibus abſconditur, panis formæ eduntur, & corroduntur. *Species*, inquit Innocentius, *quandoque corroditur, vel maculatur; ſed veritas numquam corrumpitur, aut coinquinatur. Nam huius accidentia ſine ſubiecto poſſunt ſic corrodi, ſicut edi.* Itaque cum Propheta ab homine ait Corpus Domini manducari, *Panem Angelorũ manducauit homo*, tuam erigit mẽtem, vt, vbi quid nomen hominis præſeferat, quæſieris, & inueneris; intelligas, cuius ſit cibus hoc Sacrum. Quidnam hominis nomen ſignificat, niſi hominis animam, quæ hominem conſtituit hominem, & ab eo, quod non eſt homo, ſeiungit? Animam hominis quod quid erat eſſe hominis ſæpe apud Ariſtotelem inculcatur. *Animam eſſe verum hominem, Plato & ſentit, & docuit*, inquit Cælius. Hinc factum eſt, multos corpus pro vaſe hominis & receptaculo habere, animã ſolum hominem aſſerentes. Hinc illud ortum eſt, hominẽ neque tangi, neque aſpici, ne-

*Pſal. 77. 27.*

*Innoc. III. de Myſt. Miß. lib. 4. c. 16. & c. 11.*

*Cæli' Rodig. lib. 26. c. 23.*

que

que compræhendi poſſe. Vnde Theopompus cum in mortario tonderetur à Tyranno; pellem aiebat Theopompi tondi, non Theopompum. Quare, cum Sancta Synaxis dicatur panis hominis, per hominem autem adueniat anima, quis non videt panem dici animæ, non corporis? *Chriſtus de ore tranſit ad cor*, inquit Innocentius, *cibus eſt, non carnis, ſed animæ: ore comeditur, ſed ſtomacho non digeritur: reficit animam, non effluit in ſeceſſum.*

*Innoc. ibid. c. 15.*

3 Quam ſcitè pro hac metipſa veritate locutus eſt Dominus Matt. duodecimo. *Sicut*, inquit, *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Vbi aduerte, quod de ſuo corpore loquitur, quatenus in illo triduo appoſitum fuit in tumulo, velut in menſa quadam à mortuis comedendum, vt vitam conſequerentur æternam. Ait enim Rupertus. *Decerptum de arbore Crucis manu Patris, comederunt illum animæ Sanctorum, & aperti ſunt oculi eorum, & exinde viderunt Deum. Corpora quoque illorum in monumentis iacentia virtute cibi huius nō caruerunt; mox vt eodem ventre, quo tenebantur & ipſa, receptum eſt corpus eius, ſicut Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod verò ex hoc loco expendendum duco, illud eſt, quòd Dominus Ionæ, in ventre ceti occluſo, ſe conferens, ait, illum fuiſſe in ventre ceti, corpus autem ſuum in corde terræ. Si te Domine Deus Prophetæ aſſimilas, cur ſicut eum in ventre ceti fuiſſe dicis, te non etiam in ventre, ſed in corde terræ, futurum enuntias? Quid eſt, quod Ionas fuit in ventre, tu autē in corde? Quia corpus Ionæ, vt pote terreum, & carneum, in ventrem recipi debuit, in quem carnea, & quæ ad nutrimentum corporis faciunt, recipi conſueuit. Sed corpus Chriſti, eo quod ſpiritualis eſt cibus, in cor, quod cibum animę ſuſcipit, recipitur. Quocirca ait D. Auguſtinus: *Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducaſti.* Ac ſi diceret. Quod tibi è ſacro altari comedendum porrigitur, ſpiritale eſt, non carnale; cibus mentis, non ventris: vt ergo eum digne recipias non ventris, ſed mentis præparanda ſunt abdita, diſponendaque penetralia, aptanda ſunt præcordia.

*Matt. 12. 40.*

*Rup. li. 6. in Ioan.*

*D. Auguſt.*

4 Hic te attentiorē requiro, vt omni, quo vales, ingenio, ſolerter expendas quæ ait Dominus in Parabola de eo, qui, cum amicus ad eum noctu, vt hoſpitatum reficeret; acceſſiſſet, ad alium panem quærēs, pro-

*Luc.* 11. 6. properauit, hæc dicens: *Amice accomoda mihi tres panes; quoniam amicus meus venit de via ad me.* Quibus clarè, vt vides, Sanctam Synaxim quæſiuit; cum ad amicum acceſſerit, per quem intelligendus eſt Chriſtus, qui ob nimiam erga nos charitatem, ſuam pro nobis animam exponens, verus noſter amicus eſt: ſacra autem Synaxis tres continet panes, animam ſcilicet, corpus, & ſãguinem eius, quibus, velut tribus refectionibus, diuinitus confortamur. Verum enim verò quorſum hic homo potius vt amicum, quam vt inimicum cibaret, properauit ad Chriſtum; cum æquè amicum, ac inimicum, cibare teneamur? *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi:* ait Apoſtolus. *Rom.* 12. 20. Sed quia per amicum, pro quo panis euchariſticus quæritur, intelligenda eſt anima, *Amicus eſt cor, ſiue animus*, ait Hugo Cardinalis; *Hug. Car. in c.* 11. *Lucæ.* per inimicum intelligenda eſt caro, *Nos geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum*, ait Gregorius, *D. Greg. Magnus* *circum ferimus inimicum, carnem noſtram loquor;* meritò pro amico, & non pro inimico, ſanctã quærit à Chriſto Synaxim, nõ pro carnis, ſed animæ refectione, ſanctam cucurrit ad menſam: Sciebat enim ferculum ſacri altaris animam enutrire, non corpus.

5 Cæterum dulciſſimus Ieſus dum recenter enixus, iaceret in diuerſorio, euchariſticũ Sacrum clarè præfigurabat: Bethlehem enim, hoc eſt, in domo panis, manebat; atque in præſepi, velut in altaris menſa comedẽdus apponebatur. *Ponitur in præſepio*, ait Hugo, *Hug. Car. in c.* 2. *Lucæ.* *ideſt corpus Chriſti ſuper altare.* Quia verò, vt pſallit Eccleſia, puerorum more vagiebat infantulus, *Vagit infans inter arcta conditus præſepia;* a, a, a, clamabat. Quid verò hac voce dicebat? quid exquirebat ineffabilis Sapientia? Quem aduocabat Verbum caro, imò panis effectum? Animam aduocabat, ait Bernardinus. *D. Bernardin. ſer.* 2. *O. liu. ſer.* 51. *ar.* 2. *cap.* 2. *Virginis vterum vix egreſſus eſt, & dilectam animam more infantiũ vocat A, a, a. Ideſt, Anima mea, anima mea, anima mea, te quæro.* Animam inquam conuiuam ſuam aduocabat, vt præparatis ferculis, nõdum aliàs exhibitis, reficeretur, delicaretur. Perpende verò non clamaſſe e, nempe non vocaſſe corpus, & carnem; ſed a, ſcilicet animam: quia menſam illam non ad carnis refectionem, ſed ad animę nutritionem pręparauerat.

6 Vulgare eſt, cœli ſtellas hominum animas repræſentare: tum, quia vt ſtellæ, intelligentiæ luminis ſunt participes, tum, quia extra interitus

aleam, vt ſtellæ, conſiſtunt. Hinc ſcribit Apoſtolus, electorum animas in Paradiſo ad inuicem, vt ſtella differt à ſtella, differre. Et D. Bonauentura de anima Patriarchæ noſtri ſanctiſſimi refert, ab vno ex fratribus Minoribus viſam *ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ, à candida ſubuectam nubecula ſuper aquas multas, in cœlo recto tramite ſurſum ferri.* Demum, vt exterorum quoq; teſtimonijs vtar, recenſet Pierius, ſtellam apud Aegyptios animam itidem ſignificare. Ij enim, vt defuncti iàm hominis animam oſtéderent, ſtellam proponebant. Idcirco animam ſcintillam maſſæ ſtellaris Heraclitus Phyſicus aſſeuerabat. Ijs igitur ſic diſpoſitis dicam, quod, quemadmodum, vt fingit Poeta, à cœlo ſtellæ paſcũtur, *Polus dum ſydera paſcit*; ità etiam animæ paſci debent à cœlo. Sanè cum anima quædam cœleſtis portio ſit, à Deo ſolo proueniens, cœleſti reficienda eſt alimonia, quemadmodum caro, quæ terra eſt, è terra ſuam trahens originem, terreno cibo depaſcitur. *Ex ijs nutrimur, ex quibus conſtamus.* inquiunt Phyſici. Quia igitur caro Domini, quæ deſcendit è cœlo, *Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi*, cibus cœleſtis eſt; animæ cibum eſſe aſſerendum eſt, non corporis, cui terrena ſuperſunt edulia.

1. Corinth. 15. 41.

D. Bona. in Vit. S. Frãc. c. 14

Pier. lib. 44.

Virg. Aeneid. 1.

Io. 6. 41.

7 Audi diuinum Ignatium ad Epheſios hæc ſcribentem. *Omnes nominatim congregamini vna, & communi fide, frangentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis eſt.* Attende, quod Euchariſtiam pharmacum immortalitatis appellat; ex quo clarè percipies cuius cibus ſit Euchariſtia, vtrũne reficiat, corpus, aut animã. Dum immortalitatis pharmacum dicitur, illius rei cibus eſſe deſcribitur, quæ ab eius eſu, vt mori non poſſit, præſeruatur: animę ergo, non corpori, immortalitatem conciliare clariſſimum eſt: quia verò videmus, quod, etſi quotidie cõmunicemus, quotidie corpore morimur; anima tali pharmaco adiuta, immortalitate donatur. *Quantum pertinet fratres mei*, ait D. Auguſtinus, *ad mortem iſtam viſibilem, & corporalem, numquid nos non morimur, qui manducamus panem de cœlo deſcendentem? Quantum autem pertinet ad mortem illam, de qua terret Dominus, qua mortui ſunt patres iſtorum: manducauit manna, & Moyſes, manducauit manna, & Aaron, manducauit manna, & Phinees, mãducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt.* Sancta igitur Euchariſtia non corpori, ſed animæ vitam, & immortalita-

D. Ignat. ep. 14.

D. Aug. Trac. 26. in Ioan.

tem impertit, quæ non à corpore, vt corporis cibus, ſed ab anima, vt animæ pabulum, manducatur, & ſumitur.

8 Mox vt Diuus Hieronymus, ex hoc mundo migraturus in cœlum, ſacram vidit Synaxim, quam ei pro viatico magnæ, ac difficilis viæ, vt reficeretur, ac fulceretur, attulerant, *O comeſtio*, inquit, *delicatiſſima, in qua omnis ſaporis, & odoris eſt ſuauitas, omne delectamentum, omnis medicina, omnis requies à labore, necnon omne, quod deſiderari poteſt*. Primiora conſidera, atque aduerte, ſanctum virum Euchariſtiam delicatiſsimam appellare comeſtionem; ac ſi innueret non inferiores, & ruſticos, ſed ſuperiores, & nobiles, ea veſci debere. *Inferiori*, inquit Chaſſanæus ex quadam Iuriſtarum Gloſſa, *non ſunt tales cibi conferendi, quales ſuperiori: quoniam alimenta debentur secũdum qualitatem perſonarum. Ideo ruſtici non debẽt vti pullis, vel alijs delicatis cibarijs; ſed caſeo, cæpis, fabis, & lardo, & pane groſſo, & non albo*. Quia verò caro, ſi ritè, proque ſua conditione tractetur, ſerua eſt, & ancilla; ſpiritus vero dominus, & Rex, (malè faciunt, ait Hugo, qui carnem animæ preferunt, ancillam dominæ, ſeruam Reginæ, *Dominam ancillari, ancillam dominari, magna abuſio eſt*) delicatiſſima Corporis Chriſti comeſtio animæ, non carnis erit; dominæ, non ancillæ; cui AEgypti cibaria, nimirum carnes, allia, cæpæ, piſces, aliaque huius generis peripſemata, ſuperſunt.

*Euſeb. de morte S. Hieron.*

*Chaſſ. in Catal. p. 1 cõſid. 22.*

*Hugo de S. Vict. de Clauſt. anim.*

9 Exploratum habemus, perſonarum dignitati dignitatem locorum conformari debere. Hinc ſummus omnium Pontifex Romæ commoratur, Rex Francorum Pariſijs, Matritis Hiſpanorum Monarcha, Byzantij Turcharum Tyrannus; quæ omnium, quibus imperant, ciuitatum, nobiliores, pulchrioreſq; ſunt. Et Rex Regum, ac Dominantium Dominus Dominorum omnium nobiliſſimus, nobiliſsimum ſibi vẽdicat habitaculum, quod omnium firmo conſenſu cœlũ eſt: vnde apud Iſaiam inquit: *Cœlum mihi ſedes*. Ac ſi diceret: *Iſa. 66. 4* Quandoquidem nobiliſſimo, ac pulcherrimo, pulcherrima, ac nobiliſsima conuenit habitatio, cœlum mihi ſedem conſtituo, quod nobilitate, & pulchritudine longiſsime, cætera excellit. Non ait: Terra mihi ſedes: quia dedecet tantę maieſtatis, & excellentiæ Regem, in abiectiſſimo, turpiſſimoque ſolio degere, cui cœleſtis, in qua mundi totius ſplender venuſtas, conuenit habitatio. Quia verò anima præ pulchritudine, ac nobilitate cęlo ſimilis

lis eſt, cęlumque dicitur, *Ego,* ait Bernardus, *puto omnem animam iuſtam, non modo cæleſtem eſſe propter originem: ſed & cælum ipſum poſſe non immerito appellari*: corpus verò præ deformitate, ac turpitudine iure dicitur terra *Terræ nomine caro exprimitur*, ait D. Gregori⁹: cùm Dominus in Sacramento velatus, ad nos, in nobis ſeſſurus, accedit; in cęlum, nimirum in animam, venire cenſendus eſt; non autem in terram, ideſt in carnem. Non igitur in ventrem, ſed in mētem recipitur; animam, non corpus exatiat.

*D. Bern. ſer. 27. in Cant.*

*D. Greg. Mor. lib. 9. c. 15.*

10 Quidnam, bone Deus, eſt in Sacramento, quod carnē nutrire valeat? Quod nam ſpecies panis afferunt alimentum? quam formæ conferunt refectionem? accidentia ſaturitatem? Hæc inſtar menſæ ſūt, quam Pytheo vxor appoſuit: & conuiuij, quod Imperator Heliogabalus ſuis paraſitis inſtruxit; vbi dapes ex auro, cera, & marmore fabrefactæ, tametſi ciborum prętuliſſent effigiem; reficiēdi tamen, & nutriendi nullam abſcondebant ſubſtantiam. Quid quæſo in hoc Sacro panis, & vini, niſi ſolæ, ſubſtantiæ inanes, remanent ſpecies? Quomodo ergo ſubſtantiam conferent, quæ quamuis ſubſtantiam oleant, ſapiant; ſubſtantiam non abſcondunt? *Nemo dat, quod non habet*, ait Philoſophus. *Menſa altaris menſa animarum eſt, non corporum*, clamat Gulielmus Pariſienſis. Deque quodam refert, qui, cum formis conſecratis panis, & vini veras panis, & vini ſubſtantias ſubeſſe crederet, cibis alijs vti nolens, Euchariſtiam in tanta quantitate ſumebat, quantam ſibi æſtimabat ſufficere ad ſui corporis ſuſtentationem. *Hinc eſt, quod infra paucos dies deficiens abſque alterius morbi occaſione, ipſo experimento doctus dicere potuit, non ſubeſſe formis illis, quod corpus eius nutrire, ac ſuſtentare valeret, cum ſubſtantiam impoſſibile ſit nutriri accidentibus.*

*Gulielm. Pariſ. de Sacr. Euch. c. 1.*

## THEOREMA XI.

### Animam meam conuertit.

*A Deo, perenni nouorum locorum hoſpite, niſi nouus ſis, nunquam inhabitaberis.*

INſiſtendum adhuc Chryſoſtomi lectioni, qui, vt dictum eſt, pro eo, quod habent Septuaginta: *Animam meam conuertit*, transfert, *Animam meam refecit*, ideſt, vt eidem placet, *Iterum fecit.* Iuxtà quē ſenſum Pſalmiſta hæc videtur dixiſſe. Vt me Deus meus ſacro educaret edulio, animam

*Lect. D. Chryſoſt.*

meam iterum fecit, ſiue nouã fecit. Quod meritò factum eſt: nam, quia Chriſtus Rex noſter, dum communicamus, in animam noſtram, nobiſcum hoſpitaturus, ingreditur, prius eam reficit, innouatque; vtpote qui nouis ſolummodo degere conſueuit in locis. Si ergò tam magnum hoſpitẽ excepturus ſacrum adis altare, te nouum ſcias eſſe debere.

1 Cui nam Eccleſiam, quã Paradiſo, ſiue horto, aut viridario conferes, noſtras ob delicias conſcito? *Hortus concluſus,* inquit Sponſus, *ſoror mea.* (Cant. 4. 12.) In hoc Paradiſo deliciarum, palma cæteris lignis eminet ſpecioſiſsima, cui cum ob decorem, tum ob fructuum ſuauitatem, aſſiduè filij eius adhærent. Euchariſticum, inquã, ſacrum; iurè palma dicẽdum, in quo Deus expanſis digitis omnia nobis impertit: *Palma,* vt autumat Iſidorus, *dicta, quod expanſis eſt ramis in modũ palmæ hominis.* (D. Iſid. Etym. lib. 17. c. 7.) Hoc, & fidei noſtræ vacui dixerunt. *Dixerunt magiſtri,* ſcribit Rabbinus Hiſa, *futurum eſt, vt triticum palmeſcat, & aſcendat ſicut palma, & hoc in diebus Meſſiæ.* (Rabbin. Hiſa.) Cum autem ex altari ad corda noſtra ſoleat hęc palma transferri, ac trãsplantari; quale nã diligit ſolum? qualem terram requirit? Solum nouum, terram nouam. *Quaſi palma,* inquit, *exaltata ſum in Cades.* (Eccl. 24.) In Cades, inquit, quæ, vt Richardus habet *Mutata, vel trãslata,* interpretatur. (Richar. à S. Laur. B. M. lib. 12.) In ſanctis, qui ob vitæ commutationem noui ſunt, transplantatur, *In commutatis,* vt idem ait, *per gratiã de vetuſtate culpæ in nouitatem vitæ, translatis ab amore mundi in amorem Dei.*

2 Vt probè ſcias, quo pacto Deus ſuo degat in templo, ait Pſaltes. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus ĩ cęlo ſedes eius.* (Pſ. 10. 4.) Ac ſi diceret. Dum Dominus templum ſuum inhabitat, cęlum colere exiſtimatur; nam nec punctum quidem tũnc tẽporis templum diſtat à cęlo. Sed ne putes hoc templum, quod, quia Deum habet, cęlum dicitur, poteſtque cum cęlo contẽdere; materiale eſſe, ſed ſpirituale: eſt enim fidelis cuiuslibet anima, in quã Deus ingreditur, & recipitur. *Vos eſtis templum Dei viui,* inquit Apoſtolus, *ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inãbulabo in eis.* (2. Corith. 6. 16.) Hæc igitur anima non ſecus, ac cœlum, ſublimis erit, & alta, ac à terra ſuſpenſa; quæ ſcilicet ima ſũt, & caduca toto deſpicit corde; diuinæ charitatis flagrat ardóre; virtutum omnium ambitu orbiculata, mũdanarum perturbationum inſcia, luminis, Dei ſuiq; cognitione luſtrata eſt. Noua demum, ac recens;

nam

nam niſi noua fuerit, cœlum quod nouum eſt, non erit. Nouam cœli ciuitatem eſſe refert
*Apoc.* 21. 2. Ioannes. *Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam.*

3 Hoc metipſum alibi Pſaltes inſinuauit, cum dixit: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* (*Pſ.* 18. 5.) Vbi tabernaculi nomine Euchariſtia venit: vel, quia, ſicut tabernaculum domus eſt, non permanens; ſic Sacrum Eccleſiæ tamdiu permanebit in mundo, quamdiu mundus ipſe perſtabit: vel quia, ſicut per tabernaculum ab iniurijs cœli, æſtu nempe, frigore, grandine, pluuiaque protegimur; ſic per S. Euchariſtiam à iaculis cœleſtis iræ defendimur. Sed de hoc ſatis aliàs. Quare autem Deus euchariſticum in ſole potiùs, quàm in auro, argento, aut gemmis, in quibus apud nos ponitur, poſuit tabernaculum? Ideo pręcipue quia noua quęrit hoſpitia, quæ vel nullam ſapiant vetuſtatem, vel ſaltem quæ, tametſi ſeneſcunt, ac veteraſcunt, ſoleant innouari: quod accidit ſoli, qui, quãuis quotidie ad occaſum properãs ſeneſcere videatur; dum tamen redit ad orientem, iuueneſcit, ac renouatur: de quo Zeno ſãctiſſimus: *Idem ſibi ſucceſſor, idemque deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus.* (*D. Zeno ſer.* 3. *&* 4. *de Paſch.*) Et iterum alibi: *Sine pauſa creſcit in fenium; & tamen à cunis genitalibus non recedit.* Terrenis verò rebus nequaquam hoc cõtingit, quæ perinde ſeneſcunt, vt penitus intereant, & in nihilum abeant. Vt itaque ſcias Euchariſtiam non, niſi in noua, vel renouata ſede recondi, in ſole dicitur poſita. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Inſtar ſolis ſit anima Chriſtum hoſpitatura, noua, nempe, vel renouata, quæ, etſi interdum obſoleſcat, & veteraſcat ob culpam, expurgatis, extenſiſque rugis, renouetur, ac iuueneſcat per gratiam.

4 Quod autem pater docuit, filius non ſubticuit, dum cœleſte Sacrum ad viuum delinearet. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit mẽſam ſuam.* (*Prou.* 9. 1.) Per domũ ab æterna Dei ſapientia fabrefactam, Eccleſiam ſubintellige. *Sapiẽtia ædificauit ſibi domum, ideſt Eccleſiam*, inquit Lyranus. (*Lyran. ibid.*) Quæ aptè dicitur domus: eſt enim parua habitatio, paucos colligens, & amplectens, ijs, qui Deum abnegant, ac blaſphemant, conferta. *Eſt autem domus vnius familiæ habitatio*, ait D. Iſidorus, *ſicut vrbs vnius populi, ſicut orbis domicilium totius generis humani.* (*D. Iſid. etym. lib.* 15. *cap.* 5.) Hãc verò domum Chriſtus ſibi cõfecit, vt in ea corporis, & ſanguinis

guinis ſui ſacra faceret, atq; aſſeruaret myſteria: ibi enim *miſcuit vinum, & propoſuit mẽſam*; quorum nemo, qui de corpore eius nõ ſit, particeps erit. Sed expende quod nõ dicitur hanc ſibi Chriſtus domum inueniſſe conſtructam, ſed ipſe ſibi eam fabrefeciſſe; vt recentem haberet, & nouam: *Sapientia ædificauit ſibi domum*. Quod exinde factum; quia Sacramẽta ſua noluit, in veterem, ſed in nouam domum inferre, qui non, niſi noua inhabitat habitacula.

5 Et nè à Salomone tantocius recedamus; aptè Spiritus Sanctus Eccleſiam lunæ comparauit in Canticis; *Pulchra vt luna*. Cãt. 6. 9. Apte inquam; tum, quia, quemadmodum luna ſoror eſt ſolis, ſic & Eccleſia ſoror eſt Chriſti, qui ſol Iuſtitiæ dicitur, *Soror noſtra parua* dicitur à Chriſto. Cãt. 8. 8. Tum etiã; quia, quemadmodum luna mutuato lumine ſolis, (quem nõ fratrem dumtaxat, ſed & maritũ faciunt,) ſcintillat, & ſplendet; ità & Eccleſia Chriſti radijs enitet. Iure autem; quia ſponſa etiam eius eſt, & *Mulieres radijs maritorum coruſcãt*, vt ait Chaſſanæus ex quadam lege. Chaſſan. i Catal. par. 5. Conſid. 35. Hæc autem ſponſa ſponſo ſuo, vt luna ſoli, coniungitur. Quandonam? Dum corporis & ſanguinis eius percipit Sacramenta. Aponius illud Canticorum explanans, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, Cãt. 3. 11 hæc ait: *Deſponſationem enim annuli, & oſculi, traditionem corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum ſub paſſionis tẽpore in Apoſtolis tradidiſſe probatur*. Apon. in Cant. li. 5 His ità præhabitis aduerte, quod, quemadmodum luna, dum ſoli copulatur, & iungitur, noua eſt, vnde tunc paſſim luna noua dicitur: ſic & Eccleſia dum Sacra percipit ſponſi, noua ſit oportet, cum noua ſolum digna ſint Chriſtum excipere.

6 Ingenioſè quiſpiam, nec irrationabiliter, quæret: Cum Chriſtus ſui corporis, & ſanguinis Sacramẽtum inſtituẽs, ac primò Diſcipulis tradens, refectis tradiderit, quippe qui agnum cum azymo, & lactucis agreſtibus iuxtà legis tenorẽ comederant: *Cœnantibus eis*, ait Matthæus, *accepit Ieſus panem; benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis*; Matt. 26. 26. quorſum nobis nõ, niſi ieiunis deſumẽdum conceditur? Si perinde ſtrictè communicaturis nobis ieiunium eſt ſeruãdum, vt nec rem paruiſſimam, etiam non nutritiuam, vel aquæ guttulã, papyrum, aut aliquid ſimile, per modum cibi, & potus; etiã

per

per ignorantiam, aut inaduertentiam; quamuis totum ſtatim euomatur, deglutire poſſimus; cur Dominus ipſe nobis ieiunij huius non reliquit exēplum? Dicam, hoc ab Apoſtolorum tempore prçceptum extare, & per quamdam conſuetudinem ab Eccleſia comprobatum; propter honorem, & reuerentiam corporis, & ſanguinis Domini. Cum enim ſciret Eccleſia corpus Chriſti pro dignitate non, niſi in nouis, recipi ſedibus, ſtomachũ noſtrum, in quem Sacramentaliter ingreſſurũ expectamus, vult pro die illa nouum exiſtere. En D. Antoninum. *Ieiuni communicamus, vt propter reuerētiam Sacramenti ſtomachus pro illa die ſit nouus.* Et reuera, ſi de Nerone perditiſſimo, ac ſceleſtiſſimo tradit Suetonius, quod *Nullam veſtem bis induit,* ſed noua & recentia quotidie induebatur: ſi de Heliogabalo, teterrimo mundi monſtro, Alexander Neapolitanus memoriæ prodidit, quod neque calceamenta, neque annulos iterauit; nunquam lotis, ſed nouis ſemper linteaminibus vſus fuit. Quidni Deus ſanctiſſimus, & puriſſimus nouas exiget manſiones? Iure igitur optimo in Corporis Chriſti ſolemnibus clamat, & canit Eccleſia: *Recedant vetera, noua ſint omnia, corda, voces, & opera.*

*D. Antonin. par. 3. tit. 13. c. 6. §. 5.*

*Sueton. in Nerone.*

*Alex. ab Alex. Gen. lib. 5. c. 21.*

*In Feſto Corpor. Chriſti.*

7 Nequaquam mihi videtur lõgiori ſilentio prætereundum, quod Moyſes Hebræis, ex Aegyto egreſſis, inculcat, *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Aegypti.* Nota, Aegyptum, vbi populũ ſuum Deus tamdiu detinuit, fornacem ferream eſſe. ob ſæuos. n. quos paſſus eſt labores fornax ferrea fuit. Sed ad quid (rogas) dilectum populum ſuum Deus in ferreã fornacem incluſit? Vt, inquam, ex vetuſtate purgaret, innouaretque. *Voluit Dominus*, ait Oleaſter, *Iudæos nouos homines facere; ideo in fornacem ferreã Aegypti incluſit, & immiſit.* Inſtar aurificis ſe tunc Deus habuit, qui, vt æs ſuum carie, alijſque vetuſtatis incommodis, expurgaret, & innouaret, in fornacem immittit. Quod exinde factum coniecto; quia inde egreſſi, nõ cepis amplius, aut allijs, cæteriſque cibis vetuſtioribus; ſed recentioribus; ſed nouo cœli pane, ſacrum eucharisticum præſignante, cibandi erant; quod, cum, vt ait Dominus, ſit vinum nouũ, nouos in quos condatur, expetit vtres. Hinc ſe Dominus in Canticis flori contulit, non qui in horto, aut lecto; ſed qui in campo naſcitur, & ſpectatur. *Ego flos campi:* nam nemini quieſcenti, mundique deli-

*Oleaſt. ibid.*

*Matt. 2. 22.*

*Cant. 2. 1.*

deliciјs indulgenti; ſed ſolum laboranti, præſtatur, *Ac ſi diceret*, ſcribit Hugo, *Qui me habere deſiderat, campum certaminis non fugiat*. Vt per laborem, qui ferrea fornax eſt, erugine expurgatus, nouus fiat: aliter nō merebitur Chriſtum ſuis in viſceribus condere.

*Hug. Car. ibid.*

8 Modo quæ Chriſtus, vbi Euchariſtiam fecit, ſuis inquit Apoſtolis, expendenda. *Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illum bibam vobiſcum nouum in Regno Patris mei*. Quibus, ni fallor, dicere voluit: Scitote me vobiſcum nō amplius commanducaturum, niſi poſtquam corpus meum gloria reſurrectionis innouauero: tunc enim vobiſcum hocmetipſum conuiuium repetam (reſurrectionis gloriam, poſt quam cum Apoſtolis manducaſſe ſcimus, per Regnum Patris intelligens.) *Quod Chriſtus*, inquit Cartuſianus, *poſt Reſurrectionem cum Diſcipulis manducauit, Euangeliſtæ copiosè teſtantur*. Cæterū quare poſt Reſurrectionē Euchariſtiam promittebat? Eo quia non tantum ipſe, ſed & Diſcipuli eius ſecum in nouum hominem reſurgere, & innouari debebant. *Conſurrexiſtis cum Chriſto*, ait Apoſtolus: vt nouo corpore, & ſanguine ſuo, nouos paſceret, & reficeret: dedecus enim erat, vt tam noua dona, qui non eſſent noui, ſuſciperent. Sic philoſophatur Paſchaſius: *Cum repromittit ſe bibiturum in Regno, non tamen ſine ipſis, ſed cum ipſis, ſe nouum bibere in Regno Patris ſui oſtendit. Quia nouum vtique vinum non, niſi innouati, poſſunt bibere: veteres autem noua non capiunt*.

*Matt. 26. 29.*

*Dionyſ. Cart. ibid.*

*Gloß. 3.1*

*Paſch. in cap. 26. Matt.*

9 Apocrypha quædam recenſent, lignum ſanctæ Crucis ex arbore ſciētię boni, & mali decerptum, in Iericho tranſplantatum fuiſſe. Quod cum Rex Dauid cædi, & Hieroſolymā ferri iuſsiſſet, à fabris adamuſſim elaborari, & expoliri ad certam menſuram minime potuit. Nā ingenti fiebat miraculo, vt nunquam menſura, lignique magnitudo ſibi conſtarent; & cum in artificis manu iuſtæ longitudinis eſſet, alijs fabricæ lignis compaginatum, vt ſuo tandem loco reponeretur, multo breuius inueniebatur. Quapropter nulli vnquā rei potuit deſeruire. Magnum planè miraculum, ac omni euo commemorandum. Sed cuius rationem ex dictis facillimū eſt intelligere: nam, quia Sanctiſſimum Corpus Domini, cui non, niſi noua conueniunt, ſuſcepturum erat, nouitatē ſuam ad honorem tāti ſeſſoris mordicus reſeruabat.

*Pineda de Rebus Salom. li. 5. cap. 14*

Quæ

10 Quæ Deus pro collectione cibi cœleſtis, Euchariſtiam præſignantis, Moyſi mãdauit, recolenda duco. *Ecce ego, inquit, pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt.* Ac ſi diceret. Libenter votis veſtris aſſentiar, famem veſtram ſedabo: pluam de cœlo panem nunquam aliàs deguſtatum; ſed quẽ nulli liceat, niſi prius egrediatur, colligere. *Egrediatur populus, & colligat.* Rogo te Domine Deus: quinam eſt hic egreſſus, tuo fiendus à populo, panem cœlicum collecturo? Quònam egrediendũ, cum promiſſus panis in eadem ſit regione cum populo? Hæc egreſſio, ait Rupertus, ſpiritaliter potius, & pro Euchariſtia; quam manna præfigurabat, quàm pro manna ipſa litteraliter intelligenda eſt. Ad illius namque collectionem, qui de vetuſtate ad nouitatem vitæ egreſſus nõ fuerit, non admittitur. Hæc ſunt eius verba. *Profecto nobis ſpiritaliter egrediendum, vt colligamus quantum ſufficere poteſt. Vnde egrediendum? De priſtina conuerſatione, de vetuſtate vitæ. Nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis hoc manna colligere.* Tanta innocentia, puritate, ac ſanctitate nitere debet Chriſticola, cœlicum manna (Deum continens, qui nouas dumtaxat diligit manſiones) collecturus, ac comeſturus, vt ab omni vetuſtate neceſſe ſit egredi, nouumque fieri.

*Exod. 16.*

*Rup. Ab. lib.3 cap. 11. in Exod.*

11 Scio te non latere, agni Paſchalis immolationem, & comeſtionẽ corporis Ieſu Chriſti agni puriſſimi, & innocentiſſimi, qui vt mundi tolleret culpas, immolari, & comedi dignatus eſt; immolationem, & comeſtionem ſignificaſſe. Notandum ergò quod Deus illam Hebræis primò menſe faciendam præcepit: ait enim ad Moyſem: *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas, &c.* Per primum anni mẽſem, quem *Niſan* nuncupabãt Hebræi, Lyranus vnà cum alijs Aprilem intelligit. Quare verò agnus, Dei decreto, menſe Aprilis erat edendus, non Decembri, Ianuarij, aut Februarij? Quoniam, vt dictum eſt agni cœleſtis eſum præfigurabat; quo hominẽ nefas eſt veſci, dum veteraſcit, vt in menſibus Decembris, Ianuarij, ac Februarij, ſe præfert mundus: ſed, dum renouatur, floreſcit, ac iuueneſcit, vt aſſolet in Aprili. *Quia,* inquit idem Rupertus, *in menſe Niſam, ideſt in Aprili verna tempories eſt, cũ tellus refloreſcit; totusque per hyemem, quaſi poſt ſenium, rur-*

*Exod. 12. 2.*

*Nicol. de Lyr. ibid.*

*Rup. Ab. lib. 2. c. 5 in Exod.*

*ſus iuueneſcit orbis, ſenſatum hominem docet, quaſi renouatus ſpiritu mentis ſuæ, fide viridis, ſpe lætus, charitate floridus, Paſchalis agni epulis intereſſe ſpiritualibus.*

12 Plebis ſuæ ſe Deus, quā diligebat, non modo ducem, iudicem, paſtorem, patrem, matremque, vt in plerìſque ſacræ paginæ locis videre eſt; ſed & medicum profitebatur. Medicum inquam, cum hęc conſuleret: *Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus.* Neceſſarium eſt ſcilicet vobis veſpere refectis carnibus, mane panem comedere. Ac ſi inferret: Si, quod abſit, veſpere menſæ veſtræ panem inferretis, magnum ſalutis veſtræ patiemini detrimentum, nullaque ſpe vitæ ægrotaueritis. Quodnam quæſo malum afferre poterat panis, veſpere manducatus? Nullum quidē prophanus, magnum euchariſticus, qui dè cœlo deſcendit, dequo Deus loquebatur: hic enim in ſenectute peccati, & in veſpere culpę, abſque certo vitæ periculo, & ſi tunc ſacrificia carnium permitterentur, nullo modo permiſſus erat; qui in vitæ tantummodo nouitate, quā nouus homo Chriſtus, in mundum veniens, duxit, edendus erat. Audi eundem Rupertū ſic philoſophantem. *Quid per carnes, niſi vetera ſacrificia? Quid per panem, niſi nouum ſacrificiū accipimus? Quid autem per veſperam, niſi vetuſtam vitam? Quid per mane, niſi nouam nouæ vitæ claritatem, intelligimus? In qua præcurrente ſummo Sacerdote Chriſto ſacrificant, & pane cœli ſaturantur Chriſtiani?* Expertus eſt hoc Apoſtolus in Corinthijs; qui, quia panem vitæ, non mane, ſed veſpere, nempe in vetuſtate vitæ, ſumebant, tam graui languore percutiebantur, vt eorum quamplurimi, aut imbecilles inuenirentur, aut mortui. *Itaque, ait, quicūque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

Exod. 16. 12.

Rup. lib. 3. cap. 14. in Exod.

1. Corint. 11. 27.

## THEOREMA XII.

### Animam meam conuertit.

*Quos Euchariſtia reficit, è terra erigit, vt in cœlum extollat.*

QVia pro eo, quod habēt Septuaginta, *Animā meam conuertit*, trāſfert Genebrardus, *Animam meam trāquillat, ſiue Tranquillam reddit*: ampliores intelligentiæ gratia addendum eſt Theo-

Genebr. Transl.

Theorema; dicendumque, ſacras altaris aquas animas è terra in cœlum erigere: minimè namque eas tranquillaret, niſi in cœlum extolleret. Dum ſumus in terra, varijsꝗ, & crebris perturbationibus agitamur, diſſidijs confundimur, malis vexamur, laboribus diripimur: quare procul à tranquillitate manemus; Hanc autem ſperamus, & expctamus in cœlo, vbi *Tranquillam omniſque perturbationis expertem vitam* Domino adiuuante ſumus acturi. Videamus itaque quã verum ſit Euchariſtiam in cœlum animas noſtras erigere.

D. Chryſoſt. orat. de S. Philog.

1 Pſaltes noſter prior accedat, qui in Pſalmo quinquageſimo primo de quibuſdam turribus loquitur. De quibus, vbi ſeptuaginta legunt: *Narrate in turribus eius*, transferũt alij, *Cõputate turres eius*, ideſt, vt ex Euthimio interpretatur Chryſoſtomus, *Menſurate ad quantam altitudinem perducta ſint.* Ac ſi diceret. Perinde turres iſtæ ſe ſupra terram efferunt, ſuſtolluntur in altum, vt nubes prætergrediantur, & cœlum attingant; menſurate eas, & ſcietis me vera loqui. Per has altiſſimas turres Euſebius Apoſtolos, cæteroſque Chriſti Diſcipulos, Theodoretus verò quoſuis virtutum laude præſtantes, & Angelorum vitam imitantes, intelligit. Vide Paulũ altiſſimam turrim, eouſque ſe erigentem è terra, vt ſe in cœlum abſcondat, & cum Angelis conuerſetur. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Quæro: quanam vi in tantam altitudinem ſe turres iſtæ erigerunt, vt in cœlum ingrediantur, cohabitẽtque cum Angelis? Vi Chriſti, Verbi Dei, quẽ ſub ſenſibilibus panis ex ſacro altari ſumpſerunt. Ait enim Clemens Alexandrinus, cum David hos homines turres appellat, *ſignificat eos, qui Verbũ altè ſuſceperunt, futuros altos, vt turres.* Quidni tam altè homines eriget, & exaltabit Euchariſtia; dum, vt vita frueremur æterna, qua ciues cœli viuunt, exhibeatur à Chriſto.

Pſal. 51. 13.

Euthim. D. Chryſoſt. apud Lorin. ibid.

Philipp. 3. 10.

Clem. Alex. lib. 4. Shomat.

2 Noſti Euchariſtię panem, qui cibus eſt vitæ, vitàm olim dictam à Punicis? Apud Auguſtinum reperies, qui & eandem appellationem vſurpat. Audi nunc S. Iob vitam hanc Deo vnà cum miſericordia referentem acceptam. *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi*, quaſi ſine miſericordia non exhibeatur hæc vita. Quare autem non ſine miſericordia? Quia neminem ea paſcit, quẽ ex hac vita in cœlum non trahat, & ſubleuet, vt fœlicitatẽ impertiat. Miſericordia ex ſui nominis ſono *Miſerorum chorda eſt*, vt placet D. Vincentio. Eſt igitur Euchariſtia

D. Auguſ. lib. 1. de Remiſ. peccat. cap. 24.

Iob. 20. 12.

D. Vinc.

cathena illa aurea ab Homero cōficta, qua Deus miſeros terrigenas, vt in æternum beet, trahit in cœlum, quo nobis viribus noſtris impoſſibile, imò pluſquam impoſſibile eſt, ſine illa conſcendere. *Animali graui, & non alato, non eſt via per aera ad cœlum, niſi trahi funibus,* ait, Hugo. Quinam eſt in cœlo, quem hæc cathena non ſuſtulit? qui æternis diuitijs, delicijſque perfruitur, qui non hac chorda tractus extiterit? Quia nemo mundus à ſorde, nemo ea nō indiget, vt eò erigatur, vbi nullæ ſunt ſordes.

*Hugo Cardin. in Pſ. 77.*

3 Nunc ad Pſalmiſtam reuertor, qui, vt Hieronymo placet, Chriſti corpus ſcabellum appellat. *Hic Propheta*, ait S. Doctor, *ſcabellum Corpus Domini dicit, cum adorate, inquit, ſcabellum pedum eius.* Vere Dei ſcabellum eſt euchariſticum ſacrum, in quo maieſtas manet Diuinitatis, Deuſque nobiſcum corporaliter hoſpitatur. Sed aduerte, Corpus Chriſti non modo Dei, ſed & noſtrum reſpectu, ſcabellum dici: quod qua ratione dicatur, clarè percipies, vbi Richardū à S. Laurentio audieris. *Scabellum*, inquit, *de quo dicitur de Pſalmo nonageſimo octauo, adorate ſcabellum pedum eius, dicitur à ſcandendo propriè, quia apponitur ad aſcenſum lecti.* Vt nos ad beatam, æternamque requiem aſcendere potuiſſemus, vbi lectulus ille floridus ſternitur, in quo ſanctorum animæ dulciter requieſcunt, datū eſt nobis ſacrum euchariſtici Sacramenti ſcabellum; ſine quo tam altè erigi, ac vitam illam attingere, quæ tam longè ſupra nos eminet, impoſſibile eſt. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

*Pſ. 98. 5. D. Hier. ibid.*

*Rich. a S. Laur. de Laud. B. M. lib. 10*

*Io. 6. 54.*

4 Chriſtum in proximo moriturum, dum Patrem Oliueti precaretur in mōte, ſuper terram procidiſſe, tradit Euangeliſta. *Et cum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram, & orabat.* Ad quid ſuper terrā, qui de cœlo eſt, & nihil habet cum terra, procidit? Vt terram eleuaret à terra, ac in cęlum reponeret. *Procidit ſuper terram*, ait D. Bernardinus, *quia quærebat illam ponere ſupra cęlum, ad quod poſsidendum erecta erat.* Chriſtus cœlica magnes eſt, qua homines è terra trahuntur in cęlum. Cum itaq; videas Chriſtum per ſingulos dies deſcendentem ad altare, ac procumbentem in terram animæ ſuæ (terra eſt, dum terrenis rebus afficitur: vulgo enim dicitur: Id es, quod amas) cogita pientiſſimum Dominum velle eam amplecti, amplexam in altum extollere, elatā in cœlū reponere.

*Mar. 14.*

*D. Bernard. to. 1 ſerm. 55. ar. 4. c. 2.*

Poſt-

5 Poſtquam Virgo Sanctiſſima Dei vnigenitum ſuo concepit in vtero, egreſſa eſt confeſtim à Nazareth, abijtque in Montana. *Exurgens Maria,* ait Lucas, *abijt in montana cum feſtinatione.* Expende illud *Cum feſtinatione*, quod non moras modo, & cunctationes excludit, ſed, & celerem, inſuetamque velocitatem importat. Ac ſi diceretur. Vt Deum Virgo concepit, vt Verbum geſsit, & incluſit in vtero, nulla mora, nullo temporis ſpatio, nec paruo quidem intercedente, abijt, in montana. *In montana*, inquit, quod dignum pariter eſt expenſione. Non in plana, non in ima conceſſit; ſed ſurſum ad montes, qui, qua efferuntur, proceritate, nubes pertranſire, cœloſque videtur attingere. Sed quęnam res ſanctam compulit Genitricem, vt tanta feſtinatione properaret ad cęlum? Deus, quem in vtero dudum exceperat, ait D. Ambroſius. *Quò enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet?* Ac ſi dicat. Mirum nemini ſit, ſacratiſſimam Dei matrem, vt Deum recepit in ventrem, tanta celeritate ſurſum elatam: quia Deus, quē implet, minimè relinquit in terra: ſed eodem, quo receptus eſt, tempore, in aera ſubleuat, ad ſublimia defert, in cęlum extollit. De Diuo Philippo Nereo traditur, quod dum ſacrum perageret, & ſalutarem hoſtiam, vt mos eſt, attolleret; ità rapiebatur in Deum, vt manus in ſublime erectas deponere non poſsit. *Retulit ille poſtea*, ſubdit Gallonius, *videri ſibi ab aliquo apprehendi, atque altè è terra per vim mirabiliter ſuſtolli.* Vides. quo pacto vir beatiſsimus, mox, vt ſecum Euchariſtiam habuit, ſurſum, cęlum verſus, ferebatur, imò rapiebatur?

Luc. 1. 39.

D. Amb. lib. 2. in Luc.

Gallon. in Vit. D. Philip. Ner. an. 1551.

6. Dum, vbi Vulgatus habet: *Pingueſcent ſpecioſa deſerti*, pro *ſpecioſis*, vt Hieronymo placet, *paſcuam* leges, noſtro theorematí ſuffragaberis. Quidnam paſcua, niſi ſacra Euchariſtia. Inſtar ouium, humiles, puros, ſimplices, in hac terræ māſione paſcit Euchariſtia. *Paſcua eſt Sacramētum altaris.* ſcribit D. Vincentius. Sed quid ex hac paſcua? *Exultatione*, inquit, *colles accingentur*, ſiue, *erigentur*, vt placet Hilario. Quos enim terræ preſſos, humique iacentes inuenerit, ſubleuat, extollit, erigit, in cęlum vehit. *Colles erigentur.*

Pſ. 64. 13.

D. Vinc. ſer. Fer. III. poſt Inuocau.

7 Dum in argentea ſphæra ſacram hoſtiam vides, tot, tantiſque radijs circundatam, ſacro in altari expoſitam cunctorum obtutibus, nonnè putas te ſolem videre? imò ſolē hoc

ſole

ſole maiorem, vtilioremque? Itá quidem: nam, vt inquit Lucas Burgenſis, *Præſtat nobis ſolem è cælo auferri, quàm hæc ſacroſancta, ac viuifica myſteria.* Videamus autem, quare Dominus ſolis, dum reſidet in altaris ſolio, præſeferat Solem. Hoc meo iudicio facit, vt eius gerat, oſtendatque formam, cuius exercet, & agit proprietatem. Quemadmodum enim ſol extrahit humores ab imo, ac ſurſum, cęlumq; verſus extollit, vnde ſolis nomen, quaſi ſurſum leuans, obtinuit: itá etiam Chriſtus animas, quæ tenuiores ſunt hominum partes, è corporum glebis effert, & in cęlũ erigit, rapitq;. *Chriſtus*, ait Richardus, *dicitur Sol, quaſi ſurſum leuans: quia ad ſe trahit aquas maris, & humores terræ; ideſt humiles conſtitutos in terra, illos ſurſum trahit, & elongat à terra.* Sanè nulla nobis alia ſalutis, exaltationis, ac glorificationis eſt ſpes ab ea, quam habemus in Euchariſtia. *Nemo*, inquit Rupertus *te ſubleuat in cęlum, niſi hic panis, qui deſcendit de cœlo; nempe Corpus Chriſti, hoc corpus Domini, quod pependit in ligno, & hic ſanguis eius, qui effuſus eſt pro omni mundo.*

*Luc. Bur. ſer. 13. de Diuin. vnion.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib. 12*

*Rup. li. 6. in Ioan.*

8 Quæ Deus in ſublimi ſolio ſedens ex Ioannis reuelationibus protulit, *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ*, maximæ digna ſunt trutinæ, & aduerſionis. *Fons iſte vitæ non eſt alius, quàm Chriſtus*, ait Arethas. Per aquas vitæ, quæ ex hoc fonte ſcaturiunt, ſanguinem eius intellige, qui quinis ſyphonijs effluens, totum mundũ inundat, & emũdat. Quorſum autem ſanguis Chriſti dicitur aqua vitæ? Quia cõfert nobis alas, vt volemus in cęlũ ad vitam. Hoc mihi in memoriam Zoroaſtris commentum redegit, qui animum alatum putauit, eumque decedẽtibus alis, præcipitem in corpus ferri; illis verò mox ſucreſcentibus, ad ſuperos euolare. Sed percontantibus eum diſcipulis, quo pacto alis benè plumãtibus animos volucres ſortiri poſſent, *Irrigetis, inquit, alas aquis vitæ*; tradit Pierius. Sed Zoroaſtrem, eiuſque fabellas deſeramus, quæ nullam habẽt vim ad noſtra dogmata confirmanda. Habemus enim Macharium, hæc dicentem. *Chriſtus immolatus eſt, & ſanguis eius nos aſpergens, fecit, vt naſcerentur nobis alæ ad volandum ſine vllo impedimento in aerem diuinum.* Deus itaque fontem aquæ viuæ, nempe Filium eius vnigenitum, nobis impertit, vt diuino cruore vndiq; ſcatẽs, noſtra ditet altaria, quo ſub vini ſpecie ebibito plumeſcãt potantes, alas aſſumant, erigantur à terra, ac cęlum verſus

*Apoc. 21 6.*

*Arethas ibid.*

*Arethaſ.*

*Pier. lib. 21. de Accipite.*

*D. Machar. Hõ. 47.*

ſus

ſus aſcendant.

9 Ita diuinus Apoſtolus dum alteram ad Corinthios ſcribit, incipit. *Paulus Apoſtolus, & Timotheus frater, Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis qui ſunt in vniuerſa Achaia, gratia, &c.* Vbi vt vides, fidei noſtrę aſſertores ſanctos vocat: ſancti enim ſunt. Vnde nam ſancti? Ob ſacrorũ miſteriorum participationem, *Sancti vocantur*, ait Cabaſila. *propter ſanctum cuius ſunt participes, & quo corporis, & ſanguini communicant. Membra enim illius corporis exiſtentes, carnes ex carnibus eius, & oſſa oſſibus eius donec ei coniuncti ſumus, aptamque compagem, & connexionem ſeruamus, viuimus, vitam, & ſanctificationem per ſacramenta ab illo capite, & corda trahentes.* Cum ſanctum audis, è terra in cælum eleuatum agnoſce, ceũ nihil terrenum, ſed cæleſte omne contineat; ſanctum quippe idem, ac ſine terra eſt. Sanè propter hæc ſancta eatenus è terra in cælũ eleuamur, vt nihil quod terrę ſit noſtræ inhæreat animæ.

*2. Corint.*

*Nic. Cabaſ. Litu. expoſ. c. 26.*

10 Hinc puto maluiſſe Chriſtum ſub ſenſibilibus vini, quam olei, balſami, aut alterius liquoris, ſacrũ eius ſãguinem contineri. Vt nimirum perſpectis vini formis, ex effectibus vini, contenti proprietatum memineris. Tritum eſt, & vulgare, vinum mẽtem attollere. Quod innuere Spartani, dum Dionyſium pennatum effingerent. *Dionyſius*, ait Pierius, *apud Spartanos pennatus dicitur, vinum ſiquidẽ mentem non ſecus, ac alæ corpus attollit*. Ineffabile verò Sacrũ, quas reficit, nutritque, animas in cęlum tollit, rapit, & erigit. Vide S. Mulierem hac ſacra refectione pennatam. Cum B. Monica genitrix Auguſtini in S. Cypriani ſolemnibus diuina ſumpſiſſet myſteria, à terra ferè per cubitum eleuata, clamabat: *Volemus, ad cęlum, volemus ad cœlum, fideles.*

*Pier. lib. 53.*

*Vit. B. Monica to. 10. S. Auguſt.*

11 Pauca quidem ſunt verba, ſed magno fæta myſterio, quæ Dominus ait Petro, piſcari præcipiens. *Vade ad mare, & mitte hamum.* Nam, quoniam illum ex piſcium, hominum piſcatorem effecerat, ijs verbis docebat, qualiter homines ex mundi maris magni profundo poſſet educere, & ſurſum erigere. Verum quem nam hamum adhibere poterat Petrus, ad extrahendos à terra homines, qui terræ obuo luti ſunt, & affixi, ad extollẽdos in cœlum? Dominum Ieſum, ait Hugo. *Hamus Chriſtus, ferrum Deitas, eſca caro.* Tantę virtutis pro exaltatione noſtra eſt Chriſtus, vt puriſſima eius caro, quæ eſca dicitur, *Eſcam dedit timentibus ſe*;

*Mat. 17. 26.*

*Hugo Cardin. ibid.*

nos

nos, in os intrans, fortiter capiat, captoſq; ab imo tollat, & in cœlum reponat. Vis hominem hoc hamo captum, & ſubleuatum videre? *Cum D. Dominus*, refert Surius, *Corpus Chriſti puriſſimis manibus in altum eleuaret, cunctis, qui aderāt, ſpectantibus, & ſtupentibus, ipſe pariter vnius cubiti altitudine è terra eleuatus eſt.*

Sur. in Vit. S. Domin. lib. 2. c. 6.

12 Dum, vt habes in Pſal. conquæritur Regius Pſaltes, ſua ob ieiunium genua affecta infirmitate. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* proſtratum, decumbentem, humi iacentem agnoſce; ſeque in altum erigere, vt ſtare poſſit, inualidum. Magno ſanè merebat languore. Sed quod nam hoc erat ieiunium, quod hominem in terram, è terra erectum eiecerat? Sacri Chriſti panis, qui de cœlo deſcendit, ieiunium. Ita habet Bruno. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, a ieiunio panis illius qui de cœlo deſcendit.* Quandiù ſe Chriſti pane non refecerit homo, humi proſtatus iacebit: nihil quippe eſt quod iacentem erigere poſſit, quam Chriſti panis refectio; hæc lāguores emēdat, languētes roborat, vires præbet, imbecilles confortat; vt non amplius terræ præſſi, ſed ſupra terram erecti, quæ cœli ſunt exquirant.

Pſal. 18. 24.

D. Brun. Ibid.

13 Demum, vt huic rei coronidem apponamus, expendatur pulchra Saluatoris noſtri ſententia. *Nemo*, inquit, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cęlo, filius hominis, qui eſt in cęlo.* Quem prima fronte non terrebunt hæc verba? Domine Deus omnipotens: ſi non aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, quiſnam noſtrum aſcendet in cœlum, cum nunquam deſcenderit è cœlo? Pro te igitur, tuiſque Angelis, non pro nobis, cœlorum conſtructa eſt habitatio. Confortamini, ait Innocentius: noſtrum erit cœlum; tametſi inde nunquam deſcenderimus. Dum Chriſtus ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*, vera dicit: Sed nobis, dum corpus, & ſanguinem ſuum apponit, vt per talem Cibum, & potum, ei, ceu membra capiti, incorporemur, vnuſque cum illo fiamus, Regni cælorum ſpem exhibet. Nam, cum certum ſit nos noſtris viribus fretos, in cęlum ferri non poſſe, datum nobis eſt hoc ſacrū, vt per illud vnum facti cùm Chriſto, è terra ſubleuari, & in cœlum aſcendere valeamus. Cum autem ſic aſcēdimus, non nos, qui nunquam inde deſcendimus, ſed Chriſtus, qui deſcendit, aſcendere dicitur. En eius verba. *Huius Sacramenti virtute poſſibile fit, vt, qui*

Ioan. 3. 13.

Innocēt. III. de Myſt. Miſſæ li. 14. c. 44.

*qui de terra ſunt, in coelum aſcẽdant: nam Chriſto, tamquam ſuo capiti cuncta membra corporis, adnectuntur omnes, qui per fidem huius Sacramenti ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Et ſit vnum corpus, vna perſona, vnus Chriſtus, caput cum ſuis membris, in coelum aſcendit.* Stet igitur Euchariſtiam, erigere in cœlum, quos reficit. Sed de hoc ſatis, nunc ad aliud properandum.

THEOREMATA

# MORALIA

EX VERSV TERTIO PSAL. 22 DECERPTA,

DE AVGVSTISSIMO

EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ; propter nomen ſuum.

SCribunt quidẽ ethnici in ore Platonis, Pindarique infãtiũ, apes mellificaſſe; vt ide, quaſi ex quodam præſagio, eorum eloquij innueretur dulcedo. De Dauide autẽ, cuius omnem linguæ ſuauitas ſuauitatem excellit, nil tale recenſent. Nec mirum. In os eorum viſibiles, in iſtius ſpiritales apes aduolauerunt, de quibus illud iure poterat decãtare *Circundederunt me ſicut apes*. In quo diuino prorſus ingenio, Paradiſi omnem condidere dulcedinem: vt non verba mortis, vt Plato, Pindaruſque, ſed vitæ, vt Chriſtus (verè Chriſti pater) videatur enixum. Quali eius eloquia referta ſint dulcitudine, quo melle illita, quo nectare prædita, ambro-

*Pier. lib. 26.*

*Pſal. 117 12.*

broſia condita, ex iam explicatis Pſalmi euchariſtici verſibus, puto te non latere; ſed & ex ijs, quos explicare pergimus, latiùs innoteſcet.

## THEOREMA I.

### Deduxit me.

*Magnum humilitatis exemplar Chriſtus in Euchariſtia.*

QVoniam *deducere* ab alto potius deorſum ducere, quam quidquam aliud propriè importat; dum ſe Propheta deductum refert à Deo *Deduxit me*, ingenioſiſſimè innuit, ſe ob ea, quæ in euchariſtico Sacro conſiderantur, deorſum ductum, nempe humiliatum. Quod exemplo Domini clarum eſt euenire, vbi ſit ipſe mirum humiliatur in modum, vt humilitatis exemplar cẽſendus ſit: nemoque ibi, tantam humilitatem expendens, deduci, & humiliari non diſcat, vbi nihil quidpiam non indicat, non docet, nõ prædicat, quam humilitatem.

1 Illud primò expendendũ ſe offert, quod Moyſes Dei iuſſu cœlicum manna, in perpetuum tanti miraculi monumentum, in arca foederis cõdidit. De quo Paulus Hebræis: *Poſt velamentum autẽ* Hebr. 9.
*ſecundum erat tabernaculũ, quod* 4.
*dicitur Sancta Sanctorum, aureũ habens thuribulum, & arcam teſtamenti, circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna.* Nam, quia manna (vt toties repetitũ eſt, & repetendum) Sanctam Euchariſtiam figurabat; dum legis mãna conſeruatum in arca, Chriſtum ſub formis panis conſeruatum intelliges. Sed quorſum Chriſtus dicendus tunc eſſe in arca, non in aula, in theſauro, in throno, ſiue in alia ſede, aut repoſitorio? Vt humiliatum agnoſcas. Sanè, ſicut res eſt impoſſibilis, magnũ, ac latum veſtimentũ, niſi complicetur prius, in paruam arcam recondi: ità impoſſibile eſt immenſum Deũ, & magnum, cuius magnitudinis non eſt finis, quem coeli, & terra capere non poſſunt, in breuiſſima forma panis includi, niſi, naturali magnitudine, & immenſitate poſthabita, complicetur, paruefiat, humilietur. Dicam igitur, cum Richardo à S. Laurẽtio,
*Sicut in arca veſtimenta compli-* Rich. à S.
*cantur, ſic Chriſtus, quem totus* Laur. de
*non capit orbis, quaſi com-* laud. B.
*plicatus, & humiliatus pa-* Mar. lib.
*nis ſub arca clauſus eſt:* vt ſuo 19.

nos exemplo paruitatem, & humilitatem doceret.

2 Sub mannæ typo Euchariſtiam, in qua Chriſtum diximus humiliari, rurſus conſideremus. De ea tradit Moyſes, ad diem vſque ſequentem aſſeruatam, vermiculum protuliſſe. *Dimiſerunt*, inquit, *quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cæpit vermibus.* Quod Rupertus expendens, vt moris eſt, quærit, quidnam eſſet ille vermiculus, quem Angelorum panis proferebat. Aitque: *Spiritualiter ſcatens de manna vermiculus, ille eſt, qui loquitur in Pſalmo: Ego autem ſum vermis, & non homo. Sicut enim vermis ſine concubitu de manna ſcaturit, ſic ſolus ſine virili ſemine de virgineo ventre conceptus, & natus eſt Chriſtus filius Dei.* Quare autem Chriſtus, ſub panis figuris manens, vermis, & non homo, dicitur, cum ſit Deus, & homo? Vt eius humilitatem percipias, depreſſionem conſideres, paruitatem agnoſcas. Quid namque verme vilius, depreſſius, humilius? *Vermis ſum, & non homo.*

*Exod. 16. 20.*

*Rup. lib. 3. cap. 18. in Exod.*

*Pſ. 21. 7.*

3 Hoc & æterna Dei Sapientia innuit, cùm ſeſe palmæ cōparauit in Cades. *Quaſi palma*, inquit, *exaltata ſum in Cades.* Aduertendum autem *Cades*, quia Latinè *Sancta* interpretatur, vtriuſque, triumphantis ſcilicet, & militantis, Eccleſiæ typum eſſe. Vtraque enim eſt ſancta: illa, quod nihil in ea ingreditur ſordidum; hæc, quod tota formoſa eſt, ſine macula, & ruga. Quia verò Chriſtus ſic cœlo adeſt ad dexteram Patris, vt non abſit à terra, clauſus in Sacramento; vno, eodemque momento, in vtraque Eccleſia dicendus eſt exaltari. In vtraque, inquam, ſurſum videlicet, & deorſum: ſed vt palma. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Quare vt palma? Vt æque magnum in cœlo, ac paruum intelligas in Sacramento. Nam, vt ait Richardus à Sancto Laurentio, *Palma inferius anguſtatur, ſuperius dilatatur.* Tanta ſanè Chriſtus paruitate attenuatur in terra deorſum, quanta magnitudine dilatatur in cęlo ſurſum. Vnde in cęlo magnitudinis eius non eſt finis, in altari paruitatis eius non eſt comparatio. Et quidnam cum verme in humilitate contendet, cui ſe ipſe confert, dum manna noſtrum efficitur?

*Eccleſiaſ. 24. 18.*

*Rich. à S. Laur. de laud. B. Mar. lib. 12.*

4 Quoniam in ſacris litteris ſub eſcæ nomine exprimitur Euchariſtia, *Eſcam dedit timentibus ſe. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum*; dum Chriſtum Diſcipulis dicentem audio, *Nonnè anima plus eſt, quàm eſca*, de Sacro eucha-

*Pſ. 110. 4*

*Sap. 16. 20.*

*Matt. 6. 25.*

riſtico, quod animę eſca eſt, locutum intelligo. Cui pariter animam noſtram præferri percipio: quod quàm difficile ſit, neminem latet. Certè, cum Euchariſtia Deus ſit, quem ſub panis formis abſcondit: quæque à Deo facta ſunt, Deo præferri, quia & conferri, non poſſint, quare animam Deus pluſquam Euchariſtiam eſſe ait, quæ pluſquam anima, pluſquam Angeli, pluſquam Cherubim eſt, & Seraphim? Pulcherrima difficultas, quæ exoluitur à Palacio, ſic Chriſtum alloquente. *Planè, ſicut placuit tibi miniſter noſter eſſe, & inter nos verſari; non ſicut, qui maior eſt, ſed ſicut, qui miniſtrat: ità placuit hac ratione minor videri, quod cibus noſter eſſes.* Ideſt. Tanta clementia nobiſcum agis, mitiſſime Deus, vt nullum moueas lapidem, quin nos tuæ non deprimas, & deducas exemplo. Dum terram coleres, te ipſum nobis exhibuiſti miniſtrum. Nunc verò, cęlo præſidens, animarum noſtrarum cibus effectus, ac nos infra demiſſus, & humiliatus, *Anima plus eſt, quàm eſca*, dixiſti.

*Palac. ibid.*

5 Nunc ad Chriſti Sponsā, noſtramque matrem, Eccleſiam, accedamus, quæ illius è cęlo deſcendentis conſiderans magnitudinem: *Intuemini*, ait, *quantus ſit iſte, qui ingreditur ad ſaluandas gentes: ipſe eſt Rex iuſtitiæ, cuius generatio non habet finem.* Ac ſi diceret. Tantæ altitudinis, & magnitudinis eſt, tantæ proceritatis, & immenſitatis, quòd, in proprijs ſpectetur obtutibus, arduum ſit, & difficile, creditu. Vidiſti Dei magnitudinem ad ſaluandas gentes deſcendentis è cęlo? Vide mox paruitatem, qua factus homo, clauſus eſt in vtero matris. *Quando Virgo concepit*, ait Bernardinꝰ, *& ait: Ecce ancilla Domini, immediatè Chriſtus ſanctus cepit tantum de ſanguine Virginis, quantum vix poſſet ſtare ſuper aciem vnius paruulæ acus: & ibi erat integer, licèt eſſet ità paruus, quod vix vidiſſes eum.* Et alibi. *Cum Chriſtus in vterum Virginis venit, carnemque aſſumpſit, tanta breuitate circumamictus eſt, vt ſi poſitus fuiſſet ſuper papyrum, vel palmam manus, vix eum humanus oculus percepiſſet.* Quorſum ex tanta magnitudine in tantam paruitatem deſcendit? Quia exemplo ſuo paruos quęrebat, ait Auguſtinus. *Quantus ibi erat, & quam magnus? quam paruus factus fuit? Paruus factus, paruos quærebat.* Cæterum, quia, vt ait Damaſcenus, *Iacet panis in ſacra menſa tamquam in vtero Virginis:* in hoſtia conſecrata factus paruiſſimus cenſendus eſt.

*Breu. Roma. Reſp. 9. Dom. 4. Adu.*

*D. Bernardin. tom. 4. ſer. 1. de Reg. Dei.*

*Idem ſer. 3. Dom. 2. ſer. 20. ar. 2. c. 7.*

*D. Aug. ſer. 20. de Temp.*

*D. Damaſc. epiſt. ad Zach. c. 1*

Non-

Nonnè paruiſſimus, qui totus ſub quauis parua ſpeciei particula, etiam minore minima, quin & in indiuiſibili (ſi hæc ſint in quantitate) ſubſiſtit? Quod ſi huius paruitatis cauſam curioſiùs percontteris, dicam cum Auguſtino: *Quia paruos quærit.* Humiliat ſe, fitque paruus, vt ſua nos paruitate, & humilitate humiliari, & paruefieri doceat. O magnum humilitatis, & depreſſionis exemplar.

6 Per Propitiatorium, quod Dominus Moyſi fabrefaciendum iniunxit, Cyrillus Chriſtum intelligit quia, *Per ipſum namque, fit nobis propitius Pater.* Quia verò, vt toties dictum eſt, ad propitiatorij latera duo Cherubim aſſiſtebant, vt illud hinc inde alis ſuis obtegerent, *Duos quoque Cherubim*, inquit Dominus, *aureos, & productiles facies ex vtraq; parte oraculi. Cherub vnus ex latere vno, & alter in altero, vtrumque latus propitiatorij tegant; expandentes alas, & operientes oraculum*, Chriſtum à Cherubinis, dum noſter propitiator eſt, tectum, & abſconditum ſcias. Cur autem Chriſtus dum nobis propitiatur abſconditur? Rectè *Qui malè agit odit lucem*: nā tenebras exquirit peccator, nè mala videatur agere, ſibique conuiuia cumulare: Sed ſummus noſter benefactor, pro nobis propitiator, nos Deo concilians, coeleſtiumque bonorum participes reddens, cur dum reuelari deberet, abſconditur? Audi Oleaſtrum pulchra reſponſione occurrentem. *Summus benefactor eſt, & nihilominus tectus, vt te doceat benefacere, & nolle videri.* Ideſt. Dum Deum benefactorem tuū abſconditum audis, humilitatis tuæ ſpeculum cenſeas, in quo diſcas à nemine videri, dum alteri benefacies. Quid aliud de eodem Chriſto cenſendum, dum velatus, & tectus, coeli munera impertiens, reſidet in altari? *Ratio*, inquit Doctor Angelicus, *quare corpus ſuum dat velatum, eſt inſtructio morū: diſcit enim homo abſcondere virtutum, & bonorum operum intentionem ab humano fauore.*

D. Cyrill. Alex. li. 9. de Adorat.

Exod. 25. 18.

Ioa. 3. 30

Oleaſt. in cap. 25. Exodi.

D. Thom. opuſc. 58. cap. 8.

7 Aduerte quo pacto Chriſtus in Sacramento, quæ ſunt vulgaria, & vilia, noſtris exponat obtutibus, pretioſiora verò ac pulchriora, occultet, & recondat. Quæ palam facit, panis ſunt accidentia, & vini; quæ in occulto ponit, caro, anima, ſanguis, & Deitas. Sed cum mundus, quod vile turpeque eſt, abſcōdat, quod pretioſum, ac pulchrum oſtendat: quare ex aduerſo Chriſtus ſe habet? Cum Oleaſtrum audieris, veram diſcriminis huius intelliges rationem. *Sepa-*

Oleaſt. in cap. 26. Exod.

*rata*

*rata ſunt*, inquit, *à noſtris opera tua Domine. Conſueuerunt filij Adæ, quidquid pretioſum, aut pulchrum habent, in ingreſſu domus ſuæ locare, vt qui perſonã ignorent, cognoſcunt eius vanitatem. Non ſic autẽ Deus tuus; ſed pretioſa ponit in occulto, vilia in ingreſſu.* Perinde (inquit) Deus humilitatem diligit, vanitatẽ odit, vt, quæ habet pretioſa, domi ſeruet abſcondita, oſtẽtet verò vilia, atque vulgaria. Vt vanitatem noſtram obtundat, eleuationem deprimat, humilitatem edoceat.

8 Vis & aliud huius humilitatis in eadem hoſtia teſtimonium? faciem eius vtramque cõſidera; in quarum vna, quæ mortis humilitatem oſtendit, imago Crucifixi relucet; in altera verò, quæ reſurrectionis gloriam repræſentat, nullum apparet veſtigium. *Primi ferri figura*, ait Bernardinus, *in Chriſti corpore relicta eſt, dum vulneratus clauis, confoſſus ſpinis, turpatus ſputis, ligatus vinculis, velatuſque oculis, atque plenus iniurijs nõ remanſit in eo ſpecies, neque decor. Secundi ferri quodammodo non remanſit figura, dum mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* O miram Dei noſtri humilitatem: quæ magna habet, & admirabilia, ſatagit obuelare; quæ imbecilla, & humilia, in propatulo ponere. Se quidem in hoſtia ligno pendentem, & ĩ ludibrio poſitum oſtendit; gloria, & maieſtate circundatum, vt verè ſub illis credimus eſſe formis, abſcondit.

D. Bernardin. to. 2. de Sacram. ar. 1. c. 2.

9 Quid putas in altaris menſa dedit tibi Deus bibendum per ſingulos dies, & manducandum? Cor ſuum dedit; vnigenitum Filium ſuum, qui cor ſuum eſt, dedit. *Nam, quod,* ait Pierius, *diuinæ litteræ cor Dei ſæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud diuinæ ſapiẽtiæ, quæ à Patre eſt, vt Pſal. Eructauit cor meum verbum bonum, innuens filium Ieſum Chriſtum, altæ illius ſapientiæ myſterio genitum, ità Eucherius.* Habet ne pretioſius, pulchrius, aut amabilius Pater corde ſuo? Vnigenito ſuo? Minimè certè. Videamus autem quale ſit vaſculum, in quo nobis ipſe cor ſuum diuiniſſimum comedendum apponit. Terreum, fictile, luteum eſt. Eſt enim ex ſenſibilibus panis, & vini, quæ terra parit, & profert. Miranda res equidem, tam magnum donum, tam pulchrum munus, tam pretioſum theſaurum, in paropſide ſolis, imò ſole pretioſiore, & pulchriore, reponendum, in fictili vaſe reponi. Quare hoc? Quia ſe præbuit in humilitatis exemplum.

Pier. lib. 34.

Placet Ioan. Gerſoni, ſiue Tho-

Thomæ de Kempis, Deum verbis illis, *Venite ad me oẽs, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ad ſanctam communionem Chriſticolas incitare. *Venite, inquis, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O dulce, & admirabile verbum in ore peccatoris, quo tu Domine Deus meus egenum, & pauperem inuitas ad communionem tui ſanctiſſimi Corporis.* Sed obſerua, quod poſtquam ad communionem inuitat: *Diſcite*, ait, *à me; quia mitis ſum, & humilis corde.* Vides paruitatis ſpeculum, depreſſionis imaginem, humilitatis exẽplum? Vt te, tuumq; ſpiritum proſternet, deducet, humiliet; ad ſua te vocat altaria.

*Matt. 11. 28.*

*Ioã. Gerſ. de imit. Chriſti li. 4. cap. 1.*

## THEOREMA II.

### Super ſemitas iuſtitiæ.

*Vt dignè Chriſtum accipias, Chriſtus fias.*

QVoniam Dauid eucharisticis aquis educandus erat, & oblectandus; vt cęleſtis doni dignus fieret, ſuper ſemitas iuſtitiæ ductus eſt à Deo. *Deduxit me*, inquit, *ſuper ſemitas iuſtitiæ.* Ideſt. Fecit me ſuo Chriſto ſimillimum, ac velut alium Chriſtum. (*Solum Chriſtum in ſemitis iuſtitiæ, nemine non errante, ſcimus perſeueraſſe*) Chriſtus planè eſt, qui Chriſtum imitatur, Chriſti terit ſemitas, Chriſti calcat veſtigia. Tanta igitur ſanctitate, & innocentia animam exornari oportet, Chriſtum Dominum accepturam, vt, cum Propheta fiat alius Chriſtus. Nam non, niſi Chriſtus, Chriſtum pro merito manducat, & bibit.

1 Placuit Eccleſiæ ſuis iniungere Pontificibus, vt dum Sacerdotes conſecrant, oleo ſanctificato manus eius inungant. Quandoquidem manus Chriſti dum pendebant in Cruce, perforatæ clauis oſtendebantur: vt Chriſtum, manus ſignatas habentem, præferat Sacerdos, manus eius vice clauorum, oleo ſancto ſignantur. *Oleo ſancto*, ait Rupertus de Sacerdotis conſecratione pertractans, *clauis paſſionis Chriſti ſignatæ ſunt.* Sicut Seraphicus Patriarcha, poſtquam Chriſti meritus eſt ſtigmata, Chriſti effigiem habuiſſe traditur à Bonauẽtura. *Deſcẽdit de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem in carneis membris deſcriptam.* Ita noui Sacerdotes, dum ex altari deſcendunt, tamquam tot Chriſti, Chriſtum induti, deſcendunt. Quod non ſubticuit Pſaltes, dum ait: *Sacerdotes*

*Rup. de Diu. Off. lib. 2. c. 5*

*D. Bonau. in Vit. S. Franc. cap. 13.*

*Pſal. 131. 13.*

*dotes eius induam ſalutari*. *Salutari, ideſt Saluatore*. ait D. Antoninus. Hoc autē fit, vt Chriſtum dignè contrectent. Nam manus, cui datum eſt Chriſtū tangere, & attrectare, nullo vnquam debuit inquinamento fœdari, quod ſolis Chriſti manibus conceſſum eſt. Solus Chriſtus *Peccatum non fecit*. ait Petrus. Et Chriſti nō erunt fideles alij, qui ad Chriſtum, non modo tangendum; ſed & comedendum, ſed & deglutiendum, accedunt?

D. Antonin. par. 3. tit. 3. c. 32.

1. Petr. 2. 22.

2 Vbi Deus Rex, vt inuitatos ad menſam, pro nuptijs filij ſui magnificētiſſimè extructam, inſpiceret; ingreſſus eſt in triclinium, quemdam nuptiali veſte nudatum, quem Matthæus hominem vocat, offendit. *Intrauit autem Rex. vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitū veſte nuptiali*. Videndum nunc æſtimo, quarenam hominem vocitet Euāgeliſta, veſtem nuptialem exutum, quem ſatis fuiſſet vocitare quemdam? Nam alioquin, certiſſimum erat, non brutum, non alitem, non piſcem fuiſſe; ſed hominem, qui inter homines, non inter piſces, alites, aut bruta, miſſus à Rege fuerat inuitari. Iure optimo hominem dixit, talique eum appellatione redarguit. Nam, tametſi Deus ad nuptias filij ſui, ad ſacrum nimirum altare, non inuitauerat bruta; nec pariter inuitauerat homines; ſed eos, qui cum actibus ſuis hominem exuere veterem, ſupraque hominem poſiti, Chriſtum, qui Deus eſt, & homo, induere. Nemo dignus ad Chriſti menſam accūbere, qui Dei filium non gerat, non induat, non repræſentet, non ſit. Ità philoſophatur Palacius, verba Regis, hunc miſerrimum increpantis, expendens. *In diuino, ait, conuiuio, vbi Deus eſt auctor cōuiuij, Deus ſponſus, ſponſa diuina, & omnia diuina; cur miſer diuinis hominē miſcuiſti? Eo ipſo quod ad vitæ prandium adductus es, hominem exuiſti; Chriſtum induiſti, vt iam non eſſes homo, vt reliqui homines; ſed velut Chriſtus, velut Deus*.

Matt. 22. 11.

Paul. de Palacio Ibid.

3 Diligenti animaduerſione dignum eſt illud, quod, vbi Sacerdos ſumpſit Euchariſtiā, manus perfundit, & abluit, quas ante conſecrationem nō ſemel abluerat, & perfuderat. Quodnam opus huius ablutionis? Fortè dū corpus Chriſti attrectauit, aliquod fœdū tetigit, aut immundum; quo vt mundetur, & purificetur, indigeat ablutione? Abſit, vt hoc aſſeramus. Tantū abeſt, vt contactus corporis Domini Sacerdotem inficiat, quod purificet, ſanctificet, mūdet. Abluit autem, ex Innocentio, Nō

Innoc. III. de Myſter. Miſſ. lib. 4. cap. 8. *quod quidquam immundum ex contactu Sacramenti cōtraxerit; ſed vt ſuam potius indignitatem commemoraret, qui ſe iudicat tātis ſacramentis celebrandis indignum.* Tali puritate, & innocentia fulgere debet dignè Chriſtū miniſtraturus, vt pluſquam homo ſit, oporteat: nā ſi homo fuerit, quamuis ſe millies lauerit, ſordeſcet adhuc, nouæ ſemper purificationis opus habebit. Ierem. 2. 22. *Si laueris te nitro*, ait Dominus, *& multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tua coram me.* Operæpretium ergo eſt, vt purum exuat hominem, & Chriſtum induat, à quo ſic lōgè abſunt immunditię, & ſordes, vt nullius ablutionis, & purificationis indigeat. B. Laur. Iuſt. ſer. de Euch. *Accedat igitur Sacerdos*, inquit Laurentius Iuſtinianus, *ad altaris tribunal vt Chriſtus.* Videlicet. Vt Sacerdos Chriſto non indignè miniſtret, Chriſtum non indignè conſecret, attrectet, & comedat; tali ſanctitate, ac puritate præfulgeat, vt ſupra homines euolet, hierarchias Angelorum pertranſeat, fiat Chriſtus, adque ſacrum altare vt Chriſtus accedat. *Accedat vt Chriſtus.*

4 Chriſtum, quem olim lex, & Prophetæ promiſerāt, plebs Iudæorum aduenisse nouerat, illumque Ioannem eſſe exiſtimans, ad eum, vt certior fieret, Leuitas miſit, & Sacerdotes, ſi ipſe Chriſtus eſſet, exploraturos. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit; quia non ſum ego Chriſtus.* Ioan. 1. 20. Perquiro. Quidnam in Ioanne viderant Iudæi, vt non purum hominē, ſed Chriſtum eſſe crederent? hominem ſcilicet, & Deum? *Eius excellentem ſanctitatē cognouerant*, ait Lyranus, *& ideo fuerunt moti ad opinandum ipſū eſſe Chriſtum.* Lyran. ibid. Tam pium, tam purum, tam ſanctum aduerterāt, vt ſupra hominem arbitrantes, Chriſtum, qui Deus, & homo eſt, autumarint. Ex quibus habes eum, qui ſanctitate, & puritate pcellit (qualem eſſe oportet, qui ſacro altari corpus Chriſti manducaturus accumbit) Chriſtum nō abs re nuncupandum.

5 Pernicioſi olim, graueſque rumores inter quoſdam fideles, ſolitariam vitam agentes, percrebuerunt: Virgo ſanctiſſima, Deipara ne, an vero Chriſtipara nominanda eſſet, addubitantes. Quibus D. Cyrillus, Alexandriæ Præſul, primam ſcripſit epiſtolā; Deiparam, non Chriſtiparam, nūcupandam; hac eos ratione motus, erudiens. Cum multi ſint Chriſti, vnde & multæ Chriſtiparæ; vnus vero Deus, quem

quem ſola Virgo concepit, & enixa eſt, Deiparæ nomen, vnicè Virgini competit, quod ſingularem eius, nulli communicandam indicat excellétiã, *Sunt igitur*, ait S. Doctor, *propterea quod vncti ſunt, Chriſti; ſolus Emmanuel Chriſtus eſt, & Deus. Nec aberrauerit à verò quiſquam ſi reliquorum matres Chriſtiparas quidem, verum non etiam Deiparas, vocet. Solam autem B. Virginem, & Chriſtiparam ſimul, & Deiparam eſſe intelligat, ac dicat.* Verum quinam ſunt ij, qui Dei ſui decorari vocabulo, Chriſtique appellari, meruerũt? Quos Deus oleo Sancti Spiritus perunxit (Chriſtus latinè vnctus interpretatur,) vt Hieremias Propheta, magnuſque Baptiſta, quorum genitrices, quia vnctos, & ſanctificatos peperiſſe conſtat, Chriſtiparæ dici poſſunt. Sed quorſum putas Deum hos in vtero matris vnxiſſe? purificaſſe? Chriſtos effinxiſſe? Niſi quia ore ſuo Chriſtum ille prophetare, hic digito demonſtrare debebãt? Quibus & B. Virginem adde, quam, vt eundem portaret in ventre, à communi hominum labe in vtero matris ſuæ, Dominæ meæ Annæ, præſeruatam tenemus, & prædicamus. Si igitur, qui Chriſtum gerere, oſtendere, ac prædicare debebant, tanta præuenti ſunt ſanctitate, vt Chriſti fierent, ac naſcerentur: quid de illo dicẽdum, qui Chriſtum ore comedere, digitis tangere, menteque portare ſe præparat? Nonnè & Chriſtum fieri oportet? Audi Doctorem Seraphicum ſic philoſophantem. *Hieremias debuit hunc ore prophetare, Ioannes autem digito monſtrare; Maria vero in vtero portare: & omnes iſti ante fuerunt ſancti, quam nati. Penſate ergo quãta sãctitate debet eſſe, qui habet agnum, non ore prophetare, ſed ore ſumere; non digito monſtrare, ſed digitis tractare; & qui non ventre, ſed mente portare debet.* Indicat, potiori iure hos quoque ſanctos, oleo Spiritus Sancti perunctos, & Chriſtos eſſe debere.

*D. Cyrill. Alex. ep. 1.*

*D. Bonav. ſer. 3. in Natiu. B. Ioan.*

6 Auctor eſt Athenæus apud Perſas quãdam eſſe aquã, quæ olim vulgo aurea dicebatur, ex qua nulli bibere licebat, *Præterquam ſoli Regi, atque ſeniori illius ex filijs. Alijs verò, ſi quis hanc aquam bibiſſet, capitis mulctabatur.* Pretioſiſſimam talem aquam fuiſſe cenſeo, ſolis Regibus propinandam: nam Rex pariter erat primogenitus Regis, qui ad potum eius etiam admittebatur. Simili modo dicam Sanctiſſimam Euchariſtiam, (quam ex dictis Propheta refectionis aquã appellat) aquã auream eſſe, quam quæ attingunt

*Athæn. li. 12. c. 3.*

gunt

gunt, pretioſa redduntur, & aurea. *Sicut enim*, inquit Chryſoſtomus, *auro liqueſcente, ſiue manum, ſiue linguam aliquis; immittat, eam ſtatim aureã reddit: & hæc propoſita pretioſam reddunt animam*. Quoniã autem ex hoc aureo fonte Chriſtus Rex paſcitur, & potatur, *Chriſtus*, ait Guerricus, *non alio pane, quam ſe ipſo, paſcitur*; nemini ad hæc Sancta patet acceſſus, præter Chriſto, eique, qui factus ſit Chriſtus à Chriſto, qui *Factor Chriſtorum* dicitur à Pamphilo. Vnctus ſcilicet à Chriſto, ſicque purificatus, vt, quo fieri poteſt modo, illi in munditia, puritate, ac ſanctitate ſimilis habeatur.

*D. Chryſoſt. Hom. 41. ad populum.*

*Guerr. ſer. 3. in Annunt.*

*Pamph. Apol. pro Orig.*

7 Vbi Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, eoque Diſcipulos pauit, ſe de eo cum illis aſſerit comediſſe. *Comedi*, inquit, *fauum meum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo*. Legunt alij: *Comedi panem meum cum melle meo*. Verè tunc temporis Chriſtus ſemetipſum manducauit, & bibit. Vnde verſus

*Cant. 5. 1.*

*Alia Transl.*

*Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena:*
*Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.*

Verum, cum Chriſtus non pro ſe, ſed pro ſua Eccleſia, eiuſque refectione, ſalute, & gloria, Euchariſtiam fecerit; quare ſeipſum, vt aſſerit manducauit, *Comedi panem meum cum melle meo?* Scio Chriſti communionem ad perfectum eius minime redundaſſe, qui gratiã, ſpiritualem refectionem, arctiſſimamque vnionem cum Deo, ſat fuerat cõſecutus; ſed ad Eccleſiæ ſuę inſtructionem: vt eius fideles agnoſcant, neminem ſacri ſui corporis dignum eſſe, qui Chriſtum, quantum fieri poteſt, eſſe non ſatagit. Chriſtum enim dignè tantum Chriſtus manducat. Semetipſum comedit, ait Gliſlerius, *Formam Eccleſiæ exhibens, qua ad tam ſolemne conuiuium ei eſſet accedendum. Vt, cum quis Sacramentum illud comedere velit, ea id comedat diſpoſitione, qua comedit Chriſtus: ſtudens nimirum, vt quam proprius fieri poteſt, ad ſanctitatem amoremque ardoris Chriſti accedat.*

*Alia lectio.*

*Gliſl. ibid.*

8 Hoc, & ex verbis, quæ prædictis continuantur, autumo confirmari. Vbi enim *Comedi*, inquit, *fauum meum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo*, ſubiungit, *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi*. Pro chariſſimi, *Fratres* vertunt Septuaginta, aiunt enim: *Comedite pximi, & bibite, & inebriamini fratres*. Eos igitur proximos, qui & fratres ſunt, ad ſacram menſam inuitat: fratres tantum vult, fratres quærit: qui vero fratres

*Cãt. ibid.*

non ſunt, nequaquam mellis, lactiſque ſui facit participes. Quid eſt hoc fratres chariſſimi? Vult tot Chriſtos eſſe, ſibi ſimiles, ſeipſum multiplicatum. Nam frater, ex Gelio, Græcè *Etimo*, ideſt *Fere alter* dicitur: alter inquam ille, cuius eſt frater. Reuera enim fratres, tantam inter ſe oris ſimilitudinem ſeruant, vt idem ferè ſint multiplicatus. Hinc *Ach* apud Hebræos, quod *fratrem* ſignificat, cognationem habet cum *Achad*, quod *vnum* ſonat; ac ſi fratres, non plures, ſed vnus ſint, alter alterum præſeferens. Quos verò tanta inter ſe ſimilitudine inſignitos aſpicimus, fratres exiſtimamus. De quodam puero refert Manutius ex Macrobio, cum tam mirificè Auguſtum referret, vt populi totius oculos in ſe conuerteret, omnium iudicio, vel ipſius etiam Auguſti, frater eius creditus eſt. Perpende etiam verbum *Amici* iuxtà lectioné Vulgati. *Comedite amici*, eandem enim probationem affert. Amicus namque Chriſti, alter Chriſtus eſt. *Amicus alter ipſe eſt*, ait Philoſophus.

*Aul. Gel. lib. 13. c. 10.*

*Apopt. Al. Manut.*

*Ariſtot. eth. lib. 9. cap. 4.*

9 Si verò, quid illis immineat, qui, cum Chriſti non ſint, Chriſti corpus manducaturi, Chriſti templum adeunt, ſciſcitaueris. Ex facto inquam, quod ſequitur, conſtabit. Cum ſemel Chriſtus domum Patris ingreſſus, nummulariorum nummos, appoſitos menſis, inſpiceret, tanta efferbuit, & accenſus eſt ira, vt menſas ſubuertens, nummos illos eijceret, & diſperderet. *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit*. Quid putas in nummis inuenit, quod eos, ſic miro modo accenſus, diffunderet, & proijceret? Adulterinos, & fraudulenter excuſſos, inuenit: inuenit Dæmonis imagine deformatos, quos diuina debebat ornare, pulchroſque reddere. *Proinde*, ſcribit Cælius, *in templo nummulariorum ſubuertuntur menſæ; dum ſignificatur in Dei templo ſpiritales tantum nummos eſſe debere, qui Deum præferant, non Diabolum*. Væ tibi, ſi templum adeas, diuinitatem non preferens humanitati coniunctam, ſi ad altaris menſam nó accedas vt Chriſtus; amicus ſcilicet & frater eius, quaſi alter ipſe, vel ipſe multiplicatus, ſi oleo non fueris Spiritus Sancti perunctus, ac maxima ſanctitate præuentus. E menſa namque proijcieris, diſpergeris, diſperſus, proiectus, Auerni ignibus conſignaberis, ad imaginem, quam non Chriſti, ſed Dœmonis prefers, abolendam.

*Ioan. 2. 15.*

*Cælius li. 2. cap. 17.*

## THEOREMA III.

### Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ.

*Dæmonium in corde hoſpitari, & Chriſtum ore ſuſcipere facinus execrandum.*

QVia me Deus omnipotés (ac ſi Pſaltes diceret) ſacra corporis ſui paſcua, ſuique ſanguinis aqua, paſcere conſtituerat, & potare; non modo prius, *Animam meã conuertit*, me ſcilicet ex peccatore, & impio, iuſtum fecit, & ſanctum: Verum, ne aliquod Dœmonis veſtigium cor meum inficeret, *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ*. Iure hoc Deus fecit: nam exhorrẽdũ perpetrat ille facinus; qui cum Dæmonem in corde habeat, Chriſtũ ore manducat.

1 A Iuda ſceleſtiſſimo inchoandum; de quo, quia multi probabiliter credunt, eum, antequam ſalutare porrigeretur edulium, exiuiſſe à cœnaculo, quod Ioannes ſubindicare videtur; quærendum. Quare proditor Domini è ſacro triclinio exiuit, cœleſtiſque ferculi ieiunus, & incœnatus remanſit? Reſpondent; Chriſtum, qui ei olim quamplurima tolerauit ſcelera, tam exhorrendũ facinus minimè permiſiſſe. Quam rationem his verbis victor Antiochen. trãſcribit. *Chriſtum cætera omnia æquanimiter toleraſſe, hoc verò tantum piaculum nequaquã permittere voluiſſe*: Tolerauit q; dem ſceleſto Clementiſſimus Dominus parricidum, matris ſtuprum, innumera latrocinia, quotidianas detractiones, ſuã demum proditionem, qua nil ſceleſtius à quouis impio cõmitti potuit: Non tolerauit autem in os eius ingredi, cuius in corde permanebat Dœmõ. Tã magnum facinus eſt, Dœmonem habentem in corde, Chriſtum in ore percipere, vt cuncta facinora ſuperet, omnes iniquitates excellat, ſitq; ſupra omnia flagitia; Et (ſi fas eſt dicere) ſuperat quodã modo diuinam patientiam, & tolerantiam; quaſi Deus, qui omnes tolerat impietates, hãc ferre non poſſit, etſi paſſim ſatis, ſuperque ferat.

*Ioan. 13. 30.*

*Vict. Antioch. in cap. 14. Matt.*

2 Expendamus, modò quæ de viro impio, ſceleſtoque ait Sophar Iob ſanctiſſimi neceſſarius. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus*, ſiue *Angelus*, vt transferũt Septuaginta. Vbi altiori ſenſu, diuitiarũ nomine ſancta intelligenda eſt Euchariſtia, de qua ſcribit Hieronymus. *Nihil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimi-*

*Iob. 20. 15.*

*Transl. Septuag.*

*D. Hiero. epiſ. 4. ad Ruſtic.*

*mineo, ſanguinemque portat in vitro.* Ea verò ab impio, q̃ brutum ſapit, non incongruè dicitur deuorata, quæ à ſolis ſanctis modo comeditur humano. Ait itaque Suphar peccatorē diuitias corporis Domini vomitare. Quorſum euomet, cum tot, ac tantas diuitias ſuis acquiſiuit ærarijs, vt nullus eo ditior? Quinam ſane mentis, vbi diues euaſit, vltro ſe bonis ſuis, vt pauper fiat, euacuat? Inuitus euomet; nam vt textus ſubſequitur: *De ventre illius extrahet eas Deus*, vel *Angelus*, ideſt per Angelum. Eo quia Deus, vbi fœdiſſimus receptus eſt Dœmon, horret inhabitare. Audi Cardinalem Hugonem. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, &c. Ideſt corpus Chriſti, quem deuorauit. Quia non vult Dominus remanere in ſententia Diaboli.* Venerabilis Ioanna de Cruce noſtri ſacri Ordinis non infimum decus, aiebat, ſibi die quadam, dum Deo preces effunderet, Angelum Dei S. Euchariſtiam, vt pro defunctis in Purgatorio detentis, poſtridie ſumeret, attuliſſe; quam extraxiſſe aiebat ex corpore cuiuſdam hominis peccatoris, nolente Domino Ieſu in ſentina Diaboli permanere. Cuius rei quamplurima alia apud Autores exempla reperies. Quam igitur magnum ſcelus, quam horrēdam iniquitatem, quam execrandum facinus perpetratur, qui Dominum in ſentinam immittit Diaboli? Qui Deum tantæ maieſtatis, & dignitatis, vt cęlum ipſum eius præſentia reputetur indignum, in enormiſſimum, ac fœdiſſimum locum, quęm perditiſſimum, ac turpiſſimus Dęmon ſuis ſordibus conſpurcauerat, eijcit?

*Hug. Card. in c. 6. Ioa.*

*In Vit. Ioa. de Cruce.*

3 Audi modo, quæ Monacho Damianus, vt dignè Chriſtum excipiat, eloquitur. *O Monache, vis in tuo loculo recondere Chriſtum; excute prius nummum. Magnus nempe hoſtes in diuerſorij tui quærit anguſta deſcendere, atque idcircò ſolus vult, & ſine conſortibus habitare.* Eleganter admodum: quem enim cęli, terræque non valet excipere vaſtitas, quo, quæſo, pacto in paruo cordis tui angulo niteris illi peregrinos ad cohabitandum ſocios adhibere? Cum Deus vnà cum nummo, ex eo quod ſibi parum occupat hoſpicij, nobiſcum eſſe non poſſit; quorſum erit cum Dæmone, locum non modo occupante, ſed & eum exhorrendis, ac abominandis ſordidante fętoribus? Quam peruerſè Deum obledunt, tale quid perpetrantes?

*Petrus Damian. opuſc. 12. cap. 4.*

4 Nunc te in Deutoronomij penetralia pariter introducam, vbi Deum hac plebi ſuæ præcipientem intelliges:

Non

Deut. 32. 10. *Non arabis in boue ſimul, & aſino.* Sed cum (inquies) bos ſit iumentum, iumentum, & aſinus; cur non licebit iumento copulare iumentum? ijſque ſimul noſtra ſcindere iugera: Iumentum quidé eſt bos, ſed Rex iumentorũ, ſicut leo ferarum, aquila volatilium: Iumétum eſt aſinus, ſed boui tamquam Regi ſubiectus. Nefas autem eſt, læſæque maieſtatis crimen, Regem, & ſubditum ad inuicem ſociare. Hæc eſt ratio, quam ex Hugone Doctores Hebræorum aſſignant. Hug. Cardi. ibid. *Noluit Dominus Regem iumentorum ſeruili animali, ideſt aſino, copulari. Quatuor enim quaſi regalia animalia oſtendit Dominus Ezechieli.* Heus tu: nefas eſt Regem ſubdito, bouemque aſino copulare; & fas erit Deum Dœmoni adiungere, Regem Regum Dominum, inferorum tyranno; puriſſimũ, fædiſſimo; iuſtiſſimũ, nequiſſimo; optimum peſſimo? eumque qui, cum Rex Regum ſit omnia pedibus calcat, abiectiſſimo illi, quem omnia pedibus calcant? Quæ conuentio lucis ad tenebras? Chriſti ad Belial? Hoc facis infelix dum indignè Chriſtum ſuſcipis ex altari.

5 Manifeſtum eſt equidem, animam, ſiue mentem, aut cor hominis Dei ſolium eſſe; ſituatur enim in medio, vbi regale, eminet thronum; ſanè dignum in quo Rex magnus, & excelſus, ſuperſedeat, exiſtimatur. *Cor eſt in medio*, ait Auerroes; *quia hic eſt locus Regis.* Auerr. 2 Collig. c. 9. Cum quidã, vt referunt, morti proximus, ob vomitum communicare nõ poſſet, magno cõmunionis deſiderio accenſus, latus ſibi lauari petijt, eique ſub pãno mũdiſſimo corpus Chriſti ſupponi; quo facto paulatim pãnus corpori Chriſti ceſſit; quod mox, vt nudam tetigit carnem, *Vſque ad cor, cunctis videntibus, penetrauit.* D. Diſcip. ſer. 80. de Temp. Iure quidem S. Euchariſtia in cor iſtius hominis ſubintrauit, cũ Deum Regem, cordiſque ſeſſorem, aſcondat. Pari pacto truculentiſſimus Dœmon, vtpote Regni Dei æmulator, & raptor, dum hominem ingreditur, æque, ac Deus, thronum cordis affectat. *Thronus diuinitatis*, ait Macharius, *eſt mens noſtra: ſimiliter quoque Sathanas, & poteſtates, & princeps tenebrarum, poſt tranſgreſſioné mãdati, inſiderunt in corde, & in mente, & in corpore Adæ, tamquam in throno proprio.* D. Mach. Hom. 6. Peto itaque: Quia iam peccator ob commiſſa ſcelera thronũ cordis ſui ſubiecerat Dœmoni; dũ communicaturus, ac Chriſtum excepturus, ſacra petit altaria, quonam Deum excipiet, cum regiam eius præoccupauerit Dœmon? In deteriore

ſa-

ſanè locum, inferioremque. In hoc igitur caſu Dæmon Regis inſtar, & Domini; Chriſtus verò ſerui, ſubiectique, habebitur. Verum ò rem execrandam, ferdam, abominandamque, ſeruum habere pro Domino, Dominumque pro ſeruo? Cruentiſſimum hoſtem honore, patremque amantiſſimũ opprobrio afficere? Illum, qui ſub pedibus noſtris ampliſſimè cũcta ſubiecit, ſub pedibus ſubijcere Sathanæ, & in poteſtatem tanti tyranni redigere?

Pſal. 68. 22. 6 Illud Pſalmi ſexageſimi octaui *Quoniam, quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt*; Bernardinus indignè communicantibus applicat; aitque, in eo Pſaltem cum Deo de Chriſto filio ſuo ſermonem habere, quem pientiſſimus Pater ob ſcelera noſtra percuſſit; peruerſiq; homines, mole peccatorum onuſti, dum ſacra myſteria ſuſcipiunt, perſequuntur identidem. Quomodo perſequuntur? Regem cœli in loco, ſub Dæmonis poteſtate conſtituto, ponunt, et quantum in ipſis eſt, ſceleſtiſſimo hoſti dilacerandum, illudendum, & iterum crucifigendum, traditore Diſcipulo longè peiores effecti, impudentiſſime tradunt. Hæc ſunt verba S. Doctoris. *Deus enim propter ſcelera noſtra purganda percuſſit in paſſione filium ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, inquit Deus apud Iſaiam. Sed cum ſceleratis criminibus communicantes, eum perſequũtur, Iuda traditore deteriores effecti. Eo quod ſicut ille tradidit illum perſequentibus Iudæis, ſic iſti tradunt eum infernalibus Diabolis, et quod illum ponunt in loco ſub poteſtate Diaboli conſtituto.*

D. Bernardin. to. 2. ſer. 55. ar. 1. c. 3.

7 Minimè nouum eſt mihi, animam iuſti ſpecioſiſſimum hortum, quendamque Paradiſum eſſe deliciarum, quod explicuit Sponſus, cum diceret; *Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ Paradiſus.* Cãt. 4. 12 Quandoquidem, vt Paradiſus ipſe *Diuerſorum habet poma meritorum, floreſque virtutum*: vt ait D. Ambroſius. Hinc idem Chriſtus alibi, *Deliciæ meæ*, ait, *eſſe cum filijs hominum.* Cum filijs hominum inquit, ideſt cũ ſanctis, & iuſtis; nam peccatores potius brutorum, quàm hominum filij dicendi ſunt. Sicut igitur illorum animæ, ob pulchritudinem, ſplendoremque virtutum, Paradiſus; ità, & iſtorum, ob fæditatem, horroremque ſcelerum, infernus dicendæ ſunt. Quam pulchrè hoc infert Gulielmus Pariſienſis. *Si vir iuſtus eſt hortus voluptatis, tota vernantia virtutum amæniſſimus: cur non & peccator infernus fuerit abominatione vitiorum horrendiſſimus?* Itaque, ſicut, qui Chriſtum è ſa-

D. Amb. lib. 10 c. 23. i Luc. Prouerb. 8. 31.

Guliel. Pariſ. de morib. c. 6.

cro

cro altari dignè ſuſcipiunt, in Paradiſum delicioſum; ſic, qui indignè accipiunt, in infernū reponunt. *Abominatione vitiorū horrendiſſimum.* Quam grauis iniuria hæc eſt? quam magnum ſcelus? quam horrenda iniquitas, innumeris plectēda ſupplicijs?

*In Compend. Hiſto. Neapo. lib. 5.* 8 Vbi Alphonſus Aragoniæ Rex Maſſiliam obſedit, cepit, aduſſit, corpus inde Diui Ludouici Epiſcopi Valentiam tranſportauit: indignum exiſtimans tā pretioſas reliquias in ciuitate ſuccenſa, & in cinerem redactam, relinquere. Quantum abes ab hoc Rege peruerſe peccator, dum indignè communicans, non defuncti cuiuſpiam ſancti, ſeruique Dei corpus, ſed Dei Creatoris tui corpus, vna cum ſanguine, anima, & diuinitate, in infernum detrudis, quantum in te eſt, adurendum, incinerandum, conſumendum? O facinus illo plectendum ſupplicio, quod ab infinito diuinæ mentis acumine maximum ad iudicatur.

9 Quantanam, & qualis eſt Dei abominatio talem quotidie introeuntis infernum? Sine horrore canit Eccleſia ingreſſus eſt Deus in vterum Virginis. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* *Quoniam*, vt ait Valentia, *puram & ſanctam* (*In Cant. Te Deum Valent. ibid.*) *reperit è ſua conceptione.* Si offendiſſet impuram, vel non intraſſet, vel ſaltem horruiſſet. Quomodo autem horret os peccatoris ingrediens, cuius cor Dæmonis hoſpitium eſt, peccatis fœdum, maculis turpe, ſceleribus ſordidum, nec non & in infernum cōuerſum?

10 Romanorū Imperatori Carolo retulit Saxoniæ Princeps, ſe in ſuis caſtris milites ſuos, Euchariſtiam ſuſcipientes, intuitum: *De manu purpurati Sacerdotis pulchrum puellum in os recipere; quem quibuſdam ludibundum arridere, & vltrò properare; alijs verò abhorrentem auertiſſe vultum.* (*Cranix. lib. 1. cap. 9.*) Ludibūdus ingrediebatur in iuſtos, quorum animæ Paradiſus; ab iniuſtis, quorum infernus erāt, horrebat. De quodam etiam ſacerdote peccatore tradunt, cuidā Dei ſeruo dixiſſe: *Quoties ſumo corpus Chriſti, cū tanta difficultate ſumo, quod ego mirari non ſufficio.* (*Diſcip. Ver. Euch. exēpl. 22.*) Quod eidem, quoties Miſſam eius audiret, fuerat præmonſtratum: tempore nāque ſacræ aſſūptionis non ſpeciem panis, ſed infantis in patena cernebat, quem cum Sacerdos leuaret, orique adhiberet, vt ſumeret, faciem auertebat, & ne poſſet ſumi, manibus, pedibuſque reluctabatur. Diſplicebat piiſſimo, ac puriſſimo Domino in os eius intrare: tum, quia eius præ-

cordia, quoniam Dœmonem hoſpitabantur, ſordida & turpia, parum à gehēna diſtabāt: tum, quia cogebatur permittere facinus tam peruerſum, tam execrandum, tam exhorrendum, vt exhorreat animus illud diutius trutinare.

## THEOREMA IV.

### Super ſemitas iuſtitiæ.

*Horrendo, pauendoq; pane paſcendus, paueat Chriſtianus.*

Exeo, quod Pſalmographus ad diuina paſcua, ſacrique altaris fluēta, ſuper iuſtitiæ ſemitas deductum ſe aſſerat: *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ*; ſi per diuinam iuſtitiā vindicatiuam intelligis; qua Deus pœnas à ſceleſtis exigit, & ſupplicia: timentem, ac trementem intellige, ac ſi diceret: Dum ad Chriſtum Ieſū pro cœleſti pane propinquo, per vias iuſtitiæ incedere videor; prauitatis meæ pœnas in diuiniſſimo iudicio luiturus. Diſce quanto tibi timore, & tremore accedēdum ſit ad altare; qui te lethalis culpæ neſcis, & ignoras innoxium. Nō indulgentiæ, ſed iuſtitiæ ſemitas calcas, dum ad altare te confers. Potes n. pro remiſſione iudicium manducare, & bibere; & in cibo vitæ æternam mortem offendere.

1 Ad Salomonis Prouerbia primò recurrens, illud ſcriptitatum inueni. *Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus*. Quibus ne cenſeas Sapientem de terreno, & caduco pane ſermonem habere: quem, cū nec oſſa, vt carnes; nec ſpinas, vt piſces, habeat, oculis clauſis edere, ac deglutire percommodè poſſumus. *Neque enim*, ait Hieronymus, *credēdum eſt, quod præcipitur veſcentibus, vt ad comedendum hunc panē, quo corpore nutriuntur, oculos aperire debeant, & ſaturari panibus.* Sed de pane Chriſti *Qui deſcēdit de cœlo, & dat vitam mundo*, vt habet Ianſenius. Nobis itaque ſancto pane non, niſi apertis oculis, datum eſt veſci: Quorſum non etiam occluſis? Quia comedētibus mors æterna timenda eſt: oculi autem aperti timorem oſtentant: vnde Chamæleontes, quia nunquam non timent, nūnquam clauſis oculis viſi ſunt. Panis Chriſti panis eſt hordeaceus, ſiue panis armatus, pungentibus, imò occidentibus ſpinis, & iaculis circunfuſus, quem figurauit ex Bonauentura panis, quo Chriſtus Hebræorum turbā in deſerto cibauit. Planè hic panis *Duro cortice, & ſpeculata ſuperficie, occurrit co-* me-

*Prou. 28. 13.*

*D. Hiero. in cap. 55 Iſaiæ.*

*Ianſ. in c. 20. Prou.*

*Petr. Cellenſ. de Panib.*

*medentibus.* ait Petrus Cellenſis, quo peccatis obnoxij ſic durè læduntur, vt in mortem incurrant. Priuſquam igitur illum edamus, nos ipſos oculis apertis debemus inſpicere, cunctaque cordis intima viſitare, examinare actus; verba, & cogitationes adamuſſim expẽdere; quæq; purgatione indigent, corrigere, & diligentiſſime caſtigare. Niſi mortem quis timeat, mortem euadere non valebit.

2 Quid putas excepturus es, dum Eccleſię petis altaria? Chriſti corpus inquies. Id quidem eſt; ſed eum puta adamãtem. Dum Euchariſtiam Dominus innuens, ait; *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum;* per calculum candidum, adamas intelligitur. *Si calculus,* ex recentioribus quidam ait; *eſt gemma neceſſario videtur dicendum, calculum candidum eſſe adamantem, qui eſt gẽma candida.* Peto, Cur corpus Chriſti dictum eſt adamas? Vt tibi ab eo caueas cum te iuſtũm, culparumq; ſordium ignores expertem. Acuminatus eſt adamas, eique, ac tribulo, ſiue ſenti, hebraicè idem nomen imponitur. *Samir* nempe à radice, *Samar*, quod eſt ſibi cauere tractũ eſt, vt perhibet Doctiores. Aequè ac à tribulo, imo ab enſis acumine; tibi à cæleſti cauendum eſt menſa; quamuis ſit vita bonis, mors tamen eſt malis: Adamas eſt, Duro cortice, & ſpeculata ſuperficie occurrit comedentibus.

*Apoc. 2. 17.*

*Alcaſar. ibid. Notab. 6.*

*Idem Ibid. cap. 21. ver. 20. not. 11*

3 Nunc Oſææ ſententiam proferamus in medium, pręuidentis hæc tempora, quibus Chriſtiani Chriſtum Deũ verũ adorant. *Et pauebunt,* inquit, *ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* Vbi per bonum intelligenda Euchariſtia, ſic ab Iſaia dicta, dicente: *Comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra;* & à Zacharia. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrũ eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Vnde ait Palacius. *Illud verbum, bonum eius, explicatur ex Zacharia dicente. Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinũ germinans Virgines? Quod ſine dubio ſignificat Euchariſtiã, quod eſt frumentum faciens electos, & vinum ex libidinoſis, virgines reddens.* Hoc itaque bonum pauẽdum eſt ex Propheta. *Pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius.* Peto autem: Si bonum, quare pauendum? Si pauendum, quare bonum? Cum timoris, & pauoris obiectum ſit malum imminens, cui bonum oppoſitum eſt, bonũ conſequenter optandum, appeten-

*Oſæ. 3.5.*

*Iſa. 55.2.*

*Zach. 9. 17.*

*Paul. de Palac. in c. 3. Oſæ.*

tendum, quærendum? Sanè bonum eſt, & timendum; quia homines tantum bonum malè frequenter accipiunt.

D. Thom. opuſ. 58. cap. 18.

*Corpus Christi*, ait Doctor Angelicus, *ſemper bonum in ſe manet, ſed iuſto iudicio effectus eius mutatur in iis, qui malè eo vtuntur: nō quod res illa mala ſit, ſed; quia malus, quod bonum eſt, malè accipit.* Mutatur effectus eius in iis, qui ea malè vtuntur; &, vndè vitam affert dignè pcipientibus, mortem inducit perperam manducantibus. Pauendum eſt, pertimeſcendum hoc bonum, nè malè vnquam percipiatur. Quia, *qui indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat, & bibit*, ait Apoſtolus.

1. Cor. 11.

4 Quæ de hac metipſa re Patriarcha Seraphicus in epiſtola ad ſui Ordinis Sacerdotes inſcripſit, prætermittenda non iudico. *Totus homo*, inquit, *paueat, totus mundus contremiſcat, & cœlū exultet, quando ſuper altare in manibus Sacerdotis eſt Chriſtus Filius Dei uiui.* Nam cum idem ipſe Chriſtus æquè cœlum paſcat, & mundum; cibus ſit Angelorum, & hominum; quare ad eius ſpectaculum cœlum, & mundus diſcordabunt ab inuicem, ne vel ſimul exultent, vel pariter contremiſcant; ſed illud exultatio, hunc trepidatio deceat? Quia cœlo diuini cibi comeſtio, vbi omnimodam conuiuę puritatem cuſtodiunt, non, niſi prodeſſe poteſt: mūdo verò, nulli puritati confiſo, nō eſt ſecurus, vt vnà cum cœlo gaudere audeat, & nō potius mortem, & interitum pertimeſcat. *Totus mundus contremiſcat.*

D. Franc. tom. 5. Bibliot. Patr. ep. ad Sacerd.

5 Quia Gabriel Angelus, ad ſeos affatus, Virginem ſanctiſſimam pertimeſcentem viderat; *Ne timeas*, ait ei, *Maria*. Timeat, (ac ſi proſequeretur) & contremiſcat ille, cui timendi occaſio ſuppetit: nam tibi timor nulla cōuenit ratione. Cur timere non debuit? Subiungit: *Inueniſti enim gratiam apud Deum*. Qui culpæ expers eſt, Deique gratiam inuenit, nullam, qua timere debeat, cauſam habet. *Nō habes vllam timendi cauſam, quoniam totius orbis Domino grata es*: ait Oleaſter, verba Gabrielis interpretans. Et iure quidem. Scribit enim Chryſologus: *Qui inuenit gratiam, neſcit timere*. Quia verò nemo, dum viuit, perinde gratiæ, & amicitiæ Dei conſcius eſt, vt de peccato, quod à Dei gratia, & amicitia auertit, aliquando non timeat; nullus equidem erit, qui, dum ſacrum accipit panem, non debeat contremiſcere. Cibus enim Dei, Deo gratis vitam, ingratis mortē affert æternam.

Luc. 1. 30.

Oleaſt. in cap. 10. Leuit.

D. Chryſol. ſerm. 162.

6 Age nunc vrbanitatis regulam

gulam trutinemus, quam Dominus ad nuptias inuitatum edocuit. *Cum inuitatus fueris,* inquit, *ad nuptias, vade, recumbe in nouiſſimo loco?* Vbi per nuptias eucharistici Sacri ſumptio intelligenda eſt, in qua ſponſa ſponſo, nempe anima Chriſto, copulatur. Ad has nuptias quotidie, vt ait Salomon, per Sapientiæ famulas inuitaris, de quibus præcepit Deus, vt in nouiſſimo loco recumbas. *Recumbe in nouiſſimo loco.* Si quæris quidnã ſit locus nouiſſimus? Mors, reſpondebit tibi Bernardinus. *Nouiſſimus locus mors eſt.* Tibi itaque communicaturo præcipitur, vt te tunc vitæ munere functum exiſtimes, mortuum, ac interitui proximum. Tali periculo obijceris, dum ad immaculatum agnum comedendum admitteris. Ea puritate, innocentia, & ſanctitate oportet effulgeas, vt potius deeſſe tibi, quam adeſſe cenſendum; timendumque magis interitum cum indignis, quam ſperanda vita cum ſanctis.

*Luc. 14. 10.*

*Prou. 9. 1*

*D. Bernar din. tom. 4. ſer. 19.*

7 Conſideraſtinè vnquam illud Prophetæ, *Ab altitudine diei timebo?* Quænam eſt dies alta, quæ valuit in eius cor timorem inducere, qui ſe in noſtro Pſalmo nullum malum trepidare iactauerat? *Non timebo mala.* Dei dilectio, qua eucharisticum Sacrum inſtituit, dies eſt alta; ait idem Doctor; vt pote quæ perinde feruens, & accenſa fuit, vt omnem aliam Dei dilectionem longè, latèque ſuperaret. *Alta dies dici poteſt feruens dilectio Chriſti, qua ſic ardenter dilexit nos, quod nobis in cibum tradidit ſemetipſum, vt ſe per charitatem totaliter transformauerit.* Dum itaque Propheta clamat ſe ab alta die timere, ſe ab exceſſu amoris, quo nos Deus proſequens, S. Euchariſtiam dedit, trepidare ſignificat. Inſto autem: Cum iſta dilectio tanta nobis bona, tantas delicias contulerit, & diuitias; vnde eſt quod ab illa Propheta timuit, cui exultandum potius erat, & iubilandum? Humanæ fragilitatis, ac torporis exceſſum reſpexit, ſeq; ad ſumptionem muneris tanti amoris imparem, tepidum, & torpentem vidit: ideo mortem timuit, cuius, ſaltè ob ingrati animi notam, reum ſe iudicabat.

*Pſ. 55. 4.*

*Pſ. 22. 4.*

*D. Bernar din. tom. 1. ſer. 53. ar. 1. in princ.*

8 Quia Regium Vatem in hunc locum adduximus, age, & illum etiam eius locum conſideremus, in quo cęlicum panem non panem, cibum, edulium, vel alio quouis nomine, ſed eſcam nuncupauit. *Eſcam dedit timentibus ſe.* Quare potius eſcam? Quia eſca non tantum ſignificat cibum, quo reficitur; ſed, quo etiam capitur, & occiditur animal. *Plato,*

*Pſal. 110 4.*

ait.

Cicero de Sen. ait Tullius, *Eſcam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, vt hamo piſces*. Hinc idem Pſaltes eſcas nuncupat carnes, quæ Iudæorum helluones interfecerunt.
Pſal. 77. 30. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum*. Quid immoror? Si vulgaris idiomatis vſum aduertes, inuenies eſcam eum tantum cibum innuere, qui ad capiendos, occidendoſque piſces, & aues, venenum, ſiue hamum inuoluit. Non ergo immeritò eſca Euchariſtia dicitur: datur enim intelligi, non abs re ſeruos Dei cum timore, & tremore ad altare ſacrum accedere; cum timeant ob venenum, trepident propter hamũ, quem iuſta Dei indignatio pro immeritis occultauit: paueantque ne inueniantur indigni, proque vita in vitæ cibo mortem æternam inueniant.

9 Dum Deus, recenſet Moyſes, Hebræorum populo nouam legem adſcriberet, apparuit in ſpecie ignis: hinc ille quo mons vndique circum voluebatur fumus, hinc illa tenebroſa caligo, quæ cœlum tegebat, terræq; noctem adduxerat.
Exod. 19. 18. *Totus mons fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eũ in igne*. Cur in ſpecie ignis? Vt ex legibus oſtenderet ſibi rem eſſe cum igne. *Quoniam*, inquit Cyrillus, *determinaturus illis legem erat, tam ſanè potiſſimum conuenienter in ſpecie ignis deſcendiſſe viſus eſt, vt ſcirent illius tranſgreſſores negotium eſſe ſibi cum igne*. D. Cyrill. Hom. 5. tom. 4. Quippe vt iuſtis, ſanctis, ſuarumq; obſeruatoribus legum, nihil Deo dulcius, benignius, placidius; ſic ſuorum mandatorum tranſgreſſoribus nil quippiam exhorrendius. Ros eſt illis reficiens, ignis iſtis exurens, vnde hos confortat, inde illos conflagrat. Non abs re itaque Deus ſub prunæ typo, quam extulerat Seraphin, à Vate in altari perhibetur inſpectus, porrò ignis eſt horrendus, pertimeſcendus culpæ conſpurcatis illuuiæ. Cum autem ignores te culpæ expertem, diſce quali horrore, quali timore, ac tremore ſacram ad Synaxim accedendum ſit tibi, cum ſcias cum igne negotium tibi eſſe.

10 Cum igne ſceleſtiſſimus ille Iudæus negotium habebat, qui cum ſe Chriſtianis communicantibus miſcuiſſet, ſacramque Synaxim deritoriè accepiſſet; ceu rapidus quidam canis per Eccleſiam furere, currere, latrareque cepit; vſque dum ad S. Cyrum perductus, ſacra ex ore eius extracta fuerit hoſtia. Sanè exurebatur. *Dixit enim quod ſibi videbatur habere in ore ferrum igni-* Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcõd. lib. 3.

*gnitum*. refert Ferrarienſis.

11 Hinc ait Chryſoſtomus. *An neſcitis quod hæc menſa plena eſt igne ſpirituali?* Quorſum ignis? Vt, cum tuæ conſcius non ſis puritatis, dum vt eo perfruaris, toto tremens corpore, ſacro accumbas ſympoſio; cogiteſq; non vt ad amicum, qui te blandè ſuſcipiat; ſed vt ad hoſtem, qui te perdat, accedere te poſſe. Ignis enim ſi hoſtis eſt, terribilis eſt, & formidandus; ſin vero amicus, ſummè beneficus. Quantam edat ſtragem cum iraſcitur, omnibus planum fit in fulminibus, in incendijs, & exuſtionibus terrarum. hinc conſumptor dicitur, & depopulator. Beneficia vero, quæ illi largitur, dũ ſe amicum oſtendit, immenſa penè ſunt. Ad ignem accendis, dum, vt cælico pane fruaris, ad Chriſtum properas: cum timore, ac tremore, ad eum accedendum eſt, quem nemo illotis, vt aiunt, manibus, contrectare audebit impunè.

*D. Chryſoſt. ſerm. de S. Philog. apud Sur. 20. Decemb.*

12 Extat D. Chryſoſtomi pro Euchariſtia dignè ſuſcipienda elegans aphoriſma. *Vis*, inquit, *hoc ſacrificium honorare, animam tuam offeras, propter quã Chriſtus immolatus eſt, eam auream facito*. Ac ſi inferret: Si auream non attuleris animam, Deum inhonorabis, contemnes, probris afficies, teque morti æternæ ſubijcies. Perquirendum. Quare anima, Sacri euchariſtici digna, potius aurea, quam argentea, gemmea, vel eburnea debeat eſſe? Propter auri pallorem, ni fallor, de quo ait Poeta:

*D. Chryſ. hom. 51. in Matt.*

*Quãto ſæpe magis fulgore expalluit auri.* *Catullus.*

ex quo timidum, & formidoloſum iudicatur. Tradunt Diogenem, ſiue, vt alij volunt, Socratem, reſpondiſſe cuidam cur aurum palleſceret, interroganti; *Quia multos habet inſidiatores*. Vt itaque ſcias, te nunquam ſacris dignum, niſi, cum te times indignum; timẽtem, trementem, palleſcẽtem, auream, Aureum os monet, animam ad altare conducere. Qui ſe timet indignum, ſi quæ ipſi adſit indignitas, expiare ſatagit, abluere, corrigere, & emendare. Quod, cum intrepidus negligat, poterit (abſit) iudicium manducare.

*Apoph. Al. Man.*

13 Demũ, ſacræ Litteræ, in pectore ſummi Pontificis duodecim pretioſiſſimos lapides nituiſſe tradunt, nomina filiorum Iſrael habẽtes inſculpta. *Poneſq; in eo quatuor ordines lapidum, habebũtque nomina filiorum Iſrael; duodecim nominibus cælabuntur*. Quod ex hoc loco ad rem noſtram conducit, illud eſt, quod, vt tradunt Hebræi, nomen Iſacar, vnius ex filijs

*Exod. 28. 21.*

filiis Iſrael, lapillo praſino videbatur inſculptum. Quæres enim: Quorſum Iſacar in praſino potius, quam in Sardio, ſmaragdo, topatio, vel in alia alterius ſpeciei gēma erat inſcriptum? Occurrit Philo: quoniam ſolus praſinus in gemmis palleт, Iſacar autem ex eo, quod humeros ad laborandum ſuppoſuit, quemlibet iuſtum, bonis actibus incumbentem, ſignificat; *Pallent enim, qui ſe exercent præ labore, & præ timore, nè fortè ad optatum finem non perueniãt*. Dicamus ergò. Si ſerui Dei laborando timent, non timebit is, qui ſolā laborum ſibi mercedē aſciſcit? Si pallent iuſti humanæ fragilitati diffiſi, nō pallebit homo ad ſumptionē corporis Domini accedens, ad quam, non vt homini, ſed vt Angelo, ſed vt Chriſto, accedendum audiuit? Si, qui pro Chriſto humeros laborum iugo ſupponunt, formidant; non formidabit is, qui, cum negligenter vixerit, Chriſti panem edit, quo ſine ſudore vultus, vt dictum eſt Protoplaſto, nemini veſci permiſſum eſt?

*Phil. Hebr. lib. 1. leg. Alleg.*

## THEOREMA V.

Super ſemitas iuſtitiæ.

*Vt cæli viuas incola, cæli panem eſurus.*

SI verò per iuſtitiam, ſanctitatē intelligis, idem erit Prophetam ad Euchariſtiam per iuſtitiæ ſemitas, ac per ſemitas cœli, quæ ſolæ ſanctæ ſunt, & immaculatæ, deductum: quæ enim in mundo calcantur, immundæ ſunt; omnis fæcis, omnis ſordis expletæ. Cū igiт corpus Domini datur homini ad manducandū, quāquam in terra ſit, velut ſi in cœlo eſſet, cœlique ſemitas peragraret, debet ſanctitate fulgere. Qui non viuit, ac ſi eſſet in cœlo, indignus eſt pane, qui deſcendit de cœlo.

1 Auſpicemur à Domino cœli. Chriſtus non in cœnaculo, ſed in horto, traditus, ligatus, inde & ad Crucem, & ad mortē fuit adductus. Si ſuper hoc quæris: quare proditor Iudas Magiſtri proditionem patrandam expectauit in horto, quam prius in cœnaculo commodiùs potuiſſet implere? Rationem affert Paſchaſius Abbas, cuius hæc ſunt verba. *Nec enim conueniebat, vt Ieſus in eo loco traderetur, vbi cum Diſcipulus Paſcha manducauerat. Sed talis eligitur locus, per quem iſte mundus ſignificatur, in quo Dominus traditus eſt*. Ac ſi diceret. Quia horrendū proditionis Chriſti flagitium, non in coelo, ſed in mundo, debuit perpetrari; adimpletum fuit in horto, per quem mun-

*Paſch. in cap. 26. Matt.*

mundus ſignificabatur; non in cœnaculo, quod, quia in eo corpus Chriſti mãducabatur, cœlum præfigurabat. Itaque quiſquis vnà cum Domino ſacra corporis, & ſanguinis eius erat in cœnaculo commanducaturus, extra hunc mundum erat, non ſecus, ac ſi commoraretur in cœlo. Talis ſit oportet, quicunque ſacro pane cupit educari.

2 Sat ex dictis conſtare arbitror, ſanctum, & viuificum Panem ſub tabernaculi nomine in ſacris litteris innui. Cuius ſi alia tibi non quadrat ratio, ex eo ſaltẽ accipies; quod cum tabernaculum domus ſit portatilis, pellibuſque cooperta; portatilis domus eſt & Euchariſtia, in qua Chriſtus nobiſcum reſidet: quęque à fideli quolibet, & in corde, & in corpore circumfertur. Et quidnam aliud ſunt panis, vinique ſpecies, quàm pelles quædam eam operientes? Audi nunc Pſalmographum hoc ſacrum tabernaculum in ſole

Pſ. 18.6. poſitum concinentem. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* In illo (ſenſus eſt) qui ſolis inſtar, ſic viuit in terra, vt credatur in cęlo. Nam etſi ſolis radij videantur in terra, ibi tamen ſunt, vnde ad nos dimittun-

Senec. epiſt. 41. tur. *Maiore ſui parte,* de iuſto ſcribit Seneca, *illic eſt, vnde deſcendit. Quemadmodum ſolis radij contingunt quidem terram; ſed ibi ſunt, vnde mittuntur. Sic animus magnus, & ſacer in hoc dimiſſus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ, illinc pendet, illuc nititur, ac ſpectat.*

3 Extra mortis periculum Chriſti myſteria, nequaquam domi, ruris, in platea, in vico, vel in alio quopiam loco, præter templum Domini, fas eſt accipere. Quorſum hoc? Vt edocearis, ijs tantum Sacramenta diuidi, qui perinde viuunt in terra, vt eſſe cum hominibus non cenſeantur in terra; ſed in cœlo cum Angelis. Quis neſcit templo cęlum ſignificari? Hoc ex verbis Michææ Prophetæ, quibus per illum Deus impios ſacerdotes increpat, clariſſimum habes.

*Mulieris,* inquit, *populi mei eiecistis de domo deliciarum ſuarum.* Audi Rupertum. *Quæ erat domus deliciarum eiuſmodi mulierum, niſi domus Dei in Ieruſalem?* Ideſt: Niſi cęlum? (Michæ. 2. 9. — Rup. ibid. lib. 1. c. 2) Idem ſanè eſt templum domũ dici deliciarum, ac cęlum; cum terra laborum, lacrymarum, ærumnarumq; ſit domus. Vnde, & Paradiſus dicitur, quod deliciarum hortum ſignificat. Ob eam etiam rationem veteres camerata conſueuerunt efformare templa, vt cęlum etiã forma repræſentarent. *Veteres*, inquit Richardus, *templo-* (Richard. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 10.)

*rum tecta camerata faciebant, vt imaginem cœli redderent, quod conſtat eſſe concauum.* Dum itaque neminem corpore, & ſanguine Domini paſcat Eccleſia, niſi in templo, referente cęlum, ſe conferat; clariſſimè innuit neminem tanto munere dignum cenſeri, qui nō ſic degit in terra, vt eſſe putetur in cęlo. Vt cęlicola debet anima viuere, ſacco non indigna pulmento.

4 Dum ad Euchariſtiam Sacerdos faciendam, ſumendamque ſe præparat, vt cor ſuum emundet, Deum orat, hæc dicens. *Deus, qui de indignis, dignos facis; & de peccatoribus iuſtos; munda cor, & corpus meum ab omni contagione, & ſorde peccati.* Quorſum puritatem cordis petit? Vt in eo Chriſtum dignè recipiat, qui non, niſi in anima in Paradiſo poſita dignatur inhabitare, cor autem mundum, & purum ab omni terreno affectu purgatum, continet Paradiſum. *Cum Scripturam audieris* inquit D. Marcus, *enarrantem, quæ pertinent ad Paradiſum, omnibus affectionibus ſemotis, ad cor tuum conuerte animum, & reperies ibi Paradiſum.* Quare ſi Paradiſus eſt in corde mundo; anima verò ſecūdum Ariſtotelem eſt in corde, cui cor mundum datum eſt à Deo, animam habet in Paradiſo. Sacerdos itaque, quando cor ſuum expurgari, ac mundari petit à Deo, & Paradiſum petit in corde, & animam in Paradiſo. Probè ſciens neminem tanto ferculo dignum, qui in terra manens, non viuat tamquam in cęlo.

*Præp. ad Miſſ.*

*D. Marc. opuſc. de Parad.*

5 Sed, & aliud eius rei argumentum ab eccleſiaſticis ritibus capiamus. Idem, qui pro cordis puritate Deum orat, Sacerdos, dum ſe ad ſacrum, induit celebrandum, ſupra reliquas, quæ multæ ſunt, veſtes, aliam quandam induit, quæ caſula dicitur ab Eccleſia. Vnde hoc nomen, inquies, ſortita eſt ſacra veſtis, quod non veſtis, ſed domus eſt proprium? Caſula diminutum eſt à Caſa paruam Caſam ſignificans. Planè caſula domum ſignificat; Sed non quamlibet: ſed domum ſummi Dei, nempe cęlum, in quo cum Angelis ſanctorum animæ viuunt. Audi Bonauenturam. *Caſula, id eſt parua caſa, vel domus, ſignificat cœlum.* Diuinus autem Sacerdos probè ſciens nemini ad ſacram menſam aditum pro dignitate patere, niſi, qui cum hominibus ſic viuat in terra, vt æſtimetur in cœlo cum Angelis, Sacra petiturus altaria, ſacram caſulam inducit, velut ſe in cœlum recondat.

*D. Bonau. in exp. Miſſ.*

6 Dum Richardus à S. Laurentio illud Eccleſiaſtes exponit, in quo Dei Sapiētia Chri-

ſtus

ſtùs roſæ ſe confert in Iericho. *Quaſi plantatio roſæ in Iericho:* ait, idem eſſe *Roſa in Iericho*, *ac roſa in luna*; quia *Iericho* interpretatur *Luna*. Quoniam verò, vt adnectit, *Color roſaceus quaſi ſanguineus eſt*; roſam Euchariſticam, Chriſti ſanguinis vrnam, repræſentare cēſendū. Et ſicut ipſe ait. Idem eſt *Roſa in Iericho, ac roſa in luna*, ſic dicendum nobis. Idem eſſe roſam in luna, ac Euchariſtiā in luna. Huic fortaſſe reſpicit Eccleſia, quę ſacram Hoſtiam, ſiue deprecandam in templo, ſiue per Ciuitatem circunferendam, argentea ponit in lunula. Cur autem in luna? Vt oſtendatur, quod, quemadmodum luna lógè diſtans à terra, manet in cœlo; ita, qui digne Chriſti Sacra percipere debet, debet à terra, terram calcans, abſcedere; cœlumque, inhabitare. *Roſa in luna*.

Eccl. 24. 19.
Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 12.

6 D. Ambroſius Euchariſtiam conſiderans, *Hic panis*, ait, *factus eſt eſca Sanctorum*. Nemo (quaſi diceret) niſi ſanctus, cœleſtem panem, pro ſolis Sanctis inuentum, poterit dignè comedere. Rectè quidem: quia eo nemo dignus, niſi, qui ità viuit in terra, vt ſit extra terram in cœlo; quod ſolis ſanctis permiſſum eſt. Sanctus Grecè *Agios* dicit, quod Latinè ſonat *ſine terra*. Sine etſi ſancti corporeis oculis videantur in terra, mente tamē conſideranti in cœlo ſine terra videntur.

D. Amb. de Benedic. Patriar. c. 9.

7 Refert Ioénes Apoſtolus, ſe vidiſſe mulierem, circundatam ſole, calcantem pedibus lunam, caput corona ſtellarū ornatam, quam (quod noſtra intereſt) ſignum vocat. *Signū magnum*, inquit, *apparuit in cœlo. Mulier amicta ſole* &c. Hugo per hanc mulierem, animā ſanctam intelligit. Quare autem hæc anima, dū ſyderibus fulget, lunam terit, ſoleq; veſtitur, ſignum eſt nuncupanda? Idémet Doctor pulcherrimam rationem aſſignat. *Signum enim*, ait, *aliud offert ſenſui, & aliud repræſentat intellectui: ſic vita Sanctorum, oculis corporis non repræſentat, niſi miſeriam; ſed oculis mentis repræſentat æternam gloriam*. Sancti ſic terram incolunt, ac ſi cœli gloria fruerentur. Tanta enim puritate nitent, vt videantur in cœlum tranſlati; ſole, luna, cæteriſque ſyderibus enitentes. Quod ſi vita eorum non, niſi labores, dolores, languores & miſerias, corporeis oculis repræſentat, hoc ſignum eſt: ſanè talis vita Paradiſi gloriam mentis acumine penetrandam, obuelat: Sic fumus, quod ſignum eſt ignis, ſolā caliginem ſenſibus obijcit; intellectui verò, quod abſcondit, lumen. Sunt ergò in

Apoc. 12. 1.
Hug. Cardin. ibid.

cælo ſancti, quamuis videantur in terra. Quam doctè Ambroſius ait. *Hic panis factus eſt eſca ſanctorum,* ab eo enim doceris Euchariſtiam eorum ſolummodo eſſe, qui ità viuit in mundo, vt extra terram ſint, ac ſupra terrā elati, videatur in cœlo.

8 De ſūmo priſcæ legis Antiſtite ſacræ tradunt Hiſtoriæ, quod priuſquam templū adiret, verſicoloribus veſtibus ornabatur; caput verò pileo ex hyacintho elaborato tegebat. Infula huic nomen erat, tanta rotunditate tornato, *Vt propriè videretur hemiſphærium.* ait Ioſephus. Hæc infula ex colore, & figura cœlū repræſentabat. *Capiti verò,* ait Theodoretus, *imponebatur infula, quæ cœlum repræſentabat.* Fortaſſe hoc fieri poterat ad docēdum, quod, quamuis Sacerdos, dum ſacrū faceret; corpus haberet in terra; caput tamen, & mentem detinebat in cœlo. Diſcant, qui Deo offerunt ſacrificia, Filij ſui præſertim ſancta & immaculata, quæ quotidie Chriſtiani fideles offerunt, & manducant, ſe ſpiritu remouendos à terra, mente que cœlandos in cælo. Verbis hoc ipſum noſtri perhibent Sacerdotes, priuſquam Euchariſtiā faciant *Surſum corda* dicentes. *Non enim,* ait Hugo, *cœleſti cibo digna ſunt corda, terrenis dedita.*

*Ioſeph. Hebr. de Antiq. li. 3. cap. 11*
*Theod. quæſt. 60. in Exod.*
*Hugo à S. Vict. de Miſſ. obſ. li. 2. c. 19*

9 Sanctiſſimus Iob huius vitę perturbationes expēdens, militiæ comparauit. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Ac ſi diceret. Dum homo viuit, tot, tātiſque quatitur tempeſtatibus, percutitur aduerſis, iactatur malis, vexatur ærumnis, vt pugnare continuè videatur, vitaque eius perpetuā quædam militia cenſenda ſit. Sed aduerte, quod nō abſolutè ait: *Militia eſt vita hominis;* ſed addidit *Super terram.* Propterea, quod homines, non in terra ſolummodo, ſed & in cœlo viuere perhibetur: *Benè addit in terra,* ait D. Ambroſius; *quia eſt vita hominis & in cœlo.* Eorum, qui terræ adhærent, qui in bellis, & perturbationibus; in iurgijs, & litibus conuerſantur, vita militia iudicatur ſuper terram. Nam qui perinde mente, & affectu deſerunt terram, vt potius in cœlo, quam in terra viuere cēſeantur; qui perturbationum, & litium ignari viuunt; horum vita, nequaquam militia, ſed trāquillitas; ſed quies; ſed pax exiſtimanda. His ità animaduerſis expende, quod Chryſoſtomus Euchariſtiā Sacramentum pacis appellat. *Sacramētū pacis eſt.* Quid ſibi vult Sacramentum pacis? Niſi Sacramentum cœlicolarum, vel eorum, qui quamuis corpore videantur in terra; mente ta-

*Iob. 7. 1.*
*D. Amb. de Bono Mort. c. 3*
*D. Chryſoſt. Homi. 51. in Matt.*

men, & corde coeleſtem Hieruſalem, inuoluunt: vbi pax ſũma eſt, & tranquillitas? Nam alioqui (vt audiſti) terra militiæ, & perturbationis eſt locus. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.*

10 Illud rem hanc apprimè confirmat, quod Dominus *Vbicunque*, ait, *fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ*. Ad menſam (videlicet) corporis mei, ſanguiniſque, aquilæ congregentur: aquilarum enim, non aliorum animantium eſt. Quod expenderat Chryſoſtomus, cum *Aquilarum*, diceret, *menſa hæc eſt*. Sæpius verò quæſitum eſt, ſæpiuſque reſponſum; quare potius aquilis, quam cæteris animantibus, ad Chriſti mẽſam pateat aditus. Nũc, vt res hæc expoſtulat, reſpondendum. Eo quod aquilæ, vtpote quæ tam altè efferũtur, tam excelsè volant, vt ad coelum pertingant; illorũ animas exprimunt, qui relictis, ſpretiſque mundi, terræque curis, terram ſic deſerunt, vt in coelum recipi cenſeantur. Quod intelligentes Ethnici, in Imperatorum iuſtis aquilam dimittebant, coelum aduolantem, quæ defuncti anima credebatur. Hinc in nummo quodã Auguſti *Aquila eſt*, inquit Pierius, *pilæ inſidiens, quaſi eum ſupra cæli conuexa ſublatum velint innuere*. Quia verò Chriſti menſa, ijs tantum apponitur; qui terram calcantes, in coelo cenſentur, aquilarum menſa vocatur. Audi eundẽ Chryſoſtomum hanc Domini ſententiam exponentẽ. *Aquilas autem appellat, vt oſtendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit; & nihil cum terra ei debere eſſe commune, neque ad inferiora trahi, & rapere, ſed ad ſuperiora ſemper volare. Aquilarum enim, non graculorum, hæc menſa eſt.*

*Matt.* 24. 28.

*D. Chryſoſt.*

*Herodiã. lib.* 4.

*Pierius lib.* 9.

*D. Chryſoſ. Hom.* 24. 1. *Corinth.*

*Cant.* 2. 1.

11 Hic Canticorum locus expendendus offertur, vbi ſe Chriſtus campi florem effingit. *Ego*, inquit, *flos cãpi*. Campi ait, non montis, non collis, non vallis: non enim vallem, collem, aut mõtem diligit habitare; ſed campum. Per campum in Eccleſiæ campo militantes intellige; vt alibi per terram homines, per coelum Angelos intelligẽdum, continentia nempe, pro contentis. In his ſuum Deus cõſtituit tabernaculum, hos ſub euchariſticis formis inhabitat, qui, omnibus ſubiecti probris, depreſſi laboribus, conculcati conuitijs; contrà ſpirituales, carnaleſq; hoſtes triumphant. Sed vnde illud Ambroſij: *Non in abiecto corde habitat Deus; ſed, ſicut tradiderunt nobis Prophetæ, thronus virtutis exaltatus eſt*. Quorum corpora, nullis non preſſa tormentis, nullis

*Cant.* 2. 1.

*D. Amb. lib.* 8. *in Lucam.*

non,

nô, vides conculcata malis; in coelo ſunt corda: nec enim inter tot procellas, tempeſtateſque conſtarent, niſi cordibus, velut anchoris in coelum extenſis, in cœlo fixis, indiuiſibiliter firmarentur. *Quamuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cœlo eſt.* ait Auguſtinus. Horum Chriſtus eſt pabulum, hos colit, inhabitat; qui in terris corpora, corda verò habẽt in cœlo *Flos campi* eſt.

*D. Aug. lib. 1. de ſer. Dom. in monte cap. 6.*

12 Ingrediamur denique Vatis euangelici penetralia, non vt transfugæ; ſed vt exploratores, præfloraturi, quod noſtrum hoc theorema fæcundius, & ſucculentius reddant. *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum omnes deprecabuntur: & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Vide quam eleganter de Euchariſtia loquitur, Ieſſe radicem appellans. Chriſtus enim eſt de genere Dauid. Metonymia vtitur, cauſam afferens pro effectu; ad eum modum, quo materia paluſtris palus dicitur à Martiali, & helleborum Antyura vocatur à Perſio; ꝙ ibi magno creſcat in numero. Potuit quidem eam Dauidis appellare radicem: maluit autem Ieſſe, vt magni amoris incendium, ex quo prodijſſe ſcimus, ſignificaret identidem. Ieſſe namque *incendium* ſonat.

*Iſa. 11. 10.*

*Martialis Perſius.*

Nec minus aptè loquitur, dũ ſignum dicit, *Qui ſtat in ſignum populorum*: ſignũ eſt namque, militiæque noſtræ vexillũ. Nõnè ſub ea quotidie ſacro eleuata à miniſtro, velut vexillo quodam, vnimur, & congregamur? *Radix Ieſſe vocatur Chriſtus*, ait Vincentius, *qui ſtat in ſignum populorum, ſcilicet in miſſa, quando eleuatur hoſtia, ſicut in paſſione fuit eleuatus in Cruce.* Quod autem ſubſequitur *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*, noſtro theorematí ſuffragatur. Quod, vt idem ſubiungit, *Non intelligitur de illo ſepulchro materiali; quia non eſt capax gloriæ.* Sed de rationali: (ac ſi adnecteret) quod nos ſumus. Nã ex Bernardino habemus: *Ad hoc, ꝙ homo diſponat ſe dignè ex parte ſua ad ſũptionẽ huius Sacramenti, neceſſe eſt præparare cor ſuum, quaſi alterum ſepulchrum.* Sed hoc, inquit, ſepulchrum, Dominici corporis dignum, non terrenum, non mundanum erit, & huic ſeculo innixum; ſed glorioſum; ſed velut in coelum elatum, velut æterna gloria cum ſanctis, & Angelis congauderet. *Erit ſepulchrum eius glorioſum.*

*D. Vinc. ſer. fer. 5. Paſch.*

*D. Bernardin. tom. 1 ſer. 16. art. 3. in princ.*

## THEOREMA VI.

Super ſemitas iuſtitiæ.

*Aequè*

*Aequè Deus in communicante caſtitatem diligit, ac odit incontinentiam.*

QVamquam ſemitæ, per quas Eccleſiæ conuiuanti, vt Chriſti panis ſit particeps, incedendum eſt, plurimæ ſint: præcipua tamen, vt ſentit Chryſoſtomus, Virginitas, propeq; eam continentia, iudicanda. *Iſtæ ſemitæ*, inquit, *agnoſcuntur diuerſæ viæ generis humani; licèt vniuerſas ſemitas Domini agnoſcamus; tamen ſemita vna agnoſcitur, quæ eſt prima in ſemitis, ideſt virginitas, ſecunda continentia.* Debet enim homo, panem Domini eſurus, ac calicem potaturus, ſe ab omni ſorde corporis, animæque immundicia præſeruare. Aequè Deus in communicante caſtitatem quærit, ac odit incontinentiam. *D. Chryſoſt. in Pſal. 22.*

1 De caſtitate nobis primò habendus eſt ſermo, de qua Deus per os Ezechielis videtur affatus, dum *Sediſti*, inquit, *in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Vbi domi meæ adfuiſti, teque in lecto pulcherrimo ſedentem vidi; ſeruis meis, vt corporis mei menſam ante te ſterneret, iuſſi, qua lautè reficereris: Adderetque: ſi te aſpexiſſem turpi, deformique in lecto cubātem, corporis mei, ſanguiniſque libamina minime prægustaſſes. Quid lectus hic pulcherrimus denotat, in quo ſedere debet anima, vt digna ſit enutriri corpore, & ſanguine Domini? Honeſtas: ait Bercorius. *Lectus pulcherrimus eſt virtus honeſtatis.* Meritò quidem honeſtas lectus pulcherrimus dicitur, quæ varijs, pulcherrimis, benèque olentibus, floribus venuſtatur. *Lectulus noſter floridus*; quæque pulchras, & decoras reddit hominum animas: *Pulchra eſt caſta generatio.* Planè tanta charitate erga honeſtos, & continentes affectus eſt Chriſtus; tanto amore virgines, pudicoſque proſequitur, vt his tantum corporis & ſanguinis ſui Sacramenta proponat. *Ezechiel. 23. 41.* *Bercor. Ver. Ornatus.* *Cāt. 1. 16.* *Sap. 4. 1.*

2 Quorſum putas Eccleſiā menſę Sponſi ſui miniſtros adhibere veſtibus albis indutos! Quidnam præſeferunt homines ſtolis albis amicti? Præſeferunt Angelos. Tales frequenter viſi ſunt Angeli ę coelo deſcendentes, noſtriſque ſe obtutibus reuelantes. Teſtes ſint Mariæ, quæ ad ſepulchrū Domini, in die ſuæ reſurrectionis, aduenerant. Viderunt namque ibi Angelum, cuius aſpectus erat ſicut fulgur, *Et veſtimentum eius vt nix.* Teſtes ſint & Diſcipuli, ad quos, poſt Domini aſcenſionem in *Matt. 23. 3.*

coe-

cœlum, è coelo miſſi ſunt Angeli *In veſtibus albis.* Candidatorum itaque venerabilem turbam, quam ſacris altaribus reſpicis aſſiſtentem, Angelorũ chorum exiſtima. Sed ad quid Angelorum præſeferunt effigiem? Vt diſcant, Angelos, quos imitantur in ſtolis, ſe in caſtitate, & munditia imitari debere. Quæ quidem ratio ab Auctore gēmæ animæ aſſignatur his verbis. *Ideo autem miniſtri Chriſti in albis veſtibus miniſtrant; quia Angeli æterni Regis miniſtri in albis apparebant. Per albas itaque veſtes admonētur, vt Angelos Dei miniſtros per caſtitatis mundiciam in Chriſti ſeruitio imitentur.* Altari namque nec dignus quidē eſt aſſiſtere, & miniſtrare, qui caſtitatem non cuſtodit, & ſeruat, quæ Angelos facit: *Qui cam ſeruauit Angelus eſt; qui perdidit, Diabolus.* Ait D. Ambroſius.

*Act. 1. 11*

*Auct. Gē. anim. de Antiq. ritu Miſſ. lib. 1. cap. 198.*

*D. Amb. lib. 1. de Virginib.*

3 Quē Nabuchdonoſor, filio hominis ſimilem in fornace ignis ardētis cum tribus pueris, vidit, *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis: & ſpecies quarti ſimilis filio Dei,* Chriſtus erat Dei vnigenitus: ſanè vt ſanctos illos reficeret, in fornacem è coelo deſcēderat. Videamus autem, quid magni, & eximij pueros illos ditabat, quod Chriſtum è cœlo rapere, ac pariter in fornacem trahere, potuit. Caſtitatem, inquit Aponius, ob quā decertabant, & patiebantur. Canticorum enim illud: *Qui paſcitur inter lilia,* expendēs, adnectit. *Tres illi pueri Hebræi caſtitatis dilectione miſſi inter Babylonicas flāmas, in eis medius, ardente fornace, quaſi inter lilia paſcitur Chriſtus; cuius præſentia caminus in Paradiſum, & furor ignis in rorem mutatus eſt.* Tanta charitate, Virginum Virginis filius, eſt in lilia puritatis affectus: tanto amore virgines, cōtinētesque proſequitur, quod, vt eos viſitet, paſcat, reficiat, cœli ſedem relinquat, & in terrā deſcendat. Cum itaque Chriſtum è Paradiſo deſcenſum, ſacraque replentem altaria videas, ob lilia deſcendiſſe cenſeas. lilia puritatis ſolummodo rapiunt è coelo Chriſtum: rapiunt inquam, vt paſcatur, & paſcat: paſcatur illorum ſpecie, venuſtate, & decore: paſcat viciſſim pane carnis ſuæ, ſanguinis poculo. *Paſcitur inter lilia. Paſcit, cùm paſcitur.* ait Bernardus.

*Dan. 3. 9.*

*Cāt. 5. 6.*

*Apon. li. 5. in Cāt.*

*D. Bern. ſer. 71. in Cant.*

4 Quæ de ſe ipſa virgo virginum ait, *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis,* doctrinā ſic reconditam habent, vt illotis (vt dicunt) non ſit pedibus adeunda; nec populari trutina, ſed aurificis ſtatera libranda. Nam cū inter flores, fructuſque

*Eccl. 24. 23.*

tuſque

tuſque non parum interſit; cur flores ſuos fructus Dei parens appellat? Rectè fructus dicit: de virginitatis namque, caſtitatis, carniſque integritatis, floribus loquitur, qui ſimul & fructus ſunt; quoniā illis Deus ſummopere fruitur, cum fructus à fruendo nomen accipiāt. Si inſtes: & cur illis fruitur? Quia, inquam, ſtatus eius ſūt, locus eius, habitatio eius: ſua enim fruitur habitatione, ſuo loco, ſuo ſtatu. Hoc & virgo ipſa mox explicat, cum Honeſtatis fructus appellat. Quid eſt Honeſtas, niſi honoris ſtat', ſtatus inquam Dei, qui coelorum, terrarumque magnus, & ſummus eſt honor, & à quo creata omnia honorabilia honorem communicant? Huic ergo honori virginitas, ac vitæ integritas, ſedem ſic propriam exhibent, vt præter hanc nullam ſibi deligat māſionē. *Pulchrè autem honeſtas*, ait Guerricus, *dicitur, quaſi honoris ſtatus. Neque enim honor ille ſummæ dignitatis, & gloriæ ſtatum in nobis habere poſſet, niſi nunc honeſtas vitæ, & morum, ſedem ei præpararet.*

*Guerr. ſer. 1. in Natiu. B. Mar.*

5 Præterea te velim admonitum, cum ſponſus Dilectam Hyeroſolymæ confert, *Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Hieruſalem*; minime illi, quæ deorſum, ſed quæ ſurſum eſt, Hieroſolymæ comparare. Habet & coelum ſuam Hieruſalem, quam Ioannes è cœlo deſcendentem vidit. Aurea eſt cœleſtis hæc Hieruſalē, totaque gemmea, vtpote quā Deus, vir eius, decorauit vt ſponſum. Scio autem curioſum aliquem rogare me poſſe. Cum Dilecta eſſet in terra, terrenæque carnis ſarcinæ ſubijceretur, cur non terræ, ſed coelo confertur? Terrena terræ comparanda, ſicut cœlo coeleſtia. *Spiritualia ſpiritualibus cōparantes*, ait Apoſtolus. Quia verò, quam Deus commēdat, eſt virgo; quæ, etſi carnis mole detineretur in terra, vitæ tamē integritate coeli ciues eſt, iure coelo coelicolam comparatur. *Non humanis iam*, inquit Ambroſius Virgini, *ſed cœleſtibus, quorum vitam agis in terris, digna es comparari.* Ex eo verò quod ex præhabitis habes, neminem ſacrę dignum Synaxeos, qui non ſic viuit in terra, vt exiſtimetur in coelo, mirum non ſit Deum, vt corpus ſuum recondat, virginea corda requirere, quæ magis in coelo, à quo corpore, quàm in terra, à qua mente, abſunt, exiſtunt.

*Cant. 6. 3*

*1. Corint. 2. 13.*

*D. Amb. lib. 1. de Virgin.*

6 Modò illud Ezechielis, de Chriſto ſuper firmamentum cœli ſedente, ac dominante, præponderandum. *Et ſupra firmamentum quaſi aſpectus lapidis ſaphyri ſimilitudo throni,*

*Ezech. 1. 16.*

*throni, & ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper*. Hoc eſt. Saphirinum thronum in firmamento vidi, in quo Chriſtus, Dei, & hominis filius, pro maieſtate ſedebat. Vides Chriſtum Dominum in ſaphiro ſedentem? *Similitudo ſaphiri*, ait D. Hieronymus, *thronus erat eius, qui ſedebat in ſimilitudinem hominis*. Quare ſedere non dicitur in adamāte, in hyacintho, in ſmaragdo, aut in aliquo alio ſolio, ſiue throno, ex alio quopiam lapide fabrefacto? Quid peculiare habet ſaphirus? *Omnes Doctores conſentiunt*, ait Ioannes à S. Germano, *quod hæc gemma amatrix eſt caſtitatis*: eoſque ſignificat, qui caſtitatem amantes, intactam ab omni ſorde ſuam ſeruare ſatagūt carnem. Vt itaque compertum habeas Deum non, niſi in anima caſtitatis candore fulgente ſedere, ſaphirino videri curat in throno. Anima igitur, quæ Deum exceptura ſacro accedit altari, ſaphirus ſit, ſit caſtitatis, ſit puritatis amatrix.

*D. Hier. ibid.*

*Ioā. de S. German. li. 2. cap. 25.*

*Zach. 1. 8* 7 Zacharias inquiens, *Vidi per noctem: & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum: & ipſe ſtabat inter myrteta*, Chriſtum aſpexit ſub euchariſticis formis abſconditum, ſiue quod noctu viderit, conſideres, quādo res ſubobſcurè videntur, & ipſo modo, quo Chriſtus in altari intuendum ſe offert; ſiue quod equi rufi viderit aſcenſorem, qualē in ara vides charitatis igne, ſiue, vt mauis, ſuimet cruore rubentem. Obſeruandum autem, quod, dum ſe ſic viſui profert, manet inter myrteta. *Et ipſe ſtabat inter myrteta*. Quid (amabo) myrteta ſeruant, vt Deus eorum gaudeat hoſpitio, fruatur ſede, diligat cōtuberniū? Quid? Carnis; libidiniſque mortificationem. *Per myrtum*, ait Hieronymus, *intelligunt mortificationem carnis, & libidinum*. Aptiora, pulchrioraque non habet Deus loca, ſuę manſioni dicata, ijs, à quibus abſunt oblectamenta libidinis, carniſq; deliciæ: & in quibus caro, non eneruata, & ſuppeditata tantummodo, ſed & mortua, iudicetur. *Stabat inter myrteta*.

*D. Hiero. in cap. 14 Zach.*

8 Quæris fortè, ait Pſalmographus, vbi Deus, vt eo valeas frui, reſideat? *Deus in loco ſancto ſuo*. In loco ſuo eſt, ad ſuum locum accedas, eum in loco ſuo certiſſimè offendes. Sed num (inquies) in alieno loco manebit? Quærebam num quempiam peculiarem locum ſibi conſecratum haberet, vt ex creatis bruta terram, piſces mare, aues aerem, ſydera cælum: & ſi habet, quinam ille ſit: nam de cætero eū in loco ſuo eſſe minimè dubitabam. *Pſal. 67. 6.*

D.Bernardin. tom. 1.ſer.16. in princ.

bitabam. *Oſtendit caſtitatem,* inquit Bernardinus, *cum dicit Dominus in loco ſancto ſuo. Locus continens eſt, ecce continentia.* Non exiſtimes ibi per locum, locum generaliter accipi, qui per illud *ſuum* determinetur ad Deum: minime namque Pſalmiſta nugari voluit, teque in eadem hæſitatione relinquere. Per locum continẽtiæ virtutem intelligit, quæ, quia continet Deum, ſicut loc⁹ locatũ, ſic appellatur. Quoniam verò, dũ Sacra recipis, recipis in te Deum; pro certo habeas, à te, qui continentiam colit, niſi continens fueris, nequaquam locandum.

D.Iſid.li. 19. cap.4 Etym.

9 Expẽde rurſus, ꝙ cõtinẽtẽ ſanctũ appellat. *Deus in loco ſancto ſuo.* Quid *Sancti* nomen importat? Idem eſt *Sanctus*, ac *ſanguine tinctus*. *Sanctum*, ait Iſidorus, *à ſanguine hoſtiæ eſt nũcupatum: nihil enim ſanctum apud veteres dicebatur, niſi quod hoſtiæ ſanguine eßet conſecratum.* Dum itaque continens dicitur ſanctus, idem eſt, ac ſi diceretur, ſanguine Redemptoris, quem ſub ſpecie vini è ſacro poculo haurimus, tinctus, & cõſecrat⁹: neminẽ. n. hic ſãguis tingit, cõſecrat, & decorat, q cõtinẽtię cãdore non fulgeat. Agnes ſanctiſſima, quod hoc niteret cãdore, *Sanguis eius,* inquit, *ornauit genas meas.* Hinc illud Paſchaſij. *Exerce te in caſtitate; quoniam hic ſanguis nihil magis diligit, quam in Chriſto Virgines.*

Paſch. de corp. & ſãg.Dom. cap. 21.

10 In eo quod in quarto, ac quadrageſimo Pſalmo tranſferunt Septuaginta: *Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ Regum* pro a domibus eburneis, *A gradibus eburneis*, habent alij. Quod ita poteſt elucidari. Dũ, vt mecum adſis, ad me filia aſcendis, veſtimenta tua, aromatibus odorantia, gradus, (per quos Regum filiæ pariter aſcendentes, tibi, mihique complacent,) ſuorum reddunt participes odorum. Vbi id modo aduertendum, per eburneos gradus ad Dominum ſanctos aſcendere. Sed cur non magis per aureos, ſmaragdinos, aut cryſtallinos? Quia etſi Deus Sanctorum cordium charitate, ſpe oblectetur, ac fide: caſtitate tamen, quam ſignificat ebur, ſummopere complacetur. *Iſtæ quidem filiæ Regum, quæ Regem delectauerunt per gradus eburneos, ideſt per gradus continentiæ, & caſtitatis ad Deum aſcendebant.* Ait D. Bruno. Gaudet Deus, exultat, geſtit, dum per eburneos gradus ſacra aſcendis altaria: nam miro quodam in continentem conuiuam affectus eſt amore.

Pſ.44.9.

D. Bruno de Ornat. Eccleſ. cap.9.

11 Etſi paſſim ex hordeo,

& tritico, panes fieri conſueuerit; Chriſtus tamen Euchariſtiam inſtituens, nō hordeaceum, ſed triticeum, vſurpauit. Ex quo quidnam coniectas, niſi ſacrum panem continentium, non luxurioſorum, alimentum eſſe? Hominum eſt triticum, hordeum iumentorum: Homo autem eſt caſtitatis aſſecla, carnemque rationi ſubijciens: cum corporis inquinamenta proſequēs, delicijs carnis indulgens, ſuoque ſenſui ſubditus, brutū fit potius, & iumentum. Hoc in ſacrificio, quod pro adultera offerebatur, præoſtenſum eſt, in quo, non vt in cæteris, ſimilam, quæ triticea eſt, ſed hordeaceam farinam demādatur offerri. *Offerat*, inquit Deus, *oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ hordeaceæ.* Quod his verbis Selomon apud Lyranum explicat. *Farinæ hordeaceæ, non triticeæ; quia hordeum eſt pabulum iumentorum, cui adultera aſſimilatur.* Sanè non brutis, non carnis imperio ſubditis, præſtitum eſt Euchariſtiæ ſacrum; ſed hominibus; ſed ijs, qui caſtitatis amore carnem calcant, ſenſum ſubigunt, ſuntque præter corpus in corpore.

*Num. 5. 15.*

*Rabb. Selom. apud Lyran. ibid.*

12 Habes ex dictis, quali Deus amore, factus hominum panis, feratur in continentes. Videndum nūc breuiter, quali abominatione, & odio proſequatur incōtinētes. Hebręis, ab Aegypto exeuntibus, agnū, qui Dei agnum peccata mundi tollentem prefigurabat, nō, niſi accinctis renibus, permiſſum eſt manducare. *Sic autem*, inquit Deus, *comedetis illum: renes veſtros accingetis, &c.* Quia verò, vt paſſim phibent, per renes accinctos caſtitas intelligitur: perſpicuū eſt, Deum hac lege ſolos continentes ad agni ſui conuiuium admittere voluiſſe; incontinentes verò longè, lateque diſtare. Sed cū peccata omnia, vtpote q̄ ſordidant animam; à Sacra Corporis Chriſti comeſtione detineant; quorſum hic tātū luxuria prohibetur? quare non & ſuperbia, auaritia, ira, & ſimilia? Et ſi verum ſit, quod ſanctam acceſſurus ad coenam, quibuſcūque culpis expurgare ſe debeat; in conuiuio tamen agni ſola inhibetur luxuria; quoniam maius luxurioſis, quā cuiuſuis alterius generis peccatoribus, Chriſtum indignè comedentibus, imminet malum. Audi Abbatem Paſchaſium. *Renes veſtros accingetis; quia hæc Sacramenta ſunt vitæ ſemina, quibus virgines generantur. Vnde conſtat, quod nulli periculoſius ea contingunt, quàm luxurioſi, & inceſti.* Cuius vlterior hæc ab Algero ratio aſſignatur. *Agnum Dei ſine ma-*

*Exod. 12. 11.*

*Paſch. de Corp. & Sang. Domi. c. 22.*

*Alger. de Sacram. li. 1. c. 22*

*macula, qui Virginis eſt filius, luxurioſi, & inceſti ſumunt pericu-loſiùs. Quia, cum in Sacramento ei vniri debeamus cõformitate paſſionis, & mũdiciei; nihil ſic aduerſatur paſſioni Crucis, vt voluptas; nihil ſic mundiciei, vt fœditas; nihil ſic eius vnitioni, quã fornicariæ ſocietatis vnitas.* Adde aliud D. Bernardini. *Magis peccat exiſtens in peccato luxuriæ, quàm exiſtens in peccato iræ, vel alterius peccati ſpiritualis; & hoc propter deſpectionem. Qui enim peccant peccato luxuriæ, peccati vilitatem agnoſcunt, & viles ſe reputant.*

*D. Bernardin. tom. 2. ſer. 57. ar. 2. c. 1.*

13 Sacræ Regũ hiſtoriæ de Pſalmiſta noſtro recenſent, quod à Rege Saule ad Achimelech Sacerdotem confugiens, panẽ pro ſua, ſuorumque refectione poſtulauit. Cui, cum laici panes iã defeciſſent, eatenus ſacros Dei menſæ appoſitos obtulit, quatenus pueri, quos ſecum ferebat, mundi eſſent, & caſti: *Non habeo, inquit, laicos panes ad manum; ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus.* Quod ideircò cautum eſt; quia panes illi ſacri ſacrũ Euchariſtiæ panem in altaris menſa propoſitum figurabant. quem nefas eſt ab incontinẽtibus comedi. Hic eſt ferè omnium ſenſus. Sed nè te pigeat quæſo, Sacerdotis verba perpendere. Non enim petit, ſi à meretricibus, ſed ſi à mulieribus, mundi ſint pueri. Velut ſi innueret, illos, etiam ſi proprias cognouiſſent vxores, quod licitum erat, immundos, ſacroque pane indignos exiſtimari. Sed quorſum hoc, cum vxoris cõcubitus nec culpam inferat, nec aliam animæ labem? Tantam Deus puritatem in communicante requirit, vt & coitum vxoris abhorreat. En purpuratum Hieronymum. *Ad Dauid fugientem ad Achimelech Sacerdotem dictum eſt: ſi mundi ſunt pueri ab vxoribus. Panes enim propoſitionis, quaſi Corpus Chriſti, de vxorum cubilibus conſurgentes edere non poterant. Dixit ſi mundi ſunt pueri ab vxoribus, videlicet quo ad mũdicias corporis Chriſti omnis coitus immundus ſit.*

*1. Reg. 21. 4.*

*D. Hiero. lib. 1. ad Iouinian.*

14 Si verò Sacerdotem manus de illicita mulierum commiſtione locutum. Peto. Si Dauidis ſerui, tali labe ĩfecti, in extrema famis neceſſitate fuiſſent; prohibitus nè illis fuiſſet ſacrorum panum comeſtio? Poterat nè Sacerdos in tali caſu eos è ſacra menſa ſecludere, fameque pereuntes relinquere? Quidnì? imò magis tenebatur: ſatius enim eſt incontinentem perire, quam ſacro pane cibari. Hoc (ait Siſtus Pontifex) innuunt verba Achimelech, ſi ſtudioſè cõſiderentur. *Oſtendens facilius potuiſſe incontinentes inedia mori, quàm panes de* ſan-

*Siſt. Põt. Caſt.*

*ſanctificationis accipere*. Luxurioſo equidem minus malum eſt mori, quam Euchariſtiam ſumere: per hoc enim Dei indignationem incurrit, cuius tã acerba ſunt vulnera, vt mortis vulnus in illorum comparatione ſit paruum.

15 Quod ait Dominus, *Non permanebit Spiritus meus in homine quia caro eſt*, ſic liceat interpretari. Res ſanè abominabilis eſt, Chriſtum Dei filium, (*Spiritum oris noſtri* ab Hieremia dictum) in homine permanere, videlicet incarnari, cum ſit caro; carnis, ac ſanguinis ſordidatus iniurijs. Tanta enim Deus in animas libidine ſordidatas, diſplicentia fertur, vt Verbi incorporationem, per quam in homine permanſurus erat, viſus ſit inhibere. Omnem quidem, dum nobiſcum eſſe conſtituit, immunditiam abominatur; hanc tamen præcipue, velut omnem aliam excelleret turpitudinem. Sic Bernardinus, Auguſtino cõcors, turpiſſimum ſodomitarum ſcelus arguens affatur. *Propter hoc ſcelus ſecundum Auguſtinum, quia erat in humana natura, Filius Dei ferè deſiit incarnari*. Additq; *Hieronymus ſuper illud. Iſaiæ Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis, dicit, quod lux illa omnes laborãtes illo vitio extinxit, nè natura quam aſſumpſerat, tanta immundicia ſedaretur. Et hæc poteſt eſſe ratio, quare Chriſtus tantum ſcelus non legitur arguiſſe: eo quod tam recens memoria illius punitionis in mundo erat, quod homines ab illo crimine abſtinebant*. Vides luxurioſe quantopere tuum Deus nauſeet hoſpicium, ſedem abominatur, ſocietatem exhorret; quod egrè in virginea carne, eo quod caro erat, videtur inhabitaſſe.

*Gen. 6. 3.* *Thren. 4. 20.* *D. Bernar din. tom. 2. ſer. 25. ar. 2. c. 1.*

## THEOREMA VII.

### Propter nomen ſuum.

*Procul ſint immundiciæ, vndè Deus mundiſſimus nobiſcum præſtò eſt.*

DVM à Propheta, cur eum Deus per iuſtitiæ ſemitas duxerit, ſciſcitaueris, *Propter nomen ſuum*, reſpondebit, quod eſt Emmanuel, ideſt nobiſcum Deus. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Quia ſe Deus meus vſque ad ſeculi finem in Sacramento altaris ait eſſe manſurum; non modo me iuſtum, purum, & impollutum ſeruari voluit; ſed & ſemitas ipſas, per quas inambulem, ſanctas eſſe decreuit. Iure hoc iuſſum eſt. Vbi enim Deus mũdiſſimus, & puriſſimus, nobiſcum adeſt, nullæ immũdiciæ,

nul

nullæ maculæ, nullæ ſordes, debent adeſſe.

1 Quamquam Ethnicorum ſcriptores, ſeptem orbis miracula prædicantes, & inter illa Dianæ templum, argenteis columnis extructum; téploq; Salomonis, omnibus præferendo, nec nouiſſimum locum cōcedant; in toto tamen orbe nunquam illi viſum eſt ſimile, ſiue ſumptuū magnificētiam, ſiue ſtructuræ ſubtilitatē, pretioſitatemq; materies attendas. In eo enim pro nihilo habebatur argentum, nam cuncta auro videbantur obtecta.

3. Reg. 6. 21.

*Nihil erat in templo*, ſacra ait hiſtoria, *quod nō auro tegeretur.* Quocirca cui datū eſt Dei templum inſpicere, totum terræ aurum illuc congeſtum, potuit æſtimare; ſeque cœlum vidiſſe, cuius plateæ, murique ex auro ſunt puriſſimo fabrefacti. *Plateæ, & muri eius*, inquit Eccleſia, *ex auro puriſſimo*; Vel ſaltē ſubterraneam aulam, quam

Pet. Ber. Reduct. Mor. lib. 14. c. 72. num. 6.

Robertus, Romanorum Pontifex in campo Martio vidit, cui parietes aurei erant, tectum aureum, pauimentum aureū: aureus in ea Rex, aurea Regina, aurei milites, & miniſtri: & ſi quid aliud in eo erat, auro quoque nitebat. Sed cur nihil erat in templo Dei, quod auro nō eſſet obtectum? Quia in eius domo nil immundum, & turpe videri debet. *Ingredere in templum Salomonis*, ait D. Bruno, *& circunſpice diligenter: nihil ibi, niſi aurum, & illud puriſſimum, videre poteris. Quia nihil turpe, & immundum in domo Dei apparere debet.* Intellexit Salomon Deum puriſſimum, ac ſanctiſſimum domū illam inhabitaturum; propterea omnia cooperuit auro, vt non, niſi aurū vbique circunſpiceretur.

D. Bruno de ornatu Eccleſ. c. 12.

2 Hic diutius immorandū. Tametsì cuncta, quę in templo erant, obtegerētur (vt dictum eſt) auro; auro tamen altare thymiamatis ſpeciali Dei mādato obtegendum erat. Ait enim Moyſi: *Facies altare ad adolendum thymiama de lignis ſethim; veſtieſque illud auro puriſſimo.* Aduertendum autē, ligna ſethim fuiſſe olim pretioſiſſima, non modo, quia incremabilia, & imputribilia; ſed quia tanto candore fulgebant, vt vel ebur ipſum excellerent. Peto itaque. Cum ligna ſethim tam pulchra fuerint, & pretioſa, ſuoque ſatis ad altare ornandum decore; quid eſt, quod auro ſuperinduebātur, & tegebātur? Quia Deus omne, quod noſtrū eſt, quamuis pretioſum, & pulchrum; ſic fœdum, & immundum exiſtimat; ſuiſque indignum obtutibus, vt ante oculos ſuos oporteat operiri. Audi Hieronymum Oleaſtrum.

Exod. 30. 1.

Non

*Oleaſt. ibid.* *Non enim vult Dominus quidquam noſtrum videre, niſi tectũ: omnes nos immũdi, & omnia noſtra indigna diuinis oculis. Tegendum eſt altare, etiam ſi ligna ſethim, ex quibus factum eſt, mũda, & pretioſiſſima ſint.* Attende quali mũdicia exornãdus eſt locus, in quo Deus reſideat, cũ etiam pretioſa, & pulchra, eo quod noſtra ſint, reputet immũda, oculiſque ſuis indigna.

3 Priuſquam ab auro abeamus, auream Apocalypſis zonam hùc afferamus conſiderandam. Ait enim Ioannes, ſe *Apoc. 1. 14.* Chriſtum vidiſſe, *Præcinctum ad mammillas zona aurea.* Si, quid aurea zona ſignificat, mammillas Chriſti pręcingẽs, pro intelligentia huius loci, rogaueris; Chorum ſanctorum, *Victorin. ibid.* inquiet Victorinus. *Zona chorum ſanctorum eſt.* Si denuo inſiſtas. Quid nam agunt ſancti, dũ inſtar zonæ pectus Chriſti circundant, pendentque ab vberibus eius? Corporis (inquam) eius, & ſanguinis Sacramenta percipiunt, quæ per vbera Chriſti ſignificantur. Ita tres Patres illud Canticorum, *Cant. 1. 1.* *Meliora ſunt vbera tua vino*, declarant. *Caten. Triũ Pat. ibid.* *Quod ſi*, inquiunt, *vbera myſticè vis intelligere per vbera illa admiranda, ac vino præſtantiora; cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus nos omnes pietatis alumni nutrimur.* Aduerte verò, quod, dum ſancti è pectore Chriſti pendent, eiuſque Sacramenta ſugunt, dicuntur aurei. *Zona aurea.* Quoniam nemo luteus, nemo terreus, nemo ſordidus; ſed ſolus mundus, ſed totus aureus, accedere debet ad Chriſtum.

4 Vt, antequam Sacerdos accederet ad altare, corporis ablueret ſordes, iuſſit Deus Moyſi vas quodam æneum poni in tabernaculo. *Facies labium æneum cum baſi ſua ad lauandum, & miſſa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus ſuas, & pedes, quando acceſſuri ſunt ad altare.* *Exo. 30. 18.* Quæro cum pro nihilo Deus carnis immundicias ducat, *Nõ carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ*, ait Petrus Apoſtolus; *1. Pet. 3. 21.* quorſum hic ita carnis ſordes odit, vt ni prius lauentur, ſuum ad altare neminem admittat? Tantam Deus in eis, qui ſua frequentant altaria mundiciam diligit, puritatem exquirit, vt non tantum animæ, ſed & carnis, quas non curat alibi, dedignetur ſpurcitias. Sic Oleaſter locum hunc elucidans. *Oleaſt. ibid.* *Non arbitreris Deum ſola interiori mundicia cõtentari, amat etiam, externam. Vnde grauiter illum offendere putarem, qui rem ſacram illotis, vt aiunt, manibus, aut conſpurcatis, contrectare pręſumeret.*

5 Sanè ſi Dominus dum de

*Matt.24. 28.*

ſuo loquens Sacro: *Vbicunque, ait, fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, vultures appoſuiſſet, dixiſſetque, Ibi congregabuntur & vultures, aptiùs, & propriùs videretur locutus: minimè enim aquilæ, quæ, teſte Alberto, ſolitariæ volant, ſed vultures ad cadauera turmatim aduolant. Quare ergo non Vultures inquit, ſed Aquilæ? Quia ad puritatem, & mundiciem attendit, quam locus exigit, in quo ſuũ corpus apponitur. Aquilæ namque mundiſſimũ, vtpote gemmiferum, nidũ habent: at verò *Vbi*, ait idem Albertus, *nidificant vultures, terra fœtet ex cadaueribus, ibi comportatis*. Vt itaque intelligas, locum, Sacram Euchariſtiam continentem, mundiſſimum, nitidiſſimum, à quacunque ſorde, ac quouis fœtore expurgatiſſimum eſſe debere, Dominus corpus ſuum, non vulturibus, ſed aquilis circundandũ, inquit. Et ad quid cenſes tot vicibus aras à Sacerdote thurificari, niſi vt locus ille corpus Chriſti fouẽs, à quauis ſuſpenſione fœtoris, qui illuc aliunde peruenire potuit, purificetur? *Ob reuerentiam Sacramenti*, ait D. Antoninus, *thurificatur altare, vt ſcilicet per bonum odorem depellatur quidquid corporaliter praui odoris eſſet in loco, quod poſſet prouocare horrorem*.

*Alber. li. 23. de Animal.*

*Alb. ibi.*

*D. Antonin. part. 3. tit. 13. cap. 5.*

6 Quoniam opus erat olim Sacerdotem leproſi domũ intrare, Deus eã ante Sacerdotis ingreſſum mundari, & expurgari præcepit. Vbi enim ait vulgatus, *Efferant vniuerſa de domo priuſquam ingrediatur eã*, Pagninus habet: *Expurgabũt domum, antequã ingrediatur ſacerdos*. Si fortè quæris, quare domus, quã Sacerdos ingreſſurus erat, mundari debebat? Ob reuerentiam, inquam, præſentiæ ſacerdotis habendam. *Audis*, ait Oleaſter, *quæ reuerẽtia ſit Sacerdotis præſentiæ exhibenda, cùm domum tuam fuerit intraturus? Nempe domus ipſa mundanda, nè ſordes domus eius oculos offendere poſſent: Dei enim vicarius, & miniſter eſt*. Quod ſi homo immundus, immundo conceptus ſemine, immunda tractans, & cogitans, offenditur, cum videt immundã; quare mundãda ſit domus eum hoſpitatura: quo nam ſtudio purificãdum eſt templum, qua diligentia mundificandũ altare, quantanam induſtria tua examinanda, ac purificanda præcordia, qui Deum expectas, nè puriſſimos eius offendas obtutus? Neque aliã ob rẽ admonemur altaris lintemina frequenter abluere, quàm ob Dei præſentiæ reue-

*Leuit. 14. 36.*

*Pagn. Transl.*

*Oleaſt. ibid.*

rentiam, qui in illa cum tota cœleſti curia per ſingulos dies ſacrificandus deſcendit. *Linteamina altaris, & indumenta,* inquit Odo Pariſiẽſis Epiſcopus, *ſæpe abluantur ob reuerentiam, & præſentiā Saluatoris noſtri, & totius curiæ cœleſtis, quæ cum eo præſto eſt, quoties miſſa celebratur.*

*Odo Pariſ. Epiſ. in ſtatut. Synod.*

7 Eliotropium, ſiue ſolſequium, à Grecis *Dioſantos*, hoc eſt, *Oculum Chriſti*, ſcribit Lemnius medicus nuncupari. Cuius nomenclaturæ ſi rationem efflagitas: Eo quia, inquam, cum oculis Chriſti quandam habere videntur proprietatem. Eliotropij flores ſolis ſunt amantiſſimi, niſi ſolem, totius luminis fontem, inſpicere neſcientes: ad cuius ortum, vt immiſſum lumen excipiant, officioſè ſe paudunt, ac quocunque girando ſol vadit, vertunt ſe, & inclinant: mox autem in veſpere, cū ſe ſol obduxerit, ipſi paulatim ſe colligunt, velut in cubiculo quodā ſua clauderent intima: lucis carentiam, ac noctis caligines ferre nō poſſe ſuo modo ſignificantes. Ita & oculi Chriſti lucem colunt, lumen diligunt, vt nihil, quod luce careat, inſpicere poſſe videātur. Et hæc eſt præcipua ratio, qua S. Mater Eccleſia, nullibi corpus eius, niſi vbi lumen effulſerit, apponere conſueſcat. Nam, vt ait Hieronymus, *Deus ſemper in meridie eſt.* Nunquam aduesperaſcit altiſſimo, elonganturab eius ſede caligines, diſtant tenebræ, & vmbrę. Puriſſimi ſunt oculi eius: ſola pura, & pulchra, ſola lumine prædita, ſordium non caligata fuligine, inſpicere poſſunt. Solſequia ſunt, èliotropia.

*Lemn. de Occ. nat. mirac. li. 1. c. 17.*

*D. Hiero. in cap. 3. Abac.*

8 De Saluatore refert Euāgeliſta, in cæci cuiuſdam oculos expuiſſe, quos exinde ad lumen reuocaturus erat. *Et apprahenſa manu cæci, eduxit eū extra vicum, & expuens in oculos eius, impoſitis,* &c. Quorſum hoc? Quidnam immūdi, quid execrandi vidit in oculis cæci, quod procul ab indignatione intueri non potuit, quin in eos expueret? Peccatum vidit. Eſt ſententia Hugonis; *Per exprobrationem peccati* hoc feciſſe, dicentis. Vbi puriſſimus De⁹; fons omnis puritatis, & luminis, limpidiſſimus, illum ante ſe cæcum vidit, peccatum inſpexit, quod miſero lumen abſtulerat. Hoc ſpectaculo tanta efferbuit ira, tanto fuit ſtomachatus horrore, vt in illos, tamquam ſordidiſſimos, & fædiſſimos, expuerit. Sic Deus mundus ab immuuditia læditur, quam præcipue peccatum affert, vt nihil execrabilius, abominabilius ſacris eius obijci poteſt obtutibus.

*Mar. 8. 23.*

*Hug. Car. ibid.*

9 Aduerte quo ſtudio citharedus

redus Vates, nè noſtra peccata conſpicerent, iram nobis efflagitãtia, diuinos ab eis oculos auertebat, *Poſuiſti, iniquitates noſtras ĩ cõſpectu tuo:* Quia verò placet Nyſſeno hæc interrogatiuè, adiecta vocula *Quare*, legenda eſſe: *Quare poſuiſti iniquitates noſtras in cõſpectu tuo?* Quaſi, inquit, Propheta Deum, quod noſtras iniquitates inſpiceret, quodam modo redarguens, diceret: *Decet te pulchra ante oculos habere; iniquitates autem indignum eſt, quæ à te inſpiciantur.* Quid eſt (nẽpe) Domine Deus meus, quod ad noſtras uiſendas iniquitates, puriſſimos, ac lucidiſſimos oculos tua è ſede demittis? Hæccine ſunt ſpectacula tuis digna conſpectibus? Te pulchra, pura, luceque micantia, decet aſpicere; minimè verò deformia, turpia, tenebricoſa, vt hominum iniquitates, & ſcelera. Qua quidem emphaſi non modo admirandam, & ineffabilem oculorum Dei, dũ peccata noſtra proſpiciunt, indignationem edocuit; ſed & indecentiam pariter: quippe qui, vt eos è tali ſpectaculo auerteret, noſque ab ira condigna liberaret, non bonitatẽ eius, clementiam, pietatem, miſericordiam, vel in noſtrum genus amorem, non tandẽ ſui Vnigeniti merita; ſed indecentiam allegauit. Vides itaque quàm indecens ſit & indignũ oculis Dei animæ turpitudines, & obſcænitates obijcere? Crede mihi, minus indecorum eſſe corã Deo ſtercoratas veſtes, quàm animas iniquitatũ ſordibus inquinatas, afferre.

*Pſ. 89. 8.*

*D. Greg. Nyſſ. tracta. in Pſ. cap. 7.*

10 Tuum nè vnquam fatigauit ingeniũ, quod Deus Moyſi ſuum altare ſemel in anno lauandum, & expiandum commiſit? Ità, ſecundũ quod trãſfert Pagninus, Exodi trigeſimo leges; *Et expiabit Aaron ſuper cornua eius ſemel in anno.* Neque hoc olim ab Eccleſia prætermiſſum eſt, dũm Chriſti altaria, aqua, & vino, quibuſdamque ramis in Paraſceue lauari præciperet. Vis rationem aſſignem? Audi Oleaſtrũ, qui id fieri ait, non quod altare peccauerit; *Sed quia contagioſa ſunt peccata noſtra, vt non ſolum nos contaminent; ſed etiam ſancta Dei. Nam quæcunque peccator tangit, etiam ſi Sacerdos ſit, immunda reddit.* Tanta feditate, & illuuie ſcatet peccatum, vt nõ peccatorem ſolummodo fœdum reddat, & turpem; ſed & in quodcũque peccator tettigerit, ſuam obſcænitatẽ trãſfundat. Quia verò Sacerdos, vtpote homo, & ex cõſequenti peccator, potuit ſacrum altare peccati macula contaminare; iubet illud Deus expurgari, & abſtergi; indignum, & indecorum exiſtimans, ſuam

*Exod. 30 10.*

*Pagn. Tranſl.*

*Durand. Ratio. Diuin. lib. 6. cap. 76.*

*Oleaſt. ibid.*

ibi maieſtatẽ ſedere, vbi pec-
cati ſordes apparent.

2. Reg. 24. 15. 11 De Angelo, qui ob Regis Dauid peccata ſeptuaginta millia Iudæorum percuſſit, quærit Abulenſis: fuerintnè bonus, an malus? ex miniſtris cœli, an ex tortoribus tantari? ex ijs, qui Deo aſſiſtunt; an, qui Deo rebelles, à Deo longè morantur? Aitque, non deeſſe, qui cenſeant fuiſſe Dœmonẽ: ipſe verò è contra cœleſtẽ Angelum putat, hac ratione permotus. *Quia Propheta Gad iuſſit fieri altare, & immolari victimas in loco, in quo apparuerat ille Angelus: ſi tamen fuiſſet malus, non fuiſſet ibi factum altare.* (Abulenſ. ibid.) Conuincens ſanè argumentũ. Quoniam Dœmon tantis ſceleribus, fæditatibus, & iniquitatibus ſordidatur, ſi illum incoluiſſet locum; indecorum, & turpem, ſacroque altari reddidiſſet indignum. Nã locus, vbi altare, Dei aſſiſtentiæ cõſecrandum, erigitur, mundus, & expurgatus præſeruari debet.

12 Vbi ſe Chriſti proditor, ſui carnifex factus, veniã deſperans, ſuſpendit, *Crepuit medius*, refert Petrus Apoſtolus, *& diffuſa ſunt omnia viſcera ei?* (Act. 1. 18. Beda.) Quod ſe ſceleſtus ſuſpenderit, patet ratio: *Guttur enim*, ait Beda, *per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necauit*: laqueo debuit mori, cui Diaboli laqueis, nummis inquã, cor alligauerat. Quæ autem, quæ crepuit, ratio potuit eſſe? Temeraria panis Chriſti comeſtio: Poſtquam enim in animæ eius ſtercora, fæditateſque ingreſſa eſt Euchariſtia; tot, taleſque immundicias ferre non ſuſtinens, ſacrilega, vtiter ſibi indè aperiret, perfodit intima, dirupit viſcera. *Iudas*, ſcribit Cellenſis, *bucellam azymi panis accepit, ſed medius crepuit. Vis enim magna, diſcernens mundum ab immundo, in pane illo, cũ ſtercoribus auaritiæ, & infidelitatis proditoris, non patitur immorari.* (Petr. Cel. de Panib. cap. 3.) Quonam modo (obſecro) inhabitari poterat à Deo is, cuius cadauer, vt aſſerunt, odorem adeo tetrum emitteret, vt prædium, in quo deceſſit, non modo nunquam coli potuit; ſed nec, niſi à nares ſibi obturantibus, præteriri? (Ioan. Lorin. in c. 1. Act.)

13 Denique recenſent, Iudæum à fidele quadam muliere ſacrum Chriſti corpus acce-piſſe; moxque capſam in quam illud poſuerat, corãm alia, Dei dilecta, in cautè aperuiſſe; quando magnũ viſum eſt mirum. *Corpus enim Chriſti ſaltauit ad pectus mulieris.* Minimè quidem mundiſſimum, ac puriſſimũ corpus, in immundiſſimo, ac ſordidiſſimo loco detinere ſe poſuit, quin in purum, vt purè ſeruaretur, euolaſſet hoſpitium. (Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcõd. lib. 3.)

THEO-

## THEOREMA VIII.

### Propter nomen ſuum.

*Noſtrarum Animarum Zelus Deum è cælo trahit, & detinet in altari.*

VElim aduertas, hæc verba, *Propter nomen ſuum*, ad ea, quæ iam præmiſerat, referenda. Nam quia Emmanuel, ideſt nobiſcum Deus, nomẽ Chriſto eſt, videtur innuere, Deum propter nomen ſuũ eucharisticas paſcuas præparaſſe. Non enim modo, vt nos paſceret, ſacram cœnam inſtituit; ſed etiã, vt vſque ad conſummationem dierum nobiſcum ſit, nè nos, quos tantopere diligit, vel per momentum deſerat. Ex quo clarum fit Auguſtiſſimum Sacramẽtum Zelotis Dei opus eſſe. Nam zelus animarum noſtrarum Deũ noſtris quotidie trahit, & detinet in altaribus.

1 Scio te quidem ſcire, cum mira quadã vi Chriſtus, vt Ioan. habet, conuerteret aquam in vinum, Euchariſtiam præfiguraſſe; in qua in ſanguinem, & carnem ſuam vinum, & panem conuertit. Hinc autumo mirum illud minime Hieroſolymis, Betheelem, ſiue Nazareth, aut alibi; ſed in Cana patratum. Cur in Canæ magis, quam alibi? Vt erudireris auguſtiſſimum ſacrũ zeli opus eſſe, à Deo zelote adinuentũ; vt nullo tempore Chriſtus nobis præſto non eſſet: Cana zelum ſonat. Salmeronem audi. *In Cana Galileę, ideſt in domo zeli videre competit Chriſtum in Euchariſtia, & poteſt dicere, zelus domus tuæ comedit me: Nam zelus Domini excogitauit artem, qua ſe poſſit in alimoniam animarum relinquere: communicauitque Sacerdotibus poteſtatem, qua tantum miraculum perpetuo exiſteret in Eccleſia.*

Ioan. 2.

Salmeron tom. 9. tract. 26. in Euang.

2 Si Chriſtum obſecres. Quænam res, dulciſſime Domine, vt corpus tuum ſanctiſſimum, ſanguineumque pretioſiſſimum, ſub panis, & vini formis abſconderes, teque comeſtibilem faceres, te coegit? Zelus animæ tuæ, reſpondet Dominus per Pſaltem. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ita Bernardinus Senenſis hunc locum explanat. *In perſona Chriſti Propheta ait: Zelus domus tuæ comedit me. Ideſt: immenſus animarum zelus me comeſtibilem fecit.* Quaſi diceret Dominus. Tantum opus à dilectione cognoſce. Quoniam amor legem præfixit amantibus, longè ab amato difficillime viuere poſſe: ego autem genus humanum ſupra, quod dici, aut cogitari poteſt, cha-

Pſal. 68. 12.

D. Bernardin. tom. 2. ſer. 54. ar. 1. c. 1.

ritate

ritate proſequens; nè cùm cœli culmina teneo, diuellar ab eo, Sacram Euchariſtiam, facio: cuius gratia, dum cum Angelis, & Beatis oblector in patria; cum viatoribus, & laborãtibus identidem lætor in via.
Prou. 8. 33. Nam *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum*.

3 Sermonem proſequamur de Chriſto: de qua canit Pro-
Pſal. 1. 3 pheta, cùm ait: *Et erit tamquã lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*; Lignũ enim, & arbor eſt Paradiſi; quam vitalem appellant. Sapientia
Prou. 3. 18. Dei eſt, quæ eſt *Lignum vitæ iis, qui apprehenderint eam*. Hæc autem arbor *Dabit fructũ ſuũ*, ſuam nimirum carnem, come-
Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 12. ſtibilem redditam. *Fructum ſuum, ideſt carnem ſuam*, ait Richardus à S. Laurentio, *eſibilẽ dedit in cœna*. Ideo ait Eccleſia. *Fructum ſalutiferum guſtan-*
In Off. Corp. Chriſti. *dum dedit Dominus*. Obſerua verò, quòd ait *Dabit in tempore ſuo*, non extrà tempus ſuum. Si ſcire lubet, quale fuit tempus, quo cœleſtis hæc arbor fructũ ſuum exhibuit: attende prius quale ſit tempus, in quo ſuos ferunt arbores fructus, & ſcies, quod cupis. Tẽpus fructificandi eſt cùm ſol feruentior eſt, cùm leoni coniungitur, cũ nos deſerere incipit: non, niſi in ſolis feruore, fructus ad maturitatem perueniunt. Tunc carnis ſuæ Dominus ſalutiferum dedit fructum, cúm eius plus ſolito efferbuit, cum diſcedere à nobis decreuit. *Mortis tuæ tempore. Cum dilexiſſet* Ioa. 11.
*ſuos, in finem dilexit eos.* Quos namque tantopere diligebat, relinquere non ſuſtinẽs, ſe comeſtibilem fecit, nobiſque reliquit edendum, vt nobiſcum perpetim habitaret. Quod, vt patet, zelotis eſt.

4 Sanè non inconſulto idẽ Pſalmographus, dum Eucha- Pſal. 22. 1
riſtiam caneret, *Dominus paſcit me*, inquit: *nihil mihi deerit*. Deus enim Omnipotens ſacro ſui corporis ferculo, potuque ſanguinis, tantis Eccleſiã ſuã ditauit bonis, expleuit deliciis, vt nihil ei deſit, quod valeat concupiſci. Hoc enim ſacro *Singulos defectus noſtros*, Rich. à S.
*quantum in ſe eſt, ſupplet in hac* Laur. ibi.
*vita: cum ipſe etiam in præſenti ſit omnia omnibus, ideſt ſufficientia omnium*: Ait Richardus à S. Laurẽtio. Si verò rogaueris: Quare Ieſus noſter in hoc vno pabulo bona cũcta coaceruauit, vt nullo bono indigeat Eccleſia? Ratio, inquam, eſt, vehementiſſimus, ac ardentiſſimus, quo illam proſequitur, amor: nullum enim à ſe vult ei benefacere. Audi Oleaſtrum.
*Conſidera dilectionẽ Dei tui erga* Oleaſt. in
*te. non vult aliquem, quàm ſe, ti-* cap. 32.
*bi benefacere: alios ſuſpectos ha-* Deutero.
*bet: vt ſolum eum ames, illique ſoli ſeruias, illique cuncta tua debeas.*

*beas*. Et quo liquidò apparet, Saluatoris zelum, quo nos pro ſequitur, eucharisticum Sacrum adinueniſſe. Zelotyporum eſt, bonis, quos amant cumulare, nè ob rei alicuius defectum, alios ſibi amatores aſciſcant, illoſque penitus deſerant.

5 Cum Christus Cruci appenſus, mox eſſet expiraturus, hæc protulit. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Quibus quidem verbis, vt autumnat Athanaſius, vniuerſos fideles, quos iam viuificabat; quoſque velut membra ſuo capiti vnita, ſecum habebat in ligno, Patri commendauit. *Commendabat*, inquit S. Doctor, *vniuerſos mortales viuificatos: nam ſumus membra eius, ſecundum illud Apoſtoli: Omnes vnum eſtis cum Chriſto*. Sed quonam pacto fideles, dum Chriſtus eſſet in Cruce, cum Chriſto erant in Cruce? Per Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacrum. Nam, cum illud poſt paſſionem, & mortem inſtituere potuiſſet: ante paſſionem, & mortem inſtituit: vt nos quoque cum ipſo ſuſpenderemur in Cruce. Audi Paſchaſium. *Quia noſtræ ſalutis ſumma in iſto conſiſtit Sacramento, deſiderio ſui deſiderauit adimplere, vt cum ſuis, antequam pateretur, hoc verum mãducaret paſca: quatenus per hoc, antequam ſe daret in precium, nos in illo, & ipſe in nobis vnum eſſemus corpus: & ideo in Cruce nos cum illo crucifixi ſimus*. Ac ſi diceret. Zelotypicæ adinuentum fuit, quæ nec vel per horam amatorem noſtrum à nobis abeſſe patitur. *Refert Seneca*, ait D. Bernardinus, *ſe quendam cognouiſſe zelotypum, qui exiturus in publicum, cum vxoris faſcia pectus colligabat; & ne puncto quidem horæ præſentia eius carere poterat*. Nullo pacto zelus rei amatæ diſtantiam ſuſtinet: quare, vt poteſt, colligationem quærit, & vnionem, qua ſemper præſentia eius fruatur, & non vnquam diuidi poſſit ab illa. Hæc à Chriſto per Euchariſtię vinculum adinuenta eſt: ipſemet enim inquit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in illo*.

6 Rationabiliter equidem, dum hoſtiam efficimus conſecrandam, Chriſti in ea crucifixi delineamus imaginẽ. Quia, cum Euchariſtia eius recolat paſſionem, vt paſſum oſtendat, & mortuum, crucifixum gerat, oportet. Hinc tam magna Chriſti liberalitas ſacro exponitur in altari, vt non modo ſua, ſed et ſeipſum impertiat. Quia nimirum manus, velut in ligno, extenſas, ad dãdum habet: pectus perfo-

Marginal notes: *Luc. 23. 46.* — *D. Atha. in cat. 5. Th. ibid.* — *Paſchaſ. Epiſt. ad Frugeg.* — *D. Bernardin. ſer. 18. ar. 1. cap. 2.* — *Ioan. 6. 57.*

foratum exhibet, & apertum, per quod, velut per ſalutis ianuam, intrantes, cum ipſo eſſe poſſimus: ex quo illud Domi-
Ioan. 6. 57. ni *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet*; Pedes denique, velut quibuſdam compedibus, clauis ligatos exhibet, nè nos per momentum deſerat, & relin-
D. Thom. opuſ. 50. quat. *Pedes affixos ad nobiſcum manendum*. ait Doctor Angelicus cum Bernardo. Zelotypus animarum eſt: earum non patitur abſentiã: ferro ſe apud eas adſtrinxit.

7 Moyſes colorem, quem præferebat mãna, deſcribens,
Nu. 11. 7. *Erat autem*, inquit, *man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij*. Vbi vulgatus habet. *Coloris bdellij*, vertunt alij ex Hebręo:
Ioan. Lo. ibid. *Et oculus eius ſicut oculus bdellij*. Ex quo infert Lorinus, manna, vt dictum eſt alibi, quoſdam habuiſſe ocellos, ſiue ocellatum fuiſſe. Quid verò tot oculi ſignificabant in manna? Nihil quidem in mãna; ſed in eo quod figurabatur in manna, ſcilicet in Euchariſtia. Innuebat enim continendum Chriſtum in ea noſtrum zelotiſsimum amatorẽ. Plenus oculis eſt zelotypus. Ad zelotypiam effingendam,
Ripa Iconolog. verbo Zelotyp. quidam mulierem affert cærulea veſte amictam, auribus, oculiſq; vndique circumornatam; propterea, quod zelotypus, quæ interſunt amato, cuncta audire ſatagit, & videre. Vnde quidam

*Geloſo amante apro mill'occhi e miro,* Torquat. Taſſ.
*E mill'orecchie, ad ogni ſuono intento.*

Vt itaque ſcias ſub ſacris velaminibus ardentiſsimum tui amatorem, zelatoremque, Deum occludi, multocula præfiguratur Euchariſtia. Zelus eum in eam, vt tecum perpetuò ſit, traxit, incluſit, detinet.

8 Quod autem Sponſa de Cant. 2. 9.
Dilecto ait; *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrũ, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, de Chriſto in Euchariſtia detẽto, ex recentioribus quidam interpretatur, viſibilia Sacramenti per cancellos intelligens. *Per cancellos*, inquit, Gliſler. ibid.
*per externas videlicet panis, & vini ſpecies*. Cancelli ſunt ligna, medijs interuallis inuicem, retis inſtar, adnexa; quibus feneſtræ muniri ſolent: quos quia Zelotypia adinuenit, Italicè Geloſie dicuntur. Dum itaque Dominus eſt in altari ſubque Sacramenti velaminibus tegitur; per eius ſpecies, velut per quoſdam cancellos, ait cum Sponſa Hieronymus, *Nos, actuſque noſtros* D. Hier.
*per ſingulos dies ſpeculatur*. His in Pſal.
ſe, vt liquidò aduertis, deli- 98.
neat zelotypum. Ibi enim

eum zelus abſcondit, vt, quos amat, ſcrutetur.

9 Dignum eſt quęrere; qua de re Dominus cum poſſet eſſe in altari ſub eius propria ſpecie, qua ſe, regnans in cœlo, obijcit Sanctis, & Angelis; mauult panis, & vini ſenſibilibus indui, ſubque aliena veſte latere? Audi, quam Vates afferat rationem. *Opertus eſt quaſi pallio zeli.* Ne mireris (inquit): zelotes eſt, zelus eum coegit, vt alienas veſtes aſſumeret. *Quippe ſicut zelotes,* ait Richardus, *ſub alieno pallio explorant fidem, vel adulteria vxoris. Sic & Chriſtus fidem, & adulteria animarum: & adhoc velat ſe in Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini.* Sanè zelotyporum eſt mos, dum eorũ, quos amant actus explorant, alieno, nè compræhendantur, pallio ſuperindui. *Zelotypus,* ait D. Antoninus, *alium habitum aſſumit, vt quaſi cognoſcatur alius eſſe; & mulier videatur eſſe magis libera ad malum peragendum, ſi vult.*

*Iſa.* 59. 17.

*Rich. à S. Laur. de laud. B. Mar. lib.* 11.

*D. Antonin. par.* 1. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 6.

10 Quàm facilè poterat Chriſtus, ait Doctor Seraphicus, poſt quam mortuus eſt, & ſepultus ad liberandos eos, qui in tenebris, & in mortis vmbra ſedebant, vnum ex ſuis Angelis delegare. Poterat identidem, vbi reſurrexit à mortuis, recta tendere in cœlum, neque per momentum inter homines commorari, quibus abundè ſuffecerat, q; pro ipſis paſſus fuiſſet, & mortuus. Ad quid igitur ipſemet deſcendit ad inferos, & poſt reſurrectionem nobiſcum per dies quadraginta remanſit? Pulchrè tandem reſpondet. *Videtur manifeſtè, quod tu in tantum dilexeras iſtum hominē, vt ab ipſo non valeres te modo aliquo abſtinere. O quam admirabilis, & ineffabilis eſt dilectio tua bone Ieſu, cum nullo modo poſſis ab homine ſeparari.* Perinde, ac ſi diceret. Tam vehemēs eſt, Domine Deus, amor tuus in hominem, vt zelus potius, quàm amor ſit nuncupandus; qui nè per momentum ab homine, quem tantopere diligis, abeſſe te ſuſtinet. Hæc eſt ratio, qua, dum in ſepulchro iaceres, minimè per Angelum tuum; ſed per te ipſum, clauſos in tartaro viſitaſti, nè ſcilicet tres illic dies à dilecto procul peragerentur. Cæterum, quod reſuſcitatus non, niſi poſt dies quadraginta, ſis in cœlum elatus, quid aliud, quam idem zelus fuit in cauſa, ægrè te ab his, quos amabas, ſuſtinens ſeparari? Ex quo Chriſtum magnum hominis zelotypũ eſſe clarè potes ediſcere: pariterq; cõcludere, ſacrũ euchariſticũ ab eius zelo adinuentum, vt eum nobis præſentē perpetuò detineret.

*D. Bonau. in ſtim. amor. ca.* 8. *in orat.*

11 Hic Canticorum locus apportunè ſe offert, vbi Sponſa, *Fortis eſt*, inquit, *vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, ſiue zelotypia. Per infernum, vt Patres adnotant, ſepulchrum intellige: zelotypia verò Sepulchrum dicitur, quia zelantes ſepelit: quemadmodum amor cæcus, & nudus dicitur quia nudat & excæcat amatores. Tunc autem Deum zelotypia ſepelit, cùm eſibilem facit, porrigitque bibendum. *Diſtribuitur confractum, & in nobis ſepelitur.* Scribit Damaſcenus. Rogas: Cur tunc Deum zelus dicitur ſepelire? Quia nobiſcum ad finē vſque dierum inſeparabiliter detinet: quemadmodum ſepulchrum corpus, quod recipit, ſit indiſſolubiliter fouet, vt non, niſi deficiente mundo, detinere deſinat. Intuitu zelotypiæ nobis Dominus ait: *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi.*

*Cant.* 8. 6.

*D. Damaſc. epiſt. ad Zach. c.* 2

*Matt.* 28. 20.

12 Dictum eſt aliàs, Sacerdotem vino cōſecrando aquā immiſcere; quemadmodum Chriſtus fecit, moxque ad imitationem eius mandatum eſt ab Apoſtolis. Modo autem petam: Si Sacerdos minimè dilutum conſecraret vinum, peccaret ne? Grauiſſimè quidem, & ſacrilegium committeret: tum; quia diuinum, vel, vt alij volunt, eccleſiaſticum, præceptum contemneret: tum etiam; quia in eo caſu Chriſtus ſine populo eſſet, cui per aquæ miſtionem vnitur. *Cum in calice*, ait Algerus, *vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, copulatur, & iungitur: quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt miſtio illa non poſsit ſeparari. Nam, ſi vinum quis tantum offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Quoniam eucharisticum Sacrum eo eſt inſtitutum intuitu, vt Chriſtus amator noſter ſemper nobiſcum adeſſet, ægrè ferens à nobis, quos tā ardenter amat, diuelli: quicunque ſine aqua vinum conſecrare præſumpſerit, Chriſtum grauiſſimè offendet, Amouere enim, quantum in ſe eſt, conatur ab eo quos ipſe tantopere diligit, quoſque perpetim ſecum habere requirit. Zelotypus enim eſt, ſeparationem adamatę rei quam grauiſſimè fert.

*Alger. de Sacram. lib.* 1. *ca.* 19.

13 Memini me aliàs illam Seraphici doctoris expendiſſe ſententiam. *Tolle hoc Sacramentum ab Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas? & populus Chriſtianus quaſi grex porcorum?* modò eſt iterum repetenda, ac rei, quam præmanibus habemus, applicanda. Peto itaque: Quare potius ait, Eccleſiam ſine Euchariſtia gregem porcorum,

*D. Bonau. in Præp. ad Miſſ.*

quam ouium, bouum, aut ceruorum, futuram? Ni fallor, immundiciam porcorum attẽdit; Eccleſiæ ſponſæ Dei adulterium innuens; velut, ſi ipſi hoc deeſſet Sacrum, per quod quotidie ſponſum præſentem habet, adultera, & fornicaria foret. Memoriæ proditum eſt, militum, & bellatorum vxores, maximè impudicas fuiſſe. Legimus enim Clytæmneſtrã Agamemnonis vxorem, Metellam Syllæ, Pompeiam Cæſaris, Clodiam, & Seruiliam Luculli, Apuleiam Lepidi, ſummorum bellantium, ſe aliorum libidinibus polluiſſe. *Id facit*, inquit, Tiraquellus, *Longa maritorum, tantiſper dum in bellis peregrè occupantur, abſentia.* Rectè quidem: nam, vt ait Ouidius,

*Andr. Tiraquell. de lege Connub. p. 9. nu. 125.*

*Ouid. de arte li. 2.*

*Dum Menelaus abeſt, Helenanè ſola iaceret,*
*Hoſpitis eſt tepido nocte recepta ſinu.*

Non aliter deficiente hoc ſacro foret Eccleſia. In eo enim caſu, quia ab ea vir ſuus abeſſet, frigeſceret, euaneſceret, & ſubintraret adulter.

14 Quod Hircio, & Panſa Conſulibus (vt tradit Dio) viſus ſit Sol intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona ſpicarum ignita circumdaret, & ſepiret; præſignare potuit ſacroſãctam Synaxim, diuinæ zelotypæ opus futurã. Per ſolẽ charitatem, ſanctũq; amorem intellige. D. Franciſcus Paulanus, Minimorum Anteſignatus, quia Deum ſuper omnia diligebat, pro ſtemmate ſolem, cum inſcriptione, *Charitas*, refert. Per ignitam ſpicarum coronam, ſolem hîc circumdantem, Euchariſtiæ Sacrum, quod & panis eſt, & Deum abſcondit, amoris flamma ſuccenſum. Illo itaque innuebatur ſpectaculo, Euchariſtiæ Sacro noſtrum à Deo ſepiendum amorem; Ad quid autem? Nè aliò ſe poſſit extendere; aliumque amatorem exquirere. Timuit Dei zelotypia, humanam fragilitatem agnoſcens, nè aliũ quempiam amaremus à Deo; quare ſacram fecit ſynaxim, qua omnem noſtram abſorberet, coarctaretque dilectionem. Hæc eſt ratio, ſcribit Aponius, qua Chriſtus animam, vt in Canticis legimus, Sponſam appellat. *Sponſa effecta eſt, corpus, & ſanguinem, ſuo corpori coniungendo, per quod Sacramentum ſpopondit, ſe præter eum nullum alium amatorem in toto corde diligere.* Si fortè ſolem hunc, hac corona circũdatũ, lubet ĩſpicere Agnetẽ inſpice, aientem. *Poſuit, ſignum in faciem meam, vt nullũ præter eum amatorem admittam.* Signum, hoc eſt Euchariſtiã, in qua Chriſtus ſub ſigno panis

*Dio Rom. Hiſt. lib. 5.*

*Apon. li. 1. in Cant.*

*Breu. Ro. in Feſto D. Agn.*

nis abſconditur, vnde canit Eccleſia: *Sub diuerſis ſpeciebus, ſignis tantum, & non rebus, latent res eximiæ;* qua, vt ipſa quoque recenſuit, ſuas Chriſtus exornauerat genas. *Sanguis eius ornauit genus meas.* Quis, quæſo, tantum charitatis ardorem, quo Deus non ſua modo, ſed & ſeipſum, præbet, attendens, aliò ſe cõuertet à Deo.

*In Offic. Corp. Chr.*

15 Hinc Bonauentura, vbi, *Tolle,* inquit, *hoc Sacramentum, de Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas?* proſequitur: *Et populus Chriſtianus idolatriæ deditus?* Si dum ait *Idolatriæ, Adulterio* dixiſſet, idem proculdubio foret. Idolatria enim adulterium eſt. Quemadmodum mulier adultera, virum, cui coniũgebatur, relinquens, adhæret adulterio: Simili modo idola colens anima, Deum, virũ, ſuũ relinquit, Dœmonique, quem colit, adhæret. Hinc illa vox Dei: *Particeps idolorum Ephraim, fornicatione fornicati ſunt.* Itaque ſi, vt ait Seraphicus, hoc Sacro deficiente, Chriſti plebs ſe ad idola cõuerteret, Deum relinqueret, fieretque adultera; proculdubio exiſtimandũ, nè præter Deum ſponſum, amatorẽq; alium ſequeremur, effectum. Ex quo liquidò patet Chriſtum ad altare à zelotypia tractum, ibiq; ab eadem detentum. Vide ergo quantũ Dei zelo debemus, à quo profecta eſt Euchariſtia, qua nobiſcum ſemper indiuiſibiliter Chriſtum habemus?

*D. Bona. in Præp. ad Miſs.*

*Oſe. 4. 17.*

# THEOREMATA
# MORALIA
## EX VERSV QVARTO PSAL. 22 DECERPTA,
## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.

IVre Deus animam, dũ eam ad ſe aduocat, columbã appellat, *Veni*, inquiens, *columba mea*: eam enim ad cibum, & ad refugium ſimul inuitat; Aſiæ arboris, quam dicunt Lyperdixim, inſtar; quæ columbam excipiens, & fructibus paſcit ſuauiſſimis, & odore, vt ait Albertus, à draconum inſidijs protegit. Sacram ad cœnam admiſſi, non modo dulciſſimum inuenimus fructum, quo abunde reficiamur; ſed & tutum refugium, nè noſter nos circumueniat hoſtis. Nec mirum, Deus enim eſt, quem abſcondit. Quid boni deerit, quid mali aderit, cui Deus præſto eſt? Sic hoc verſu ſe, teque Pſaltes ſolatur, dũ canit: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis*, &c.

*Cãt. 2. 14.*
*Alber. de Animal. lib. 23.*

## THEOREMA I.

Nam & ſi ambulauero.

*In agone mortis certantibus dat robur, fert auxilium aduerſus hoſtes Hoſtia.*

HIs verbis Propheta labores, doloreſq; mortem noſtram præoccupantes, exprimit. *Perinde enim eſt*, inquit Lorinus, *ambulare in medio vmbræ mortis, atque, adeo vicinum, vt hæc vmbra ſuos pedes attingat*. Quoniã mox morituri, tũ ex parte Dœmonis, quã ex parte carnis, & mũdi, innumerabilib' terremur malis, quæ nos in magnum ſalutis noſtræ diſcrimen exponunt; Propheta ex tantis malis nullum ſibi formidaturũ promittit. *Nam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala*, ſuæque ſecuritatis adijcit cauſam, *Quoniam tu mecum es*. Quorſum (videlicet) exitus pericula, hoſtium inſidias, mortis aſpectum, tartari fauces, timebo, cum Deum mecũ habeam? Timeant, qui te ſibi preſentem deſperant; quibus autem præſto eris, exultent: nam pericula vincent, mortem ſpernent, hoſtes fugabũt, procul erunt ab orco. Ex quibus licet aduertere, in agone mortis certantibus, dare robur, ferre auxilium, aduerſus hoſtes Hoſtiam.

*Ioan. Lorin. in Pſal. 22.*

1 Vbi vulgatus Interpres Abrahæ recenſens interitum, *Deficiens*, inquit, *mortuus eſt*, Hebræi, vt tradit Lyranus, habent: *Tentorizauit*, ſiue *Tentorium fixit, & mortuus eſt*. Velut ſi pater Abraham, exiturus è mun-

*Gen. 25. 8.*
*Lyran. ibid.*

mundo, tentoriũ fixerit, aciéq;
inſtruxerit, & pugnauerit. Pu-
gnat ſanè moriturus, vnde &
agonizare dicitur, quod eſt
pugnare. Pugnat, inquam,
cum Dœmone, & mundo, qui
ex aduerſo etiam tentorizant,
acies ſuas diſponunt, telaque
ferientia immittunt. Sed qua-
nam fretus fiducia, cõtra mũ-
di Principes, & Poteſtates, tẽ-
torizauit, & caſtra poſuit A-
braham? Chriſti, quem fide
comederat, & in viaticũ ſum-
pſerat. Poſtquam enim dici-
tur, *Deficiens mortuus eſt*, adij-
citur ex translatione Pagnini,
Transl. Pagn. *In ſenectute bona, ſenex, & ſatu-
rus*. Qui Chriſto ſatur ex hoc
mundo decedit, tanta fretus
eſt vi, vt exercitus quidã exi-
ſtimetur admirabilis, terri-
bilis, inexpugnabilis ab inimi-
cis. Quid autem faciet in tali
conflictu miſerabilis anima,
cui Deus non adſit, feratque
ſuppetias? Rectè ergo proui-
dit Eccleſia, vt fideli cuique in
agone mortis Euchariſtia de-
feratur, quæ ſua tentoria pro-
pugnet, fragilitatem roboret,
dolores leniat, pręſtetque vic-
toriam. Hinc illud Angelici.
D. Thom. in Off. Cor. Chriſti. *O ſalutaris hoſtia, quæ cœli pan-
dis oſtium, bella premunt hoſti-
lia; da robur, fer auxilium.*

2 Migrantem in cœlũ ani-
mam aſpexit Salomon, cùm ob
nouum, & nõ iam vnquam vi-
ſum ſpectaculum, admirabun-
dus ait: *Quæ eſt iſta, quæ pro-* Cant. 6.9.
*greditur, quaſi aurora conſurgẽs,
pulchra vt luna, electa vt ſol, ter-
ribilis vt caſtrorum acies ordi-
nata?* Hunc locum expendens
Paſchaſius, animamque huiu-
ſcemodi aduertens, non modo
vt lunam, ſed pariter vt ſo-
lem, cælicas ſedes aſcendere:
Chriſto comitatam, & vnitam
intelligit: per ſolem Chriſtũ,
per lunam animam ipſam ac-
cipiens. *Pulchra*, inquit, *vt lu-* Paſch. in
*na, electa vt ſol prædicatur; eo* cap. 4.
*quod corpus ſimul, & caput paſ-* Matt.
*ſim graditur: Chriſtus enim ca-
put, qui per ſolem exprimitur, cũ
ſponſa aſcẽdere deſignatur.* Cum
hæc anima, capiti ſuo Chriſto
viſa ſit vnita, & adiuncta, Eu-
chariſticũ manducauerat Sa-
crum, ſumpſeratque viaticũ:
ad hoc namque morituri com-
municamus. *Sacramentũ iſtud*, D. Aug.
inquit Auguſtinus, *ideo homi-* ſerm. 28.
*nibus datur, vt corpus in terris* ad Fratr.
*capiti coaduneturs.* Aduerte ve-
rò, quod, dum anima Chriſti
pane refecta, Chriſtoque vni-
ta, in cœlũ ex hoc mundo pro-
greditur, terribilis, & metuẽ-
da, vt caſtrorum acies ordina-
ta, deſcribitur. *Terribilis, vt* Paſch.
*caſtrorum acies ordinata. Quæ* ibid.
*nimirum*, addit Paſchaſius, *id-
circò vt caſtrorum acies contra
hoſtes ordinata narratur aſcen-
dere; quia illi viam ad cœlũ eun-
di obſident, vt in nullo frangan-
tur conamine.* Imò tantũ abeſt,

vt frāgatur ab hoſtibus, quod potius frāgat hoſtes, & in fugam conuertat. Ait enim D. Vincentius.

D. Vinc. ſer. in Octau. Corp. Dom.

*Magnam difficultatem habet anima in exitu è corpore; vbi veniunt Dæmones, eam expectantes: propter quod datur cōmunio infirmis, & datur viaticum. Nam tunc Dæmones, ſentientes Chriſti præſentiam, fugiunt.*

3. Quænam eſt ratio, quando defunctos, vt tumulēter, efferimus, Crucifixi præcedit Imago? Ne noſtra gens ignoraret, & magnum mortis diſcrimen, & magnum in ea Dei noſtri adiutorium. Certe dū tantus dux in morte nos non præceſſerit, minimè poterit anima per portas mortis incolumis exire, nè ab ijs, qui inſidiantur in porta, comprehendatur hoſtibus. *Ante mortem Chriſti*, ait Hugo, *anguſta erat porta iſta, & periculoſum exire per ipſam: Sed Chriſtus mortuus factus eſt ductor, & propugnator hoſtium, qui inſidiantur in porta. Ideo Dominus tanquam dux præcedit: vnde & in funeribus præfertur Crux.* Sanè Crucifixi figura in mortuorum exequijs Euchariſtiam innuit, Chriſti mortis memoriā, quæ ni mortem præceſſerit hominis, difficulter homo per portas mortis incolumis pertranſibit.

Hug. Card. in c. 46. Gen.

4. Quiſnam ſanè mentis ſine rectore, & duce aggredi cœli ſemitas audeat, in quibus tot latent inſidiæ, ſæuiunt hoſtes, imminēt pericula, in quibus tot funditus periere? D. Gulielmus Buticēſium Præſul prope moriturus, *Sanctam Euchariſtiam ſibi porrigi*, vt habet Lippomanus, *inſtantiſſimè poſtulauit; vt tanti itineris duce munitus, poſſit ſecurus hoſtium cuneos penetrare.* Iurè quidem: nam, ſi vt tradit Albertus, cùm grues ab aquilonaribus plagis, ad eas, quas Pygmæi colunt, proficiſcuntur, ſine rectore non aduolant. *Cauſa autem huius eſt*, vt ipſe addit, *quia timent pugnam auium, & Pygmæorum*; eritnè homo inſcitior auibus? ſtolidior gruibus? irrationabilior rōe carētibus? Cur ſe minimè ſacro Euchariſtico muniet, ſecumque Ducem non afferet potentiſſimū; cum iam oporteat, tot cum Dæmonibus, quot tartarus capit, pugnare; inſidiantibus, viam cœli obſidentibus, proque poſſe cuncta machinantibus mala? De Hugone à Sancto Victore, pijſſimo, ac eruditiſſimo viro, tradit Bernardinus, dum in extremis eſſet, Sāctam petijſſe Euchariſtiā: verum, quia cibum retinere non poterat, hoſtia non conſecrata adlata eſt, quod ille diuinitus agnoſcēs: miſereatur, inquit, veſtri Deus, fratres: cur me deluditis? quē mihi portaſtis,

Lippom. 10. Ianuar.

Alb. de Animal. lib. 7. cap. 81.

non

non eſt Deus meus. Conſecratam mox afferentes, ſe eam videns accipere non poſſe, elatis in cœlum manibus, ſic orauit. *Aſcendat Filius ad Patrē, & ſpiritus ad eum, qui fecit illū; & inter hæc verba emiſit ſpiritū; & corpus Domini diſparuit.* Quia ꝓbè nouerat Hugo, iter, quod aggreſſurus erat, tot, ac talibus hoſtibus obſideri, ꝙ ſine Deo duce non poterat expediri: Deum orauit, vt corā ſe præcurreret, extirparet inſidias, expelleret hoſtes, afferret lucem, vt cum via, viatorem pariter tueretur.

*D. Bernar. diu. tom. 2. ſer. 55. ar. 2. c. 1.*

5 Iam nunc mihi Vates adſit Euangelicus, ſic de ſacro pertractans ſympoſio. *Faciet Dominus exercituū omnibus populis in monte hoc conuiuium, pinguium, conuiuium vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.* Eleganter admodum diuinā cænam deſcribit: conuiuium vtiq; eſt, ſacro in monte paratum, in monte Sion inquam: in quo ſic affluit cibus, vt non deficeret potus; ſic miniſtrata ſunt pinguia, vt effuſæ ſint & vindemię: ſacroque Chriſti corpore, eiuſdemque cruore replerentur conuiuæ. Illud autē obſerua; quod eum de Deo, dum hanc menſam apponit, eloquitur; minimè Angelorum, cœlorum, hominum, aut alio quopiam vocabulo; ſed exercituū Dominum vocat. *Faciet,* inquit, *Dominus exercituum in monte hoc conuiuium.* Cur magis exercituum? Vt quorſum ſit inſtituta tibi clare pateſceret: pro ſuis enim eam exercitibus, vt aduerſus hoſtiles exercit' plenè reficiantur, ac roborentur inſtituit. Adeſt Salmeron *Dicitur hoc conuiuium inſtructum à Domino exercituum, quia pro exercitibus Eccleſiæ militantis corroborandis; & contra malignorum ſpirituū exercitibus cōfortandis, inſtitutum eſt.* Quid quæſo faciet anima mortis in agone decertans; ſacris hiſce ieiuna pulmentis? Quid faciet, inquam, ſi Deus exercituum, ſuis circumſeptus militibus, ſuppetias non ferat, non adſit?

*Iſa. 25. 6.*

*Alphon. Salmeron tom. 9. trac. 2. in Euang.*

6 Quod dilectus Apoſtolus in Angelo, nube amicto, dextrum pedem in mare, ſiniſtrū in terram extendente, Dominum viderit, non vacat magno myſterio. Quidnam aliud eſt Chriſtum nube veſtri, quam ſub euchariſticis ſenſibilibus obuelari? *Corpus Chriſti,* ait D. Thomas, *in præſenti nobis dari debuit nō manifeſtum, ſed in Sacramento cælatum: Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Et Cardinalis Iorgius: *In rei veritate nebula in ſui ſignificatione eſt panis azymus, formatus ad modū hoſtiæ.* Chriſtus itaque, dum hac nube amictus ad nos

*D. Thom. Opuſ. 58. cap. 6.*

*Car. Iorg. in Pſ. 17.*

venire dignatur, vnum pedem ſuper mare, alterum ſuper terram, extendit. Per mare vitam noſtram intellige; tot exagitatam ærumnis, quot mare ventis. Per terram autem mortẽ, in qua, tamquam in portu, deſinunt vitæ procellæ, conticeſcunt perturbationes, ſerenantur nubila, & in tuto res eſt.
Idiota de Medit. mort. 8. *Mors portus eſt*, ait Idiota, *ad quem in ijs mundi calamitatibus miſeri nauigamus omnes: ad quẽ quo citiùs peruenerimus, eo celerius liberabimur*. Hinc Ciceronis illud.
Cicero in Caton. Maior. *Senectus mihi quidem tam iucunda eſt, vt quo propiùs ad mortem accedam, quaſi terrã videre videar; aliquandoque in portum ex longa nauigatione eſſe venturus*. Quoniam nullum eſt tempus, in quo ſacra non indigeamus refectione, æquè viuentibus, ac morientibus eucharistica mẽſa proponitur. Cæterum expende, Dominum in mare, ideſt in vitam, dextrũ pedem extendere; in terram, ideſt in mortem, ſiniſtrum.
Apoc. 10 2. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*.
Blaſ. Vega in Apoc. ibid. Nam quia, vt ex Blaſio Vega, Auguſtino, & Remigio, placet, per dextrum pedẽ diuinam Dei miſericordiam, per ſiniſtrum iuſtitiam accipiendam eſſe; ſignificari videtur, quod dum Chriſtus in Euchariſtia ad nos viuentes aduenit, clemens, pacificus, pius, ac ſponſi inſtar, aduenit: ad morituros autem, iuſtus; eo nimirum modo, quod ad iuſtitiæ opus deſcendit, tamquam Dux magnus, accinctus enſe, galeatus; exercitibus, & ſatellitibus conſtipatus; vt nos ab inferorũ incurſibus, à quibus numquam fortiùs agreſſi fuimus, potenti manu liberet, & defendat.

7 Ex Sexto Canticorum aptè hoc cõfirmatur, vbi Spõſæ, *Pulchra es*, ait ſponſus, *amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*. Cant. 6. 3. Pro huius loci intelligentia, prænotemus oportet, quod vbi vulgatus Interpres *Amica*, Rabbinus Salomon *Socia*, transfert: quæ lectio ſponſam tunc ſacra corporis, & ſanguinis ſponſi myſteria participaſſe ſubindicat. Per ea namque Chriſto ſociamur, commiſcemur; & in vnũ redigimur. *Per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit*. ait Os aureum. D. Chryſoſt. Homi. 49. in Ioan. Expende vero (quod etiam ſupra in alio Canticorũ loco replicatum expendimus) animam, dum Chriſti ſocia eſt, Chriſti nimirũ carne, ſanguineque refecta, terribilem prędicari, *Vt caſtrorum acies ordinata*. Quia tot, tantiſque cœlicis ſatellitibus vallata eſt, vt caſtrorum acies, ex aduerſo Dœmonum, eam perſequentium;

tiũ, ordinatã cõpareat. Quod haud obſcure præoſtenſum eſt in manna, dum ſemini coriandri confertur à Moyſe; *Erat autem*, inquit, *man quaſi ſemen coriandri*. (Nu. 11. 7) Transferendum erat, inquit Oleaſter, quaſi exercitus: propriè enim *Gad* exercitum, nõ coriãdrum ſignificat: extẽſum autem eſt ad coriandrum: *Quia ſemen, ſeu grana, eius, ſunt multiplicata, & ordinata ad modum exercitus*. (Oleaſt. ibid.) In hac enim figura præoſtendebatur, euchariſticum ſacrum exercitum eſſe; quique eum exciperet, ſanctis circumcingi ſpiritibus, ità vt exercitum, qui hoſtibus terrorem incutiat, faciẽ habere videatur: vnde dicitur *Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*. Hoc autem magis patet in morte. Anima enim quæ ſanctum ſuſcepit viaticum, dũ eius ex ergaſtulo corporis exitus inſtat, ſanctis vallatur Angelis, qui eam inſtar ſatellitũ munientes, tutò deducunt ad patriam. En D. Chryſoſtomum. (D. Chryſoſt. li. 6. de Sacer.) *Qui de vita hac emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum pura, & munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacrum, hinc rectà in cœlum adducuntur*.

8 Perſiſtamus in Canticis. Si ſponſam Philomelam dixerim, me non erraſſe cenſeo. Philomela, vt placet Hugoni, à *Philos*, quod eſt amor, & *Mene*, quod eſt defectus, dicitur, (Hug. Car. in cap. 4. Cant.) quaſi amore languens, & deficiens. Et Sponſa ſic neceſſarios obſecrat *Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo*. (Cant. 2. 5) Sed quænã ſunt mala, quibus ſe ſtipari requirit? Illius ſanè arboris fructus, quã velut malum inter ligna ſyluarũ dixerat; Euchariſtia, inquam; quam non malum dicit, ſed mala, vel ſpecierum, quibus obuoluitur, multitudinem, vel locorum, in quibus reperitur, pluralitatem attendens. Obſerua autem, quod hoc malo, ſiue malis, ſtipari ſe petit, languẽs, & moriẽs: Certè ſciens Euchariſtiam cœlum verſus petentes Angelorũ agmine conſtipare, ne, quas timet, inuita hoſtiũ fraudibus, viribuſque ſternatur. Stipari dicuntur Principes, qui cuſtodiæ cauſa à ſatellitibus circumdantur.

9 Quod Dominus Ieſus mox moriturus in Cruce, ſuam in manus Patris commendauerit animam. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, (Luc. 23. 46.) prima fronte haud leuigatum videtur: Chriſti enim anima numquam nõ fuit in manibus Patris. Vulgare eſt illud Theologorum in ſcholis, ex Damaſceno deſumptum. (D. Damaſc.) *Quod ſemel aſſumi-*

*aſſumpſit, nunquã dimiſit.* Quorſum ergo Chriſtus animã ſuã poſuit in manib' Dei, velut ſi abeſſet, & non fuiſſet in Deo? Huic quæſito D. Bernardus occurrit, aitque, hæc dixiſſe Chriſtum, non ex eo, quod anima eius è manibus Patris abeſſet; ſed vt nos erudiret, dum morimur, animas noſtras Dei manibus commẽdare, nè à noſtro inſidiatore comprehendatur in via. Hæc ſunt eius verba. *Quamuis ſciret animã ſuam Sacratiſſimam Patris eſſe in manibus; tamen, vt erudiret nos, qui terra ſumus, & cinis, vt ſpiritum noſtrum diſceremus Patris æterni manibus commendare, nè ab huius mundi Principe, cum è corpore egreſſus fuerit, compræhendatur; ſpiritum ſuum puriſſimum, à puriſſimo corpore egreßurum, non vtique neceſſitatis, ſed exẽpli gratia, Patris ſui manibus cõmendauit.* Sanè, vbi homo in manu Omnipotẽtis Dei ſuam poſuerit animam, tutò vias ſuas ingreditur. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* ait Sapiens. Si itaque ex hoc mũdo migraturus in cœlum, qui in Dei manibus ſuam poſuit animam, tutè, & abſque vllo inuadẽtis Dœmonis metu, ſuũ iter aggreditur; quali ſecuritate, & fiducia exeundum eſt ab illo, qui ſuam poſuerit animam in Deum? Quare non præcognoſcet inſidias, nõ diſſoluet machinas, non fugabit caſtra, non vincet hoſtes, non ſperabit bona, in Deo poſitus. Deo vnitus, & incorporatus? Hoc ex participatione ſacri eucharistici feliciter obtinetur, dicente Domino. *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet.*

D. Bern. de Paſſ. Dom. cap. 15.

Sap. 3. 1.

Ioan. 6. 57.

10 Expendendum eſt modo diſcrimen, quod Dominus inter manna, ſuique corporis Sacrum aſſignauit Hebræis. *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt; Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Ac ſi diceret. Defunĉti ſunt Patres veſtri; quia eos eorũ panis ſecutus ſolummodo eſt per deſertum: ingreſſis enim in terram promiſſionis, prorſus euanuit. Caro autem mea, meos æquè in huius mũdi deſerto, ac in terram promiſſionis gloriæ comitabitur. Eſt ſententia D. Chryſoſtomi, cuius hæc ſunt verba. *Illa particula, in deſerto, innuit manna non diu duraſſe, neque in terram promiſſionis veniße: Hic autem panis non eſt huiuſmodi.* Si dum itaque Hebræi in terram promiſſionis exirent, eo quia eis manna defecerat, perierũt: minimè peribũt Chriſtiani fideles, quibus ex mundi deſerto ad cœli terram vſque, Chriſti viaticum aderit. Perirent

Ioã. ibid. 49.

D. Chryſoſt. Hom. 45. in Ioann.

verò, ac deficerent, ſi velut Hebræi ſine eo cœli iter aggrederentur. Quis ſine tanto Duce, eatenus neceſſario, penetrabit inuia? ſine vero lumine, per tam inteſas caligines, iter faciet? Abſente Deo, cum hoſte truculentiſſimo bellũ inire, palmamq; referre, ac ſuperſtitem eſſe, penitus eſt impoſſibile.

11 Quem ſupra ſedem, Angelorum manibus cœli in axibus poſitam, à tot Regibus adoratum, ac collaudatum, vidit Ioannes, Chriſtus erat, ad dexteram Dei, ſtellato ſedens in ſolio, quem vnà cum Angelis Sanctorum cœtus celebrat, & collaudat. Aduerte autem ad eum, niſi maria permeas, te peruenire non poſſe: *In conſpectu*, namque *ſedis tamquam mare*, vidit Euangeliſta. *Apoc. 4. 6.* Hinc noueris, neminem ex hoc mundo ad Chriſtum, cui nauigiũ deerit, peruenire. Quis vnquam ſine ligno maris peragrauit itinera, & in portu litauit incolumis? Adeſt autem Chriſtiano vehiculũ, quo per hoc mare peruehatur ad Chriſtum; ſalutare poculũ, in quã: quod, quia *Olim ab Apoſtolis, & apoſtolicis viris in primitiua Eccleſia vaſis ligneis celebrabatur*, vt Beleth recenſet, cymbæ typum præſeferebat. *Beleth de diuin. off. cap. 41.* Nec tibi ſit nouum, pro nauigio poculum vſurpari: quippe, vt Macrobius meminit, *Herculem pictores non ſine cauſa cum poculo fecerunt: quia antiqua hiſtoria eſt, Herculem poculo, tamquam nauigio, immenſa maria tranſiſſe.* *Macobr. Satur. lib. 5. cap. 21.* Quid faciet anima dum per mare mortis amariſſimum ex hoc mũdo ad Chriſtum ſatagit peruenire, ſi ei ſacrum deſit Viaticũ, quo peruehatur? Ab vndis abſorbebitur miſera, fietq; Leuiathan miſerabilis præda.

12 Ingenioſũ Alciati Emblema locus hic exigit, ex eo, quod dictum eſt, è ſolo carnis in cœlum animas nauigare. Militem is effingit; quem Mertylum dicunt, naufragantem, clypeoque, quo ab hoſtium ictibus ſaluus euaſerat, innixum, in tutum portum delatum. Cui ſubſcribit dyſtichõ.

*Incolumẽ ex acie clypeus me præſtitit: idem*
*Naufragum appenſus, littora ad vſque tulit.* *Alciat. Embl. 160.*

Quid nè ego clypeum, ſiue ſcutum ſanctam dicam Synaxim? Ea enim vas eſt, ſiue phiala, vbi cœlicũ aſſeruabatur manna, quod, quia in Hebræorum lingua ex verbo *Sinſonet* naſcitur, ſcutum transferri poteſt, vt autumat Oleaſter. *Exod. 16. 33.* *Oleaſt. ibid.* Hoc illud eſt, ꝙ inſtar ſcuti figuratur Hoſtia: nam ſicut Euchariſtia præditi clypeamus, noſtrorum hoſtiũ ictus retundimus: ſic ea nudati, nulli non exponemur

nemur vulneri, nullo non periclitabimur malo, nullus in nos non proualebit hoſtis. Ob huius clypei iacturam conquerebantur Hebræi, dum ſic clamarent. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum;* ſiue vt habent alij, *plagarum, famis. Cum enim,* ait Paſchaſius, *cibum vitæ animæ amiſerit, per omnes ſenſus corporis, & per omnes affectus animi, diuerſis plagarum patet vulneribus.* Magnum, & admirabile clypeum, quo & pugnantes tuemur, & nauigantes vehimur, ſolo, ſaloque, quam neceſſarium. Nec enim ſine eo, amariſsimum mortis mare nauigantes, ad portum poſſumus gloriæ peruenire.

Ezech. 5. 1.

Paſch. ibid.

13 Cum cœlicus panis, vt pote cœnante Chriſto inſtitutus, coena debeat, vt paſſim dicitur, nuncupari; quid eſt, quod Habacuc, eum typicè Danieli leonibus obiecto, per aerea ferens, non cœnam, ſed prandium dixit? *Tolle prandiũ, quod mittit tibi Deus.* Vt theorematiſ noſtro faueret. Dum animam agimus, inter leones ſumus, nos prorſus deuorare conantes. Tunc pluſquã aliàs confortari, roborari, cordificari debemus: magnum namque nobis prælium inſtat, crudele certamen, duriſsimus agon: Manus cum Principibus & poteſtatibus tenebrarum; non cum carne, & ſanguine, conferendæ. Quid nos taliter dimicaturos, fortius cordificat, confortat, roborat, quàm ſacræ Synaxis edulium? Haud abs re ergo prandium nuncupatur. Olim dimicaturi, vt roborarentur, prandebant. *Propriè veteres,* ſcribit Iſidorus, *prandium vocabant omniũ militum cibum ante pugnam. Vnde eſt illud: Prandemus tamquam ad inferos cœnaturi.*

Dan. 14. 36.

D. Iſid. etym. lib. 20. cap. 10.

14 Cum, qui dat eſſe, vt tritum eſt, & vulgare, det & conſequentia ad eſſe; debuit nos Deus dotare viribus, vt datum nobis cœlum ab hoſtibus tueremur. Parum quidem dediſſet, non adijciens vires, in tanti muneris impertiti tutelam. Dedit ipſe vitam boui, dedit & hyſtrici: & illi quidẽ cornua, huic ſpinas, in vitæ conſeruationem adiecit. Referunt Antiochim Ephorum, cum Philippum Meſſenijs dediſſe agros audiret, percontatum, num vires quoque dediſſet: futile illud donum intelligens, in cuius conſeruationẽ non conferuntur, & vires. Sed quodnam eſt robur, quod nobis, vt cœlum defenderemus, præſtitum eſt? Satagit enim Sathanas, maximè dum morimur, nè datas transferamur in ſedes. Sacroſancta Synaxis. Robore ipſius cœleſtem nobis defendimus manſionem, nè

Apoph. lib. 1.

dum

dum ad eam ex carnis properamus ergaſtulo, auferri nobis poſſit ab hoſte. Hinc orat Ec-
*In Offic. Cor. Chriſti.* leſia. *O ſalutaris hoſtia, quæ cœli prandis oſtium: bella premunt hoſtilia, da robur, fer auxilium.*

15 Vox quæ Apoſtolo Ioāni è cœlo, vt litteris mandare-
*Apo. 14. 13.* tur, intonuit, *Audiui vocem de cœlo dicentem mihi; ſcribe,* hæc erat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Magna ſanè vox, & magno fæta myſterio: morientes, in languoribus, in laboribus, in periculis, in mortis tentationibus poſitos, beatos dicit, & facit. Non tamen omnes; ſed morientes in Domino. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Fortè, vt intelligas, quinam morientes beati dicantur, quid ſit mori in Domino, rogas? Præſto eſt Abbas Paſcha-
*Paſch. epiſt. ad Fudegar.* ſius. *Tunc in domino morimur, ſi nos in illo, & ille in nobis per hoc myſterium maneamus.* Dum itaque Angelus beatos eſſe ait in Domino morientes, Sanctam Euchariſtiam, innuit, quæ morientibus pro viatico datur, vt per illam in Domino, & in illis Dominus,
*Ioan. 6. 57.* maneant. *Qui manducat,* inquit Dominus, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo,* vt toties repetitum eſt. Quare, ſi in extremo limine poſiti, animā trahentes, ex eo quod Sacro Viatico ſunt muniti, enuntiātur beati: quodnam malum timere poſſunt, cum nullum malū timeant beati? Quidue boni non habere poſſunt, cùm omne bonum habeant beati? Planè dolores mortis, Dæmonis, mundique conatus, non modo non pertimeſcunt, ſed neque etiam perſentiunt.

16 Sed oro Domine. Quid eſt quod tibi in agonia poſito, paſſionem, & mortem humanitus trepidanti Angelus calicem attulit, vt in iconibus comperi? An tu, qui Chriſtus es, Chriſto indiges? tu ſine te dolores mortis ſuſtinere non vales? Sed tu te abſautem habere non poteras, quia Chriſtus à Chriſto non poteſt abeſſe. Forſan hoc, vt nobis præberes exemplum, mortis agonē non aggredi, niſi calicem tui ſanguinis guſtauerimus, voluiſti. Id, inquā, voluiſti Dñe; nam propterea *Trans fer,* dixi- *Luc. 22.*
ſti, *calicem iſtum à me.* Tranſ- *42.*
fer ſcilicet ad meos, transfer ad Chriſticolas morituros, quibus opus eſt, in quorum robur, & auxilium inſtitutus eſt. Nec immeritò Domine, *Trāſfer,* non aufer, dixiſti, quaſi non in illo, ſed in alio agone, illius indigentiam habiturus. Non n. ſemel te defunctū exiſtimo; ſed quoties membra tua, electi ſcilicet tui, torquētur, & moriuntur; toties ipſe

con-

contorqueris, & commoriris. Vnde Agnus manſuetiſſimus ab origine mundi, hoc eſt cū Abel iuſto, recenſeris occiſus. Ad horum, ſeu tuæ cum eis, mortis ſolatium euchariſticus translatus eſt calix, vt eo inebriati, roborarentur, cordificarentur, ſtiparentur.

*Mar.* 15. 23. *Mat.* 27. 34. *Cant.* 1. 2. 17 Hoc illud ipſum eſt, quòd vt vinū myrrhatū, tibi in mortis laboribus, & tormētis adiumento foret, noluiſti bibere. *Noluit bibére*, de te ait Euangeliſta. Nam vinum myrrhatum ſanguis euchariſticus erat, ſanguis tuus pretioſiſſimus, qui myrrhæ faſciculus es. Is verò nequaquam tibi; quia tu; minimè Chriſto; quia Chriſtus. Libaſti quidem, ac parum deguſtaſti: vt nos erudires, ſine euchariſtico vino, mortis agonem tutò præterire nō poſſe. Nobis itaque neceſſarium eſt morientibus, tot doloribus, tot tentationibus, & inimicorum inſultibus, obuijs.

## THEOREMA II.

### In medio vmbræ mortis.

*Expers eſt mortis, cui cibus eſt vita.*

MOrtem Propheta deſpicit, dum *Si ambulauero*, inquit, *in medio vmbræ mortis, non timebo mala*. Quod ſic fuſius diceret. Tametſi me hoſtes vndequaque circumſtēt, igne ferroque muniti, vt me minutatim trucidant, conſument, in nihilum redigant; non timebo mortem. Tametſi me peſtis aggrediatur, adeoque graſſetur in me, vt in extrema deducat; nullo mortis pauore tenebor. Tametſi naufragium patiar, in maris fundo demergar, vndis, & arenis obruar; vitam non deſperabo. Vnde tanta mortis irriſio? *Quoniam*, inquit, *tu mecū es*. Iure optimo tali affectus eſt fortitudine: nam, cui vera præeſt vita, quod per ſacram Communionem habetur, mori non poteſt.

1 Tam dirè, & crudeliter Regni Dauid tēporibus, mors Iſraeliticam plebem inuaſit, vt trium horarum ſpatio, ſeptuaginta Hæbreorum millia trucidauerit: Et ſi tempus prandij non ſuperueniſſet, nec vnum quidem reliquiſſet incolumen. Vbi vulgatus legit Interpres, *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael vſque ad tēpus conſtitutum*, transferunt Septuaginta, *Et dedit Dominus mortem in Iſrael à mane vſque ad horam prandij*: velut ſi prandium mortem exarmaſſet, debilitaſſet, nè quem vltrà percuteret. Magnum ſanè factū, & admirandum. Nonnè prandium 2. *Reg.* 24. 15. *Transl. Septuag.*

dium inſtar gladij, imò obſequentior gladio, ſatellis eſt mortis? Tritum eſt illud: *Plures occidit gula, quàm gladius*. Cur ergo prandium mortem exarmaſſe, & debilitaſſe fertur; cum eam potius adiuuare, & roborare conſtet? Longè aliud à noſtro eſt hoc prandiũ: noſtrum mortẽ roborat, adiuuatque; hoc verò mortem debilitat, & exterminat: vnde per noſtrum prandium mors introiuit in mundum, per hoc mors exiuit è mũdo. Hoc prãdium eſt Euchariſtia, quod priuſquã apponeretur à Chriſto, tanta mala mors per vniuerſum orbem operabatur, vt nulla domus expers eſſet luctus, nullus locus ſanguinis, nulla terra cadauerũ: vbi verò appoſitum eſt, eneruata eſt mors, mortua, diſſipata. Audi Cyrillum Alexandrinũ.

*D. Cyrill. Alex. de Ado. lib. 3.*

*Amane igitur, hoc eſt huius ſeculi temporibus, mors depaſta eſt eos, qui in terra erant, vſque ad horam prandij, hoc eſt, vſque ad menſæ tempus: vbi enim aduenit nobis ſanctæ menſæ tempus, ideſt illius in Chriſto, ac myſticæ, in qua pane veſcimur illo cœlitus dato, atque vitali, quæ prius terribilis erat, cuique difficile obſiſti poterat, mors ceſſauit, Deo ad miſericordiã reuocato.* Mors ceſſauit, nam impoſsibile eſt mori, qui celeſti prandio, ꝙ eſt immortalis vita, nutritur.

2 Vbi Chriſtus mortuus eſt, & ſepultus, *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorũ, qui dormierant, ſurrexerunt,* habet Matthæus. Mira res; mira, inquam, ac noua. Vnde nam eſt quod à protoplauſto iam cõdito ad illud vſque tempus, nullus vnquam, vt ſcimus, vere ſurrexit defunctus? poſtquã vero tumulatus eſt Chriſtus, aperta ſunt monumenta, incaluere cineres, effugata eſt mors, vitaque potiti ſunt mortui? Quoniam vterus terræ, eos circumplectẽs, viuificum Dei corpus exceperat. Quã enim excepit vita, mortẽ ibi regnãtem perinde profligauit; vt aperirẽtur ſepulchra, viuique reſurgerent mortui. Idcirco, ait Rupertus; *Sepultus eſt Chriſtus vt corpus in eiuſdem terræ ventrem deueniret, quo condita erant eorum corpora, per quod reſurrectio ad vitam daretur eis: ſicut ea multis, qui cum eo tunc reſurrexerunt, confirmatum eſt.* Equidem perinde certum eſt, eum, cui vita cibus eſt, expertem mortis eſſe; quod & ſi homo mortuus ſit, proq; ſuo modulo Sacro paſcatur edulio, mortis effrãgat nexus, vitæq; munere potietur.

*Ruper. lib. 10. cap. 26. in Matt.*

3 Verba Magdalenæ ad Chriſtum, qui fratrẽ eius venerat ſuſcitare. *Domine, ſi fuiſſes hic, fratrer, meus non fuiſset mortuus,* quam fortẽ, & validã

*Ioan. 11. 32.*

Chri-

Chriſti vim intellexerit, ad mortẽ, eiuſque ſatellites abigendos, exponunt. Perinde enim eſt, ac ſi diceret, ait Cyrillus. *Dum nobiſcum præſens fuiſti, non mors, non infirmitas aliqua nobis appropinquare auſa fuit, apud quos vita hoſpitari nouerat: vbi diſceſſiſti, affuit mors, quæ fratrem noſtrum acerbo funere rapuit*. Diligenter aduerte, quod nõ ait: Dum nobiſcũ eſſes, mors nos aggredi; ſed nobis appropinquare, auſa nõ fuit. Non modo neminẽ Chriſto præſente aggredi, verum & neque ingredi audet. Eos igitur, qui è ſacro altari Chriſtũ in cordibus ſuis hoſpitaturi deſumunt, morti terribiles eſſe ſcias. Nulli mors appropinquarè audebit, apud quem vita nouerit hoſpitari.

*D. Cyrill. in Ioan. lib. 3. cap 20.*

4 Hæc apud Chaldęum interpretem in libro S. Iob ſcripta reperies. *Et perceperunt tres ſocij Iob omnia mala, quæ venerant ei; vbi ſcilicet viderunt panem, quo ſubſtentabantur, conuerſum in carnem viuentem; & vinum, quod bibituri erant, cõuerſum in ſanguinem: & receſſerunt vnuſquiſque de loco ſuo: & huius rei merito liberati ſunt à deſcenſu in locum, qui deputatus eis erat in inferno.* Hic mihi videtur, corporis, & ſanguinis Chriſti, præuidiſſe, myſteria. Nam ipſemet panis, quem edimus; & vinũ, quod potamus, in corpus, & ſanguinem Chriſti, quotidie cõmutatur. Quod autem ait: *Et huius rei merito liberati ſunt à deſcenſu in locũ, qui deputatus eis erat in inferno*, clariſſime aſſerit S. Euchariſtiam mortis antidotum eſſe. Nam, quia illi pane, & vino, in carnem, & ſanguinem; ideſt in carnem, & ſanguinẽ Chriſti conuerſo, ſubſtentabantur; ab æterna morte liberati sũt. *Vbi cùm dicitur. Et huius rei merito liberati ſunt à loco inferni, huius Sacramenti efficacia palã inſinuatur, qua vtentes ipſo à morte æterna inferni liberandi erant.* ait Galatinus. Exiſtimas mori poſſe, cui cibus eſt vita?

*Chald. Interp. in Iob. apud Galatinũ de Arcanis lib. 10. cap. 7.*

*Galat. de Arcan. Ibid.*

5 Quid à Deo quærere æſtimas Pſalmographum, dicentem, *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum?* A morte defendi, & præſeruari, quærit: quam facillimè incurreret, ſi extrà Deum locum ſuum haberet. Sane nemo eſt, qui neſciat, cuncta, quæ in mundo ſunt, locum ſuæ conſeruationi perinde dicatũ habere, vt extrà illum pereant, & corrumpantur. Patet hoc in aquis, in plantis, in animalibus. Putreſcit aqua extra flumen, aut lacum. Arbor extrà terram areſcit. Piſcis, ab vndis raptus, emoritur. Quoniam autẽ hominis locus eſt Deus, quippe cui Deus nullum aliũ dedit; cum enim Angelis dediſſet

*Pſal. 70. 3.*

diſſet cœlum, nubibus aerem, brutis terram, piſcibus mare; homini ſeipſum præſtitit: neceſſe eſt ergo hominem ſolum in Deo ſeruari, extrà Deum interire, & corrumpi. Ità Bernardinus philoſophatur. *Natura rerum eſt, quod nihil cõſeruatur extrà proprium locum: nã & piſces extrà aquam putreſcũt; aqua extrà flumen corrumpitur: arbores, atque herbæ, extra terram areſcunt: Sed cum locus animæ ſit propriè ipſe Deus; patet, quia in eo quieſcit, & conſeruatur; extrà Deum non poterit cõſeruari.* Quod Euchariſtiæ applicans, per quam, teſte Domino, ſuo in loco, nempe in Deo, conquieſcit anima, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet;* adnectit: *Sed in Sacramento Euchariſtiæ Deus vtique eſt: propterea meritò ſumentes illud ab eo conſeruãtur.* Hoc eſt. Nulli ſine Euchariſtia viuere licet & conſeruari. In Euchariſtia ſempiterna vita; mors perpetua præter Euchariſtiam, reperitur.

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 54. ar. 3. cap. 1.*

*Ioan. 6. 57.*

6 Dum in ineffabili Sacramento Chriſtum paſſum, & mortuum contemplaris (paſſionis, & mortis eius memoria eſt) dic te vitam morte an[i]ctam, vt mortem occideret, ac deleret, i[n]ſpicere. Sed quibuſnam armis Rex noſter, vt occideret mortem, inſurgit in mortem? Se ipſo, qui vita eſt. Nam, ſicut amarities non, niſi dulcore extinguitur; ſic, niſi vita, mors mori nõ poteſt. En D. Auguſtinum. *Sed vt occideret mortem, veſtitus eſt morte: non enim potuit mors mori, niſi in vita. Non moritur amaritudo, niſi in dulcedine; nõ moritur frigus, niſi in calore; non eſt mortua mors, niſi in vita.* Quia verò hanc vitã, quæ trucidat mortem, ob myſteria corporis, ſãguiniſq; Chriſti participam⁹; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam;* cũ Euchariſtia impoſſibile eſt mori. Certũ eſt q̃dẽ Euchariſtiam continere vitã, quæ mortem noſtrã, ne in nos inſurgat, extinguit.

*D. Aug. Hom. 36. lib. 5. Homil.*

7 Hinc Paulus Apoſtolus Coloſſenſibus *Mortui eſtis* inquiens, *Et vita veſtra*, proſequitur, *abſcondita eſt cum Chriſto.* Scio vos (ac ſi diceret) infallibiliter morituros; quapropter inter mortuos reputo, mortuos exiſtimo. Quod ſi vita potiri cupitis, vt nunquam moriamini, eã vna cum Chriſto inuenietis abſconditam. Quoniam autẽ Chriſtus æquè ad dexteram Patris, ac in Sacro ſedet altari, quò nam eundum ad conquirẽdam vitam, mortemque effugandam? aſcendendum eſt cœlum? an adeundum altare? Dum Apoſtolus vitam ait abſcõditam eſſe

*Coloſſ. 3. 4.*



cum

cum Chriſto, vbi Chriſtus abſconditur, ibi vitam inuenies cum ipſo abſconditam. Non ergo cœlum eſt adeundum, in quo Chriſtus reuelata facie contemplatur. Adeundum altare, in quo ſub formis panis, & vini reperitur abſconditus: Quos vero iſtuc pigebit accedere, vnà cum Coloſenſibus, quibus *Mortui eſtis*, ait Apoſtolus, pro mortuis habeãtur.

8 Nemo eſt, qui neſciat, potuiſſe Dominum Sacrũ corporis ſui ſub alijs formis, quã panis abſcõdere; potuiſſet q̃dẽ ſub auri, argenti, aut alterius lapidis pretioſi formis ſe ſe obuelare: cur ergo cuncta poſt poſuit pani? Vt tibi omnem vitã, & q̃ habes in terris, & q̃ ſperas in cœlis, in hoc Sacramento diſceres expetendam. Aduerte panem à *Pan*, idiomatis Græci deductum, quod latinè *Totum*, ſiue *Omne* ſignificat. *Panis*, ait Durandus, *dicitur Græcè à Pan, quod eſt totũ; quia hic, & in futuro eſt tota vita noſtra*, Itaque, cum Dominus ait: *Ego ſum panis*, idem dicere cẽſeas, ac: Ego ſum tota vita veſtra, ego vos in terris viuifico, & in cœlis pariter viuificabo: nam panis ſum, totum ſum, omnis vitæ participes facio.

*Durand. Rat. Diuin. lib. 4. cap. 30*

*Ioan. 6. 41.*

9 Nè te quæſo prætereat, quod Ioannes Apoſtolus ſua in Apocalypſi ſcribit, ſe matrem Eccleſiam magno quodã lumine, iaſpidis inſtar, aſpexiſſe circumdatam. *Oſtendit, mihi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei; & lumẽ eius ſimile lapidi pretioſo tamquam lapidi iaſpidis.* Mira ſanè viſio, & Eccleſiam non vulgari laude commendans. Sed libet expendere, quare lumen eius iaſpidi conferatur; quod congruentius ſoli, lunæ, aut ſtellis conferri poterat? Ratio eſt; quia dum eſt in hoc mundo, lumen eius eſt Chriſtus. *Ego*, inquit ipſe, *ſum lux mundi.* Quia verò Chriſtus, nõ modo lumen; ſed & cum lumine ei vitam impertit; ideo non ſol, non luna, non ſtella, ſed iaſpis, eſt dictus. Iaſpis non nitet modo, ſed & viret: dumq; viret typus eſt pabuli, quo viuentes enutriuntur, & viuunt. Euchariſtiam proferẽs, in qua Chriſtus eſt, mundi lumen, & cibus, lucem, & vitã afferens, longèque à morte præſeruans. *Lumen Eccleſiæ Chriſtus eſt*, ait D. Andreas Cæſareæ Præſul, *hic autem per iaſpidem delineatur, tamquam perpetuò virens, cunctiſque viuentibus vitam largiens.* Cui itaque datum eſt tali iaſpide frui, ſi vt ait Pſaltes. *In medio vmbræ mortis* ambulauerit; nõ ſolũ, quia eſt cũ luce, mala non timebit vmbrę; verum etiam, quia vitæ cibum de-

*Apo. 21. 11.*

*Ioan. 9. 5.*

*D. And. Cæſ. Cappad. in Apo. cap. 6. 6. ſer. 23.*

*Pſal.*

deguſtat, æterna vita gaudebit. Habet enim iaſpidem perpetuo virentem, cũctiſque viuentibus vitam largientem.

10 Puto te dũ Sacro interes, Sacerdotem multoties obſeruaſſe, manus ſuper oblata, priuſquam hoſtiam conſecret, extendentem; dicentemque: *Hanc igitur oblationem, &c.* (In Cano, Miſſæ.) Quid hæc manuum expanſio ſuper hoſtiam innuit? Magnũ myſterium; quod, ni fallor, ex ſimili veteris teſtamenti cæremonia patet. Aiebat Deus Moyſi Leuiticorum primo. (Leuit. 1. 2. & 4.) *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos. Homo, qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus, ponet manum ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit atque in expiationẽ eius.* Quod Theodoretus explanans: (Theod. quæſt. 61. in Exod.) *Hoc ipſum,* ait, *indicabat hoſtiam illam in eius locum ſuffici, vt quæ pro ipſo moreretur.* Clarius Oleaſter. (Oleaſt. in 1. Leuit.) *Hac ceræmonia proteſtabatur ſe dignum, qui pro peccato ſuo iugularetur. Dei vero miſericordia, pietate, & voluntate iugulationem ſcilicet ſuam in pecudis oblatæ iugulationem cõmutari.* Cum igitur Sacerdotem vides ſuas ſuper hoſtiam conſecrãdam manus extendere, puta Dominum Ieſum Chriſtum, agnum manſuetiſsimum, pro te, vitæque tuæ ſalute, nõ modo ſemel immulatũ in Cruce, ſed & ĩ altari quotidie immolari. Quia .n. peccaueras, proq; peccato mori debueras: ſuffectus eſt pro te Chriſtus, vt pro te moriens, te ab æterna morte præſeruaret incolumen. Cũ ego nullũ ſit temporis, in quo Chriſtũ ꝓ nobis immolatũ nõ habeamus, & mortuũ, nè nos, morte digniſſimi, moreremur: quis non videt nos huius myſterij virtute mortis immunes, vitæq; æternæ compotes?

11 Tali ingenio, tradit Herodotus, Zalmonẽ, auditorem Pythagoræ, ſuorũ ſibi dogmatum auditores adeptum. Domiciliũ extruxit, in quod primos quoſque popularinm in conuiuium accipiebat, ac inter conuiuandũ docebat; *Neque ſe, neque ſuos conuiuas, neque illos, qui illic aſſiduè gignerentur, interire; ſed in eũ locum ire, vbi ſuperſtites ſemper, bonorum omnium compotes eſſent.* (Herod. lib. 4.) Abeat autem Zalmon, eiuſque fabuloſa figmenta. Solus Chriſtus eſt, vt ait Salomon, (Prou. 9. 1.) qui ſibi domum ædificauit, vinum miſcuit, mẽſam appoſuit, docuitque veraciter cœnæ ſuę conuiuas nunquam interituros, ſed æterna, beataque vita fruituros. *Si quis,* inquit, *manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* (Ioan. 6. 52.)

12 Saluatorem noſtrum æternum Patrẽ his verbis, *Domine ante te omne deſideriũ meum,* (Pſal. 37. 10.)

*um, & gemitus meus à te non eſt*
*abſconditus*; per os Pſaltis ſui
legemus ĩterpellaſſe. Sed qua-
le eſt deſiderium; Chriſti, qua-
lis gemitus? Deſiderium, de
quo Lucæ vigeſimo ſecundo:
*Deſiderio*, inquit, *deſideraui hoc*
*Luc. 22. 15.* *paſcha manducare vobiſcũ priuſ-*
*quam patiar.* Magno deſiderio
noſtræ ſalutis amator, Eucha-
riſtiam inſtituendi ſollicitaba-
tur; vtpote qua ijs, quos tan-
topere diligebat, vitam præ-
ſtiturus erat æternam. Gemi-
tum verò, quia amariſſime
gemebat, ſe non Iudęis, ſed ſo-
lis Diſcipulis, tantum præſti-
turum bonum: propterea
enim ait. *Vobiſcum, mandu-*
*care deſideraui*. Audi Chryſo-
*D. Chryſoſ. Hom. 1. in Pſal. 37.* ſtomum. *Quidnam eſt Chriſti*
*deſiderium? Paſcha pro nobis pe-*
*ragere. Et ideo dicebat Apoſto-*
*lis: Deſiderio deſideraui hoc Pa-*
*ſcha manducare vobiſcum, ante-*
*quam patiar: non ſolummodo Pa-*
*ſcha, ſed hoc, in quo, cum præte-*
*rijſſet figura, peracta erat veritas.*
*Sed vobiſcum: quoniã Iudæi no-*
*lunt eſſe myſterij participes: prop-*
*ter quæ meritò ingemiſcebat.* Sa-
nè non immeritò Iudæos ſa-
crorum myſteriorum ingemi-
ſcebat ieiunos: Omnes enim
huius eſcæ ieiuni, mortui ſunt,
proque mortuis deplorandi.
Nam, cũ aliunde nobis, quàm
è ſacro altari, vitã adipiſci non
liceat, quid, niſi mors ijs, qui
altare faſtidiunt, imminet? *De-*
*bemus comedere Corpus Chriſti*, *D. Bernardin. tom. 4. ſer. 43.*
ait Bernardinus, *conſiderato de-*
*fectu noſtræ fragilitatis: quia, ſi*
*non comedimus cibum corpora-*
*lem, non poſſumus viuere; ità nec*
*anima poteſt viuere ſine cibo ſpi-*
*rituali. Et non poteſt dici, illum*
*habere animam, qui, ſaltem ſemel*
*in anno, non accipit Corpus Chri-*
*ſti.*

13 Quemadmodũ qui Eu-
chariſtiæ pane cibantur, mori
non poſſunt, ſic huius panis ie-
iuni, mortui sũt, proque mor-
tuis deplorandi. Cur equum,
Apocalypſis ſexto oſtenſum,
autumas viſum eſſe pallidum,
à morte equitatum, ſecutumq;
ab inferno? *Ecce equus palli-* *Apoc. 6. 8.*
*dus; &, qui ſedebat ſuper eum,*
*nomen illi mors, & infernus ſe-*
*quebatur eum*. Per hunc equũ,
vt placet Ruperto, intelligen-
dus eſt Dœmon: equus eſt.n.;
bello gaudet; paleas, edit, pec-
catores nempe, quos accenſu-
ros vehit ad inferos. Delinea-
tur autem pallidus, mortem-
que vehens, quoniam panem
vitæ noluit manducare: vn-
de ieiunus perpetuò manens,
pallet, ac æterna morte ſuc-
cumbit. Ita philoſophatur
Abbas. *Hic enim victus eſt, &* *Rup. lib. 3. cap. 10 Exod.*
*vita Angeli eſt ſubſtantia; nam*
*in eum deſiderant Angeli proſpi-*
*cere: quod quia facere contem-*
*pſit Angelus, cecidit, & factus*
*eſt Diabolus; qui & huius panis*
*ſempiternam patiens inediã, ſem-*

per

*per eſt pallidus, & mors illum ſequitur.*

14 Liber, quē Zacharias, vt vulgatus habet interpres, volantem vidit, *Leuaui oculos meos; & vidi: & ecce volumen volans.* Ex eo, quod transferunt Septuaginta, *Et vidi falcem volantem*, tranſiuit in falcem. Quidnam ferro, & papyro? ruſticorum, & doctium inſtrumēto? libro, & falci? Aptè duo hæc cōnectuntur ad inuicem, & copulantur. Liber ille falx erat. Placet Hieronymo, peccata per volumen illud intelligi. *Volumen autem volans oſtenditur, in quo omnium peccata deſcripta sūt.* Quis peccata falcē eſſe negauerit? Falce accingitur mors: Nonne ſic ſępiùs mortem vidiſti depictā? Illa autem niſi peccato armaretur, neminem poſſet occidere. Quare verò exiſtimas peccatum occidere, interimere, iugulare? Quia Corporis, & ſanguinis Chriſti myſteria participare non ſinit. Quidnam ieiunis, niſi mors, imminet? horum myſteriorum præſertim, quæ ſola nobis vitam impertiunt? *Niſi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam.*

Zach. 5. 1.

Transl. Septuag.

D. Hieron. ibid.

Ioan. 6. 54.

15 Quænam vitæ ſpes ægro cibos faſtidienti? Quidnam ſolamen amicis, cōſanguineis, propinquis; dum, cui aſtant, infirmum, alimenta negligere videant? Nullum planè. Nihil certe eis niſi vlulatus, lamentū, luctuſque ſupereſt: eo quippe affectus faſtidio, pro defuncto habetur, vtque defunctus plorandus. Plorandus ergo, proque mortuo habendus, qui cæleſtis vitę alimenta faſtidit, ſacroque altaris edulio refici dedignatur. Deploratur equidem huiuſcemodi homo, ploratur inquam, nō ab hominibus modo, ſed vt certe obnoxium morti, à Deo metipſo, & ab Angelis eius. En tibi Seniorem Macarium. *Quemadmodum in infirmis ſi corpus vltra cibum ſumere nequeat; deſperant de ipſis, ac deflent omnes amici, veri cognati, atque dilecti. Ita luget Deus, & Angeli Sancti animas illas, quæ nō veſcētur cæleſti ſpiritali cibo.* Hinc non tantum cœleſtis participem ſympoſij mortis expertē habeto; ſed etiam ſolum: vnde enim ſacro confortatus pane mori minimè poteſt, ieiunus viuere nequit; mors huic certa, ei vero ſecura vita.

D. Machar. Senior. Homil. 2.

## THEOREMA III.

### In medio vmbræ mortis.

*Carnis vitam prorogat, mortemq; eliminat, euchariſticum pharmacum.*

THEO-

VMbræ mortis mala ait ſe non formidaturũ Pſalmiſta; rationem ſubdens *Quoniam tu mecum es*. Quid per vmbram mortis intelligit, niſi mortẽ carnis, quæ animæ morti collata, vmbræ inſtar eſt; ſicut ignis elementaris ad ignẽ inferni collatus, ignis vmbra eſt? Reuera, etſi Euchariſtia cibus ſit mentis, non ventris; animæ, non carnis: æquè tamen animam, & corpus ab interitu redimit, & præſeruat. Quia verò in præcedẽtibus de morte animæ ſermonẽ habuimus, iurè modo de carnis morte loquendum.

1 Chriſti Regis noſtri natiuitatẽ prophetauerat Iſaias, dixerat iã, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*; cum hęc ſubdidit: *Vitulus, & vrſus paſcentur ſimul.* Hoc eſt. Domino, ceu pulcherrimo flore, ſacro ex intemeratæ Virginis vtero, tamquam ex virga Ieſſe egreſſo, velutque fœnum in præſepi poſito; vitulus, & vrſus ad eum viciſſim accurrẽt, nouas eſuri paſcuas. Per vrſum animam, per vitulũ corpus intelligit Thomas; hiſque verbis prædici Chriſtum in Euchariſtia ęſum, non animæ ſolummodo, ſed & corpori profuturum. *Vitulus ſignificat corpus, quod in ſacrificio Deo eſt mactandum; vrſus ſpiritum; quia, ſicut vrſus beſtijs, ſic terribilis eſſe debet beſtialibus motibus, & moribus. Ii paſcentur ſimul, ſcilicet iſto cibo, carne Chriſti, vt proſit animę, & corpori.* Ex Euchariſtia enim nõ ſola viuit anima, ſed & cũ anima corpus.

Iſa. 11. 1.
Ibid. 7.
D. Thom. opuſ. 58. cap 6.

2 Hoc & ex Seraphico Bonauẽtura clarè perſpicies: qui Chriſti corpus dupliciter conſiderandum exiſtimat; ſecundum duplicem ſtatum, Incarnationis, nimirũ & paſſionis: & primo quidẽ modo conceptum, triticum eſſe, ſecũdo, hordeum; *Si conſideratur*, inquit, *corpus Chriſti ſecundum ſtatum incarnationis, per frumẽtum nouum ſignificatur; item ſecundum ſtatum paſſionis, & ſic per panem hordeaceum.* Erudita conſideratio. Nam frumentũ à fruẽdo, quod eo fruamur, appellatum eſt; & Chriſti corpore in incarnatione, quia tunc Diuinitati iungebatur, eo cœleſtes ſubſtantiæ abundè fruebãtur. Vnde Genitricis eius vterus *Aceruus tritici vallatus lilijs*, id eſt Angelis (lilia enim Angelos, vt apud Pieriũ videre eſt; deſignant:) qui turmatim è cœlo aduolabant, nouo fruituri frumento. In paſſione verò hordeum eſt; nã quia hordeum aculeatum, & aſperum eſt, Chriſti corpus innuit Cruci affixum, ſpinis, flagellis, & clauis, vndequaque aculeatũ, & aſperum. Stet igitur ex do-

D. Bonau. ſer. 5. in Cœna Domin.
Cant. 7. 2.
Pierius Valer.

ctri-

ctrina Seraphici, Dominicum corpus non frumentũ eſſe tantummodo, ideſt cibum hominis, ſeu animæ, per quam homo fit homo; ſed etiam hordeũ, cibum videlicet iumenti, corporis ſcilicet noſtri: eo enim, non anima ſolum, ſed caro etiam viuit. Hinc orat Eccleſia: *Sit nobis Domine reparatio mentis, & corporis cœleſte myſterium.*

Pſal. 77. 27. 3 Vt manna Deus è cœlo ſuæ plebi dimitteret, *Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit.* canit Pſalmographus. *Ideſt, fecit chataractas cereas.* ait Bruno. (D. Bruno ibidem.) Nulla apum arte, nullo miniſterio, cœlum cereum fecit. Memorabiliorẽ Euchariſtiæ typũ pluere opus erat, quod, cum mel ſit; melque ex cera diſtillet; cœlum, vndè deſcenſurum erat, cereũ fieri oportebat. Mel vtique eſt Euchariſtia. Satis alibi viſum. Nunc quare mel? Quia mellis inſtar vitæ diuturnitatem, & incolumitatem impertit. Interrogatus olim Democritus, qua ratione quis lõgiorem vitam aſſequi poſſet. (Pier. lib. 26.) *Interiora*, reſpondit, *melle irriganda*, vt recenſet Pierius. Hinc paſsim ferũt, quibus mellis vſus frequentior fuerit, diutiùs vitam producere. Ciruios, qui Corſicam incolebant, vixiſſe longæuos tradit Athenæus, (Athenæ.) quod aſſiduè mellis vterentur cibo. Magnum, & admirabile ſacrũ mel eſt dulciſſimum, vtiliſſimum; quod & comedentes oblectat, & eorum vitam longè, latèque prorogat.

4 Quia certum eſt Moyſẽ quadraginta diebus, ac noctibus, quibus in monte commoratus eſt, nil quidem comediſſe: rogo: Quonam pacto Dei ſeruus, cum nemo ſine cibo vltrà ſeptimũ diem vitã agere poſſit, tandiù ieiunãs incolumis, viuenſq; perſiſtitit: neq; paruum inediæ paſſus ſit detrimentum? Tanto quippe decore, nitoreq;, dum deſcendit, enituit, vt ſole ſplendidior videretur. Vndenam tũc temporis Moyſi vita ſine cibo, & potu peragebatur? Quamquam veriſſimum ſit (reſpondet Clarius) tũc tẽporis Moyſi cibos defuiſſe corporeos, affluebant tamen cœleſtes; quibus perinde ſpiritus reficiebatur, vt refectio redundaret in corpus. *Moyſes quadraginta illis diebus verſatus cum Deo, ex illa cõſuetudine vires accipiebat: & animæ virtus, quæ toto illo tempore cœleſtibus alimentis reficiebatur, in corpus etiam redundabat, illudque ſeruabat, nè ieiunando deficeret.* (Iſid. Clar. Orat. 18. in Lucã.) Quæ verò erãt alimenta cœleſtia, Moyſi collata, niſi Dei Verbum, mox caro factum, ſub formis panis conditum, menſæque altaris appoſitum? Idcirco Corpus

Domi-

Dominicum panis dicitur cœli; quia cœleſte alimentum eſt. Dũ ergo ſacro pane reficimur, non tantum ſpiritu viuimus; ſed & carne: non modo animam; ſed & corpus à morte ſeruamus.

5 Cum vnà cũ Chriſto mare permeaſſent Apoſtoli, veniſſentque transfretum, ſe pro eorum viatico panes non attuliſſe, vt fortè aliàs conſueuerant, meminerunt. Quorum conſilia Chriſtus inſpiciẽs, durèq; eos redarguens. *Quid* (inquit) *cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* (Matt. 16. 8.) Rationabilis vtique, ac iuſta Chriſti iudicanda eſt increpatio; ſed talis primo non videtur obtutu. Quid enim mali egiſſent Apoſtoli, ſi panes ſuo pro cõmeatu geſtaſſent, quod tale quid cogitantes, tam acri Chriſtus eos repręhenſione caſtigat? Cenſet Palacius, Apoſtolis, Chriſtum habẽtibus, de pane nullatenus cogitandum fuiſſe: nam, qui Chriſtum habet, cuncta cum ipſo habet, panem præſertim, qui non tãtum animam reficit, ſed & corpus ſuſtentat. Nam ſi cœleſtem panem dat Deus, nempe corpus ſuum ſanctiſſimum, quod edunt Angeli, vt ſpiritus reficeretur: quare non dabit terrenum, vt ſuſtentetur caro? *Si credimus Deum nos amare, & ità amare, vt filium nobis dederit, quomodo non omnia cum illo donauit? Si pater eſt, ſi ſponſus, ſi amicus, ſi paſtor, ſi Rex, ſi mater, quomodo obliuiſcitur eorum, quos in vlnis gerit? Si guſtum dat cœli in terra, panem, illum, quem edunt Angeli, quomodo non dabit panem, quem edunt iumenta?* (Paul. de Palac. ibid.) Ac ſi diceret. Immeritò de panibus huius vitæ cogitabant Apoſtoli, ſecum Chriſtum, vitę æternę panẽ, habentes: & meritò quidẽ eos Chriſtus increpauit, modicæq; fidei redarguit: Cum eiſdem talem panem affluere, & panem terrę deficere ſit impoſſibile. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.* ait regula Iuris. Quibus Chriſtus propriæ carnis panẽ, quo ſpiritus nutriatur, impertit; panem, quo caro reficitur, ac viuit, negare non poterit. Imò ſi panis hic deficeret, caro eius ad corporis ſuſtentationẽ ſatis, ſuperque ſufficeret. Quot ſerui Dei Corporis Chriſti pane diù naturalẽ vitã traduxerunt? Catharina Senenſis nõnullas Quadrageſimas ſola S. Synaxis refectione dicitur traduxiſſe. (Cathechiſ. Hiſt. cap. 5. tit. 10.) Idem de quadam alia virgine legimus, quam Felicẽ appellant. D. Nicolaus Attinẽſis Epiſcopus Dominico quoque die ſacra myſteria ſumẽs, reliquum tempus ſine alio peragebat cibo. Nicolaus Eremita ſola Euchariſtia annos quin-

quindecim vixiſſe traditur. Et quamplures alij, in quibus nō ſolum animam, ſed & corpus ſacra Communio vegetabat: quodq; ad ſalutē animæ ſumptum erat, carnem ſuſtentabat identidem.

6 Pluries quæſiuimus, quare Chriſtus corpus ſuum ſanctiſſimū magis ſub panis, quā ſub aliarum rerum, formis obtegere maluit? Multa pariter dicta ſunt, dicendaque ſeruantur in poſterum. Theoremate præſertim antecedēte, de animę vita loquentes, ex eo, quod panis à Pan græco vocabulo, quod eſt *omne*, deducitur, omnem animæ vitam, & quæ in præſenti eſt, & quæ in futuro, ab Euchariſtia conferri, reſpōdimus. Ex hoc ipſo cum Auctore Gemmæ animæ nunc dicendum, id factum à Chriſto, vt omnem ſalutem noſtram, mentis nimirum, & corporis, ab Euchariſtia cognoſcamus. *Gem. Anim. de ant. rit. Miſſ. lib. 1. cap. 99.* *Panis omne dicitur. Ideo hic offertur; quia omnis ſalus animæ, & corporis in eo recipitur.* Hoc à Patre noſtro Seraphico oſtenſum eſt vbi cæli tenuit ſedem. Tradit Bonauentura, quemdam Bartholomæum, cùm ad conſtructionem templi eiuſdē S. Patris nō parum deſudaſſet, ruente quadam trabe, grauiter conquaſſatum. Qui mortē ſibi ſentiens imminere Viaticum petijt, quod, cū ei celeriter afferri non poſſet, mori enim ſubitò credebatur, dicta ſunt verba Auguſtini. *Crede, & manducaſti.* *D. Aug.* Quid inde? Sequenti nocte Patriarcha Sanctiſſimus, agniculū inter vbera gerens, apparuit, *Bartholomæe,* dicens, *hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti: cuius etiam virtute cōſequeris vtriuſque hominis ſoſpitatem.* *D. Bonau. in Vita S. Frāciſci.* Vt mox accidit. Vtriuſque hominis ſoſpitatē largitur cœleſtis panis; animā nimirum, & corpus liberat ab interitu.

7 Eius modo perpendendū reſponſum, cui cum Hebræorū plebis offerrerentur habenæ: *Non ſum, inquit, medicus, & in domo mea non eſt panis.* *Iſa. 3. 7.* ac ſi calluiſſet, dum medicus eſſet, panem opus eſſet habere. Sed q̄nā hæc eſt neceſſitas? quidne opus eſt medico panis? Aptiùs videretur locutus, ſi poſtquā, *Non ſum medicus,* ait, in domo mea nō ſunt pharmaca, medicamina, aut ſimilia, quæ penes bonū medicum aſſeruari aſſolent, adieciſſet. Quia verò ꝑ panem, de quo hic loquitur, Hieronymus ſpiritalem intelligit, *D. Hieron. ibid.* panem ſcilicet, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo; aptè reſpōdiſſe dicendum. Quandoquidem medicus, qui ad curandum ægrotū accedit, & panem non habet, Euchariſtiam nempe, medica-

minum omnium, tum ad animæ, tum ad corporis ſoſpitatem, maius, & efficacius; non ſuadet; non eſt verè medicus, ſed medicinæ neſcius, & ignarus. Sane ſine hoc medicamine ſanitatẽ ęgroto difficillimè conciliabit, dignuſq; vt in eum, quaſi in necis miniſtrum, indignè oculos conijcerẽt, omnes, & graui afficerent opprobrio. Quare ait Bernardinus. *Boni medici fecerunt me prædicare, vt infirmi corpus Chriſti recipiant: quia euenit, quod aliter faciendo, medicus ſæpe remanet vituperatus.* Hinc Fortunatus Fidelis, genitor, & magiſter meus, in primo, quem edidit, inſcripſitque, *Patrocinium Medicinæ*, conſulit, in medico, nõ minus Religionis noſtræ cultum, quàm medendi peritiam, eſſe ſpectandam. nam cui Religio cordi erit, reliqua feliciſſimè cedent. *Quamobrem*, inquit, *in primis ſit medicus, in quo non ſolum eximiam medendi peritiam, agnoſcant omnes, ſed etiã probent Religionem. Nihil enim infauſtè, nihil non ex animi ſententia illi continget, qui tam feliciſſimo auſpicio medica opera aggredietur.* Huiuſmodi ſanè medicus, corporalibus ſpiritualia, cæteriſque pharmacis, corpus Chriſti proponet; non modo, vt inquit Apoſtolus, *Purgationẽ peccatorum faciens*, ſed & morborum corporis, qui ob culpas adueniunt, mortemque corpori inducunt.

*D. Bernardin. to. 4. ſer. 44.*

*Fortunatus Fidelis Patroc. Medic. lib. 2. cap. 4.*

*Hebr. 1. 3*

8. Siue à Spiritu Sancto, ſiue ab aliqua veterum Hebręorum traditione, edoctus Pſalmiſta, recenſet de filijs Iſrael, quod poſtquam ex Aegypto exierunt, iterque per deſertum fecerunt, *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Videamus obſecro, vnde tanta ſanitas genti Hebręorum effluxerit, quod nemo per id tempus dicitur ægrotaſſe? Ex eo inquam, quod adijcit, *Pane cæli ſaturauit eos*, ideſt manna, quod eos, ne ægrotarent, & morerentur, ſeruabat: propterea, enim *panis Angelorum*, ſiue, *Abarim*, ex Hebræo, hoc eſt *panis fortium*, dictus eſt; quod comedentes redderet fortes, nec infirmari, ſiue debilitari ſineret. *Manna*, inquit Abulenſis, *corpora Hebræorum conſeruabat, nè morbo aliquo tabeſcerent.* Quia vero mãna Euchariſtiam præſignabat, vt noſti; clare præuiſum eſt ſacro pane nutriendos, nõ ab animæ modo, ſed & carnis, ęgritudine conſeruãdos. Quare ſi æger, vt Chriſtianum decet, communionem prætermittat, ingraueſcet ei morbus: accedit equidem mors, quò non acceſſerit Chriſtus. Meminit Palladius, Amonem Præſbyterum, virum ſanctũ, & humilem, cum ſacrum ſemel offerret, Angelum à dextris altaris

*Pſal. 104 37.*

*Ibid. ver. 41.*

*Abulenſ.*

*Pallad. in Hiſt. 55. Patrũ capit. 72.*

*is vidiſſe, qui fratres accedẽtes ad Communionem ſignaret, ſingulorumq; nomina quodam in libro deſcriberet; eorũ autẽ, qui abeſsẽt, deleri, moxque poſt tres dies defunctos.

9 Quoniam vir zelotypus noſſe nil magis deſiderat, quã, ſi eum ſua in delicijs habeat vxor; beneuolẽtia proſequatur; neminemque ab eo, qui in mũdo ſit, diligat. Hoc probè nouerit, dum temporibus debitis ad Sacram Communionem impellatur ab ea; nam ſin minus, non modo nõ amari ſciat, ſed, vt alteri nubat, defunctũ optari. En Bernardinum. *Volo vos docere, quando vxor veſtra vos diligit, quandoque odit, cupitque vos emori, vt alterum accipiat. Si non curat tempore Quadrageſimæ, ac Paſchæ, quod tu accipias Corpus Chriſti, & non ſtimulat, neque tè ſollicitat, vt tu illud ſumas, eſt ſignum, quod ipſa vult te mori: ratio eſt, quia citiùs morieris.* Pulcherrima ratio: Nam, ſicut Euchariſtia dignè comeſta animam, & corpus p̃ſeruat à morte; ſic ea prætermiſſa in vtriuſque interitum incidendum eſt. *D. Bernardin. to. 4. ſer. 44.*

10 Quod autẽ corruptibile hoc induet incorruptionẽ, fietque æternũ, & immortale; cui nam, niſi Euchariſtico Sacro, referendæ ſunt grates; ob cuius guſtum, & tactum, ad immortalitatem reſurget? Audi Cyrillum. *Oportuit certè, vt non ſolum anima per Spiritum Sãctũ in beatam vitam aſcenderet; verũ ét & rude, & terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu, et cibo, ad immortalitatẽ reduceretur.* *D. Cyrill. Alex. li. 4. cap. 14. in Ioan.*

11 Mox, vt Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, multa Sanctorũ corpora Matthæus reſurrexiſſe, & apparuiſſe, refert. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt: & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* *Matt. 27. 53.* Si petis, cur iſtorum corpora mortis effugerũt imperium, factaque ſunt immortalia? Quia ait Rupertus, in eumdem ventrem, quo tenebantur & ipſa, Chriſti corpus ſanctiſſimum receptũ eſt. *Corpora quoque illorum, in monumentis iacentia virtute cibi huius non caruerunt, mox vt eodem ventre, quo tenebantur & ipſa, receptũ eſt corpus eius. Nã & virtute huius cibi factum eſt, vt multa ex ipſis reſurgerent.* *Rup. lib. 6. i Ioan.* Vides quo pacto Euchariſtia corporis vitam impertit, cum non modo prorogет, ſed etiam ad eã ab interitu reuocet?

## THEOREMA IIII.

### In medio vmbræ mortis.

*Nõ regnabit per peccatũ Diabolus, vbi regnat per Euchariſtiam Dominus.*

Per

PEr vmbram mortis Hugo Cardinalis peccata, & peccatores intelligit. *Vmbrã mortis*, inquit, *vocat peccata, vel peccatores.* Quorũ mala diuinus Pſaltes, eo quod Deus ſecum eſſet, aſſerit ſe non timere. Nã *etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniã tu mecum es*. Et iure quidem: nam cui Chriſtus per ſui corporis comeſtionem præſto eſt, nullum malum pertimeſcere debet, peccatum præſertim, quod verè malum eſt, & à quo malum omne progreditur.

*Hugo Card. in Pſal. 22.*

1 A Matthæi loco auſpicãdũ; in quo Dominica refertur parabola de quodã ſeruo, qui cũ Regi ſuo decẽ millia talentorum deberet, nec obolũ ſoluere poſſet, ad eius procidit genua, dicens. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Cuius Rex, miſericordia motus, totum ei debitum magnificentiſsimè cõdonauit. Is autem mox, egreſſus à Rege, ſuum conſeruum, quem centum denariorum debitorem habebat; crudeliſſimè ſuffocabat vt ſolueret; nec rogantis, & obſecrantis miſertus eſt. Vndenam iſti tãta feritas, tanta crudelitas, vt conſeruũ ſuũ immiſericorditer ſuffocaret, & interimeret, qui, ſic miſericorditer à Rege fuerat liberatus? Quia à Rege exierat. *Egreſſus*, inquit Matthæus, *ſeruus ille, &c. Planè*, inquit Paſchaſius, *ſi egreſſus non fuiſſet, minimè ſuffocaſſet: ſuffocabat autem eũ, & ſuffocat adhuc hodie, quoniam a Rege exierat*. Dum cum Rege Regum, Dominoq; Dominantium ſumus, difficillimè peccare poſſumus. Si verò ab eo, quod abſit à nobis, abſumus, peccatores efficimur. Hinc magnus Chryſoſtomus, velut ad hũc locũ reſpiceret, ait cõmunicaturo. *Regẽ excepturus es per cõmunionẽ*. Velut ſi diceret. Contere limen templi, Sacram menſam frequenta, ſume Chriſtum quotidie. Regẽ enim recipies, quem peccata fugiunt. Sane, corã eo, appræhẽdi nõ poteris culpa, nullo illaqueari flagitio, nullo ſubſterni peccato. *Regem excepturus es per Communionem*.

*Matt. 18. 27.*

*Paſch. ibid.*

*D. Chryſoſt. ſer. de B. Philog.*

2 Procedamus ad alia. Vallem Ioſaphat, in qua extremũ iudicium fiet, vallem conciſionis vocat Sanctiſſimus Ioel. *Iuxta eſt dies Domini*, inquit, *in valle conciſionis: Sol, & Luna obtenebrati ſunt, &c.* Si quæſieris rationem, tibi Caſtrus occurret. *Vocat vallem Ioſaphat vallem conciſionis, quia conciſio ſignificat inſtrumentum, quo fruges triturantur: atque ità vallis triturationis dici poſſet illa vallis, in qua triticum à paleis ſeparabitur.* Quoniam infeliciſſimi pecatores ꝑ paleas ſignificati, ibi ſeparabũtur à tritico, hoc

*Ioel. 3. 14.*

*Caſtrus ibidem.*

eſt à Chriſto, Angelorũ pane, ſempiterna flamma cremandi, vallis conciſionis dicta eſt, ſiuè triturationis. Idem igitur eſt à cœleſti pane ſeiungi, & in infernum dimitti. Si enim paleæ nõ diuiderentur à tritico, minimè dimitterentur in ignem. Cuius quidem ratio eſt, quia per Sanctam Euchariſtiã præſeruamur à culpis, (quorum ratione conferimur paleis,) & confirmamur in gratia, Ait enim Innocentius. *Euchariſtia, ſi dignè ſumatur, à malo liberat, & cõfirmat in bono; venialia delet, & cauet mortalia.*

*Innoc. de myſt. Miſs. lib. 4. ca. 44.*

3 Vbi B. Virgo, Angelorũ, & hominũ Regina; *Ego*, inquit, *mater pulchræ dilectionis*, per pulchram dilectionem Chriſtum, quem generauit, intelligit; quem ad differentiam carnalis amoris, qui turpis eſt, pulchrã dicit dilectionem: nam vnde cupido à ſtuprata quadam, fœdataque ſcorto, progenitus eſt, Chriſtus ex immaculata, & intemerata natus eſt Virgine. Sed cum Chriſtus dici poſſit amor, vt ab Ignatio Martyre dicitur; *Amor meus Crucifixus eſt*, cur eum Virgo dilectionem appellat? Ex dilectionis etymologia petẽda eſt ratio, quod duos liget, amantẽ nempè, & amatum, dicta eſt dilectio: Quia vero Chriſtus indiſſolubili charitatis vinculo electorum ſuorum ſibi alligat animas, vt ſe ab eo ſeparari, & ad peccatum prolabi, non poſſint; dilectio nuncupatur. En Richardum à S. Laurentio. *Chriſtus emphaticè dicitur dilectio: per dilectionẽ enim, qua diligit hominem, colligit ipſum hominem ſibi ipſi, & quaſi conglutinat, nè diffluat per vitia, & peccata.* Quoniam autem Chriſtus per Euchariſtiæ Sacrum ſibi hominem vnit, & colligat, vnde Sacramentum dicitur vnitatis; aſſerendum eſt pariter, animam Chriſto per Communionem vnitam, ad peccata nõ poſſe diffluere, ſed in gratia, & ſanctitate permanere.

*Eccl. 24. 14.*

*D. Ignatius.*

*Rich. à S. Laur. d. Laud. B. Mar. lib. 6.*

4 Cùm ait Sponſa, *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, de Sacro Euchariſtico loquitur, quod vmbra dicitur. *Sacramẽtum*, ait Bernardinus, *vmbra denominatur, quia ſe præbet Dominus in ſecreto myſterio ſub accidẽtium velamine occultatus.* In eo vtique ſponſa ſuauiſſimo, ac delicioſiſſimo fructu carnis ſponſi ſui delectabatur. Sed cum Euchariſtia tot alijs ſymbolis paſſim ſignificetur, vnde eſt quod Deus à Spõſa, per vmbræ maluit, quã per aliud ſignificari? Vt innueret, eã per hoc Sacramentum non enutritam ſolummodo, ſed & à nigredine, & deformitate culparum, defenſam, & præſer-

*Cant. 2. 3.*

*D. Bernardin. tom. 2. ſer. 54. ar. 2. cap. 2.*

ſeruatã. Vmbra, quos obumbrat ab æſtu nè nigreſcant, & obſcurentur, protegit. Hæc ſane ſuper cęleſtis vmbra ab ęſtu peccati, animas denigrantis, ac deformantis, defendit. Sic Theodoretus hunc locum explanat. *Sub huius vmbra ſedere ſe ſponſa dicit, & conſediſſe, ac mox fructum etiam eius decerpſiſſe: cumq; gutturi ſuo fuiſſe dulciſſimum; ardentes malitiæ radios vitare ſtudet, nè iterum nigra fiat.*

*Theod. in Cant.*

5 Quæſo, nè te prætereat in præſenti verba Saluatoris expendere, quæ, dum de eſu corporis ſui, potuque ſanguinis, ſermonem haberet, inculcabat Hebræis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sat eſt hic tibi obſeruare, ꝙ Dominus ſe in manducante ſanctam carnem ſuam manere inquit. Peto autem: Quonam pacto manet? *Sicut ſponſus in thalamo ſponſæ.* ait Hugo Cardinalis. Id ipſũ reſpõdit Chriſtus Birgittæ, eadẽ interrogãti. *Ingredior, ait, vt Sponſus.* Cor eſt thalamus eius, animã verò Sponſa. Quare, ſi poſtquã Chriſtus acceptus eſt ex altari, in thalamum cordis ingreditur, ibique vnà cum anima, ſicut ſponſus cum ſponſa, dulces trahit moras, quo pacto dari poteſt locus adultero, vt ingrediatur, & delicietur cum ſponſa? fœdet, & contaminet thalamum? Potiùs longè aufugiet, quàm vel ſecus accedat. Verum eſt ergo, quod pane Chriſti nutritus ſanctum, & immaculatum ſe ſeruet.

*Ioan. 6. 57.*

*Hugo Car. ibid.*

*Reuel. D. Birgit. lib. 4. cap 62.*

6 Quærunt Doctores, an liceat homini, lethali culpa fœdato, Sanctam Synaxim inſpicere? Negat D. Thomas, Petrus Paludanus affirmat. Cum quo ſentiendum? Etſi, ait Antoninus, ſine vllo errore cum vtroque ſentire poſſis; conſultiùs tamen facies; ſi ſenties cũ Paludano. Ratio eſt; quia peccator Sacramentum aſpiciens, emundari poterit à peccato. *Quamuis*, inquit, *ſecundũ Thomam peccator benefaceret, ſi ex deuotione, qua ſe indignum reputat, non vult in Sacramentũ aſpicere: meliùs tamen facit ſecũdum Petrũ de Paludano, qui ex deuotione intuetur: cum aſpectu ſerpentis ænei ſanaretur à morſu ſerpentis igniti.* Tam magna vis Euchariſtico Sacro, ad culpas profligandas, ineſt; quod etiã inſpectum à peccatore, inſtar ſerpentis ænei, ad ſalutem diſponat, & ſanctitatem. Si dum ergo Chriſtum inſpicit peccator, à peccato expurgatur, quare iuſtus, eundem adiens, ſeruandus non eſt à peccato? Si viſio Chriſti Sanctos facit, quomodò Sanctos non ſeruabit comeſtio? Si Chriſtus extrà animam, à ſorde purificat

*D. Thomas.*

*Petrus de Paludano*

*D. Antonin. par. 5. tit. 14. cap. 12. §. 5.*

ani-

animam, cur incluſus in anima, animam fœdari permittet? Certum ſit ergo, quod, qui Chriſto veſcitur, tam longè ſit à peccato, quàm ens à nihilo, Deus à malo, Dœmon à cœlo.

7 Poſtquam ſponſa Dominum vidit humana carne circumdatum, ſodales his verbis ad tam magnum ſpectaculum conuocauit. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* Hoc eſt, ait Iſidorus: *Videte Dominum Chriſtum in humanitate, quam de Virgine matre ſuſcepit.* Per diadema Chriſti carnem expreſſit. Sed vnde eſt, quod caro Chriſti diadema dicitur, nõ corona, cum corona, & diadema, vnũ, & idem ſint? Quam apte potuiſſet nũcupari corona; quia, vt placet Atheneo, *Corona dicta eſt à cingendo*, & caro Chriſti in Sacramento accepta, nos cingit, & ſtringit; multoſque in vnum redigit; vnde Sacramentum pacis, & vnionis iure optimo dicitur. Maluit ergo vocare diadema, aliud intendens myſterium. Ex ſono vocis Diadema duo demẽs importat: caro autem Chriſti, nõ indignè comeſta, duo demit à nobis, nempe peccatũ, & pœnam peccati. *Diadema,* ait Richardus à S. Laurentio, *eſt caro Chriſti. Et nota, quod humanitas Chriſti congruè dicitur diadema, quaſi duo demens, ſcilicet principium, & finem: ſcilicet originale, quod eſt principiũ omnis mali, & pœnam æternam, quæ eſt finis, ad quem tendit omne peccatum.* Quorſum ergo, qui pane Chriſti depaſcitur, expers culpæ non erit; cum, qui demit culpas clauſum habeat in corde?

Cant. 3. 11.

D. Iſid. ibid.

Athen. lib. 15. cap. 7.

Rich. à S. Lau. de Laud. B. Mar. lib.

8 Recenſent, Virgilium in macello Neapolitano quendã carnis fruſtũ inſeruiſſe, quod quamdiù ibi remanſit, nulla vnquam illius macelli caro, quantumcumque vetuſta, nares olfacientis, aſpectum intuentis, guſtum comedentis, offendit. Huius rei fides maneat apud Auctores: Nam quo pacto obſecro corruptibile poterat incorruptionem conferre, cum vt dicitur, nemo det, quod non habeat? Chriſti caro tantummodo, vt pote Deo vnita, ſpiritalis effecta, nullique obnoxia corruptioni, incorruptionem præſtabit. Dum itaque illam, ſacra ex menſa deſumptam, tecum in corde ſeruaueris, incorruptibilis euadas; nec tibi vnquam fœditas culpæ, obſcænitas ſceleris, fætor peccati, inhærebit. Nam ſi mortuos quatriduanos, & fœrentes, ſuſcitat, quanto magis viuos non ſeruabit incolumes?

Petr. Ber. Red. Mor. lib. 14. cap. 10.

9 Memorabilis cœdes, quã per atrociſſimum Dœmonem, (vt multi autumant) immiſit

Deus

Deus in Iſrael, à mane vſque ad conſtitutũ tempus, inquiũt Sacræ litteræ, perduraſſe. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane vſque ad tempus conſtitutum.* Per tempus conſtitutum Ioſephus cũ Magiſtro ſcholaſticæ Hiſtoriæ, vt apud Abulenſem videre eſt, prandij horam intelligit, quod ex littera Septuaginta Interpretum confirmatur, *Et dedit Dominus mortem in Iſrael à mane vſque ad horam prandij*, transferẽtiũ. Cur datũ eſt Dœmoni in Iſraelitas vſque ad horam prandij, & non vltra ſæuire? Quidue ſignificat prandium, vt, dum tempus eius inſtaret, aduerſarij manus fuerit hebetata? Euchariſticum Sacrũ ſignificat. *Prandium* namque, vt Iſidoro arridet, *ab apparatu edendi dictum eſt*: Et Sacrum cibum ab origine mundi, vſque ad aduẽtum Chriſti, nouimus præparatum. Clariſſimè hoc per ſacrificium Abel, Abrahæ, & Melchiſedech, conſtat. Huius apparatus meminit Propheta, dum ait. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et Sapiens itẽ *Paratum panem de cœlo praſtitiſti eis.* Hoc itaque eſt quod vſque ad prandij tempus non autem a prandio permiſſum fuit Dœmoni Iſraelitas offendere: quamuis enim nobis hoſtis noſter ſit omni tempore obnoxius; Sacra tamen menſa propoſita, ſacroq; nobis prandio refectis, inſidiari non poterit. *Neque enim*, ait Cyrillus, *vincere illi amplius licet, poſtquam ſanctæ illius menſæ tẽpus aduenerit, quem prandij tempus latenter ſignificat.* Ab incurſu Dœmonis acerrimè Chriſtus ſuæ menſę conuiuas defendit, & à plagis, quas per peccatũ infert, præſeruat innoxios. Quare D. Ignatius ſcribens ad Epheſios, *Date*, inquit, *itaque operam, vt crebrius ad Euchariſtiam congregemini, & gloriam Dei: quando enim ſæpius, in eundem locum cõuenitis, labefactãtur vires Sathaniæ, et ignita illius ad peccatum iacula irrita reſiliunt.*

10 Pulchrè Adamantius illud Euãgeliſtæ de Iuda proditore perpendit, *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit cõtinuo.* Videns enim, quod etſi dicat, *Dum accepiſſet ille bucellam*, ſileat tamen, & comediſſet, autumat Iudam Sacram ſuſcepiſſe quidem de manu Domini, ſed non comediſſe bucellam. Hoc ipſum Theophilactus exiſtimat, pulcherrimã afferens traditionem. *Iudas autem panem accepit, & non comedit, ſed occultauit, vt monſtraret Iudæis, quod panem corpus ſuum vocaret Ieſus.* Quorſum proditor tã dulcem, tam ſuauem, delicioſum, pulchrum, deſiderabilem, panem edere no-

2. Reg. 24. 15.
Ioſeph. Hebr.
Mag. Hiſt. Sch.
Apud. Abul. queſt. 30. ibidẽ.
Transl. Septuag.
D. Iſid. Etym. lib. 20. cap. 1.
Pſal. 67. 11.
Sap. 16. 20.
D. Cyrill. Alex. de Ado. lib. 3.
D. Ignat. Epiſt. 14.
Ioan. 13. 30.
Theoph. in cap. 26. Matt

noluit, & deglutire? Detinuit eum Sathanas, inquit Origenes. Timuit verſipellis, nè poſt quam ſalutarem comediſſet cibum, ad prodendum Chriſtum non potuiſſet impelli; *Anticipauit Sathana, qui ingreſſus fuerat in Iudam, offulæ vſum, nè Iudas adiumentum perciperet, ex data à Ieſu offula: timens nè telum in Iudam immiſſum aberraret.* Nō ignorabat ſerpēs, inſidias, doloſque eius in eos, qui Chriſto paſcuntur; minimè poſſe proficere: ideo Iudæ communionem, non modo diſtulit, ſed prorſus abſtulit. Sanè ſic miro modo ex ſacro pane proficimus, confortamur, roboramur, præſeruamur à culpis, vt nō modo inſtar adamantis à nobis iacula Sathanæ reſiliant irriſa; ſed & impellatur à nobis, vt turbine velocior diſcedat, & fugiat à communicante. *Cum enim*, inquit Chryſoſtomus, *egredientē poſt conuiuium Dominicum viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas, tanquam ignem ore leonis flammantem fugit, & deſerit omni vento velocior, nec appropinquare contendit: & cum cruē tem linguam tuam de longe ille crudelis proſpexerit, mihi crede, non ſtabit; & cum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retro cum timore torquebit.*

*Orig. in Euangel. Ioan.*

*D. Chryſoſt. Ho. 3. ad Neoph.*

## THEOREMA V.

In medio vmbræ mortis.

*Sapientiæ ſatur, ſapiētiſſimus eſt.*

EX eo, quod Petrus Lombardus, ſententiarum Magiſter, per vmbram mortis, Dei ignaros intelligit; Vates ſe aſſerens huiuſce hominum non timere mala, quoniā Deus ſecum eſt; apertiſſimè innuit, Sacram Euchariſtiam (per quā Deus præſto eſt nobis) ſic mētes noſtras illuminare, & erigere, vt eas ab ignorantiæ tenebris quā longiſſime trahat. Et merito quidem. Cū enim, quē continet, lux, Chriſtus ſit; qui lucem comedit ſapientem fieri oportet, atq; ab ignorantiæ caligine quas præſertim æternæ mors ſequitur, abeſſe.

*Mag. ſent. in Pſal. 22.*

1 Tanto Martyres lumine, tanta ſapientia præditi, ac cœſti philoſophia, videbantur inſtructi, cūm ante Reges, & Præſides ſiſterentur; vt illorum quemque ad ſtuporem inſolitum concitarent. Nec mirum: nō enim tunc lingua mox moritura, & in cinerem redigenda, ſed Chriſti, ſapientiæ Dei Patris, loquebatur in eis. quod illis ipſe iam ante promiſerat, dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid* Matt. 10. 19.

lo-

*loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Ideſt, inquit Remigius. *Vos verba editis; ſed ego ſum, qui loquor: nam ipſe Chriſtus, qui in nobis habitat, loquitur pro ſe.* Verũ vnde ſanctis Athletis tãta ſapientia, vt non ipſi, ſed Chriſtus, loqui viſus ſit in eis? Ex Sacræ Euchariſtiæ perceptione: olim enim Martyres, certamen inituri, ſacro reficiebãtur edulio, quo mentes eorũ acuerentur, illuminaretur, erigeretur. Audi vnũ ex eis, præclariſſimum Cyprianum. *Idoneus eſſe nõ poteſt ad martyriũ, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit. Dominus enim in Euangelio ſuo dicit. Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

*D. Remig. in Ca. S.Th. ibid.*

*D. Cypr. epiſt. 54.*

2 Meminit Anaſtaſius, Nicænus Epiſcopus, Euchariſtiã à Chriſto inſtitutã Martij die ſecũdo ſupra vigeſimum. Hæc ſunt eius verba. *Nam cum comediſſet vmbraticum Paſcha cũ Diſcipulis, inſtituit authenticum quinta die hebdomadæ lunæ decimæquartæ, Martij vigeſimo ſecundo*, quo etiam die agnus, Euchariſtiæ typus, immolabatur. Sacra itaque inſtitutio circa vernale incidit æquinoctium, circa quem diem, anno etiam Domini centeſimo quadrageſimo, incidit, vt Clauius in Sphæra, Tholomeum obſeruaſſe recenſet: Exiſtimas hoc fortaſſe caſu, & ſine magno Dei conſilio, & myſterio, eueniſſe? Abſit, vt talis tibi hæreat cogitatio. Sic ratiocinatur Rupertus hoc tempus expendens. *Ab Aequinoctio verno ſuperare incipiunt dies noctem: nã antè illud tempus prolixiores tenebras, breuioremque habemus lucem. In hoc myſterium eſt; quia ab immolatione agni incontaminati, & immaculati Chriſti cæpit lux iuſtitiæ peccatorum tenebras ſuperare: nam ante longa, & profunda peccatorũ nox.* Velut ſi diceret. Vt clare perſpicias, ſacra ex Corporis Chriſti immolatione, & comeſtione, tibi, & tenebras ignorãtiæ minui, & intellectus lumen augeri, Dominus in æquinoctio, dum tenebras lux inchoat ſuperare, inſtituere voluit Euchariſtiam, typumq; Euchariſtiæ.

*Anaſt. Nicen. quæſt. 95. in Scrip.*

*Rup. lib. 2. cap. 5. in Exod.*

3 Quamquam Theophilactus cum Auguſtino ſentire, videatur, Dominum à duobus Diſcipulis, in Emaus inuitatũ, Euchariſtiam conſecraſſe, eoſque communicaſſe; cum eadẽ ibi feciſſe videatur, quæ & in cœna, cùm hoc Sacramentum in-

inſtituit. Potiùs cum illis tenendum, tunc Dominum ſentientes, huius myſterij tantùmodo mentionẽ feciſſe, illudque myſticè commendaſſe, & inſinuaſſe; quod egregiè Ianſenius in Euãgeliorũ concordantia probat. Sed quænam cõpellebat neceſſitas, Euchariſtiam ibi cõmendare, & inſinuare? Magna equidem, & euidens. Patet vtique Diſcipulos illos imperitos, & rudes fuiſſe, quorum imperitiã Chriſtus detegẽs, ait *O ſtulti & tardi corde*, Congruum ergo cœleſti erat medico, vbi morbũ oſtenderat, medicamen etiam indicare. Quia verò ad mentes hominum illuſtrãdas, maius pharmacũ in Eccleſię apotheca Euchariſtia non appoſuerat: vt eorum mentes illuminarentur, Euchariſtiã commendauit, & innuit. Quia ſtatim ſymbolicè ſumpta, confeſtim illuminati ſunt. *Factũ eſt*, refert Lucas, *dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Ecce habes eſcam*, ait Anaſtaſius, *habes etiam per eſcam viſus recuperationem, & Dei agnitionem, quã per eſcam ignorauerunt Protoplauſti.*

*Ianſen. in Concord. Euang.*

*Luc. 24. 25.*

*Luc. ibid. 30.*

*D. Anaſt. ſinait. lib 10. Exã.*

4 Poſtquam Chriſtus, vera Dei ſapiẽtia, domum ſibi ędificauit Eccleſiæ, vinum ſui ſãguinis miſcuit, corporiſq; mẽſam appoſuit, ſeruos miſit, vt ad propoſitam menſam ſolos aduocarent paruulos. *Miſit*, ait Salomon, *ancillas ſuas, vt vocarẽt: Si quis eſt paruulus veniat ad me*. Aduerte quod non ait, ſi quis eſt adultus, ſed, *Si quis eſt paruulus*; velut diuina Communio paruulorum eſſet, paruulis apparata, paruulis ſolis proficeret. Quid eſt hoc? Aduocantur paruuli, quia imperiti ſunt, & inſipientes, vt ſacri muneris participatione ſapientes fierent, & periti. *Aduocantur paruuli, vt ſapiẽtes fiant*: ait Hugo Cardinalis. Quoniam Euchariſticũ Sacrũ ignaros illuminat, inſipientes docet, imperitos erudit, tales ad eſum eius aduocãtur: mẽtem purgat, intellectũ acuit, verumque lumen infundit. Schola eſt Sacrum altare, vbi homines Sancta percipientes, veræ ſapientiæ documẽtis imbuuntur.

*Prou. 9. 3.*

*Hugo Card. ibid.*

5 Verba, quibus caput trigeſimum primum incipit Prouerbiorũ, *Verba Lamuelis Regis*, animaduerſione digniſſima exiſtimo. Per Lamuelem Salomonem, eiuſdẽ libri ſcriptorem intelligit: ſeptinomius enim, vt multi autumant, & vt alijs placet, octonomius, fuit. Quoniam verò Euſebius ex ſola nominum imponendorum ratione, & conſilio, Hebræo-

*Prou. 31. 1.*

*Euſeb. de præp. Euang. lib. 11. cap. 4.*

bræorum ſapientiam neceſſariò colligit. Cum in eorum nominib⁹, vel diuinas reuelationes, & prædictiones futurorũ euentuum, vel memoriã p̃teritorum facinorũ, vel diuinorum beneficiorum recordationem, & gratulationem, vel ſalutaria vitæ inſtituendę monita, vel denique aliquod aliud myſterium includerent, & cõſignarent; videndum idcircò quid Lamuelis nomen importet. Quia *Lamuel*, latinè *In quo eſt Deus*, interpretatur: Salomonem habuiſſe Deum importat, ex quo pręcipua perhi-

Solon. in Prou. betur eius ſapiẽtiæ ratio. *Quia niſi in eo Deus manſiſſet, tot, ac tanta diuina myſteria nec intelligerę, nec ſcribere potuiſſet.* habet Solonius. Quidnì ſapiet, in quo eſt ſapientia? Furit, in quo eſt furor; amat, in quo eſt amor; credit, in quo eſt fides; ſapit etiam, in quo vera eſt ſapientia Deus. Dum ſacro pane refectum Lamuelem vocauero, me non erraſſe autumo:

Ioan. 6. 53. Deus enim manet in eo. *In me manet, & ego in eo.* ait Chriſtus per hoc Sacramentum. Talem igitur ſapientiſſimũ habe. Sapiẽtię ſatur ſapientiſſimus eſt.

Eborenſ. de S. Com. tom. 2. Tradunt Eadmundum Cãtuarieſem Epiſcopum, die craſtino de Trinitate diſputaturũ, nocte in ſomnis vidiſſe, ſe Sacramentum iſtud, colũba offerente, accepiſſe. Cum que illuceſcente die ad diſputationem veniſſet, præter ſpem, magna omnium admiratione philoſophatus eſt.

6 Ex aliquorum ſententia dictum eſt ſupra, perditiſſimũ Iudam percepiſſe quidam ſacra Chriſti myſteria, ſed non comediſſe. Verum ſi lubet eorum placitum ſequi, qui autumant communicaſſe: verba Ioannis expendenda ſunt, dicentis, quod vbi Euchariſtiã accepit, confeſtim egreſſus eſt à cœnaculo. *Cum ergò accepiſſet ille buccellam continuò exiuit.* Ioan. 13. 30.

Quare tam cito perditiſſimus exiuit? nonnè poterat truculentiſſimam animi ſui rabiem ad alium diem, vel ad aliam ſaltem horam, differre? Poterat quidem: hoc tamen ei Diabolus, cuius ſe poteſtati deuouerat, non permiſit. Sciebat namque, ad mentes perditorũ hominum illuſtrãdas Euchariſtiæ vim, timebatque ne ſi poſt communionem aliquãtulum moraretur, illuminaretur, ad ſanam mentem reduceretur, ſuique pœniteret propoſiti: ideo ſtatim eum ad Chriſti hoſtes adduxit. Sic ſentit Cyrillus. *Nec fruſtra dictum mihi videtur continuò illum exiſſe. Magnas enim Diabolus ad imperandum eis, quos continuò iam cepit, poſſidet vires, nè morando locus pœnitentiæ detur, & quaſi à tumulentia mentem ſuam, rec-* D. Cyrill. Alex. in Ioan. lib. 9. c. 19.

tiùs

*tiùs cogitans, homo eripiat. Hac de cauſa feſtinat, & impellit. Nã & Iudam cum poſt panem omninò ſe ſeparauerit, tum panẽ, tum benedictionis virtutem timens, nè ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem cogit celeritate.*

7 Nullibi Euchariſtiam, niſi vbi niteant lumina, habere cõſueuit Eccleſia. Si ſacrũ celebrat, candelas adhibet: ſi adorandum, & deprecandum exponit, ardent altaria: ſi demum claudit in tabernaculo, continuo lumine colit. Quid myſterij lumen hoc arguit, quod abſque lumine Euchariſtiam ſit nefas habere? Vt cognoſcas lumen mentis noſtræ ex Euchariſtia prouenire. Gentiles, vt tradit Macrobius, *Aras ſaturnias accenſis luminibus excolebant; quia hoc Principe ab incomi, & tenebroſa vita, quaſi ad lucem, ac bonarum artium ſcientiam editi ſumus.* Gratia huius cibi ad lucem ex vita tenebricoſa editi ſumus, deque ignorantia ad ſapientiam deuenimus. Si mundus eſſet huius luminis expers, quanta caligine, & ignorantia detinerentur hominum mẽtes? quiſnam Deum agnoſceret? quis cœli iter aſpiceret? quis non aberraret? Congruum ergo eſt, vt largitor tanti luminis luminibus excolatur.

*Macobr. Saturn. lib. 1. c. 7*

8 Ex Anaſtaſio diximus, myſteriũ hoc admirabile noctu inſtitutum eſſe à Domino dum luna decimaquarta fulgeret. Quod, quia nulla adhibita animaduerſione pertranſijt, expendendum modò eſt, & videndum; cur tali tempore ſacrum datum ſit euchariſticum? Cuius rei præcipuam iudico rationem; quod in nocte, dum luna eſt decimaquarta, ſic totus mundus lucet, vt tenebræ vndequaquæ diſpareant: hemiſphærium enim noſtrum lumine lunæ plenæ integrè illuminatur; alterum, nempe Antipodum, ſolem habet, cuius lumine per totum nitet. Quia enim mundus hominis typum gerit, vnde homo microcoſmus dictus eſt à Græcis; eo tempore Sacramentum voluit Dominus inſtituere, ad deſignandum nos huius ferculi gratia, ſic vera luce replẽdos, vt nulla nos caligo detineat ignorantiæ.

9 Obſeruans Chryſippus Presbyter B. Virginem Angelorum Reginam, vbi Dei Vnigenitum peperit, vt refert Lucas, in præſepio eum reclinaſſe, *Peperit filium ſuum primogenitum, & reclinauit eum in præſepio*, ſic ait: *Reconditur in præſepi, vt, qui currũt ad paleas, frumentum nanciſcantur, arbitrantes ſe inuenturos in præſepi manipulos hordei, panem verum man-*

*Luc. 2. 7.*

*Chryſip. de Laud. Vir. Mar.*

du-

*ducent, alimentum vitæ, cœnam lucis*. Hæc accurata animaduerſione ſunt digna. Velut dicat. Si quæris, quare B. Virgo filium ſuum, panem cœli, in præſepi poſuerit, vbi hordeũ, & paleæ apponi potius aſſolent? Vt iumenta, inquit, ad aſſuetos cibos accurrentia, non amplius hordeum, & paleas; vt olim; ſed coelicum panem, quo in poſterum nutrirẽtur, offenderent. Sed quid nã boni brutis, & iumentis noui panis paſtus afferre debuit? Vt in homines ex iumentis tranſirent. Quemadmodum enim ob peccatum homines cõuerſi ſũt in iumẽta, vnde illud Pſalmographi; *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, vnde mandatum eſt eis, *Fœnum, vt bos, comedes*; ſic ſanctum panem edentes conuerterentur in homines. Eius namque comeſtio intellectũ homini confert, per quem differt à bruto, vnde *Panis vitæ, & intellectus* vocatur, ideſt, inquit Richardus à S. Laurentio, *Qui dat intellectum*. Efficaciſſimum vtique pharmacum eſt panis Chriſti, quo homo, inſtar iumenti viuens, intellectum acquirat, & fiat homo: quæque Dei ſunt, ſuaque interſunt, agnoſcat. Qua de re pulchrè Chryſippus Sanctam Euchariſtiam. *Cœnam lucis* appellat. Sedentibus enim in tenebris, & in vmbra mortis, intellectum confert, lucem affert, veteriſque ignorãtiæ tenebras diſſipat, & expellit. *Cœnam lucis*.

*Pſal. 48. 13.*

*Dan. 4. 22.*

*Eccleſ. 15 3.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 12.*

*Chryſip. Ibid.*

10 Hanc autem lucem ij modo participant, qui diuino ferculo non indignè paſcũtur. Siquidem tantum abeſt, vt illuminentur indigni, vt potius intellectu priuentur, amenteſque fiant. Cenſet Bernardinus indignè communicãtes in Pſalmi quinquageſimi octaui maledictiones incidere, vbi præſertim dicitur, *Obſcurentur oculi eorum, nè videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Nam priuantur intellectu, & fiunt obſtinati*. ait S. Doctor. Puto te non latere rationẽ ab Aegyptijs excogitatam, quare vinum immoderatè, & inconſiderate ebibitum, amentes efficiat. Gigantum, à dijs interfectorũ, humi perfuſo ſanguine, vitiũ, aiunt, pullulaſſe germina: Hinc vino epoto homines amentes effici, & in furorem nõ abſre prolabi: *Quoniam*, vt meminit Nicolaus Leonicus in varia hiſtoria, *impiè admodum, & crudeliter nullo reſpectu maiorum ſuorum effuſum potarent cruorem*. Pari modo philoſophandum de perditiſſimis ijs, qui imperè admodum, & ſine vllo reſpectu, carnes Chriſti Saluatoris ſui comedunt, ſangui-

*Pſal. 58. 24.*

*D. Bernardin. tom. 4. ſer. 44.*

*Nicol. Leonic. in var. Hiſt. lib. 2. c. 22.*

guinemque potant: dicendũque, intellectu priuari, omnis luminis expertes fieri, & non ſecus, ac furioſi, & amentes, ab alienatos, & obſtinatos effici. *Priuantur intellectu, & efficiũtur obſtinati.*

## THEOREMA VI.

### Nam & ſi ambulauero, &c.

*Fons lucis Euchariſtia. ſplendet ex ea potatus. Splendet enim ſplendore plenus.*

Meritò ait Propheta: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala; quoniam tu mecum es.* Quippe cũ Chriſtus ſol ſit, ſoleque, quem inſpicimus, ſplendidior, & nitidior; non modo ipſe nitet; ſed & alios nitentes reddit. Quod in euchariſtico ſacro negari nõ poteſt, in quo Chriſtus fons lucis eſt, ſuoſque conuiuas ſuo lumine replet.

1 Vbi celebrans Euchariſtiam fecit, adque Deum precandum illis verbis accedit, *Supplices te rogamus, Omnipotens Deus, &c.* monetur ab Eccleſia, vt, quãtum fieri poteſt, profundiús inclinetur; quod à diligenti Sacerdote inuiolabiliter obſeruatur. Sed quænam huius inclinationis eſt ratio? Admirabile, & intolerabile lumen Auguſtiſſimi Sacri. Audi D. Germanum. *Etenim, quod pronus Sacerdos diuinam myſtagogiam faciat, id declarat, eum inuiſibiliter: cum Deo colloqui, vnde & diuinam lucis apparitionem cernit, & ad ſplendorem gloriæ conſpectus filij Dei exhilareſcit, ac ſe ſubtrahit timore, & verecundia. Quemadmodũ Moyſes, cùm Deum vidit in monte, ignis ſpecie, perterrefactus, receſſit, & occultauit faciem ſuam.* Ideſt. Dum diuinus miniſter cum Deo loquitur; quia Sacratiſſimum Domini Corpus, nitidiſſimè irradiat, & ſcintillat, ſi Moyſis æmulator, faciẽ non dimittat, pronuſque adoret, vim tanti luminis ſuſtinere non poterit. Nec mirum, inquit Chryſologus, *Solis radij cùm erumpunt, viſus hebetatur humanus: radiante Deo, quomodo totus animorum nõ ſauciatur aſpectus?* A minori arguit: nam inter ſolis, Deique lumen nulla eſt comparatio: plus euchariſtiſticum lumen, lumini ſolis excedit, quàm lumen ſolis lumen candelæ. Egniacenſis Maria, Virgo Sanctiſſima, ſe Chriſtum interdum circa arculam, in qua Euchariſtia reponebatur, in forma pulcherrimi pueri vidiſſe, quem immenſum lumen circumdaret, enarrabat. Cumque ab ea, cuiuſmodi lumen illud eſſet, ſciſcitarentur, reſpondit. *Quantum lumen ſolis*

*In Canon. Miſſæ.*

*D. Germ. lib. Rer. Eccleſ. Theor.*

*D. Chryſol. ſerm. 146.*

*Victriac. Car. apud Lippom. 23. Junij.*

*lis candelæ lumen ſuperat, imò plus, lux iſta vincit ſolis ſplendorem.*

*D. Thom. opuſc. de ſacr. cap. 22.*

2 Carbunculus, quem Iſaias vidit ſacrum ſuper altare, Deus erat: nam vt D. Thomæ, alijſque placet, Euchariſtiam repræſentabat, quæ Chriſtus Deus eſt. Obſerua autem, tūc temporis circa Dominum duos ſtetiſſe Seraphin, quorū vterque ſex alas habēs: duabus faciem, totidemq; pedes operiebat, volabat reliquis. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabāt faciem eius, duabus velabāt pedes eius, & duabus volabant.* Et ſi in eo, quod Seraphici ſpiritus, Domino aſſiſtentes, alis duabus pedes velarent, duabus volarent, non careat magno myſterio; nihil tamen ad nos; quibus tantummodo, cur facies velarent, quod noſtra modò intereſt, inquirendum. Hoc enim primo aſpectu haud rectè factum videtur. Dei vultui aſſiſtunt, & facies velant? quas ſi fortè velatas haberēt, deberēt, vt tam magni Numinis ſpectatores fierent, reuelare? Hoc vtique congruum erat; quia tamen à facie Dei in altaris ſolio ſedentis, tanta irradiabat claritas, quod eam ferre non poterant, vultus operiebant, alas pro velaminibus vſurpantes. Ità Chryſoſtomus. *Auertunt facies, alaſque vice murorum obijciunt, non ferentes radios inde proficiſcētes.* Additque alibi. *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa frueris, quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem.* Tam magno lumine coruſcat Euchariſtia, quod & aciem Angelorū obtundat, & ab ijs, quibus vultus ſole ſplendidior eſt, intueri non poſſit.

*Iſa. 6. 2.*

*D. Chryſoſt. Hom. 2. in Verſ. Iſa. & Hom. 83. in Matt.*

3 Rabbinus Moſen Gādauenſis ex Paulo Burgenſi ſuper illud Pſalmi, *Panem Angelorum manducauit homo*, manna panem Angelorum dictum affirmat; non quod eo, vt alij æſtimauere Rabbini, Angeli reficerentur, qui cibo corporali non indigent: *Sed quia lumen diuinum, quo coelicolæ reficiuntur, erat incorporatum in manna.* Quod & ſi de manna verificari non poſſit, veriſſimum tamen eſt de Euchariſtia, quam manna præfigurabat. Huic tantū ineſt luminis, tantus ſplendor, & nitor, quod nec ipſimet Angeli liberè poſſint inſpicere.

*Moſen Rabbin. Apud Ioan. Lorin. in Sap.*

4 Hinc ſacræ menſæ participes quoddam hauriunt lumen, quo & ipſi niteant, & irradiant. Tradunt ſacræ litteræ, quod poſtquam in monte Sinæ cum Deo Moyſes commoratus eſt, legemque ferens, deſcendit ad populum, ſic facies illi nitebat, quod nullus

in eam ex populo poſſet inſpicere: quare *Ipſe operiebat faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.* Vnde tantum lumen, tanta claritas, tanta irradiatio faciei Moyſi? Ex menſæ Domini communione, ait Chryſologus: eo enim tempore Deus ſua illum ſubſtantia pauerat. *In noſtri corporis obſcuro toto fulgebat lumine Deitatis, neque intueri eum mortalis viſus poſſet, qui ſubſtantia Dei diu paſtus, tota mortalis cibi oblitus fuit alimenta.* Quid mirum ſi radijs paſtus, irradiaret? lumine ſatur, lumen emitteret? Quia verò nos eundẽ, licet diuerſo modo, in ſacro altari comedimus, quem Moyſes in Sina; congruũ eſt, eadem luce, qua Moyſes, irradiemus. De Maria Egniacenſi, de qua modo egimus, fertur, quod *Quandoque ſumẽte illa Euchariſtiam, facies eius quoſdam in ſe luminis radios vibrare, & diffundere videbatur.*

Exod. 34. 35.

D. Chryſol. ſerm. 166.

Card. Vitr. apud Lippom. 23. Iunij.

5 Notum eſt quidem, arcæ propitiatoriũ ex mandato Domini fabrefactum ex auro. *Facies propitiatorium,* īquit Deus Moyſi, *de auro mundiſſimo:* Dei quoque iuſſu Cherubim, propitiatorio aſtantes, aureos effectos, ſubdit enim: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies.* Quia verò propitiatorium Chriſtum innuebat, iure factum fuit ex auro: *Aurum enim,* ait Iſidorus, *ab aura dictum eſt, ideſt à ſplẽdore:* Chriſtus verò, vt teſtatur Apoſtolus, ſplendor eſt. Sed cur & Cherubim ex auro etiam facti ſunt, cum longè à Deo diuerſæ ſint, inferiorisq; naturæ? Quia propitiatorio, ſeu Chriſto appropinquabant, Chriſti participabant ſplendorem, & claritatem, atque vt Chriſtus fulgebant. Qui prope lumen eſt, luminis claritatem acquirit. *Eſt autem,* inquit Cyrillus, *ex auro propitiatorium, & ipſa quoque Seraphim. Natura quippe præclariſſima, ac pulcherrima Deus eſt: ijs porrò, qui circa ipſum, aut propè ipſum ſunt, ſua naturalis claritatis conſortium impertitur; vt lumen, vim ad obiectum aliquod corpus appulſum, reflectitur, & ſuo ſplendore, quidquid obiectũ eſt, illuminat.* Hinc Sponſa Chriſti Eccleſia, quæ per ſacrũ altaris quotidie ſuo ſponſo propinquat, tanto nitet ſplendore, quod *Amicta ſole* viſa ſit à Ioanne. Tali enim propinquitate *Mulieres radijs maritorum coruſcantur, & honorantur.* ait lex apud Chaſſanęũ.

Exod. 25. 17.

Ibid. 18.

D. Iſid. Etym. lib. 16. c. 17.

Hebr. 1. 3.

D. Cyrill. Alex. de Adorat. lib. 9.

Apoc 12. 1.

Chaſſan. Catal. par. 5. Cõſid. 39.

6 Cùm ait Pſaltes *Et holocauſtum tuum pingue fiat,* de Euchariſtia loquitur, vt Cardinali Iorgio placet. Holocauſtũ ſacrificij genus erat, quod totum incendebatur quaſi totum igneum eſſet. Rectè Euchariſtia holocauſtum dicitur, in qua Chriſtus, vt ad eam

Pſ. 19. 4.

acce-

accedentes accendat, totus
*Car. Iorg. ibid.* ignis eſt,& incendium. *Dicitur holocauſtum*,ait ille, *inquantum accendit ſumentes,ſcilicet dignè, & non indignè: & hæc eſt flamma diuini amoris;* Cum igitur eucharisticum ſacrũ ſit ignis, opus eſt vt illuminet: ignis.n. non ſolũ accẽdere,ſed & illuminare pſpicuũ eſt. Tale ergo participantes eduliũ,irradiãt, ſplendeſcunt,& nitent, quorũ quidẽ nitor,ſplendor,& radiatio, ſic intus emicat, vt interdum transfundatur in carnẽ. Hoc de quibuſdã dignè cõmunicantibus traditur, quos (vt ait idem) Dei ſeruus aſpiciens,
*Iorgius ibid.* Chriſtum proſpiciebat *Per os ingreſſum, qui omne corpus eorũ illuſtrabat.*

7 Nequaquam parui momenti illud eſt ad rem noſtrã, quod Zacharias nil aliud aſſerit eſſe Eccleſię bonum,& pulchrum; quã ſacrã Christi Eu-
*Zach. 9. 17.* chariſtiam. *Quid enim*, inquit, *bonum eius,& quid pulchrum eius,niſi frumẽtum electorum,& vinum germinans virgines?* Scio equidem bonum Eccleſię dici; quia eſt Deus Eccleſiæ, quem ità decet denominatio boni, vt dedeceat alium.
*Matt. 19. 17.* *Vnus eſt bonus,Deus.* ait Chriſtus. Cur autem pulchrum eius dicitur? Quia conuiuas ſuos pulchros, & venuſtos reddit. Quia verò ſecundum Platonicos nil aliud eſt pulchritudo, quàm quidã diuini vultus nitor,& ſplendor: hunc per Euchariſtiam Deus ſic nobis impertit,vt nõ ſolum in anima, ſed & in corpore, vt in reſurrectione videbitur, emiceamus. *Pulchrum* *Paſch. de*
*quippe dicitur*, ait Paſchaſius, *Corp. Do-*
*dum immortalitatis gloria veſtimur, & interiùs fruamur vitæ* *mi. c. 21.*
*dulcedine, & exteriùs fulgeamus nitidius de tanti beneficij gratia*.

8 Per Chriſti ventrem, quẽ ſponſa collaudat his verbis, *Cat. 5. 14.*
*Venter eius eburneus,diſtinctus ſaphiris*, non incongruè ij accipi poſſunt,qui corpus eius ſanctiſſimum deguſtant, & comedunt: in ijs enim Chriſtus,velut cibus in ventrem, reponitur. Eburneum vocat hunc ventrem *Venter eius eburneus;* quia Deus non, niſi in Sanctorum corpora,inſtar eboris,candida,& immaculata recipitur. Guerricus Dauidicũ illud interpretans, *A domib⁹ eburneis,* *Pſ. 44. 9.*
*Corpora*,ait,*eburnea Sanctorum,* *Guerr.*
*Chriſti domus ſunt.* Cæterum *ſer. 1. in*
aduerte hunc ventrem ebur- *Annunt.*
neum, quem Chriſtus ingreditur, Saphiris dici diſtinctum: quia ſummũ ſolem includens, nitet, ſcintillat, igneſcit. *Sa-* *Pined. in*
*phirus piropi inſtar*, inquit Pi- *Iob. cap.*
neda, *ſole illuſtratus, igneſce-* *28. Ver.*
*re,& ſcintillare dicitur.* Splen- *6. num. 2.*
dent vt ſaphiri,qui iuſtitiæ ſolem intus accipiũt. Hunc ſolem Virgo Sanctiſſima abſcõ-

debat in ventre, ideo venter eius diſtinctus erat ſaphiris. Tradunt quāplurimi apud Abulenſem, quod, *Quamdiù Maria tennit Chriſtum in vtero, fulgebat vultus eius quadam glorifica claritate, ità vt Ioſeph non poſſet aſpicere eam.*

*Abul. in c. 1. Matt. in text.*

9 Quod Chriſtus inquit Apoſtolis, *Vos eſtis lux mundi*, difficile videtur intelligi; cùm ij tenues vndequaque fuerint, & ignobiles, humili genere, obſcuris parētibus orti, nulla generatione nobilitati, nulla ratione illuſtres; Sed, quia Chriſto, qui eſt lux mundi, adhæſerunt, iure lux mundi dicuntur. *Quia*, ait Paſchaſius, *luci adhæſerunt, lux eſſe meruerunt.* Quicumque vtique luci appropinquat, etſi obſcurus antea fuerit, opus eſt eniteat. Quod de eo præſertim dicendum, qui per ſacram Communionem Chriſto, non modo adhæret; ſed perinde vnitur, & incorporatur, vt cum eo fiat vnus.

*Matt. 5. 14.*

*Paſch. ibid.*

10 Vt diuinis amplexibus perfrui potuiſſet Spōſa, ſciſcitabatur à ſponſo, vbinam in meridie paſceret, & cubaret. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Si quæris, quid intelligat per meridiem? Sanctam Matrem Eccleſiam, reſpondet Ambroſius; quæ eo ꝙ Chriſtū habeat, tali vocabulo decoratur. *Meridiem, inquit, noſti eſſe Eccleſiam, quæ tenet Chriſtum.* Chriſtum vtique habet Eccleſia in altaris prato cubātem, filioſque paſcentem. Sicut autem meridies pars diei eſt clarior & nitidior, vtpote quæ ſolem habet viciniorem; ſimili modo Eccleſia Sanctam Euchariſtiam habens, obque eam, verum ſolem Chriſtum è propinquo tenens, nitet præ cunctis, ſplēdeſcit, rutilat, meridies eſt.

*Cant. 1. 7.*

*D. Amb. in Pſ. 118 ſer. 2.*

11 Cur non ſplendeſcet homo in Deo, qui verus ignis eſt, poſitus, & locatus? In Deo quidem ſumus per ſacram Communionem. *Qui manducat meā carnem, & bibit meum ſanguinē in me manet.* Refert Moyſes, quod cùm Deus legis tabulas afferens, in montem deſcenderet, igniebant tabulæ. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharau, & cum eo ſanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* Quæris vnde igniebant? Ex radijs diuini vultus, reſpondet Pineda. *Diuinæ faciei radijs, & ſplendore, tabulæ repercuſſæ igniebāt.* Cōtingebat tabulis, quod ſpeculo ſoli obiecto aduenire cōperimus. Arguamus iam. Si ꝙ eſt in manibus Dei, & ſi ſit extrà Deum, tanto nitet lumine, vt igneſcere videatur, quid de eo dicendum, qui per ſacram Cōmunionē poſitus eſt ī Deo?

*Ioan. 6. 57.*

*Deut. 33. 2.*

*Pineda in Iob. cap. 28. ver. 6. nu. 2.*

Ma-

Manet in igne, & non vndique ſpendebit? nitebit? irradiabit?

12 Cõſideremus modò, quæ de Maria Magdalena, ad Chriſtì tumulũ properante, recẽſet Ioannes. *Maria Magdalena venit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergò, & venit ad Simeonem Petrum, & ad alium Diſcipulũ, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumẽto.* Mira res? Tenebræ erant, & vidit? Si tenebræ, quo pacto videre poterat? & quod maiꝰ eſt, in ſepulchrum inſpicere, quæque intus erant, oculis permeare? Et ſi ſuper terram nox eſſet, & tenebræ; dies tamen erat in ſepulchro, maximo enim lumine replebatur. En Gregorium Nyſſenũ. *Plenum luminis erat ſepulchrum, vt etiam ſi nox adhuc eſſet; dupliciter tamen; cùm ſenſibiliter, tùm ſpiritualiter viderent ea, quæ intus erant.* Nec enim fieri poterat, non ſplendere ſepulchrũ, quod ſolem acceperat, à quo omnia ſplendẽt. Puto te me in his, quæ dicturus ſum, præueniſſe. Scis equidem, Chriſtum in nobis communicantibus ſepeliri. *Extollitur,* ait Damaſcenus; *in manibus Sacerdotum, tãquam in Cruce, & diſtribuitur confractum; atque ità in nobis ſepelitur, & nos ſimul incorruptos reddit.* Cùm itaq; ſimus Chriſti ſepulcrũ, de quo Chriſtus, ſi digne recipitur, nunquam reſurget, nunquam recedet, diuino lumine repleti, cæleſti claritatè affecti, nitere operæ pretium eſt.

*Ioan. 2. 1.*

*D. Greg. Nyſſ. Or. 2. de Reſur. Chriſti.*

*D. Damaſc. epiſt. ad Zach. cap. 2.*

13 Peto, quid aliud comedis, myſticæ menſæ accumbens, quàm fulgidiſſimum, & pretioſiſſimum aurum? Chriſtum comedis, quem à capite ad pedes vſque, aureum ſponſa deſcribit. *Caput eius aurum optimum manus illius tornatiles aureæ. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatę ſunt ſuper baſes aureas:* Dei templũ eſt Chriſtus, quem Salomonis templũ præfigurauit, in quo nil quidpiam erat, quod non ſplendeſceret auro. Quid ni accidet cõmunicãti, quod in templo illo degenti? In Chriſtum tamquã in templo Dei permanſurus, intras communicans, *Qui mãducat meam carnem, in me manet.* Quemadmodũ igitur aurum, quo templum tegebatur intrinſecus, ſplendidos reddebat intrantium vultus, *Ita vt vultus igredientium,* ait Comeſtor, *faceret auri lumine ſplendeſcere:* ità, qui Chriſtum mãducat, & bibit, ſplendeſcat oportet.

*Cant. 5. 11. 14. et 15.*

*Ioan. 6. 57.*

*Petrus Comeſt. Hiſt. ſcholaſt. in 3. Reg. cap. 10.*

14 Calculus, quem Vates vidit Euangelicus ſacro ex altari ſumptus, vt eius abſtergeretur impuritas; Euchariſtiã pſi-

*Iſa. 6. 6.*

ſignabat vt dixi. Hoc aũt quia tantocies probatum eſt, nouo non indiget argumento. Verũ ne vulgarem æſtimes calculum, ſed pretioſum, & gemmeum; pro calculo, *Carbunculum* tranſtulere Septuaginta. Prætioſiſſimo ſanè carbunculo locupleċtatur anima, dum in menſa Eccleſiæ Sanctum accipit panem, ſuiſq; recõdit pręcordijs. Quid ni fulgeat, eniteat, ſplendeat, tanto diues carbunculo? Naſci refertur carbunculus in fronte cuiuſdã animalis, qui propter eum ardentis inſtar facis ex ſe lumen emittat.

*Alcaſar. in Apoc. 21. Ver. 20. Not. 10.*

## THEOREMA VII.

### Non timebo mala.

*Euchariſtica dulcitudine dulceſcunt huius vitæ labores.*

QVi vitę huius labores rectè cogitauerit, non iudicabit incõgruũ, illã per mortis vmbram ſignificari: potius enim in ea mori experimur, quàm viuere. Sed huius, ſiue mortis, ſiue vitæ, labores, Propheta ſe, ait, non pertimeſcere. Iure quidem; Deus enim ſecum eſt, vt fatetur. Qui Deum habet, eumq; per Communionem frequentat accipere, tãta dulcedine afficitur, ſuauitate repletur, vt labores non modo nõ timeat, ſed nec labores exiſtimet.

1 A Moyſis benedictione ſumendum exordium. Is mox moriturus, Zabulõ benedicẽs, diuinum, & immaculatum præuidit ſacrificium, dum, *Populos*, ait, *vocabunt ad montes, ibi immolabũt victimas iuſtitiæ, qui inundationes maris quaſi lac ſugent*. Ideſt. Ij, quibus à Deo dabitur, non taurorum, hircorum, aut vitulorum ſacrificia offerre, ſed ſanctiſſimum, ſed diuiniſſimum corpus Vnigeniti filij ſui, p quod iuſtitiæ Dei ſatisfaciẽdum eſt, inſtar lactis maris ſugẽt humores. Poſtrema conſidera: quandam enim non contemnendam proferũt difficultatem. Cum certum ſit mare amariſſimum, lac dulciſſimum eſſe, cur inquit, *Inundationes maris quaſi lac ſugent*; cũ ex amaro amarum, non dulce ſugatur? Si quaſi fel ſugẽt dixiſſet, aptiùs videretur locut⁹. Quia verò loquebatur de ijs, quibus cœleſtis panis menſa proponitur, obquam, vt ait Gloſſa, *Lac dulce ſugitur ex amaro mari*, aptiùs loqui non poterat. Tanta ſuauitate, tanto dulcore afficitur menſæ Chriſti cõuiua, vt vitæ huius amara, dulcia cẽſeat; labores pro delicijs habeat, fel pro lacte deguſtet. *Inundationes maris quaſi lac ſugent.*

*Deut. 33. 19.*

*Gloſſ. Interl. ibid.*

Sed

2 Sed audi Pſalmiſtã, qui dũ pauperes ad manducandum invitat, *Edent pauperes, & ſaturabuntur,* adnectit: *Et laudabunt Dominum.* Vbi ad S. Euchariſtiã inuitare nè dubites. *Edãt pauperes,* inquit Lyranus, *ſcilicet Euchariſtiæ Sacramentum.* Quod verò *Et laudabunt Dominum,* adijcit, *Oſtendit,* ait Hugo, *quod panis iſte eſt iucundus, ideſt generat iucunditatem.* Ex magna enim ſuauitate, quam in cœleſti experientur edulio, delectabuntur, lætificabuntur, iucundabuntur, adque pſallẽdum, ac canendum Deo ſuo, impellentur. Sed cum hic cibus, vt idem aſſerit, *Non vadit in ventrem, ſed in mentẽ,* potius pauperes, præ corporis egeſtate, ventriſq; inedia; plorare, quam cantare deberent: Vnde eſt, quod eos Vates inuitat ad cantum, cum magis, inuitare debuiſſet ad planctum? Quia, inquit Guerricus, *Sic ditabit, ſic lætificabit ſobria ebrietas huius præclari calicis; vt, & ſi pauper ſis, paupertas animum nõ urat.* Tam magna afficiendus es voluptate Chriſti panem comedens, calicemq; bibens; quod quamuis pauper exiſtas, proque panis defectu ieiunes; nõ modo paupertatis, & inediæ ſtimulos non curabis; ſed velut diues, & ſatur, exultabis, iubilabis, laudabis Dominum.

*Pſal.* 21. 27. *Lyran. ibid.* *Hugo Card. ibid.* *Idem ibid.* *Guerr. ſer. 2. in Pentec.*

Tradũt de cygno, quod, quia, dũ moritur, ſanguis (præ aliorum ſãguine dulciſſimus, ſuauiſſimuſq;) ad cor confugit, tanta ſuauitate afficitur, vt mortem, eiuſq; dolores, paruipendens, gaudeat, exultet, & cantet. Idem Sanctis, vbi cor eorum dulciſſimo Chriſti ſanguine impletur, accidit: tanta namq; replentur dulcedine, vt in laboribus, & doloribus, nõ ſecus ac in delicijs, & voluptatibus, miro quodã ſpectaculo gaudeant, iubilent exiliant.

3 Accipe Sapientis ſententiam. *Anima ſaturata calcabit fauum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Quia, tum animam ſaturatã, & animam eſurientem proponit, videtur contradictionem inuoluere: nam ſi ſatur, quare eſurit, & ſi eſurit, quare ſatur? Verum enimverò, quia de anima pane corporis, & vino sãguinis Chriſti ſaturata loquitur, aptiùs loqui non potuit. Eſurit Chriſti ſatur. *Qui edunt me, adhuc eſuriẽt, & qui bibunt me, adhuc ſitient:* ait ipſe. Cui Bernardinus. *Quo modo amantes te ſic reficis, vt magis eſuriẽt? Niſi quia tu cibus es ſimul, & eſuries? Ideo, qui te deguſtauerit, te prorſus eſurire neſcit: adhoc enim cibas, vt eſurire facias:* Hæc autem anima ſaturata, & eſuriens, non ſolum voluptatũ mun-

*Prou.* 27. 7. *Eccl.* 24. 29. *D. Bernardin. to. 2. ſer. 46. ar. 2. cap. 5.*

*D. Tho. opuſ. 58.* mundi calcabit fauum; *Quia*, vt ait D. Thomas, *corpus Chriſti ſatiat ad faſtidium mundi fauendum:* verum & *Amarum pro dulci ſumet.* Tali nimirum incũdabitur delectatione, afficietur dulcedine, quod amara cenſebit dulcia, labores voluptates, ærumnas delicias. *Amarum pro dulci ſumet.*

4 Noſtræ modo trutinæ appendenda, ac examinãda sũt, quæ Balaam dixiſſe fertur, dũ Dei plebem aſpiceret. Vbi numerorum tertio, & vigeſimo, transfert vulgatus Interpres. *Num. 23. 21.* *Nõ eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael:* ſic *Transl.* quam plurimi legunt. *Non videre fecit fatigationem in Iacob & non vidit laborem in Iſrael.* Examinanda ſunt inquã; quare ait homines, hanc vitã incolentes, non ſenſiſſe labores, fatigationem ignoraſſe; cum nemo non laboret dum viuit, ærumnas non ſentiat, iugibus non agitetur incõmodis? Cur ait Iſraelitas, dum vitæ ſupereſſent, minime laborãtes, fatigantesque vidiſſe? Sed audi quid mox textus annectat. *Dominus Deus eius eſt ſecũ.* Vbi Dominus nobiſcũ eſt, tametſi mũdi huius premamur ærũnis, malis affligamur, exagitemur laboribus, perinde reficimur, ac conſolamur, vt veluti non laboremus, non ſentiam' labores. *Quaſi reddat rationem,* *Oleaſt. Ibid.* *Quare in eis non eſſet labor, quia ſcilicet Deum ſuum præſentem, & amicum habebant.* Scribit Oleaſter: Dum Deum digne communicans, tecum ipſe habeas, laborantem viderim, laborantem minimè dixerim; tot enim conſolationibus refectum autumo, tot ditatum delitijs, voluptatibus affluẽtem, vt labores non cenſeas labores.

5 Quandoquidem inceſtũ Iouem, impudicam Venerem, parricidam Saturnum, noluit inuictiſſimus Tiburtius adorare; iuſſit Fabianus, inferorum miniſter, ante pedes eius carbones ignitos effundi, vt nudis ſuper illos pedibus ambularet. Cui conſtantiſſimus, dũ omnis expers doloris incederet, *Mihi quidem*, inquit, *in nomine Dei mei Ieſu Chriſti, videtur quod ſuper flores roſeos gradiar.* *Surius. 20. Ian.* Expende, quod non, ſuper lilia, ſuper papauera, ſuper violas, vel ſuper flores alios gradiar; ſed ſuper roſas inquit. Quare ſuper roſas? Quoniam roſis quidam rubor ineſt, ſiue mauis tinctura quędam, ſanguinis Ieſu Chriſti. *Rubet roſa Chriſti ſanguine reſpenſa*, ait Paſchaſius. *Paſch. in Pſal. 44.* Satis intelligebat Tiburtius, candentes prunas virtute ſanguinis Chriſti refrigerium ſibi præſtare (cuius ſacrum poculum priuſquam Martyres certamẽ

adi-

adirent, haurire aſſolebant.) prunas vocauit roſas, Chriſti ſanguinis, qui amara reddit dulcia, aſpera lenia, ignita refrigerantia, particeps; prunas pro roſis habet. *Videtur quod ſuper flores roſarum gradior.* Sanè tantæ virtutis eſt, vt vſtionem trãsferat in refrigerium, labores in conſolationes, tormẽta in voluptates; cuius gratia Martyres, & tyrannorum paruipendebant iuſſa, & tormentorum vim minimè formidabant.

6 Optimè id ex hiſtoria Doctoris Seraphici confirmatur. Tradit enim religioſum conuerſum ex ciborum aſperitate, aliiſq; Ordinis acerbitatibus, impatiẽtia captum, ante Crucifixi imaginem procidiſſe, mala ſua, anguſtias, doloreſq; ciborum inſipiditatem, præſertim, multis lacrymis repleuiſſe. Cum ſtatim è latere imaginis ſanguis manare cœpit, voxque Saluatoris intonuit: *Quãdocumque ſentiret aliquam aſperitatem in cibo, vel in potu, vt intingeret ſalſamẽto ſanguinis Chriſti.* Ac ſi pariter adnecteret. Nam tanta ſuauitate, & iucunditate perfunditur hic ſanguis, vt inſipida ſapida reddat, amara dulcia, dolores in conſolationes commutet; tormenta in ſolatia; prunas in roſas; vt Tiburtius experimẽto percepit.

D. Bona. de Perf. vitæ cap. 6.

7 Hieronymus Almonacirius, ſuper illud Canticorum, *Mandragoræ dederunt odorem ſuum*, per mandragoras Euchariſtiam accipit. Meritò quidẽ: credimus enim ibi Chriſtum adeſſe, in quo Deus, & homo inſolubiliter amplectũtur, & vniuntur; quod innuere vidẽtur mandragoræ radices; quas in ſimilitudinem pueri, puellæq; mutuo ſe ſe amplexantes, natura fabrẽfecit. Huius mandragoræ fructus Euchariſtia eſt, quam tãto ardore cõcupiuit Rachel, & Sponſa pariter inter cæteras agri delicias ſolam recenſet. Vt autem rei noſtræ nõ ſimus immemores; tradunt Phyſici huic fructui tantam vim ſoporiferam inditam eſſe, vt ipſius homines ſuccum haurientes, non ſopiti modò, ſed mortui videãtur; quippe qui ſuorum ſectionem membrorum, vſtionemq; non ſentiunt. Legimus apud Iulium Frontinum, Afros vini accidos, mandragora, mero permiſta, potatos, cadauerũ inſtar iacuiſſe; & ab Annibale nullo ſuorum periculo trucidatos. Mirum ergo non ſit, innumerabiles Virginum, puerorum, virorum, ſenumque cuneos, inter cruces, ignes, vngulas, equuleos, ac ſexcẽta alia ſupplicia, ita obdormiſſe, vt nihil tanquã ſecãte, lacerante, pungente, ac modis omnibus

Cant. 7. 13.

*Iulius Frontin⁹.*

cruciante, nullum ſenſum habuerint; ſed potius, quaſi extra omnem doloris aleam, conſtituti, torquentibus ſuperiores, alacres inſultarent. Sacræ huius mandragoræ ſuccũ hauſerant, cuius gratia dulceſcunt, non amareſcunt amara; labores non labores exiſtimãtur; quæque dolorem inferũt, ac ſi non inferrent, flocci penduntur.

8 Sacram Euchariſtiã cœnam dici vulgatiſſimum eſt in
*Apoc. 19. 9.* Scripturis. *Beati qui ad cœnam agni vocati ſunt*, legimus in Apocalypſi. *Conuenientibus in*
*1. Corint. 11. 20.* *vnum iam non eſt dominicã cœnam manducare.* Scribit Apoſtolus. Demum canit Eccleſia *Ad cœnam agni prouidi.* &c. Quare corpus Chriſti nõ prãdiũ, ſed cœna vocatur? Quia
*Plut. in Probl. Sympoſ. Decad. 8. Probl. 6.* cœna Græco vocabulo dicta eſt, *Quod à laboribus ſuperſedere faciat.* ait Plutarcus: Prandium verò è contra ad labores homines mittit. *Propriè veteres*, inquit Iſidorus, *prandium*
*D. Iſid. Etym. lib. 20. cap. 1.* *vocabant omnem militum cibũ ante pugnam: vnde eſt illud Ducis alloquium: Prandeamus tamquam ad inferos cœnaturi.* Cœna eſt Euchariſtia, non prandiũ. Tantũ. n. abeſt, vt ad labores mittat, quod ſupſedere faciat à laborib⁹. Tantam planè vim cõfert ad ferẽdos labores, vt non labores, ſed pax, quies & ſomnus exiſtimentur. Laborat vtique anima Chriſti pane refecta, ſed quaſi non laboraret; tribulatur, ſed quaſi non tribularetur; triſtatur, ſed quaſi non triſtaretur. Tanto dulcore afficit comedentes, vt in mare immẽſum totius dulcedinis cenſeatur immerſi: quod ſi tũc temporis ſtillaret ſuper eos tribulatio, tribulationis ſtilla verteretur in dulcorem, inſtar guttæ fellis, cadentis in mare nectaris.

9 Vt Eliſæus pulmenti amaritiem, qua inſtar mortis, Prophetarum ollam, infecerat colocynthida, corrigeret: referunt Sacræ hiſtoriȩ, commiſuiſſe farinam *Afferte*, inquit, *fa-* *4. Reg. 4. 41.*
*rinam; cumque tuliſſet, miſit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* Quod farina dulcoret amara, non deſunt, qui naturali quadam ꝓprietate fieri autumẽt.
Ita Lemnius de occultis naturæ miraculis, ac in ſacra Philoſophia Valleſius. Sentiendũ autem cum Lyrano, & Abulẽſe, hoc non à natura, ſed prȩter naturam à Deo factum; vt myſtici ſympoſij dulcitudo innueretur. *Lemnius Medicus Valleſius. Lyranus Abulenſis.*
Quid aliud, quàm farina, ſacra eſt Euchariſtia? Panis eſt: Et ex farina conficitur panis. Rurſus ex farre dicitur farina, quaſi frangatur. Sacrum autem panẽ, non modo nos, vt ait Apoſtolus, frangi.

gimus, ſed ipſemet Chriſtus tantis, talibuſque doloribus, laboribus, ærumniſq; ſe fregit in mola Crucis. Sacræ huic farinæ magna dulcorandi vis ineſt, vel mortem ipſam, qua nihil amarius. Per hãc Stephano torrentis dulcorati ſunt lapides. Per hanc, & Laurentius craticulã deguſtauit. Per hãc, morti adiudicati, gaudẽtes abibant Apoſtoli. Vnde Auguſtinus. *Tu es dulcedo inæſtimabilis per quam cuncta amara dulcorãtur: tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit: tua dulcedo Beato Laurentio craticulam dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij.*

D. Aug. in Soliloq. cap. 22.

10 Poſſet vtique hoſtia, noſtri panis inſtar, pluſquam aſſuetum eſt coqui, ruboremq; adipiſci, vt Deum nobis noſtra carne indutum oſtenderet. Sic tamen parum adhibetur igni, vt non inuenuſtum præferat candorem, nullo rubore turbatum. Quid hæc innuit albedo? Chriſtum paſſum & mortuum: cum enim pateretur, omnis ab eo ſanguis effluxit, albuſque remanſit. Inde eum ſponſa candidum figurauit, *Dilectus meus candidus*. Et D. Vincentius. *Corpus Chriſti in paſſione erat album ex ſanguinis effuſione, ideo hoſtia eleuatur alba*. Sic Chriſti amariſſimam paſſionem, & mortem, Euchariſtia repręſẽtat, vt huic vel ipſe color incumbat. Dices autem. Cur tam dulce eduliũ hac amaritudine condiendũ? Vt laborum noſtrorum amaritudines tali antidoto miteſcerent, imò dulceſcerent. *Ipſius quippe tentatio*, ſcribit Iuſtinianus, *noſtrarum ſingulare leuamẽ eſt: dulceſcunt noſtræ, cùm conſiderantur illius. Fecit autem antidotũ ſpirituale ſputo, aceto, felle, ſanguine, flagellis, irriſione, opprobrijſque compoſitum, quo vulnera, dolores, tẽtationes, cruciatuſque lenirentur noſtri, & fierent tolerabiles Saluatoris exemplo.*

Cant. 5. 10.

D. Vinc. ſerm. 2. Feſt. Corp Chr.

B. Laur. Iuſtin. de Caſt. Connub. ca. 6.

11 Deum protectorem, defenſorem, propugnatorem ſuũ deſcribẽs Pſalmographus, *Paraſti*, ait, *in conſpectu meo menſam*. Mira quidem protectio: menſa, ceu turre quadam, aut muro, ſuos Deus defendit, vt affligi non poſſint. Quanam autem menſa? Euchariſtia inquam, quã ſolus Deus parat; cum alias, vel neceſſitas, vel gulæ inſtruat appetitus. Hæc ſacro deſcendentes in campo confortat, reficit, ſolatur: vt labores in conſolationes commutentur. En D. Chryſoſtomum. *Qui tribulationes carnis habent veniunt ad menſam potẽtis, conſiderantes ea, quæ apponũtur eis, accipere cũ timore, & tremore; & tribulationes efficiuntur conſolationes.*

Pſal. 22. 6.

D. Chryſoſt. ibid.

12 Peruulgabatur inter Apoſtolos, Ioannem, Deo Dilectũ minimè moriturum: *Exiuit ſermo inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur.* Idque ex eo credebatur, quod Chriſtus dixerat Petro. *Sic eum volo manere donec veniam.* Falſus tamẽ excrebuerat rumor, nam *Non dixit ei Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniã.* Moriturus vtiq; erat; ſed poſt quam Chriſtus adeum, vt in cœlum exciperet, è cælo deorſum accederet. Saluo tamen meliori iudicio, auſerim aſſerere, nequaquam occubuiſſe Ioannem: nam mori cẽſendus non eſt, qui Chriſto præſente moritur. Dolet certè qui moritur, laborat, angitur. Qui Chriſtum habet, lętatur, iubilat, oblectatur, geſtit. Mors itaque Chriſto præſente tantum abeſt vt lãguoris aliquid, dolorisq; habeat; vt omni dulcore potiùs, ſaporeque expleatur. Cũ Chriſtus Ioanni, dum ex hac vita diſceſſit, adfuiſſet, censẽdum eſt conſolationibus ceſiſſe mortis dolores. *Chriſtus,* habet Ferrarienſis, *deſcendit ad Ioannem: nã apparuit ei per aliquod dies antequam moreretur, vnde delicate ex hac vita diſceſſit. Inter delicias enim computatur quod Chriſtus diſcipulo morituro viſibiliter appareat.* Quam verum, quam certum eſt, cui Chriſtus è cælo, licet ſub ſenſibilibus panis, in terram deſcendit, præſtoque eſt, mala in conſolationes conuerti, labores in delitias, in voluptates dolores.

*Ioan. 21. 23.*

*Ibid.*

*Barthol. Ferrar. de Chriſto ab ſcond. lib. 4.*

13 Cõſule demum Seraphicum ad Sanctimonialem Virginem, pro cuius profectu librũ de meditatione vitę Chriſti compoſuit, hæc ſcribentem. *Si legas de B. Franciſco, & de Virgine Duciſſa tua poteris inuenire, quomodo in multis tribulationibus, penurijs, & infirmitatibus, non ſolum patientes, ſed & alacres exiſtebant.* Cuius afferẽs rationem, ſubiungit. *Hoc ideo, quia ipſorum animæ, non erant in eorum corporibus, ſed in Chriſto.* Cum dicit, Quia erant in Chriſto, Euchariſtiam innuit. Quod clariùs diceret. Propterea labores non labores exiſtimabant, gaudebant cum tribularentur, velut ſi non tribularentur, velut ſi delicijs, & voluptatibus indulgerẽt: quoniam corporis, & ſanguinis Domini delitijs affluebant. Tunc ſanè ſumus in Chriſto, cùm Chriſti myſteria participauimus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ in me manet.* Sic Chriſti panis comedentes oblectat, ſanguis bibentes exhilerat, vt labores, dolores mundi, aut pro nihilo ducant, aut delicias cenſeant.

*D. Bonau. in Prol. Med. vit. Chriſti.*

*Ioan. 6. 57.*

THEO-

## THEOREMA VIII.

Non timebo mala.

*Nullum timeat malum, nullum non ſperet bonum, Euchariſtiæ particeps.*

QVia Chriſti pane refectus, Deum ſecũ habet, nullum pauere malum debet. Sic gloriatur Pſaltes: *Non timebo mala, quoniam tu mecũ es.* Cum eo, quem adeò omne bonum ſubſequitur, vt fugiat omne malũ; quid mali timendum, quid boni nõ ſperandum? Perinde enim Deum ſubſequitur bonũ, malũq; aufugit: vt niſi cùm eo inuenire bonum, malumq; declinare non liceat.

1 Expendam primò quod de diræ tempore cædis, ſui ob Regis exceſſus Iſraelitis inflictæ, ſacræ paginæ habent. *Immiſit Dominus peſtilentiã in Iſrael de mane vſq; ad tẽpus conſtitutum.* Quæramque, quidnam fuerit tempus cõſtitutũ? Plurimi plura dicũt, ſua quiſque gloſſa contentus. Lyra vero, quem allegat Abulenſis, ait id inter matutinum, & veſpertinum ſacrificium fuiſſe. *Durauit hæc peſtis a mane vſque ad horam ſacrificij veſpertini. Incipiebant enim iſtud ſacrificium à ſolis occaſu, & durabat vſque ad auroram.* Dum igitur noctu, à veſpere videlicet ad auroram, ſacrificabatur, abſcondebatur interfectoris gladius, viuere licebat Iſraelitis, percuti non poterant. Quod nihil quippiam aliud præſignabat, quam quod dum noſtri altaris ſacrificium fiet, nullum nobis timendum malum, nullus labor, nulla pertimeſcenda calamitas. Equidem fugit inde mors, vbi vita libatur; fugit cædes, vbi Dei filius pro hominibus cęditur, fugit demum omne malum, quo omne Dei bonum ſummo deſcendit è cælo.

2.Reg.20. 15.

Lyr. apud Abul. quæſt. 30. ibid.

2 Super illud Regum. *Timuit Saul David eo quod Dominus eſſet cum eo, & a ſe receſſiſſet:* haud iniurioſe quęrit Abulenſis. *Quomodo ſciebat Saul quod Deus receſſerat ab eo?* Hoc eſt dum Deus, vtpotè corporeę penitus expers ſubſtantię, cum ſiue accedat, ſiue etiam recedat, videri minimè poſſit: quonam pacto Saul eum à ſe vidit abſceſſiſſe? Demum reſpondet. *Sciebat hoc, quia tunc euenerat ei timor terribilis, qualis numquam ei euenerat: prius enim in omnibus periculis erat cõfidens; ita vt nulla aduerſa formidaret, nunc autẽ erat timidus.* Quod carnis obtutibus videre minime poterat, mentis vidit intuitu. Callebat quidẽ, expe-

1. Reg. 18. 12.

Abulenſ. in cap. 28. 1. Reg.

experimento didicerat, nullũ timere malum, nullũ hoſtem, nullum diſcrimen, cui præſens Deus eſt. Dum ſe vero formidoloſum agnouit, Regemque timere militem; iurè Deum à ſe arguit receſſiſſe. Quodnam ergo malũ quoduè diſcrimen ſacro paſtus edulio poterit ꝑtimeſcere, cum per eum, vt ipſemet Deus, inquit, ſit in Deo, Deuſque in eo?

3 Eodem, quo ſolet, nectare, Bernardus de aſello pertractans, qui Ieruſalem verſus Chriſtum Dominum tulit, neminem eſſe cenſet, qui ei non inuideret, ſi boni, quod tergo vehebat, excellentiam intellexiſſet. *Quis enim non illi immẽto plurimum non inuideret, cuius in humili tergo ad commendationem ſuæ ineffabilis manſuetudinis dignatus eſt ſedere Saluator; ſi cum illius tam pretioſi oneris geſtatione intelligentiam quoque tã ſingularis habuißet oneris?* A quo, ſi cur inuidendus eſſet, petieris; viciſſim à te, cur non inuidendus eſſet, ſciſcitabitur. *Vnde ei aſello*, ſubiungit, *verendum vllatenus videbatur, nè ſub illa tali ſarcina deficere poſſit in via? An verò timendus ei aut luporum incurſus, aut raptorum occurſus? vel precipitiũ aliquod ſub tanto præſide metuendum?* Ac ſi dicat. Quodnam detrimentum, malum, incommodum, metuere poterat, cum illũ veheret, à quo omnia fugiũt detrimẽta, mala, & incommoda? Fortè poterat in via deficere, dum ei is inſideret; qui lapſos confortat, laborantes reficit, imbecilles corroborat? An metuere lupos, cum ſecum eſſe ille, cui ludibrio ſunt lupi, quiq; ad eos debellandos, mittit oues inermes? An deniq; precipitium formidare; cum veheret illum, qui, nè offendant ad lapidem pedem ſuum, manum ſuam impulſis ſupponit? Nullum malum metuendum aſello, qui ſeruat ab omni malo, ferenti. Quia verò nos Dominum Ieſum ex altari ſumẽtes, in ſella cordis noſtri, inſtar aſelli eius circumferimus, *Sic efficimur Chriſtiferi*, ait Cyrillus, *hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus eius, & ſanguinem in noſtra mẽſa recipimus*; vnde canit Eccleſia: *Nos ſumus aſellus*: nullũ nobis metuendum eſt malum, nulla in via cœli defectio, nullus Diaboli occurſus, nullum ad inferos precipitium.

D. Bern. ſer. 7. in Pſal. Qui habitat.

D. Cyrill. Hieroſol. Catech. Myſtag. 4.

4 Vbi Matthæus piẽtiſſimi Ieſu mirum de tam magnę plebis refectione recenſuit, hæc ſubſcribit: *Statim compulit Ieſus Diſcipulos ſuos deſcendere in nauiculam, & præcedere eũ trãsfretum, donec dimitteret turbas.* Hieronymus, hunc locum argutè admodum explicans, ait: *Hoc ſermone oſtenditur inuitos*

Matt. 14. 22.

D. Hiero. ibid.

eos

*eos à Domino receſſiſſe*. Ac ſi diceret. Verbo *Compulit* clarè ſignificatur, violentia quadam ac poteſtate Diſcipulos ſuos Dominũ dimiſiſſe; eoſque ab eo inuitè, dolenterque abijſſe. Ratio, qua receſſerunt inuiti, haud magna indiget inquiſitione. Dum vnà cum Domino eſſent, quia tranquillè agebant, nulla perturbatione agitabantur, nullo trepidabãt timore: abſente autem Domino, cuicunque malo videbantur obnoxij. Rem mox exitus declarauit: nam dum ab eo maria ſulcantes abirent, vehemẽs continuò mota eſt tempeſtas, furens turbo, horrens procella, ità, vt qua vehebantur nauicula, fluctib⁹ iactaretur, penè abſorberetur ab aquis, ſubmergeretur; niſi adfuiſſet Ieſus verbo ſuo cuncta tranquillans. Itaque ait Hieronymus.

Idē ibid. *Rectè quaſi inuiti, & retractãtes Apoſtoli à Domino receſſerant, nè illo abſente naufragia ſuſtinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, ſtatim ventus contrarius oritur, & turbat mare; & periclitantur Apoſtoli: & tamdiu imminens naufragium perſeuerat, quamdiu Ieſus veniat.* Simile quid de fratre ſuo Satyro refert Ambro-

D. Amb. lib. de Obitu Satyri. ſius; qui dum periclitaretur in mari, ac penè demergeretur, *Diuinum Sacramẽtum popoſcit, ac ligari fecit in orario, & orarium innoluit collo, atque ita ſe deiecit in mare, primuſque ſeruatus ex vndis.* Satyrus ſine Chriſto periclitabatur in naui, cum Chriſto ſaluus fuit in mari. Abſente Chriſto cuncta pertimeſcenda ſunt mala, nullum eo præſente. Felices, qui ſecum Deum habet, dignè ex altari deſumptum.

5 Velut cũ canibus, & leonibus, lepores, belligerare viſi ſunt Hebræi, certamen cum alienigenis ineuntes. Mox enim, ac vtrinq; vox tubæ martialis intonuit, *Fugerunt*, ait 1. Reg. textus, *viri Iſrael ante faciem* 31. 1. *Philiſtijm*. Res hæc ſanè magni eſt momenti. Qui olim tãto cordis robore, tanta animi fortitudine, excellere viſi ſunt; vt vnus fugaret mille, decemque millia duo; cunctiſque eſſent timori; cur nunc perinde abiecto, & imbecilli ſunt animo, vt alios pertimeſcant, & fugiant? Vndenam hoc? *Quia* Abulenſ. *Deus dereliquerat eos*, ait Abu- ibid. lenſis, *& incuſſerat illis timorem nè poſſint reſiſtere hoſtibus*. Quoniam Patres eorum ſanctimoniæ titulo Deum præſentem habebant, timebantur ab omnibus. Iſti ſcelerum vitio, longè à Deo, bellantes, abiecto ſunt animo, vili corde, omnium pertimeſcẽtes incurſus; fugiunt, ac fugantur. Qui Deum habet, nihil eſt, quod timeat: qui ſine Deo eſt, omne

ma-

malum formidat. Hinc militibus, priuſquam cum hoſtibus congrediantur, ſacra Synaxis porrigitur. Otto, Germanorum Rex, cõtra Pannonios dimicaturus, ſacra Communione cum ſuis armatus, victoriã reportauit. Calatus, Præfectus Michaelis Imperatoris, Meſſanæ in Saracenos irrumpens, magnum eorum numerũ trucidauit, ſuperſtites in fugã conuertit: quia primo mane, Miſſæ ſacrificium offerri, ac religioſè admodum Euchariſtiæ clypeo cunctos muniri iuſſit. Angli, præliaturi cum Gallis, ad cõfeſſionem, & communionem recurrũt, & victores euadunt. Dies mihi deficeret, ſi cuncta referre vellem. Certũ eſt, præſente Chriſto homines confirmari, viribus augeri, validiores, animoſioreſq; reddi; vt nullũ ſit, quod terreat, malum; nullus, cui ſe ſe fidenter non obijciant, occurſus. Quod timebit malum, ſecum habens illud, qui liberat nos à malo?

6 Non ſolũ ob Chriſti præſentiam nullum formidãdum eſt malum, ſed & omne ſperãdum eſt bonum: Dignè enim communicantes, pignus æternæ gloriæ, in qua omne bonum eſt, ſuſcipimus. D. Vincentius illud Baruc exponẽs: *Scias vbi ſit longitudo vitæ, & victus; vbi ſit lumen oculorum, & pax;* per victum, ſpẽ intelligit, quod in victu ſit omnis ſpes noſtra. Quęq̃dem ratio primo aſpectu nimis abſurda videtur. Nã, ſi tota ſpes noſtra ſita eſſet in victu, nec per latum vnguem diſtingueremur à brutis. Bruta, quibus præter hanc vitam, alia non cõtingit; aliam, quàm in victu, ſpem non habent. Nobis, qui vitam ſperamus æternam, nefas eſt in victu ſpem noſtram habere: ſed in alia, re per quam vitam conſequamur æternam. Quia verò S. Doctor de victu euchariſtico loquitur, doctius loqui nõ potuit. Hæc eius ſunt verba: *Spes oſtenditur, cum dicitur, Diſce vbi ſit victus: quia tota ſpes Chriſtiana conſiſtit in victu; quia victus Sacræ Euchariſtiæ eſt radix ſpei noſtræ.* Nihil eſt in mũdo præter Euchariſtiam per ꝙ cœlorum regnum ſperare poſſumus. Euchariſtia tota ſpes noſtra eſt: ipſa tantum fidendum, ſine qua exploratum eſt, neminem ſaluari poſſe. *Victus Sacræ Euchariſtiæ eſt radix ſpei noſtræ.*

*Baruc. 3. 14.*

*D. Vinc. ſer. 2. de Epiph.*

7 Ait quidẽ Ioannes, Deũ ijs, qui eum receperant, filios Dei fieri, poteſtatem dediſſe, *Quotquot autem receperunt eũ, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri;* quo autem pacto, vt Dei filij fiant, Deum recipere debeant, prætermiſit. Sed pulchrè explicitur ab Hugone. *Quotquot autem*, inquit, *receperunt eum, dedit*

*Ioan. 1. 12.*

*Hug. Car. ibid.*

*dedit eis poteſtatem filios Dei fie-ri, dignè in Sacramento.* Dignè igitur communicantes Dei filij fiunt. Hinc Chriſtus à Clemente Alexandrino *Mamilla Patris* eſt dictus, quod nos De^o per eum, velut mater, in altari parturiat, ſuoque lacte depaſcat. Ergo ſi per Euchariſtiã filij Dei ſumus, per eam etiam ſumus & hæredes. *Si filij, & hæredes*, ait Apoſtolus. Hæredes, inquam, regni cœlorum. Vides, quod per Euchariſtiã ſuper cœleſtis gloriæ certam ſpem habeamus?

*Clem. Alex. Pedag. lib. 1 cap. 6.*

*Rom. 8. 27.*

8 Quod Chriſtus à Deo Patre, nos ſolum panem doceat expetere: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* magna nõ vocat difficultate. Sanè nos in hoc mundo multis neceſſitatibus premimur, veſtib^9, domibus, armis & huiuſcemodi cæteris, indigemus. Quodq; maioris momenti eſt, vita cælorum æterna. Vnde igitur cũ tantis indigeamus, monet nos Dominus, à Deo ſolum panem expoſcere? Audi Paſchaſium, quàm eleganter occurrit. *Quia Pater cum Chriſto ſimul nobis omnia donauit, aut præſentia, aut futura; ſit tantum ille nobis cibus quotidianus, & omnia in eo ſimul noſtra erunt.* Cum (ac ſi diceret) panem quotidianum petimus, Chriſtum petimus; Euchariſtiam, quæ Chriſtus eſt, poſtulamus. Quia verò Deus dans nobis Chriſtum, omnia nobis cum eo, & temporalia, quibus egemus in via, & æterna, quibus in patria, ideſt gloriam, & beatitudinem, magnificentiſſimè tradit, præter ſacrum panem alia nobis à Deo non ſunt perquirenda. Per Euchariſtiã itaque fas nobis eſt, bona cuncta, & quæ Deus habet in terra, quęq; in cœlo, ſperare. Hæc namque per ipſam noſtra facta ſunt; quæque ſunt noſtra, nobis iniuſtum eſt denegari. Videns Chryſologus, ſe nobis Deum manducandũ dediſſe, certiſſimam ſpem cõcipit futurę beatitudinis. *Chriſtiane,* inquit, *ſi ſe tibi hic manducandum dedit, quid ſuum tibi negare poterit in futurum?*

*Luc. 11. 5*

*Paſch. in capit. 6. Matt.*

*Chryſol. ſer. 95.*

9 Aduerte, quam audacter Dauid æternam ſibi vendicat manſionem. *Inhabilem,* inquit, *in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Sed quodnam ius habet homo, vt ĩhabitet in domo Domini? Ius magnum, & verũ, in Chriſto, velut in diplomate ſtylo ferreo ſcriptum: lãcea latus eius apertum eſt, pedes, & manus, clauis confixæ. Magnum hoc diploma repoſitum, & ſeruatum habet in Euchariſtia; per quã Dei domus habitationem iure ſperat, & petit. Hinc Sacerdos quoties Euchariſtiam fecerit, mox hoſtiã eleuat; velut explicet diploma, doceatq; Angelos ius,

*Pſal. 22. 9.*

quod homo habet in cœlum. *Quaſi dicat*, ait Seraphicus, *O vos angelici ſpiritus, qui hic præſentes aſsiſtitis, teſtes ſitis, quod vita æterna noſtri iuris eſt: & ad hoc confirmandum eleuamus priuilegium noſtrum, ideſt Chriſtum pro nobis paſſum.*

*D. Bonau. in Exp. Miſſ.*

10 In hæc incidit Salomon, dum de manna ſermonem haberet, *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas.* Ac ſi dixerit. Dum dilectam tibi plebem tali reficiebas edulio, dulcedinis gloriæ tuę, qua in cœleſti menſa ſanctos oblectas, & Angelos, experimentum præſtabas. Quod eatenus dictum eſt de manna, quatenus Euchariſtiã figurabat: de qua Rupertus. *Ille idem panis*, inquit, *in illa eſt nobis patria repoſitus, quem nunc in via guſtamus: vt videamus quoniam ſuauis eſt Dominus, quẽ in Sacramento altaris ſumimus.* Proinde, ſi Deus in hac vita, glorię ſuæ nos cepit participes reddere; certã ſpem habemus, quod complebit in alia. Dicit enim Apoſtolus: *Qui cæpit in vobis opus bonũ, perficiet.* Chriſtum Virgini Matri Euchariſtiam, dum ex hac vita decederet, miniſtrantem, hæc locutum recenſent. *Accipe chara mea, quod mox complebitur tibi in regno meo vnà cũ Patre meo.*

*Sap. 16. 21.*

*Rup. de Diu. Off. lib. 8. c. 9*

*Philip. 1. 6.*

*Laur. Mazell. lib. 6 c. 19. de B. Virg.*

11 Hinc Eccleſiæ, ſacro depaſtæ tritico, dictum eſt, *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs*: velut dum Euchariſtiam habet, lilijs, vt decoretur, vndique eſſet circumdata. Haud dictum eſt, Chriſtum, nos inter roſas, & violas, quemadmodũ inter lilia, paſcere: *Qui paſcit inter lilia.* Lilia diligit Euchariſtia, in lilijs moratur, ĩ lilijs inuenitur. De Sacerdote quodã refertur, quod cũ ei diuinitus hoſtia diſparuiſſet, diuque ꝑquiſiuiſſet, inuenit eã in lilio. Quid ſibi volunt hæc lilia? Si veterum monumenta percurras, lilium publicæ ſpei typum inuenies: Quamquam enim flores ad ſpem ſignificandam promiſcuè aſſumantur; quia, vt placet Themiſtio, per florẽ, vbi pręnius apparuerit, in frugis ſpem nos inde ſurrigi; maluerunt tamen Veteres in ſuis monumentis cum inſcriptione ſpei figuram lilij, quã alterius cuiuſpiam floris, oſtendere. *In nummo Imperatoris Alexandri Pij Auguſti ab altera facie Dea lilium dextra prætẽdit, cuius inſcriptio eſt, ſpes publica.* ait Pierius. Idem etiam obſeruatur in nummis Imperatorũ Aemiliani, & Claudij. Dum igitur Euchariſtiam vides lilijs circumdatam, & ornatam, ſpem illam dicito glorię magni Dei. Maiorem, ſtabilioremq; ſpem non habet plebs Chriſtiana, qua patriæ cœleſtis ſit cõpos. Refert Nicolaus Cabaſila, dũ

*Cant. 7. 2.*

*Cãt. 2. 16.*

*Pier. lib. 55.*

ſacerdos

ſacerdos apud Græcos, ad celebrandum procedit, magna cum reuerentia, & religione fideles genua ante illum inflectere: vt ipſorum ſit memor in donorum oblatione, rogantes. Iure optimo quidem: Nam, vt idem adnectit, *oportet tunc ad Sacerdotis genua procidere, & orare: neque enim eſt alius modus, ſupplicationis, qui tantum poſſit, & qui magis firmam, ac ſtabilẽ nobis ſpem præbeat, quàm qui fit per hoc venerandum ſacrificium.*

*Nicol. Cabaſ. Exp. Lytorg. c. 24.*

12 Vatis Citharædi locus, *Adorate ſcabellum pedum eius* à Hieronymo de Chriſti corpore interpretatur. *Hic*, ĩquit, *Propheta ſcabellum corpus dominicum vocat.* Aptum vocabulũ. Scabellũ eſt Euchariſtia, quia per eam cœlorum gloriam ſcãdimus, vt me alibi dixiſſe memini: certaque nobis ſpes cœleſtis tribuitur manſionis: Cũ enim ſcabellum ſit id, in quod pedes ponimus, dum Euchariſtia ſcabellum dicitur, per illã nobis bonorum Dei poſſeſſionem tribui ſignificatur. Poſſeſſio vt placet Iuriſperitis nil aliud eſt, quam pedum poſitio. Propterea ait Bernardus. *Vt ſecuri ſitis, Sacramẽti Dominici corporis, & ſanguinis inueſtituram habetis.* Inueſtituram inquit, quæ, vt ijdem aiunt Iuriſtæ, quædã quaſi poſſeſſionis collatio eſt. Nobis igitur per ineffabile ſacrũ poſſeſſio regni Dei confertur. Nullum igitur malum timere, nullum bonum non ſperare, debet Chriſti cõuiua.

*Pſal. 98. 5.*
*D. Hieron. ibid.*
*D. Bern. ſer. in Cœna Dom.*

## THEOREMA IX.

### Quoniam tu mecum es.

*Noſtræ Deus conſulit infirmitati, dum obuelatus reſidet in Euchariſtia.*

DVM Vatem, Chriſtianũ agentem, cum Deo loquentem, dicentemq; audis: *Quoniam tu mecũ es*; exquiſieris ab eo: quonam modo Deus ſecũ eſt, apertus nè, an velatus? Sub cortinis accidentium panis velatus, reſpõdebit. Quod admodum piè factum eſt; Deũ enim noſtra fragilitas reuelato vultu ſuſtinere non poteſt.

1 Petit Chryſoſtomus: Cur Deus omnipotẽs, vbi ſua mundum præſentia viſitare, honorare, ac pariter à tãtis, quibus affligebatur, venit eruere malis; minime detecto viſus eſt vultu, nudaque ſubſtantia, eodem ipſo modo, quo Sanctis, & Angelis in cœleſti ſubſellio reuelatur; ſed ſub ſerui forma, quam in vtero Matris aſſumpſit? Si ſe dum venit è cælo nuda præſentaſſet ſubſtãtia; mũdus, & quæ erant in mundo, præ ſpectaculi magnitudine,

& bonitate, iubilaſſent, exiliſſent, tripudiaſſent. Quam longè à vero diſcrepas, ait S. Doctor. Tantum abeſt, vt lætaretur mundus Deum videns in propria ſubſtãtia, quod ad luctum potius cogeretur. Interijſſent creaturæ omnes, terra nõ ſtetiſſet, exſiccatum apparuiſſet mare, cœlum, cœlique lumina, penitus extinguerentur. *Si enim ſic veniſſet, vniuerſa interijſſet creatura; nam ſi nudam ſubſtantiam oſtendiſſet, ſol vtique extingueretur; luna non appareret, mare exſiccaretur.* (D. Chryſoſt. in Pſ. 50.) Mũdi Deus fragilitati proſpexit, ad hæc ima reuelata facie non deſcendens. Dum itaque Chriſtũ vides in Euchariſtia, tantis abſconditũ inuolucris, pientiſſimum reputa: nam, ſi ſe detegeret, non poſſet oculus carneus citra mortis aleã beati ſui corporis viſione potiri.

2 Sed aſcendamus in cœlũ, vbi ſuam ſibi Deus ſtellato ſolio ſedem magnificẽter erexit. Vnde enim hominibus terram vt in ea viueremus exhibuit, cœlum ſibi ſeruauit. *Cœlum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*; ait Pſalmographus. (Pſal. 113. 16.) Sed iuuat inquirere. Cur ſibi Deus ſua pro ſede cœlum, quam terrã magis elegit? Nõne æquè poterat terram, ſicut & cœlũ, incolere? Poterat vtiq; ſed vt ob ſuam magnam bonitatem fragilitati noſtrę conſuleret, cœlum maluit, terrã neglexit. Namque ſi Deus in terris degeret, ſeque aperta facie obijceret hominibus; omne genus noſtrum extingueretur, periret, (Deus extra ſalutis aleam conſpici minimè poteſt) conſultò ſibi cœlum, quo velaretur elegit. hinc quia Deũ calat, cœlum dictum eſt cœlũm. Sic Hieroſolymorũ Præſul Cyrillus. *Propterea ſecundum maximam ſuam benignitatem Deus velum propiæ ſuæ diuinitatis cælum extendit, ne periremus.* (D. Cyrill. Hieroſ. Catech. 9.)

3 Audi quàm bellè Sponſa hoc ipſum confirmat dum ait Dilecto. *Lectulus noſter vmbroſus.* (Cãt. 1. 16) vt transferunt Septuaginta. (Transl. Septuag.) De Deo, poſtquam carnem aſſumpſit, eloquitur, vocatq; lectulum, in quo ſe Pſaltes geſturum ſperabat, dum caneret: *In pace inidipſum dormiã, & requieſcam.* (Pſal. 4. 9) Hic lectus in orbe primum apparuit, cùm *Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis*; (Ioan. 1.) lectulus quidẽ eſt, vmbroſus autem. *Lectulus noſter vmbroſus*, hoc eſt carnis vmbra obuelatus: Nemo enim erat in mundo, qui procul ab interitu, diuinitatis fulgorem poterat ſuſtinere. Ac ſi diceret, ait Pſellius, *Ad infimum lectulum noſtrum ſic acceſſiſti, vt debita opera diuinitatis fulgorem obumbrares: niſi eam tu ijs rationibus, quæ tibi ſoli cognitæ ſunt, abſcondiſſes; diuino ſplendore fortè conſumpti* (Pſell. in Cant.)

ſumpti eſſemus. Et hæc eſt potiſſima ratio, qua Gabriel Arcangelus, antequam Deus factus fuit homo, ait Sacratiſſimæ Vir-
Lu. 1. 35. gini *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Nam, vt ſcribit Do-
D. Tho. opuſ. 58. cap. 8. ctor Angelicus, *Maria non potuit ſuſtinere claritatem præſentiæ filij, & gloriã, niſi eſſet obumbrata.* Ex eo verò, quod, vt idẽ adnectit, caro Chriſti poſt paſſionem per reſurrectionem glorificata fuit, & ad ſimilitudinem Dei clarificata; obuelata porrigitur ex altari, tectaque ſub formis panis, & vini. Quia, quemadmodum citra mortis periculum clara facie Deus videri non poteſt, ità ẽt nec Chriſti corpus glorioſum, clarificatum, deificatum.

4 Eleganter admodũ Auctor imperfectus Vatis illud
Iſa. 9. 1. expendit. *Populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam.* percontaturque; Cur lucem abſolute non dicit, ſed ſuperaddidit magnam, vidit lucem magnam? Vt talem populum ſcires, inquit, olim tantoties lucem aſpexiſſe, numquam autem vt ea, de qua loquebatur, tam magnam. Quot Sanctos, quot Patriarchas, quot Prophetas, quot Iudices, vidit plebs Hebræorum, tot luminaria vidit, ſed parua, non magna. Verum cum Chriſtus (de quo Vates alloquitur) fulſit, viſa eſt lux magna, *Vidit lucem magnam*, hæc eius ſunt verba. Hom. 6.
*Lumen magnum, ideſt Chriſtum, nam multa lumina fuerant inter Iudeos lumen fuerunt Moyſes, & Aaron, & Ioſuè, & cæteri Iudices, & Prophetæ; magnum autem lumen eſt Chriſtus.* Sed cum Moyſes lux vna paruula, tam magna luce fulgeret, vt eum proſpicientibus timorem, terroremq; incuteret. *Videns Aaron, & filij Iſrael cornutam Moyſi faciem timuerunt prope accedere.* Exo. 34. 30.
Quonã ego pacto ad lucem magnam, luminariũ omnium maximam, à qua omne, quod ſplendet, egreditur, vt ea reficiat, accedam? Velari oportuit, cælari, abſcondi, vt omni, quem profert, euacuato pauore, ei alacriter aſtam.

5 Matthæus, Domini tranſfigurationem deſcribens, lumen, quo vultus eius reſplenduit, ſolis lumini comparauit *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Matt. 17. 2.
Peto ipſe, cur ſicut ſol reſplenduit? Nonne lumen vultus Chriſti ſolis fulgorem, ſupra quod dici poteſt, excellit? Perinde vtique excellit, vt hic illi collatus, nec parua ſcintilla iudicetur? Si Sanctos in Regno Dei, vt ſol, ait Euangeliſta, fulgere; quonã modo fulgebit Sanctorum Deus, & Dominus? Splendidiorem, ſublimioremque ſacer Chroniſta exquirere debuit ſimilitudinẽ,

cla-

claritatem vultus Chriſti delineans. Solis ſimilitudinē vſurpauit; quia tunc verè vt ſol Chriſti vultus enituit; non quod excelſiori lumine non ornaretur, ſed quia Diſcipulorū fragilitatē compatiēs, maiori noluit enitere. Nam ſi totū, quo ſplēdet, exhibuiſſet, ſpectatores cremaſſet, prorſus vſſiſſet, conſumpſiſſet. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol,* ait Damaſcenus, *nō quod ſole ſplendidior nō eſſet; ſed quantum intueri poterant ſpectatores. Nam ſi vniuerſam gloriæ claritatem oſtendiſſet, illi penitus exarſiſſent.* Oro iam. Si aquilarum oculi tātæ lucis radijs exarſiſſent, quid graculorum, ſiue potius noctuarum oculis eueniret, ſi Chriſti corporis claritatem aſpicerent? Deo gratias age, quod ſeipſū tibi præſtitit obuelatum.

D. Damaſc. or. de Transfig.

6 Diligenter attēde, quod dum, vt habet Ioannes, Maria Magdalena cū Angelis loqueretur, Chriſti ſepulchrum cuſtodientibus. *Cōuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, & neſciebat quia Ieſus eſt.* Diligenter inquam attende, nam difficulter creditur Mariam Chriſtum ſuū ignoraſſe. Ignorat filia Patrem? ſponſum ſpōſa? diſcipula Magiſtrum? famula Dominum? quem in domum ſuam tātoties exciperat, tot proſecuta erat obſequijs, quē ſupra quod dici poteſt ardenter diligebat, cordique incredibiliter cōtinebat expreſſum? Ignorat planè: minimè enim ei ſe propria oſtēdit effigie, ſed peregrinā aſſumens, hortulanus ei viſus eſt. Inſto, cur ſe Deus ſub aliena, & non ſub ꝓpria effigie obtulit Magdalenæ? Nè eam perterreret, ait D. Chryſoſtomus. *Ne primo eā aſpectu perterreret, vili, ac cōmuni ſpecie apparuit: hoc ex eo cōſtat quod hortulanꝰ ei viſus eſt.* Noſtra tremit caro, pauet homo, deficit mortalis obtutus; dum ſe ei Deus propria oſtendit effigie. Ne te itaque tali metu conturbet, tremoreque afficiat; dū ſe tibi in ſubſellio altaris videndus exhibetur, ſub panis manet inuolucro.

Ioa. 20. 14.

D. Chryſoſt. Ho. 85. in Io.

7 Nunc me iubet ad Seraphim illa conuertere, quæ Deo aſtantia, ſuumque alijs vultū obuelantia, ſe proſpexiſſe meminit Iſaias. Scias hæc tunc tēporis Deum in Euchariſtia adoraſſe; ſic in diuina miſſa de eis frater Domini Iacobus eloquitur, *Rex regnantium, & Dominus domināntium Chriſtus Deꝰ noſter progreditur vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus: ipſū autem antecedunt Angelorum chori, cum omni imperio, & potentia, Cherubin multorum oculorum, ac Seraphin ſex alarum, facieſque velantia, & cum clamore canentia.* Ne te quæſo cen-

Iſa. 6.

D. Iacob in Diuina Miſſa.

Soph. 2. 11.

cenſeas beatiſſimos ſpiritus, ęque ac nos Chriſtum in altari proſpicere; vnde nō niſi velatus obtutui obijcitur hominum, clarè reuelatur Angelis. Quia verò diuinæ radios claritatis, nec cæleſtes ſubſtantiæ ferre præualent, dum tāto lumini aſſiſtunt, vultū alis obuelant. Dum ſuos aquilæ oblutus ſūmo à ſole auertūt; quid facient noctuæ tali præſentatę ſpectaculo? Dum radijs diuinitatis Angelorum offenditur acies, cur non offendetur mortalium intuitus? Dum à deifica Seraphin claritate refugiūt; cur ni deficiat, ab ea non refugiet homo? Refugit ſanè, dum tecta, obuolutaque obijcitur.

8. Vbi Sophonię ſecūdo legimus in Vulgata, *Horribilis Dominus ſuper eos*, transferunt Septuaginta, *Manifeſtus erit Dominus ſuper eos*: Has litteras ſi ſimul ponas hoc ordine, vt huic illa ſuccedat, hunc ſenſū elicies. Si ſe Chriſtus mundo, vt in ſe eſt, propalaret; omnibus eſſet horribilis, actum eſſet de mundo: omnes conſūmerentur, morerentur, redigerentur in nihilum; nemo ſuſtinere poſſet tā horrendum ſpectaculum. Ne itaque ſit horribilis, ſed deſiderabilis, ſed amabilis, ſe ſub Sacramento miſericorditer velat. Idem ſane operatur Deus in Sacro altaris, quod natura in Catoblepa. Refertur ab Athenæo, naturam perinde horribiles, ac formidabiles oculos præſtitiſſe catoblepæ, quod ſiue hominem, ſiue brutum inſpiciat, extēplo interimat. Cur tamē, nè ad aliorum interitum cenſeretur progenita, comam fixit in fronte, quam dimittēs, oculos velat: eam plerumque, præ grauitate concutiens, vix tandem aſpexit, quod eum, quem viderit, interēpſit. Quidam Marij Imperatoris milites, tantæ rei ignari in catoblepā irruentes, enſibus, quos habebāt, interfecturi, *Illa perterrita, ac comam concutiens, quam ante oculos habebat: mortuos relinquebat, qui illam inſecuti fuerint*. Quonam pacto nos Dei noſtri aſpectum, ferre vnquam poſſemus, ſi Deus comā, qua velatur in Sacramento, vel ſemel excuteret. Hanc ſanè comam cuidam, Præmōſtratenſis Ordinis excuſſiſſe, recenſet Hugo. Hic è choro, dum Sacrum fieret, reſpiciens ad altare, ſuper illud circulum claritatis immenſæ vidit imminere, mirique ſplēdoris columbam calici impendentem. Cœpit igitur admirari, & admirando intueri; ac confeſtim ſtupefactus, & territus, amiſſo viſu, cecidit in choro proſtatꝰ. *Vt noſtrę infirmitati parcat*, ſubſcribit idem, *ſemętipſum in ſuæ maie-*

*Suph.* 2. 11. *Tranſl. Septuag.*

*Athen. lib.* 5. *ca.* 15.

*Hugo de S. Vict.*

in Cant. *maieſtatis claritate non manife-*
Miſſ. cap. *ſtat, ſed quaſi ſub quodam vela-*
3. *mine occultat.*

9 Difficillimum carmen il-
lud exiſtimo, quo ſacrum epi-
thalamium concludit Sponſa.
Cant. 8. *Fuge dilecte mi, & aſſimulare*
14. *capreæ, hinnuloque ceruorum.*
Quid (oro) eſt quod ſponſa,
tanto chariſſimum amore pro-
ſequens Sponsũ, vt toties olim
eius expeteret, acceſſus, modò
petit vt fugiat, tantaque velo-
citate diſcedat, vt capreas,
ceruoſque præueniat? Excu-
ſanda eſt, ait Hugo: non enim
fugam quærit Dilecti, quod
ab eo procul eſſe lætetur; ſed
Hugo *Petit vt fugiat aſpectum noſtrũ,*
Card. i- *quia lux eſt inacceſſibilis.* Ne-
bid. quit humana fragilitas Chri-
ſtum in gloriæ ſuæ ſplendore,
& claritate proſpicere, quin
non corruat, non deficiat, non
pereat. Aduerte autem, quod
dum petit, vt fugiat, adijcit,
*Super montes aromatum*, altaria
ſubintelligens, quæ quia ſunt
alta (Ab altitudine ſumptum
eſt nomen altaris, quod alta
res ſit) montes dicuntur: Sed
montes aromatum; vel quia
thure redolent: vel quia eum
continent, qui comeſtus olet
aromata. De B. Maria, Virgine
Egniacenſi, refertur, quod cũ
Car. Vic- Sacrum acciperet, *Omnem de-*
ria apud *lectationẽ, & omnis ſaporis ſua-*
Lippom. *uitatem in eius perceptione, non*
23. Iunij. *ſolum intus in animo ſed etiã fo-*
*ris in ore perſentiebat; cum ple-*
*rũque ſub ſpecie pueri cum mel*
*lis guſtu, & odore aromatico Do*
*minum ſuum feliciſſime ſuſcipe-*
*ret.* Mittebat itaque ſponſa di-
lectum animæ ſuæ ad altaria,
vt eum ibi ſub formis panis, &
vini velatum haberet, ac pro-
cul ab omni horrore, mortiſq;
periculo, ſanctis poſſet amori-
bus ſatisfacere, amplexibus
parcere, delicijs indulgere.

10 Rurſus velatur Chriſtus
in Sacramento, quia ſic exigit
peccatorum indignitas. Quæ-
runt Doctores noſtri; quinam
fuerit is, quem in camino ignis
ſimilẽ filio Dei vna cũ tribus
pueris, vidit Nabucdonoſor?
*Et ſpeciem quarti, ſimilem filio* Dan. 4.
*Dei.* Multorum ſententiã eſt 92.
Angelum fuiſſe, vt transferũt
Septuaginta, quem Deus è cœ
lo, vt debellaret ignem, pue-
roſque ſeruaret, immiſit. Non
deſunt Verbum Dei filiũ exi-
ſtimantes, vt illud verificare-
tur, *Cum ipſo ſum in tribulatio-* Pſal. 90.
*ne; eripiam eum, & glorificabo* 15.
*eum.* Quorum ſententiæ ſtan-
dum? Illorũ, ait Hieronymus:
nam quæ ſuadet ratio, Chri-
ſtum, vt malũt iſti, fuiſſe? *Ne-* D. Hier.
*ſcio enim quomodo Rex impius* in cap. 4.
*Dei filium videre mereamur.* In- Dan.
dignus eſt impius Chriſti ſpe-
ciem intueri. Dum Chriſtum
ſub ſenſibilibus panis abſcõ-
ditum vides, peccatorum in-
dignitatẽ coniecta. Indignus
eſt

eſt enim peccator eo frui ſpectaculo, ea gaudere ſpecie, q̃ ſolos Angelos ceteroſq; cœli ciues decēt. *Exigebat nāque*, inq̄t Bernardinus, *malorum indignitas, quod veletur: in hoc erga peccatores miſericorditer agens Saluatoris benignitas; niſi enim accidentibus velaretur, ac nudum aſpiceretur corpus Ieſu Chriſti, ex hoc fortè aſpectu perirent.*

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 54. ar. 2. cap. 2.*

11 Serpens, quē, à Deo edoctus, in deſerto Moyſes erexit, quemq; omnis aſpiciēs à morte liberabatur, Chriſtum præſeferebat: ait enim ipſe: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis.* Nō ſerpens, ſed Chriſtus, ſub ſerpentis forma, ſalutem afferebat; & vitam. Sed cum ſalus, non à ſerpente, ſed à Chriſto, proficiſceretur, quare Deus Chriſtum, haud patenter oſtendit, ſed ſub forma ſerpentis abſconditum. Reſpondet Chryſologus. *Iudæus in ſerpente videbat Chriſtum, quia impius oculus Deum videre non poteſt.* Voluit Deus ob clemētiam ſuam populū infirmū, Filij aſpectu adiuuare: ſed quia ſciebat plurimis, ijſque enormibus, ſeſe fędaſſe ſceleribus, Dominum Deum ſuum aperto vultu videre iudicauit indignū, ideo eum ſub forma ſerpentis obiecit. Pari modo dicendum, dum ſub velo panis & vini in Sacro altari proſpicitur; peccatores namq; quibus fædantur oculi, Chriſtum nō modo indigni ſunt intueri; ſed & væ illis ſi nudū intuerētur. Haud ſineret Deus impios filium ſuū videre, & impunitos abire, ſuperſtiteſque eſſe.

*Ioan. 3. 14.*

*D. Chryſol. ſerm. 55.*

12 Quod clauſus in vtero prodigioſè interdum clamet, & ploret infantulus, malè cōiectant fæminæ, pro mortuo illum habent: clamat quidem opem implorans, vt mortem, quā ſibi imminere ſentit, euadat. Sed quid de hac re aſſerant Theologi, audi Boetium apud Auctorem Floſculorum Ariſtotelis. *Dicunt Theologi, quod puer cognoſcit ſe priuari diuino intuitu, propter carentiam Baptiſmi, tunc clamat.* Meritò quidē clamat: ſicut enim nobis Deo aſpiciente lætandum; ſic plorandum, clamandum, cùm aliò vultum auertit. Ferunt baſiliſcum, cui caput accipitis erat, oculique ea arte conſtituti, vt aperiri poſſent, & claudi, pro Deo Aegyptios coluiſſe. Hunc ſimul atq; oculis proferebant apertis, vniuerſam Aegyptum lętitia, & hilaritate perfundi: in luce, & in propatulo omnes eſſe, & riſui, ac iocis, atque conuiuijs dare operam. Quod ſi clauſis eum oculis extuliſſent, omnia ibi mærore, luctuque confundi. Hæc Pierius in Hyeroglificis.

*Boet. lib. 3. de Cōſol. Apud Aucth. Floſc. Ariſt.*

*Pier. lib. 14.*

Si Deo mẽdace, fabuloſoq; nõ inſpiciente, vlulabat Aegyptus; cur non clamabit puer, quem verus Deus non aſpicit, ſed deſpicit? Dedignatur aũt ipſe culpa coinquinatum inſpicere; quia mundi ſunt oculi eius, & ad iniquitatem aſpicere non valent. Quid mirum, ſi dum nobiſcum reſidet in altari, tecto maneat vultu? Sordes, culpas, iniquitates, quas perpetramus in dies, intueri non patitur.

13 Dum Deus, pro tribunali ſedens, ſceleſtos, dijudicat, *Palpebræ eius interrogant*. ait Propheta, ideſt oculis clauſis interrogat. Quorſum oculis clauſis, cum in interrogatione, æquum, & iuſtum agnoſcat oporteat, oculis autem clauſis nil perſpici poſsit, & iudicari? Vnde illud, quod idẽ Deo dixerat: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem?* Idcircò clementiſſimus Deus palpebris interrogat homines; nè eorum facinora videns, iudicet, & cõdemnet. *Videte*, inquit Chryſologus, *quomodo oculi Dñi clauduntur, ne videant eos, vt iudicet, qui delinquunt.* Quod & in ineffabili Sacro comperimus, vbi Chriſtus reſidens, nõ oculos ſolum, ſed & totum ſe ſub velamine panis abſcondit, ne eos videat, qui delinquũt, ſuorumque pœnas exigat delictorum. *Si quæras*, ait Oleaſter, *quare Deus faciem ſuam à nobis abſconderit, reſpondeo; nè nos impudicè peccantes videret, nè cogatur nos in puluerem redigere, cum iſta viderit.*

*Pſal. 10. 5.*

*Pſal. 16. 3.*

*D. Chryſolog. ſer. 21.*

*Oleaſt. in cap. 4. Iſa.*

14 Hinc illud Bernardini. *Amoroſus, & radioſus Ieſus faciem ſuam omnibus miſericorditer velat.* Ac ſi clariùs diceret. Miſericordia, & iuſtitia Ieſum velant in Sacro altari. Habet velum ſuum miſericordia; habet, & iuſtitia. Iuſtitia velo ſuo iudicis claudit oculos, nè ꝙ videre non debeat, videat: hinc illa iudicis imago, cuius à collo ſuſpenſa pendebat veritas, oculis in ſinum deiectis; velut ſi præter verum, & iuſtũ nil prorſus inſpiceret, vt iuſtè iudicans, iuſtas pœnas infligeret. Miſericordia velum ſuum ab amore mutuatum habet; ſicut enim amor dilecti delicta non videt, *Delicta non videt vis amoris* ait Chryſologus; ſimiliter, & miſericordia. Quare dũ ait Bernardinus, Chriſtum à miſericordia velari in Euchariſtia, patenter innuit, ibi eum velatum adeſſe, *Nè nos impudicè peccantes videret; nè cogatur nos in puluerem redigere, cum iſta viderit.*

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 54. ar. 2.*

*Pierius lib. 41.*

*D. Chryſolog.*

*Oleaſt. vt ſupra.*

## THEOREMA X.

### Quoniam tu mecum es.

*Eo-*

*Eodem in corde, in quo cœli Rex conſtituitur, Dæmonē hoſpitari, quam horrendū facinus.*

QVod ait Propheta *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, idem eſt, ac ſi diceret. Simul ac te Deus meus excepero, ac mecum in corde habuero, non timebo mala, non perpetrabo peccata; quæ vere ſunt mala, ac timenda, vbi patrata fuerint, & commiſſa. Sanctum, & iuſtum conſilium: nam qui recepto Christo, recipit peccatum, ac vbi cœli Regem conſtituit, Dœmonem hoſpitatur; quam maximè Deum dedecorat.

1 Marci locum primo expendamus, vbi, Mariam Magdelenam Chriſti pedes vnxiſſe, recenſet. *Cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi; & recumberet; venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro effudit ſuper caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt?* Vbi notandum, Mariam non modo prætioſiſſimo vnguento Chriſti pedes vnxiſſe; ſed, & in quo vnguĕtum erat, fregiſſe alabaſtrū. Ac pariter Iudam, impudentiſſimum vnguēti blasfematorem; *Vt quid* inquiens, *perditio iſta vnguenti facta eſt*, alabaſtri iacturam nō blasfemaſſe. Et ſi vnguentum pretioſum erat; cenſendum pariter pretioſum fuiſſe alabaſtrum: vtpote candidiſſimū varijs notis diſtinctum, pictūque coloribus. Imò ad effuſionem vnguenti os illud tartareum debuit obmuteſcere, cū ad Chriſti caput vngendū digniſſimè fuiſſet effuſum. ob vaſculi verò iacturam in eam inſurgere, & fremere, quę Domino nil planè profuerat. Sed ſi rem hanc ſtudioſiùs trutines, inuenies, Magdalenam meritò alabaſtritem fregiſſe vaſculum. Fregiſſet, quamuis ſmaragdinum, ſapphirinum, extitiſſet, alteriuſue lapidis pretioſoris. Nouerat legis mādatum, quod *Semel Deo dicatū, non eſt ad humanos vſus transferendum vlterius*: ac addubitauit, ſi integrum remanſiſſet, iniuria, vel incuria ad humanos vſus potuiſſe transferri, quod Magiſtro, Deoque ſuo magno foret dedecori. Ex quo velim aduertas, quam grauiter Deum offendant, qui poſtquā eum in vas ſui cordis exceperint, turpiſſimum excipiūt Dœmonem; quodque ſacratū Deo fuerat, Diabolo ſubminiſtrant. *Si ergo*, ait Imperfectus, *hæc vaſa ſanctificata ad priuatos vſus tranferre periculoſū eſt, quanto magis vaſa corporis*

*Mar. 14. 3.*

*Imperf. Hom. 11.*

*noſtri, quæ ſibi Deus ad habitandum præparauit, non debemus locum dare Diabolo agēdi in eis, quod vult?* Et D. Baſilius. *Ne in corpore ipſo quidem tuo, poſtquam illud Deo cõſecraſti, ius tibi vllum reliquum eſt: & ſceleſtè facis, ſi te ad hominum vſus accomodes.* Si te dum cõſecratus es Deo, ad hominum vſus applices, ſceleſte facere, ait Baſilius. Quid diceret ſi te mox Dæmonum vſibus videret expoſitum.

D. Baſil. Cõſt. Monaſt. cap. 20.

2 Aures artigat Sacræ mēſæ conuiua, ſtudioſeque audiat quibus cum moneat Sapiens, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* Velut ſi diceret. Nec Rex regni theſauros, nec diues gemmas, & nummos, nec malis opimum pomarium viridarius; quemadmodum fidelis cor ſuum ſeruare tenetur. Quid nã erit, huiuſcemodi cor, tanta ſeruandum cuſtodia? Paradiſus plane. In eum enim quotidie Deum ſuum excipiens, paradiſum effingit. Porrò vbi Deus, ibi Paradiſus. Nec te quidem latet, quanta Deus cuſtodia ſeruauerit paradiſum, ne in eum vafer ſerpens ingrederetur: tali, & tu cor tuum ſeruare debes cuſtodia; ne vbi Deum excepiſti, Dœmonem hoſpireris; ac, quo frueris, gratiæ viridarium deſtruas. *Iubet ſcriptura,* ait Marcus Eremita. *Omni cuſtodia ſeruare cor ſuum, vt conſeruans in eo paradiſum, fruatur gratia ſpirituali, nec audiat ſerpentem intus ſe implicantem.* Quod non modo tibi magnum erit in malum, ſed, & Deum à te honorandum, paruo non afficies probro. Qualiter Deum inhonorat, qui ei deſtruit paradiſum? ſua è ſede profligat? longe, læteque abigit? exulem facit?

Prou. 4. 23.

D. Marc. Erem. de Parad. et leg. Spir.

3 Birgittæ, Chriſtum roganti, qualiter è Sacro altari ſumptus ingrederetur in animam; *Ingredior,* inquit, *vt ſponſus.* Equidem vt ſponſus, prætioſis onuſtus opibus, delitijs, vnguentis; quibus ſpõſam ditaret, ornaret, oblectaretque. Vt ſponſus, inquam, ſãctorum auidus, amplexuũ, oſculorum cupidus, miro flagrans zelo. Qualem autem ſponſo ſponſa dolorem infliget, qualem mœrorem, iniuriam, dum adulterũ coram ſe, ſuo exceptum videt in thalamo, proprio cubantem in lecto; quibuſque perfruebatur, fugatus oblectamentis? Tale quid perpetrat anima, q̃ poſtq̃ Chriſtum exceperit, Dæmonẽ hoſpitatur. *Iuſta me,* eiulans *te,* inquit, *diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum.* Hinc clamat Damianus. *O quam acerbi doloris eſt, ſi cum maritus eſt præſens, tunc introducatur adulter: Et in thalamo, quo recumbit ſponſus*

Reuel. D. Birgitt. lib. 4. ca. 62.

Iſa. 57. 8.

Petr. Dã. Opuſ. 31. cap. 6.

*vinalis admittatur inceſtus.*

4 Tradit Frăciſcus Petrarca, Neronem, impium Romanorum Imperatorem, bina vaſcula habuiſſe cryſtallina, miri operis, & laboris; ex quibus, cum ſemel bibiſſet, vltrò ea fregiſſe. Idque, *Nè quis vnquam ex eis biberet.* Noluit Imperator, quod ſibi ſemel miniſterio fuerat, ad ſubditorum vſus transferri: ſuam dedecorari, iudicans maieſtatē, ſi, ex quo ille, alius etiam, potaretur. Si terrena poteſtas (quæ Deo collata, puluis, & cinis eſt, imò potius nihil) quæ ſibi deſeruiunt, aliorum vſibus dedignatur admittere; quonā pacto æterna Dei maieſtas in eum dedignanda eſt, qui vas ſui cordis, Euchariſtiam excipiens, ei ſemel conſecrauerit; mox à turpiſſimo Dœmone viderit inhabitatum? Magna ſanè contumelia, magna iniuria, magna iniquitas, omni plectenda ſupplicio.

*Petrar. Dial. 38.*

5 Audiendus eſt quidem Pſaltes, dum ait: *Nolite fieri ſicut equus;* ſed in hoc caſu velim fias vt equus: video enim plurimos corpus Chriſti recipere, & equis deteriores eſſe, vilioreſque. Audi quæ legi de equis. *Cum Contraretus Galata occidiſſet Antiochum in prælio, & equum regium, tanquam bello partum, conſediſſet; viſus eſt equus ſentire tergo ſuo Domini hoſtem inſidere. Itaque dentibus apprehenſo fræno, vt nulla iam ratione habenis regi poſſet, ad altiſsimum ſaxum citato curſu contendit, atque ab eo ſe, inſidentemque ſimul hoſtem præcipitauit.*

*Pſal. 31. 9.*

*Maiol. de Digni. Hom. par. 3.*

Indignatus eſt equus eodem met dorſo, quem domino ſubiecerat, hoſtem domini ferre. Alexandri Buccephalum neminem alium regio ſtatū ornatū, inquiunt, excepiſſe inſidentem. Cæſaris Dictatoris equus, cui pedes humanis ſimiles erant, neminem ſimiliter, præter Cæſarem, recipere ſuo viſus eſt dorſo. Nec tibi de hac re deſunt in hiſtorijs noſtris exempla. Cum nobilis quidam D. Ioanni ſummo omnium Pontifici, equum accommodaſſet, qui toties eius vxorem manſuetiſſimè geſſerat; reſtitutus, ſic ferox euaſit, vt fremitu, totiuſq; corporis agitatione, ſemper deinceps dominam recuſauerit, *Tamquā indignaretur mulierem recipere, ex quo ſediſſet in eo Ieſu Chriſti Vicarius.* inquit Romana Eccleſia in ſuo Breuiario. Equi, vbi Reges exceperint, alios, Regum hoſtes præſertim, indignantur excipere. Et tu, poſtquam Regem Regū, Chriſtum, in corde accepiſti, horrendiſſimum Dœmonem, hoſtem Domini tui, ad interitum tuum, dedecuſque Dei tui, recipies? Fias quæſo vt equus,

*Breu. Roman. 27. Maij.*

te

UNIVERSITARIA GRANADA

te ſoli Chriſto reſerua, ſedem cordis tui ſemel ipſi dicatam, nemini vnquam concedas; aliter Deum contemnes, eriſque bruto deterior.

6 Proferendum eſt modo quid lapſus è coelo ignis in Eliæ ſacrificium, cum Sacerdotibus Doemonum contendentis, effecerit. *Cecidit ignis Domini*, aiunt ſacræ paginæ, *& vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulueremque quoque.* (3. Reg. 18 38.) Non holocauſtum ſolummodo; ſed & ligna, & lapides, & puluerem ipſum, conſumpſit. Quod cum lignis conſumpſerit carnes, ſanè, congruum eſt; ad id enim deſcenderat: Quod autem cum lignis, & carnibus, lapides, puluerêque combuſſerit, ad quid? quodnam opus? quodue myſterium? Magnum opus, magnum myſterium, ait Theodoretus. Nè ſacrum altare ſemel Deo dicatum, Doemonibus deſeruiret. *Nondum enim finitis præcibus deſcendit ignis, & conſumpſit non ſolum ligna, & ſacrificium; ſed & puluerem, & lapides; nè afficeretur iniuria diuinum altare, impijs illis ſacrificia Doemonibus offerentibus.* (*Theod. quæſt. 56. in 3. Reg.*) Si lapides illi ſuperſtites permanſiſſent; poterant miniſtri Doemonis ſacrificia ſua ſuper eos offerre, quod Deo ſummopere diſplicuiſſet, qui quod ſemel ſuis conſecratum eſt vſibus, nó patitur Doemoniorum vſibus applicari; quæque conſecrauerit ipſe, ab illis prophanari, contaminari dedignatur. Prȩueniſti forſan quid ex his ſatagam inferre? Quam facilè puto. Itaque ad vlteriora progredior.

7 Chriſtũ expectabat Spõſa, dum accuratione ſollicita ſedem inter vbera ei præparabat. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter vbera mea cõmorabitur.* (*Cãt.* 1. 14) Nullibi (ſcilicet) Sponſum meum, quam inter vbera mea, recipiam. Cur inter vbera potius, quàm alibi? Quoniam eius vbera, vt ipſamet inquit, turres erant. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris.* (*Cant.* 8. 10) Quemadmodum enim turres, quod hoſtem terreant, dictæ ſunt, *Turris*, ait Auctor Allegoriarum, *à terrendis hoſtibus dicta eſt, ſicut arx ab arcendo.* (*Auct. Al leg. ver. Turris.*) Similiter vbera ſpõſæ, quod inter ea ſitum eſt, cor muniebant, neuè vnquam in eum noſtræ ſalutis æmulus ingrederetur, cuſtodiebant acerrimè. Quibus quidem verbis perennem in ſe Dilecto ſuo manſionem pollicebatur: probè ſciẽs quam turpe, & indecorum ſit, Deoq; inuiſum, & iniurioſum, Dilectum ſemel exceptum, vt eius excipiatur hoſtis, expellere: *Cum quis poſt communionẽ à peccatis ſe non cuſtodit, Chriſtum, quem ſuſcepit, ignominioſè à ſe expellit; nam turpiùs eijcitur,* (*Alb. Magn. 1 Cõm. Theol. li. 1. c. 16.*)

*tur, quam non admittitur, hoſpes:* ait Magnus Albertus.

8 Dum Sacerdos Aethyopum ex more Sacrā eleuat Euchariſtiam, plebique oſtentat aſtanti, hæc clara voce profert.

*In Miſſ. Aethyop.*

*Hoc eſt Corpus Sanctum, honoratum, & vitale Domini, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Expende quod corpus ſanctiſſimum, corpus honoratum appellat. Cur honoratum? Quia nihil eſt in mundo, à quo non honoretur. Honoratur à Patre, à cœleſtibus Angelis, ab ipſis etiam tartarorum ſpiritibus. Cuncta illi humiliter genuflectunt; cœleſtia, terreſtria, infernalia. Nefas ergo eſt à te, quem honorant omnia, inhonorari, eumque de tui cordis ſolio, eijcere; vt in illo Dœmonē, qui ludibrio eſt omnibus, erigas.

9 Nè te quæſo prætereat, quod tibi Dominus, preces effuſuro, præcepit.

*Matt. 6. 6.*

*Tu autē cum oraueris, intra in cubiculū tuum, & clauſo oſtio ora ad Patrem tuum.* Quorſum, cùm preces effundimus claudēdum eſt oſtium? nonnè æque orare poſſumus oſtio peruio, quā clauſo? Poſſumus quidem: id autem dictum eſt à Domino, ait Palacius,

*Palac. ibid.*

*Quia volebat nimis diù conuerſari nobiſcum.* quod impoſſibile foret, ſi noſtri cordis oſtium nō cūſtodiretur occluſum: ſubintraret namq; Doemon, truculentiſſimus, ac fædiſſimus hoſtis, adq; eius Deus ingreſſum cogeretur exire, locumque dare Diabolo. Quod quam indecens ſit, quamque indecorum, & turpe, tecum ipſe recogita.

10 Audiſti Mariam Magdalenam plorantem, & dicentem:

*Ioan. 20. 2.*

*Tulerunt Dominum meū de monumento, & neſcio vbi poſuerunt eum?* Si percontaris, vnde nouit Maria, Chriſti corpus à tumulo abeſſe; furatum eſſe, ac ſublatum? reſpōdet tibi Ioannes

*Idem ibid.*

*Vidit lapidem ſublatum à monumento.* Quia patēs vidit ſepulcrum, ſublatum agnouit corpus prædilecti ſui. Quod minimè coniectaſſet, ſi clauſum offendiſſet, & cuſtoditum. Vbi, Chriſtiane frater, Deum excepiſti per communionem, clauſumque cordis ſepulcrū ſeruaſti; nec Doemon in illud vllum habebit ingreſſum, nec aliquis à te prætioſiſſimum tollet theſaurum. Quod ſi, vel per iniuriam, oſtiū aperias, nō detineas clauſum, pauper eris extemplò: ingredietur enim Doemon, Chriſtuſq; tolletur à te. Audi D. Vincentium.

*D. Vinc. ſer. fer. V. Paſch.*

*Quamdiù Maria Magdalena vidit monumentum clauſum, nō credidit corpus Chriſti furatum; ſecus quando vidit ipſum apertum. Sic poſt Communionem ſi vultis, vt non tollatur à vobis, faciatis quod monumentum,*

*tum,*

*tum ſit clauſum*. Sed quis ingrediẽte Dœmone Chriſtũ tollet à corde? Chriſti decus, & dignitas: Porrò nõ patiens cũ Dœmone in eodem cohabitare ſedili, citato curſu recedit, fugit, abit.

11 A Magdalena properãdum ad Petrum, perinde ob ſpectaculum gloriȩ Chriſti oblectatum, vt in hæc verba proruperit. *Rabbi bonum eſt nos hic eſſe: faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Quia vero quod propoſuerat Petrus, admittendum non erat, ſic eum Marcus excuſat. *Non enim ſciebat quid diceret; erant enim timore exterriti*. Poſtrema perpendamus. Cur Petrus neſciebat quid diceret? Imò optimè ſciebat qd diceret. Cogitabat pro Domino, offerens ei tabernaculum, qui, vulpibus, auibuſque pauperior, nec vbi reclinaret caput, poſſidebat in terra; & neſciebat quid diceret? Neſciebat profectò quid diceret: *Quia*, inquit Antonius, *tabernaculum eſt manſio tranſmutabilis; firmam autem Deo habitationem facere oportet; Deo enim competit æterna*. Tabernaculum domus quædam eſt, quæ ab itinerãtibus inhabitari ſolet ad tempus: Chriſtus autem non ad tempus, moxq; expellendus; ſed perpetim inhabitaturus, excipitur. Diſplicent ei tabernacula, ceteræq; ſedes, à quibus ſit egreſſurus. Hinc illud Pſaltis. *Domum tuã decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum*. In longitudinem dierum, inquit, non per tres dies, aut quatuor, vt à Cœna Domini, ad diem Reſurrectionis. Domum, in quam Deum accepiſti, ſanctitatem perpetim opus eſt ſeruare: nũquam redeundum ad vomitum. Ad finem vſque vitæ, in honorem tanti hoſpitis, innocentiam cuſtodire teneris.

12 His Spõſa Sponſum ſuã alliciebat ad domum. *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina*. Veni dilecte mi, curre, feſtina, meam ad domum propera: cedrina habet tecta, cypreſſina laquearia, quibus tantopere delectaris. Quid Deo dignum tecta habent credina, & cypreſſina? Incorruptibilitatem, Sanctorum propriam. En D. Iuſtũ. *Domus iſtæ, in quibus Chriſtus habitat, ſancti ſunt: ſicut Propheta dicit. Quoniam inhabitabo in eis. Tecta autem, & laquearia domorum iſtarum cedrina, & cypreſſina, quæ incorruptibilia dignoſcuntur*. Odit Deus habitacula corruptibilia, quæ innocentiæ ſubſunt perditioni. Diſplicet Altiſſimo ſuam ibi ſedem figere, vbi caries culpæ animam fœdabit, commaculabit, ipſumq; inde deijciet.

*Marc. 9. 5.*

*D. Anton. de Pad. ſer. Dom. 2. Quad.*

*Pſal. 92. 7.*

*Cãt. 1. 16*

*D. Iuſt. Orgel. in Cant.*

ciet. Perennia quærit, perpetua diligit, incorruptibilibus gaudet, vt nobiſcum perpetuo maneat.

13 Egregiè admodũ Pſaltes hoc ipſum confirmat, dum,
*Pſal. 88. 29.* *Et thronus eius*, inquit, *ſicut dies cœli*. Hoc eſt. Nulla ſedes, quæ vt dies cœli non reſplendeat, Deum vnquam recipiet. Audi (obſecro) frater. Priuſquam Christum, excepturus, ſacro accedis altari, ſtudioſe te inſpice, trutina examina: Si te coeli diẽ inuenies, ito ſecurus: Si ſecus, recede, ne properes, ne Chriſtũ recipias. Quid coeli dies eſt? inquies. Chri-
*D. Amb. in Pſal. 117.* ſtus, ait Ambroſius. *Quis autẽ eſt dies cœli, niſi Chriſtus Dominus, de quo dicitur per Prophetã: Dies diei eructat verbum?* Cuius nomenclaturæ rationem adnectit. *Sicut diem cœli nox omnino non ſequitur, ita & Chriſti iuſtitiam peccatorum tenebræ non ſequuntur. Semper enim dies coeli ſplendet, lucet, & fulget, neque aliqua poteſt obſcuritate concludi*. Audis qualem te eſſe oporteat, vt dies coeli ſis, & dign⁹ thronus Altiſſimi? Oportet te gratiæ ſuæ radio perpetim emicare: oportet nunquam culpæ obtenebrari caligine. Talis eſt Chriſtus, talis eſt dies coeli. *Sicut dies coeli*.

14 Vt in eodem etiam verſu parumper perſiſtamus; audi quid de hoc throno proſequitur Spiritus Sãctus. *Et thronus eius ſicut luna perfecta in æternum.* *Pſal. 88. 36.* Lunæ confert ſedem Altiſſimi: ſed lunæ perfectæ in æternum. Neque enim Deus in luna, quæ noſtris patet obtutibus, inhabitare dignatur, quæ varijs, crebriſq; mutationibus, & viciſſitudinibus ſubeſt: & lumine, quo heri explebatur, hodie exinanitur. Sed in *luna perfecta in æternũ*, quæ, quod ſemel habuit, lumen in æternum detineat, nulla vnquã obſcurata caligine. *Thronus eius ſicut luna perfecta in æternum: etenim, & ſi perficitur luna iſta quam nouimus, alia die incipit minui*. Ait Auguſtinus. *D. Aug. ibid.* Ob hoc quidem Sponſus vbi lunæ ſimilitudine commendauit dilectam; quia id inſufficiens ad Dei ſedem cõſtituendam agnouit, ſolis addidit typum. *Pulchra vt luna, electa vt ſol*. *Cant.* Sol vtique nullis vnquam cõcluditur tenebris, nullis terminatur vmbris, nulla caligat nocte: quam ſemel habuit, lucem in æternum cuſtodit. Talem eſſe animam decet, quæ Chriſtũ ex altari ſuſcepit. nulla mortis vmbra, nullis culpæ tenebris deficere debet, nè ab ea lumen de lumine abeat.

15 Vbi ſe Chriſti proditor, quod vitam morti tradiderat, vita iudicauit indignũ, ac a ſe ipſo ſuſpenſus, perijt, periturus æternè, *Crepuit medius, &* *Act. 1. 18.* dif-

*diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* ait Petrus Apoſtolus. Minimè potuit corpus ea viſcera detinere, quæ tam execrandum facinus cõceperant, quin auibus, canibuſq; dilaceranda proijceret. Sed cum onus peroſum potuiſſet expuere, perq; ora proijcere, ad quid tam violenter aditum ſibi maluit ad aperire? Audi Comeſtorem.

*Mag. Hiſto. Schol. in Act. Apoſt. c. 9.*

*Crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius, non per os eius: vt ſic parceretur ori, quo Saluatorē oſculatus fuerat.* Quia nefas erat os illud, quod Chriſti acceperat oſculum, tali inquinamento fœdari; nō ex ore, ſed nouo ex aditu eiecit abominanda præcordia. Heu horrendiſſimum ſcelus, turpiſſimum facinus, execrãdum flagitium, Sacro Euchariſtiæ sũpto, commiſſa iterare peccata, nouaque committere. Quia os Iudæ Chriſti oſculum habuit, inquinari nō debuit: quo pacto os, cor, anima, corpus, quę Chriſti corpus acceperint, poterunt inquinari, contaminari, prophanari, Dœmoneq; excipere, fœditatis omnis auctorem?

16 Verũ eſt, verum, inquã, illud Saluatoris; *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Velut ſi diceret: vt adultero placeat meretrix, reddaturque formoſula, totum prorogans diem, omni ſe ſtudio comit, expolit, exornat. Vt Deo placeat anima, oſcitanter, pigrè, perquè, paruũ momentũ meditatur, breuiter orat, laborat. Vt ſibi ſui Regis ſeruet beneuolentiã, nil non facit aulicus. Vt Domini Dei gratiã ſibi ſeruet homo, vix aliquid operatur. Nullum non mouit lapidem, vt ſibi pauper diuitē recõciliet: Et vt Deum demulceat peccator, vix emungit lachrymã. Vt domus eniteat, vel Indiæ prætioſi exquiruntur lapilli: Vt conſcientia fulgeat; nec quã Deus offert, gemmis prætioſiorem, gratiam excipimus. Vt obeliſcũ, quo Romã decorauere, honore haberēt Romani. *Nauis, qua ex Egypto adductus fuit puteolano puluere iuſſu Cæſaris oppleta fuit: nè cui alij vnquam deſeruire poſſet,* Anima vero, quæ quia Chriſtum excipit, vehitque, *Facta quaſi nauis, de longè portans panem ſuum;* ne Dœmoni, ob Domini honorē, truculentiſſimo hominum, Deique, deſeruiret hoſti, nullo ſeruatur intuitu.

*Luc. 16. 8.* — *Maiolus. Colloq. 23.* — *Prou. 31*

17 Demum aduerte, quod vbi Sacerdos, Hoſtiam ex more eleuauerit, & ſuper altare dimiſerit, vtriuſq; palmæ pollices, atq; indices, quibus Sacrum apprǽhenderat, ſtudioſè comprimit, nec eos vnquam aperit, niſi cùm opus fuerit glorioſiſſimum Chriſti corpus

attrectare. Quorſum hoc? Audi Nicolaum de Ploue. *Stringuntur digiti, ſcilicet pollices, & indices vtriuſque manus, nec diſiunguntur, niſi quando opus eſt tangere Sacramentum: nè digiti aliquid tangant poſt contactum corporis Chriſti.* Dedecet planè, iiſdē digitis, quibus Chriſti Corpus eſt tactum, alia à Chriſto, prophana præſertim, attingere. Magnam Rex cœli contumeliam patitur, ſi quæ ei conſecraueris, ad aliorum vſum conuerteris. Quid agis miſer Sacerdos, dum iiſdem digitis, quibus mane Chriſtū tetigiſti, veſpere meretricem attrectas? Quid agis Chriſtiane, dum eodem ore, vnde Chriſtum receperas, ſcorti captas oſcula? Eodem in corde gaudes habere Dœmonem, qui te tali percuſſit inſania? Pro nihilo æſtimas iniurioſe amantiſſimum tuum abigere, vt cū ſæuiſſimo, ac truculentiſſimo maneas aduerſario?

*Nicol. de Ploue de Exp. Miſ.*

## THEOREMA XI.

### Quoniam tu mecum es.

*Quædam Incarnationis extēſio eſt Euchariſtia, à diuino Amore adinuenta.*

QVemadmodū Chriſtus, in quo Deus homini hypoſtaticè iungitur, Deo dicere poteſt, *Tu mecum es*, ſic & Chriſtianus quilibet eadem ſuo modo repetere. Per ſacrā namque Communionem Deus ſecum eſt, Deoq; vnitur, & copulatur. Magnum ſanè diuini amoris inuentum. Sat enim nō fuit diuino amori Deum cum ſola Chriſti humanitate coniungi, niſi pariter cum omnibus nobis ſingillatim coniūgeretur. Ad id autem efficiendum Euchariſtiam adinuenit, quādamq; velut Incarnationis extentionem, excogitauit.

1 Si, quid quæreret Sponſa, cum tam ardēter, & anxiè Dei oculum peteret, percontaberis, *Oſculetur me oſculo oris ſui*; *Cant.* 1. 1. exquiſiuiſſe, inquam, Sacroſāctum Incarnationis myſteriū. Per hæc verba, ait Gloſſa, *Genus humanum, à Deo per peccatum remotum, optat reconciliari per Incarnationem Filij.* *Gloſ. ibid.* Quare exultat Bernardus: *Felix oſculum, ac ſtupendum dignatione mirabili, in quo Deus homini coniungitur.* *D. Bern. in Cant.* Congruè Verbi incarnatiō oſculū dicitur; nāq; ſicut, cùm labia, labijs accedunt, & cōiunguntur, fit oſculum; ità pariter cùm Deus homini acceſſit, noſtræq; carni coniunctus eſt, facta eſt incarnatio. Sciendū etiam ſanctam ſacri Corporis, & Sanguinis Chriſti Cōmunionē, quendam Dei, & hominis oſculum eſſe.

Deus enim & homo in altaris thalamo exoſculātur ad inuicem. En Lucam Abbatem. *Luc. Ab. in Cant.* *Oſculū Chriſti per corporis eius, & ſanguinis guſtum anima noſtra ſuſcipit*. Quia per Cōmunionem Chriſto vnimur, & incorporamur, ita vt ipſe in nobis, noſq; in ipſo ſcimus. *Ioan. 6. 57.* *Qui mãducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*. Cum itaque Cōmunio, vnio quædã ſit Dei, & hominis communicãtis; oſculiq; ſymbolo ſignificetur, incarnationem quandam eſſe, fatendum; qua Deus, qui ſemel, & ſoli Chriſto olim fuit vnitus, cum nobis omnibus vniretur perpetim.

2 Theophilus Antiochię Patriarca, quæ Chananææ mulieri Chriſtus dixit expendens, *Matt. 15. 26.* *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*; per panē corpus eius intelligit. *D. Theoph. lib. 1. in Euang.* *Panem*, inquit, *corpus ſuum dixit*. Ratio, qua ſacrum Chriſti corpus panis filiorum vocatur; ea eſt, quia filij Dei per illud nos efficimur, vt ex Hugone ſuper illud Ioannis, *Ioan. 1. 12 Hug. Car. ibid.* *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, dictum eſt iam. Si ergo per Euchariſtiam ſumus filij Dei, ſumus etiam Dij: Dij enim ſunt filij Dei: *Pſ. 81. 6.* *Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes*. ait Deus. Hoc eſt: Cū vos Dei filios dico, dico etiam Deos. Cum itaque naturæ munere homines ſimus, perq; Euchariſtiam Dij, quædam in nobis per Euchariſtiã Dei, & hominis vnionē, quandamq; incarnationem cenſendum eſt fieri; à diuino amore adinuentam; vt Deus, qui ſemel Chriſto vnitus fuit, cuilibet vniretur fideli.

3 Vbi vulgatus Interpres Canticorū ſeptimo legit: *Cant. 7. 9.* *Vulneraſti cor meum ſoror mea Spõſa*, vertūt Septuaginta: *Septuag. Interp.* *Cor abſtuliſti nobis ſoror*, ſiue vt ſcribit Nyſſenus, (cui placet hæc a Sãctis Eccleſiæ dicta, quos Sponſi amicos appellat) *Cordificaſti nos ſoror noſtra Sponſa*. Sed vndenam, tantus Eccleſiæ decor, tanta pulchritudo, tanta ſpecies, quod Sãctos cordificaret, recrearet nempè? Reſpondet S. Doctor. *D. Greg. Nyſſ. Homi. 8. in Cant.* *Si Eccleſia eſt Corpus Chriſti, Chriſtus autem eſt caput corporis, ſuo charactere formans faciem Eccleſiæ: fortè per hoc ad eam aſpicientes amici ſponſi cordificati ſunt, quoniam per ipſam clariùs aſpiciunt ſponſum, qui nõ cadit ſub aſpectum*. Quia Chriſti vultus Sãctos ſuos cordificat: Eccleſia autem Chriſto, velut corpus capiti, vnita, Chriſti faciem præfert; cordificantur pariter Sancti, recreantur, confortantur, ac roborantur, Eccleſiam proſpicientes. Quia verò per Euchariſtiam capiti corpus vnitur, dicente Auguſtino,

D. Aug. ſer. 28. ad fratr.

ſtino, *Saramentum iſtud ideo hominibus datur, vt corpus in terris capiti coaduneturn*; aſſerendum eſt, auguſtiſsi Sacramenti participes Chriſtum præferre, Chriſtoſque eſſe; Deos nimirum, & homines; velut in eis iterata, & extenſa ſit diuini Verbi Incarnatio, noſtræque carnis aſſumptio.

Ioan. 10. 24.
D. Aug. tract. 51. in Ioan.

4. Applicemus huic rei quę Ioannis decimo, Chriſtus Saluator hĕt. *Niſi granũ frumenti cadẽs in terrã, mortuũ fuerit, ipſũ ſolum manet.* Quæ D. Auguſtinus interpretans: *Ipſe Dominꝰ*, ait, *erat granum mortificandum, & multiplicandum.* Chriſtus granum erat mortificandum, & multiplicandum. Videamus quo pacto, quoue loco, diuiniſſimũ granũ erat mortificãdũ. Quamuis hæc Chriſti mortificatio mortem in ara Crucis ſignificet, potuit etiam Euchariſticum innuere ſacrificium; quod dum fit, granum hoc ſãctiſſimum è cœlo deſcendit in terram, toties mortificandum, quoties immolatur. Quidnam aliud hoc Sacramentum eſt, quam viua quædam, & clara mortis, & paſſionis Chriſti repræſentatio? *Sub Sacramento mirabilis paſſionis tuæ memoriã reliquiſti.* ait Chriſto Eccleſia.

In Offic. Corp. Domini.

Aduerte verò, quod Chriſtus ad altare, non ſolum mortificandus, ſed & multiplicãdus, deſcendit, nè ſolus maneat, ne amplius ſit vnus, ſed plures. Quotquot enim communicant ſic Deo ſtrictè, & intime copulantur, vt Dij quidam, & homines ſint, Chriſti nempè. Si ergo Chriſtus per Euchariſtiã multiplicatur in communicãtes, quædã Incarnationis extenſio cenſenda eſt Sacra Communio.

D. Chryſoſt. Homil. 61. ad Pop.

5 Leonũ inſtar, ait D. Chryſoſtomus, è ſacro altari recedere, qui dignè communicauerint. *Tamquã leones igitur ignẽ ſpirãtes ab illa menſa recedamus*; ibi enim leones efficimur ex hominibus. Cur potius leones, quam oues, boues, aquilæ, columbæ, aut ſimile quidpiam? Quia duplicem habere naturã, leonem referunt, cæteris vnam tantum habentibus. Leo, vt ait Pierius, in anteriori parte cæleſtis eſt, in poſteriori terrã ſapere videtur: quem ipſe ad Chriſtum, in quo diuinitas è cœlo, humanitas e terra deſũpta, copulantur ad inuicem, ſignificandum aſſumit. Cũ ergo Chryſoſtomus aſſerat, Sacris refectos myſterijs, tamquam leones recedere ex altari, tamquam Chriſtos dicere voluit; humanæ diuinæq; naturæ participes; id per Euchariſtiam aſſecuti, quæ velut quædã Dominicæ incarnationis extenſio eſt.

Pier. Hieroglyph. lib. 1.

6 Modò audiẽdus eſt Chriſtus, hęc per os Dauid affatus: In

In

Pſ. 107. 10. *In Idumæam extendam calcamẽtum meum*: pariterque notandum, pro calcamento ſuæ Incarnationis intellexiſſe myſteriũ, quod aptè calceamentũ dicitur; cũ Diuinitas, velut pes, in humanitate, velut in calceo, cẽſeatur incluſa. Qua propter Magnus Baptiſta, hypoſtaticã Dei, & hominis vnionem in Chriſto, ineffabilem, & incompræhenſibilem eſſe proſpiciens, ſeque ad tantam rẽ explicandam idoneum non eſſe ſignificans; calceamenti metaphoram vſurpauit. *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorum eius.* Luc. 3. 16. *Ideſt*, ait Hugo, *explicare myſterium Incarnationis.* Hugo Card. ibid. His ſic itaq; ſtantib⁹, videndus eſt locus, in quem filij Dei extendenda erit Incarnatio. *In Idumæam*, inquit, *extendam calceamẽtum meum*. Idumæa verò latinè, *terra ruffa, vel ſanguinea*, interpretatur, ſacrum altare ſignificans, Ieſu Chriſti ſanguine conſperſum, & ruffum. Idem itaque eſt, calceamentum in Idumæã, ac Dei incarnationem ſacrum ad altare extendi; quod hic intendimus.

7 Audi, quæ Deo dicat Sacerdos, priuſquam plebem ſuã ineffabili ſacro reficiat. *Supplices te rogamus omnipotens Deus: iube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime altare tuum.* Quæ, & ſi difficillima ſint, Algeri interpretatione aliquãtulum enodantur. Per ſublimè altare Algerus diuinum Verbum intelligit; ſupra quod, Presbyter orat, aſtantem plebem cum hoſtia ferri: vt participatione muneris ſacri aſſumatur, & feratur à Verbo: ac velut ouem errantem, & deperditam, quam dum caro factum eſt, aſſumpſit, & tulit; aſſumat, ac ferat; Eius hæc ſunt verba. *Quid eſt perferri hoſtiam in ſublime altare, niſi ouẽ humeris paſtoris imponi? Et quid ouis humeris impoſita, niſi homo aſſumptus à Verbo? Et quid eſt ſublimius Verbo Dei? Quotidie aſſumit fideles Verbum Dei participatione huius Sacramenti.* Alger. de Sacr. lib. 2. cap. 5. Quia probe Sacerdos Sacram Communionem quamdã Incarnationis extenſionem intelligit: Deum orat; vt tam magnum myſterium in plebe ſua non dedignetur implere. Hoc olim crediderim in calicibus explicatum; in quibus, teſte Tertulliano, paſtoris, ouẽ baiulãtis, exprimebatur imago. Tertull. de Pred. cap. 7.

8 Egregiè igitur Auguſtinus, diuinam Verbi Incarnationem ob Communionem factam affirmat. *Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus eſt homo.* D. Aug. ſer. 13. de Temp. Et Bernardus, vel alius Bernardi nomine: *O ſtupenda Dei dignatio, Verbum carnem, Deus cinerem, figulas lutum, vi-* D. Bern. ſer. in Cœna Dom.

ta,

*ta morticinium induit, vt iumẽta manducarem panem Angelorũ; homines iumenta erant.* Quod idcircò dicitur, quia incarnatio velut quædam fuit Sanctæ Communionis idæa. Nam, ſicut propter domum idæa domus efficitur, vt ad eius exemplar mox domus erigatur: ita ineffabile Incarnationis myſterium pro aſſumendis fidelibus huius Sacramenti virtute, cenſetur completum. Quia Dei amor Deum fidelibus cunctis vnire percupiebat; hypoſtaticam in Chriſto operatus eſt vnionem, vt ad eius exemplar, per Sanctam Euchariſtiam, eo modo, quo viſum eſt ei, Deo omnes vniret, exque vtero Virgininis Incarnationem extenderet ad altare. Sic ait Gliſſerius in Canticis. *Egregiè quidã Sacramentum iſtud extenſionem appellant Incarnationis: inuenit diuinus amor vnionem alteram, illi maximè ſimilem, perquam ſingulis vniretur hominibus: & vnio illa hypoſtatica extenderetur quod immodo ad omnes pariter, & ad ſingulos.*

*Gliſl. in Cãt. cap. 2. uerſ. 4.*

*Luc. 10. 58.*

9 Illud Euangeliſtæ, *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum*, exquirens D. Vincentius, Dei Genitricem Mariam per caſtellum intelligit: in quam, vt Deꝰ fieret hom o, vt factum credimus, introiuit. Additque. *In hoc Mariæ aſſimilantur, qui hodie communicant; quia ſicut ipſe venit in vterum virginalem, ità propriè venit in hoſtiam conſecratã.* Audis Chriſtum in illos, qui eum ex altari ſuſcipiunt, vt illos ſibi vniat, & quandam incarnationem perficiat; introire, quemadmodum in vterum Virginis ſibi Chriſtum hominẽ vniturus; & Verbi Incarnationem operaturus, intrauit?

*D. Vinc. ſer. 1. de Aſſump.)*

10 Denique inquirere lubet; cuiuſnam fuerit cœnaculum illud magnum, ac ſtatum, in quo Chriſtus Ieſus Paſcha cum Apoſtolis celebrauit, inſtituiſque Euchariſtiam. Autumat Ambroſius, cuiuſdam pauperis, obſcuri, & ignoti nominis fuiſſe; Theophilactus Simonis leproſi genitoris lazari, quod nihil habet probabilitatis; ille enim, non Ieroſolymis, ſed Bethaniæ inhabitabat. Alexander Monacus, cum quo ſentiendum, aſſerit fuiſſe cuiuſdã Mariæ, mulieris ſanctiſſimæ, matris Ioannis, qui mox dictus eſt Marcus: de qua non incurioſè hæc addit. *Quoties Dominus Ieroſolymam veniſset, illic vna cum Diſcipulis ſuis diuerſabatur, quibuſcum & Paſcha illic fecit, vbi & myſterium Sacramenti eoſdem Diſcipulos ſuos edocuit.* Quorſum Sacra Euchariſtia inſtituta eſt in domo mulieris, Mariæ, decoratæ vocabulo? Quia quædam ibi incarnatio fiebat, congruum fuit fieri in domo Mariæ; Dei enim

*Alex. Mo. apud Surium. 11. Iunij.*

enim incarnatio operata eſt in ventre Mariæ. Sibi Deus ibi vniebat Apoſtolos quemadmodũ in vtero Virginis ſibi Chriſtum vniuit; quamuis aliter.

## THEOREMA XII.

### Quoniam tu mecum es.

*Quidam carcer eſt Sacramẽtum; in quo, ne quos amat relinquat, ſe Deus occluſit.*

SIdum, Chriſtum Regem noſtrum, Sacro in Euchariſtico nobiſcum eſſe, canit Pſalmographus, *Tu mecum es*, quonã modo ibi nobiſcũ eſt, exquiſieris. Velut in carcere inquã: ibi enim amor, ne quos amat, relinquat, quotidie recludere, & alligare aſſolet. Nec nouũ ſit tibi Chriſtũ in hoc terrarũ exilio, nobiſcum in carcere detineri. Sane hoc præſignauit Patriarchæ Ioſeph ergaſtulũ. *Ioſeph in carcere, Chriſtus in mundo.* ait Hugo Cardinalis.

*Hugo Card. in cap. 40. Gen.*

1 Refert Ioſephus, in mẽſa panis propoſitionis quendam viſum eſſe mæandrum, miro fabrefactum ingenio, gẽmiſque ditatum, & variatum pretioſiſſimis. *In menſa autem ſculptus erat mæãder magni pretij gemmis per medium, tamquã ſtellis, variegatus.* Verum quia menſa propoſitionis menſam noſtri ſignificabat altaris, in qua panis qui, e cælo deſcendit apponitur; mæander ille aliquod Sacramẽti noſtri myſterium innuit. Innuit eſſe etiã in altari mæãdrum. Quid nam eſt mæander? Mæander, teſte Nonio, genus picturæ eſt, labyrinthorum ambagibus inflexum; eſt quidam labyrinthus; eſt quidam carcer: nam labyrinth⁹, vt videre eſt apud Cælium, carcer erat, difficiles habens egreſſus, & prorſus irremeabiles, in quo nil quidpiã vt in alijs carceribus, foret incommodi, niſi quod, quem aſſeruabat, non permittebat effugere: Dædali præclariſſimi architecti, ad Cretenſe Minotaurum enutriendum, inuentum, vt Diodorus noſter receſet. Ergo ſi in ſacra menſa mæander, ſeu labyrinthus; aut carcer, delineatur; quis, quæſo negabit Chriſtum in Euchariſtia velut quodam in carcere ab amore includi, nè nos relinquat, quos amat?

*Ioſeph. Hebr. apud Salaz. in Prou. c. 9 nu. 86.*

*Noni⁹ apud Ambr. Calep. Ver. Mæandr.*

2 Prout Pſaltes diceret, Sacramentum tuum, *Holocauſtũ ſuum*, inquit, *pingue fiat*, euchariſticum ſacrificium holocauſtum appellans. Cur holocauſtũ? Vt huius vi nominis Chriſtum in ſacro altari alligatum expliceret. Cum probè ſciret Abraham (quærit Nicolaus de Lyra) Iſaac filium ſuum Deo, ſibi-

*Pſal. 19. 11.*

ſibique in primis obedientem; cur, vt eum immolaret, velut reluctantem, ligauit? *Ligauit*, inquit, *filium ſuum, non quod timeret eum fugere, vel rebellare; ſed vt immolaret eum ſicut animalia, quæ offerebantur in holocauſtū.* Quia dixerat ei Deus *Tolle filium tuum, & offer eum in holocauſtum*, vt filij ſacrificiū holocauſtum foret, eum alligauit. Hoc ſanè attendit Pſaltes, ſacram Euchariſtiam holocauſtum dicens. Nam in ea Chriſtus, holocauſti inſtar, aureis amoris nexibus, dulcibus charitatis vinculis, charis dilectionis funibus, nè nos deſerat, alligatur, ſtringitur, detinetur.

*Nicol. de Lyra in cap. 22. Gen.*

*Gen. 22. 2.*

3 Hoc myſterium nouerat Sponſa, cum diceret, *Dum eſset Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum.* Nam cum idem ſit Chriſtum eſſe in accubitu; ac eſſe in menſa; ſedentes enim ad menſam, dicuntur accumbere: de Chriſto, quatenus in ſacra altaris menſa cōſpicitur, ſermonem habere videtur. Cæterum, quia pro *Accubitu* alij circulum transferunt, *Dum eſſet Rex in circulo ſuo*; Dominus in mēſa altaris, velut in circulo quodam, contineri deſcribitur. Quorſum in circulo? Vt ſignificetur eum ibi, velut in carcere detineri. Rotundi, & ad modum circuli erant antiquitus carceres. Vbi Geneſis habetur. *Tradit Ioſeph in carcerem*, ait Oleaſter transferri poſſe, *In domum rotundam. Quia domus carcerum*, inquit, *in illo tempore erant rotundæ.* De Pompilio me legiſſe memini, cum à Romanis ad Regem Antiochum legaretur, vt exercitum, quem aduerſus ſocium Romanę Rei publicæ inſtruxerat, diſſolueret; reſponſumq; acciperet ſē niſi matura adhibita conſideratione, id non poſſe: linea ducta, quam ferebat, virga; circulo Regem cinxit, ac velut eum in carcerē interclusiſſet, ait: *Hic igitur ſtans, conſulta*. Ttadunt pręterea, maleficos in præſtigijs, & impoſturis ſuis circulo quodam vti, Crucem Chriſti includente: quod, vt tradit Martinus de Rio, adinuentum eſt Dœmonis; vt oſtēdat, ſe Chriſti vexillum captiuum; & carcere incluſum, habere. Sponſa itaque Chriſtum in altaris circulo contentū deſcribens; *In circulo ſuo*, clariſſimè innuit, velut in quodam carcere detineri. In carcerem incluſit amor, ne, quos diligit derelinqueat.

*Cant. 1. 11.*

*Alia Transl.*

*Gen. 39. 20.*

*Oleaſt. ibid.*

*Apophth lib. 5.*

*Martinus de Rio.*

4 Per rationale, quod olim ſummus Pontifex gerebat in pectore, Chriſtus eſt intelligēdus, quem dum celebrat, antè pectus habet Chriſtianus Sacerdos. Id arguit Cyrillus Alexādrinus ex eo quod in ratio-

nali *Doctrinam, & veritatem*, ſiue, vt habent alij, *Manifeſtationem, & veritatem*, erat inſcriptum. *Nam veritas*, inquit, *& manifeſtatio Chriſtus eſt: in eo enim Patrem cognoſcimus, & manifeſtatio nobis bonam ipſius voluntatem*; Cæterum aduerte, quod rationale iudicij binis ex auro fabrefactis vinciebatur catenis. *Facies*, inquit Deus Moyſi, *in rationali catenas, ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo*. Quod ſanè factum eſt, vt Chriſtũ ĩ ſacro altari aureis catenis, pretioſis nimirũ amoris vinculis, nè nos relinqueret, detentũ, ac ligatũ, pręfiguraret. Tradit Alexãder ab Alexandro, Tyrios, obſidione preſſos, Herculis ſimulachrum, quod magna Religione colebant, nè Vrbem deſereret, aurea catena iunxiſſe.

*D. Cyrill. Alex. de Adorat. lib. 11.*

*Exod. 28. 22.*

*Alex. ab Alex. Dier. Gẽ. lib. 6. ca. 4.*

5 Cur Romana Eccleſia, non in ſerico, vt Græcorũ mos eſt, neque laneo, ſed lineo conſecrat corporali? Scio quidem huius rei multæ, ac pariter pulchræ, afferri poſſe rationes: hanc interim habeto. Sanè te ſatagit erudire, ibi ſe Deũ ſuũ captum, ſuiſque vinculis irretitum tenere. Scis quidem ſerica, ac lanea, quia ſegnia ſunt & remiſſa, ad retia, atque ad alia huiuſmodi, in quibus vi opus eſt, & robore, idonea non cenſeri: linũ autẽ, qa neruoſitate, ac robore præſtat, multoque durius, ac fortius eſt; laqueis, pedicis, retibuſque congruit. Lineo magis, quam ſerico, ac laneo, S. Marer Eccleſia Chriſtũ ponit in linteo, vt oſtendat, quod dum eum habet in Sacramento, captum habeat, irretitum, ac ligatum: tamque forti nexu ligatum, vt ſe ferè ſolui, noſque, quos ſic fortiter amat, relinquere minimè poſſit.

6 Conſideremus hoc ipſum ex dulciſſima iudicantis Chriſti ſententia, electis in nouiſſimo die ꝓnũtianda. *Venite benedicti Patris mei, poſſidente Regnum paratum vobis à conſtitutione mundi: in carcere eram, & veniſtis ad me*. Quæ vbi audierint Sancti, admirabũdi, rogabunt. *Domine quãdo te vidimus in carcere, & venimus ad te?* Quod audimus à te Rex ſemper omnipotens? Vbinam te vnquam vidimus carcere mãcipatum? Quænam poteſtas, quod imperium, quę uis cũcta potentem, compræhendere, ligate, rapere vinculis, in carcerem trudere poteſt? Cõgrua, & conſentanea ratio. Verum etſi nulla ſit vis in terra, quæ ligare Deum poſſit, & includere in carcerem; eſt tamen amor in cœlo, cui tanta vis eſt, vt maiora facere conſueuerit. Ipſe Chriſtum compræhendit, in carcerem includit, detinet, detinebitq; vſq; ad conſumatio-

*Matt. 25. 34. et 36.*

*Ibid. ver. 39.*

tionẽ mũdi: nẽ Sãctos, quos ar-
dentiſſimè diligit, in carcere
*Orig.* mundi relinquat. *In carcere*
*tract. 34.* *membro Chriſti conſtituto, ipſe*
*in Matt.* *non eſt ſolutus à carcere.* inquit
Origenes. Dũ iuſti in hoc mũ-
do laborant, & velut in teter-
rimo carcere tribulantur, &
mærent, in carcere eſt ẽt Chri-
ſtus, in ſacra ſcilicet hoſtia
clauſus eſt & ligatus; ſoluen-
dus, liberanduſque, cum ſo-
luto mundo, illi è mundi car-
cere ſoluentur.

7 Si modum fortè quæris,
quo Chriſtus maneat in alta-
ri; reſpondet Damaſcenus. *Ia-*
*D. Da-* *cet panis in ſacra menſa tamquã*
*maſc. ep.* *in vtero Virginis.* Et D. Vincen-
*ad Zach.* tius: *Si Virgo grauida erat tem-*
*cap. 2.* *plum Dei, Sic hoſtia conſecrata*
*D. Vinc.* *eſt grauida.* Hoſtiã Reginæ An-
*ſerm.* 1. gelorum comparat, Chriſto fæ
*Feſt. Corp* tæ. Si itaque Chriſtus eo mo-
*Chr.* do eſt in Hoſtia, quo fuit in v-
tero matris; audi quomodo
fuerit in vtero matris, & quo-
modo ſit in Hoſtia, liquido cõ-
peries. Hæc Zeno inuictiſſimus
*D. Zeno* Martyr ait amori. *O charitas tu*
*de fide, Deum breuiatũ, pauliſper à maie*
*ſpe, &* *ſtatis ſuæ immẽſitate, peregrina-*
*charitate.* *ri feciſti, Tu virginali carcere*
*nouem menſibus relegaſti.* Virgi-
nis ergo vterus carcer erat:
Carcer eſt pariter Hoſtia. Vtro
bique amantiſſimum Dominũ
amor noſter incluſit.

8 Nunc parumper diuerta-
mus ad Cantica. Chriſtum è
cœlo Sponſa deſcendentem in-
ſpiciens, vt ad nos quotidie
ſub formis panis, & vini con-
fitemur deſcendere; *Ecce iſte* *Cãt. 2. 8.*
*venit*, inquit, *ſaliens in monti-*
*bus, tranſiliens colles: ſimilis eſt*
*dilectus meus capreæ.* Capreæ,
non oui, non leoni, non aqui-
læ, Chriſtum ſuum comparat.
Cur capreæ? Quia velut ca-
prea charitatis catena faci-
liter capitur: *Retiaculis*, in-
quit Hugo, *capitur ſponſus* *Hugo*
*amore ſpecioſarum mentium;* *Card.*
*ac velut quibuſdam funibus ca-* *bid.*
*ptus, ligatur.* Quemadmo-
dum autem, dum hominem
ligatum duci vides, in car-
cerem trahi coniectas: ſimi-
liter, dum Chriſtum ſanctorũ
vinculis captum, extractum à
ſede cœli, duci vides ad ſacrũ
altare; ſi coniectes in carcerem
duci, non temerè coniectabis.
Carcer eſt Chriſto Sacramen-
tum altaris, vbi à diuino amo-
re perpetim detinetur, & cu-
ſtoditur: ne vnquam ab ijs,
quos tantopere diligit, abſce-
dat.

9 Vbi autem Sponſum, quẽ
perquiſierat, inuenit, hæc ait:
*Inueni, quem diligit anima mea:* *Cãt. 3. 4.*
*tenui eum, nec dimittam, donec*
*introducam illum in domum ma-*
*tris meæ.* Dũ tenui inquit, cũ-
que addit, nec dimittam; in-
tellige eum alligaſſe: minime
enim Deus Moyſi ſuo dixiſſet: *Exod. 31.*
*Dimitte me*; niſi eum Moyſes 10.

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 3. art. 2. cap. 3.*

ligaſſet. *Audis dimitte*, inquit Bernardinus, *& Deum profectò teneri non dubites*. Sed quonã eum ducere ſatagebat? *In domum matris meæ*, inquit. Dom⁹ matris ſuæ tabernaculum eſt. *Quouſque*, ait Rabbi Selomon, *introduxerim eum tabernaculũ*. Tabernaculum autẽ locus eſt Euchariſtiæ dicatus. Noluit Sponſa Chriſtum, quem forti ter alligauerat, dimittere, quouſque eum in Sanctam introduceret Euchariſtiã; vndè ab ea amplius fugere non poſſe ſciebat; quia in ea, velut in quodam carcere, pro communi omnium vita, ligatus manet, & clauſus.

*Rabb. Selom. in capit. 3. Cant.*

10 Nemo eſt, quem lateat, carcerem cuſtodiam dici. Lucas Apoſtolos in carcerẽ immiſſos, recenſens, pro carcere cuſtodiam ponit. *Iniecerũt*, inquit, *manus in Apoſtolos, & poſuerũt eos in cuſtodia publica*. Carcer, vt Iſidorus habet à coercendo dicitur, quod ſontes ab eo prohibeantur exire. Dicitur etiam cuſtodia, quoniam incluſos, nè fortè exeãt, & aufrigiant cuſtodit: quod idem ſanè eſt. Qnoniam verò S. Mater Eccleſia tabernaculum, in quo Chriſti corpus reponitur, & ſeruatur, cuſtodiã dicere, vt vulgaris mos eſt, conſueuit; coniectandum eſt, Chriſtum in Sacramento velut in cuſtodia, & carcere detineri, in quem eum impulit amor, vt nobiſcũ perpetim commoretur.

*Act. 5. 18.*

*D. Iſid. etymol. lib. 18. cap. 2.*

11 Quid queſo cauſæ eſt, quòd Chriſtiani pictores Angelos alatos, abſq; alijs verò Deum delineent? Eo quia in continuo motu ſunt Angeli, modò deſcendẽtes ad nos, modò recedentes à nobis, effinguntur alati: Deo verò, vt ſit ſemper nobiſcum, ne nos vel ꝑ momẽtum in hoc mundo relinquat, abnegantur alę. Quamuis vbique gentium Victoriæ ſimulachrum videretur alatum; apud Athenienſes tamen alis exarmatum erat. Quod ea de cauſa factum, ex Pauſania tradit Pierius, *Nè victoria diſcederet Athenis, & aliò quopiam aduolaret. Ità numen apud ſe perpetuo detineri poſſe arbitrati ſunt Athenienſes, quod alarum omẽ, velut quoddam inſtabilitatis ſignum, reformidabant*. Videbatur Athenienſibus, vbi Victoriæ alas abſtulerint, ligatam, ſecumque concluſam Deam, eorum habere. Nam cui alas abſtuleris colligatum habebis; vt te derelinquere, ac aliò volare non poſſiit. Hoc ingenio perdices, paſſeres, & huius generis aues nobiſcum detinere, & à volatu cohibere ſolemus. Hoc adinuento vſus eſt amor vt Chriſtũ nobiſcũ ꝑpetũ detineret. En Vãtẽ Iſaiã. *Dabit vobis Dominus panẽ arctũ, &*

*Pier. lib. 21.*

*Iſa. 30. 20.*

*& non faciet volare à te vltra Doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Transfert Galatinus: *Et non operiet ſe ala vltrà Doctor tuus.* Vbi (ac ſi diceret) Chriſtum Doctorem tuum tecum in terra ſub parua, & arcta, panis forma habebis incluſum; nullo non tempore apud te illum aſpicies. Nam nunquam ſe alis operiet, vt à te diſcedere poſſit. Erit itaque tibi Chriſtus tuus velut ligatus, velut in carcere, & in cuſtodia incluſus.

*Galat. de Arcan. lib. 4. c. 24.*

12 Illud de Chriſto decantare conſueuit Eccleſia. *Quem coeli capere non poterant, &c.* Quod non modo ad commendandam eius immenſitatem, ſed & ad oſtendendam omnipotentiæ eius magnitudinem prædicat. Quamquam totius terrarum orbis, cœli cœlorum exercitus, Deum capere ſtudeant, in caſſum deſudât. Tãtæ potentiæ eſt, tanti roboris, & valoris, vt ſi cuncta, quę facta ſunt ad eius conſpirarent capturam, oleum, & operã perderent. Voluiſſe olim homines, fingit Homerus, Iouem è cœlo trahere, & ligare: fruſtra tamen elaboraſſe, rei exitus docuit.

*Sed non detrahere è coelo, neque vincere ſummum*
*Vlla Iouem potuit vis, labor omnis inanis.*

*Homer. 1 Iliad.*

Verum, o miram Religionis noſtræ, fideique virtutem; quæ millies quotidie Deum è cœlo trahit, ligat, & detinet in Euchariſticis vinculis. Quidnam putas dicat nobis Sacerdos cũ ex more, vbi Euchariſtiam fecit, eleuat, & oſtendit? Nil aliud, ait Bonauentura, quàm hæc ipſamet verba. *Ecce, quē totus mundus capere non poteſt, captiuus noſter eſt.*

*D. Bonau. in Exp. Miſ.*

13 Demum, quid cor tuum æſtimas, dum poſt myſticas epulas, Dominum hoſpitatur, niſi quoddam ergaſtulũ? *Mirabile quidem fuit*, habet Damianus, *Chriſtum concipi in vtero matris: ſed non eſt inferius ſi deferatur in ergaſtulo pectoris.* Ergaſtulum vtique. Ergaſtulum quilibet locus eſt, in quo vincti & compediti laborant, & operantur. Quanta Chriſtus Ieſus poſt ſacrã communionem in temetipſo operatur? In correptionibus mãſuetudinem, in laboribus patientiam, in cautela ſagacitatem, in charitate ardorem, in gratiarum actione deuotionem. Demum te ſibi vnit, & copulat, vt ex homine Deus euadas. In ergaſtulo eſt, ſalutem tuam, continuè operatur. Sed compeditus, ſed vinctus, non ſolutus, & liber. In ergaſtulis vincti, & compediti laborant. Compeditus, & vinctus tecum eſt Chriſtus, quem ex Euchariſtia poſſides: ibi diui-

*Petr. Dami. ſer. de Natiu.*

nus amor, ne nos relinquat orphanos, vinctum, compeditũque cuſtodit.

14 Illud autem hoc loco expendendum, ſacram hanc
1. Cor. 11 23. menſam, *In qua nocte tradebatur*, vt ſcribit Apoſtolus, inſtitutam à Chriſto; habẽt en verba hæc admirabilem emphaſim. Sanè, non ait, in qua nocte naſcebatur. haud enim eã dum ad nos accederet, ſed dũ à nobis recederet, inſtituit. Dum à nobis ageretur, vt non modo extra Synagogam fieret, ſed crucis fuſte expelleretur à mundo, admirabilem modum inuenit, quo ſe nobis vehementiùs inſinuaret, ingereret, nobiſcum eſſet, nobiſcum maneret; neuè quos amaret, vllo relinqueret pacto, in carcere ſe clauſit amoris.

## THEOREMA XIII.

### Quoniam tu mecum es.

*Aequè Diuina maieſtas ſedens in ſolio altaris, quam regnans in ſubſellio cæli, pertimeſcenda eſt.*

QVia Deus ſecum eſt, ait, ſe nõ timere, Pſalmographus. Imo propterea (inquis) timendũ, ac trepidandum eſt illi, quia in eius conſpectu ſit, quem tremunt cœli, & terra. Quis non coram tãta maieſtate verebitur, cuius miniſtri mors, Dœmon, infernus? Sed non inquit ipſe: Non timebo Deum, ſed: *Non timebo mala*, ſeu, vt ſupra explicuimus, ſcelera. Reuera Deus vbique tremendus, metuendus, formidandus: in altari præſertim: cum enim ibi Sancti formidant, metuunt, tremunt.

1 Magnum ſanè, & admirandum prodigium Moyſes vidit in rubo. *Videbat*, aiunt ſacræ paginæ, *quod rubus arderet*. Exod. 3. 2
Vndenam hoc incendium rubo? hic ignis? hæc flamma? vt totus conflagraret, & in ignem abiret? Facilè id percipies, ſi tunc temporis rubum excepiſſe Chriſtum aduertas. Præmiſerat textus: *Apparuit ei Dominus de medio rubi*. Diuinã Dei maieſtatem, nullo pacto ferendam, rubus ſui vidit in medio: propterea veluti ſẽſu præditus, exarſit, conflagrauit, excanduit. *Rubus aſpectũ eius minimè perferens, cõflagrabat flammis*. ait D. Proclus. Tã D. Proclus Orat. 5.
horribilis, & formidabilis eſt Dei maieſtas, etiam inanimis, etiam ſenſu carentibus.

2 Audi quæ de Chriſto ait Præcurſor Ioannes: *Cuius non* Luc. 3. 16
*ſum dignus ſoluere corrigiã calceamentorum eius*. Quia per calceamentum Chriſti, vt ex præhabitis habes, eiuſdem intel-

telligenda eſt, quam ex Virgine aſſumpſit, humanitas; idem eſt Chriſtum fuiſſe calceatũ, ac Deum incarnatũ, in noſtra carne concluſum, hominemq; factum: quemadmodum mundo apparuit, & habitauit nobiſcum. Videamus ergo, quare nuda Diuinitate Deus apparere noluit mundo, dum e Cælo deſcendit in mundum; ſed ſacro humanitatis calceo calceata, & obtecta? Hoc ideo (Placet Paſchaſio,) quia adeo terribilis, & horribilis eſſet Deus, ſi nudus appareret in terra, quod terra ſuæ nuda maieſtatis veſtigia ſuſtinere non poſſet. *Habemus*, inquit Paſchaſius, *Dominum Ieſum Ioanne teſte fuiſſe calceatum. Cuius ego, inquit, nõ ſum dignus corrigiam calceamentorum eius ſoluere. Quia terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia.*

*Paſch. in cap. 10. Matt.*

3 Mira admodum, inaudita, & noua, viſa ſunt in terris; dum Moyſes, vt legem acciperet, detinebatur ĩ Sina. Vndique perſtrepebãt tonitrua, corruſcabant fulgura, diſcurrebant nubes, inuoluebantur caligines, fumabat mõs, munduſque totus vndique cõmouebatur. Vnde nam tantæ cõmotiones? fumi? caligines? nubes? fulgura? tonitrua? Quia Deus expectabatur in mundo. Probè ſciẽs mundus ſe tantam ac talem, maieſtatem ferre nõ poſſe, totus cõmouebatur, diſcurrebat hinc inde, ac ſi quodam velut tremore compulſus, & compræhẽſus, quieſcere non valeret. *Nam par erat*, inquit Philo, *vti Dei aduentante potentia, nulla mundi pars cõquieſceret*. Perinde horribilis eſt diuina maieſtas quod ad eius occurſum nihil quieſcere poſſit, nihil ſtare, quin non horreat, non paueat, non contremiſcat, non fugiat.

*Philo Hebr. de Dec. Præcep.*

4 Audi nunc mira, quæ ſibi Ioannes oſtẽta fuiſſe teſtatur. *Et vidi*, inquit, *thronum magnũ candidum, & ſedentem ſuper eũ, à cuius conſpectu fugit terra, & coelum, & locus non eſt inuentus eis*. Magna quidem viſio, magna digna aduerſione. Non modo quod à conſpectu Dei, in throno maieſtatis ſuæ ſedẽtis, cælum, & terra fugiãt, velut terrore perciti, horroreque concuſſi, coram tanta gloria ſtare non poſſent. Sed præcipuè, quod addit, *Locus non eſt inuentus eis*. Quid queſo eſt *Locut non eſt inuentus eis:* niſi cœlum & terram defeciſſe, & in nihilum abijſſe? Tale quid arbitrandum. Nam cum dicat Auerroes. *Neceſſe eſt corpus quodcumque habere locũ, inquo quieſcat:* cœlum, & terram defeciſſe cenſendum, quibus locum defeciſſe teſtatur. Cur defecerunt, & abierunt in nihilum?

*Apoc. 20. 11.*

*Auer. 3. coeli cap. 19.*

hilum? Audi Bernardinum. *A cuius aſpectu fugit coelum, & terra: tum quia omnes habitantes in coelo, & in terra, præ reuerentia maieſtatis eius in propriã paruitatem, & nihilitatem reſiliunt, ac ſi eſſent ſibi ipſis annihilati. Ideoque ſequitur, quod locus non eſt inuentus eis. Ideſt facta ſunt quaſi nihil, ac ſi nuſquã eſſent. Tum quia ſicut lux candelarum, atque ſtellarum diſparet in aduentu ſolis, ſic ad fulgorem gloriæ Chriſti omnia alia ad reſpectum eius erunt quaſi nihil.* Vides quam terribilis ſit Dei tui maieſtas, quod quæcumque, ſiue in cœlo eminent, ſiue in terra iaceant, ab eius conſpectu fugiant, & redigantur in nihilum?

*D. Bernardin. de Iud. Vniu. ar. 2. cap. 1.*

5 Puto te ſæpius obſeruaſſe, quod Sponſa dilecto dixerit: *Fuge dilecte mi.* Sanè dum fugam dilecti quærit, præſentiæ ſuæ tædio videtur affecta. Porro hoc nouum eſt, & mirabile. Quem tantopere diligit, amat, deperit; petit, vt fugiat? Quis neſcit ab amante perinde amati conſortium expeti, vt mortem potius, quam illius abſentiam patiatur? Nonnè eſt hæc illa, quę furta contemnens, & vulnera, donec dilectum offenderit, viros, & plateas peragrare nõ deſtitit? Cur modò eum poſſidẽs, ab eo petit, vt fugiat? *Hoc non dicit Sponſa,* ait Hugo, *tamquam præſentiæ Sponſi tædio affecta: ſed quia ex tam familiari Sponſi affectu, & præſentia, quaſi facta eſt in extaſi, tamquam ipſius celſitudinem ſuſtere non valens.* Vbi velut in ſpeculo cõſpicias velim, mirum maieſtatus Chriſti terrorem, quæ ab eis etiam ſuſtineri non poteſt, qui Chriſtũ perindè deperiunt, vt ſui præſentiam, vel ipſo mortis diſcrimine, nullo non tempore quærant.

*Cãt. 8. 14*

*Hug. Cardin. cap. 5. Cant.*

6 Vbi Chriſtum fidelis Cẽturio, vt ægrotum ſeruum ſuũ ſanitati redderet, orauit, reſponſum hoc accepit: *Ego veniam, & curabo eam*, ſubiecit ex templo Centurio: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Quibus domi ſuæ Dominum noluiſſe videtur; immeritò tamen. Nam quò Dominus pedem infert, quæ prius erant arida, fiunt florida, ſterilia fætant, amara dulceſcunt: fugit inde pauperies, affluunt opes; ibi demũ terra cœli præſefert faciem. Quorſum ergo Centurio noluit domi ſuæ malorũ omniũ expulſorẽ? bonorũ elargitorẽ? Et ſi nouerat hæc omnia Romanus miles, quæque præſentia Dei conſueuit afferre, domi ſuæ cupide voluiſſet: horribilem tamen, & expaueſcendam Domini maieſtatem pertimuit: *Diuinitatem Chriſti* præ-

*Matt. 8. 7*

*Paſch. Ibid.*

*præſentem ferre non valet*: ait Paſchaſius. Sic ſecum fortè ratiocinatus: Si à Dei cõſpectu cœlũ pariter, & terra fugiunt, & in nihilum abeunt; quidni tectum meum, quoſq; recipit tectum, tãta maieſtate cõſpecta? ruẽt mihi procul dubio diſſipabuntur, exterminabuntur cuncta.

7 Minimè prætereundum, quod Zacharias, Vates Sãctiſſimus, virum ſuper equum rufum viderit aſcendentem. *Vidi per noctem*, inquit, *& ecce vir aſcendens ſuper equum rufum*. Hoc viſũ Cellenſis Abbas exponens, per equitem Deum intelligit, per equum rufum diuinum Chriſti corpus, & animam, ſuper quæ Deus in Incarnatione conſedit. Aptè quidem Chriſti corpus, & anima dicuntur equus. Nam Equi, vt ait Iſidorus, *dicti ſunt eo quod, quando quadrigis iungebantur, æquabantur*: Et Deus in Incarnatione æquè corpus ſibi iunxit, & animam; æquè vtrumque vniuit, & copulauit diuinitati. Nec enim magis animam, quam corpus aſſumpſiſſe credendum eſt. Sed operæpretium eſt obſeruare equum hunc rufum dici. *Aſcẽdens ſuper equum rufum*. Quare rufum? *Fortè equus iſte*, ait Petrus Cellenſis, *rufus eſt; quia dignitatem ſeſſoris non ſine verecundia contuetur: & ita propter ſuam reuerẽtiam rubore perfunditur*.

*Zach. 1. 18.*

*D. Iſid. Etym. lib. 12. cap. 1.*

*Pet. Cell. de Panib. cap. 23.*

Videntes quippe caro, & anima Chriſti, magnæ Deitatis, cui iungebantur, præſentiã, erubuerunt, ac tam excelſam veritæ ſunt maieſtatẽ. Quòd ſi Chriſtus Deum erubeſcit, & terribili eius indignum ſe reputat præſentia; quid facturus eſt homo, verè cinis, & puluis? tot culpis oneratus, fœdatus ſceleribus, peccatis pollutus? Quid inquam aliud in tantę maieſtatis cõſpectu facturus eſt miſer, quam in nihilum redigi?

8 Apoſtolos, cum Domino nauigantes, tanti diſcriminis, & periculi procellã paſſos eſſe refertur, quod naufragiũ certum facturos eſſe æſtimarent. *Motus magnus factus eſt, ità vt nauicula operiretur fluctibus*. ait Euangeliſta. Et ſane ſi Chriſtus non adfuiſſet, imperans ventis, tranquillãs mare, certiſſimum tuliſſent naufragiũ. Lubet hic quærere: vndenam tanta tempeſtas? aquarũ agitatio? ventorum impulſus? ex naturali euentu, an ex alia occultiore cauſa? Paſchaſius Abbas hoc metipſum quærit: videnſq; mox Domino, vadũ tenẽti, duos occurriſſe, à Dœmonibus vexatos, quos abiectis tortoribus tantis exoluit à pœnis, & conſolauit; tempeſtatẽ hanc Dœmonum artificio cõiectat exortam; ſatagentium

*Matt. 8. 24.*

per oppoſitos ventorum flatus Dominum ab ea regione, in qua nequiſſimi ſæuiebant, impellere, à præſentia Diuinitatis quam maximè exterritorũ. *Fortaßè, inquit, iſti Dei permiſſu concitauerunt ventum aduerſus eum, & mouerunt fluctus, ne transmiſſo freto ad eos veniret iudex.* Tanti horroris eſt maieſtatis diuinæ, vel etiam imminens, præſentia; peccatoribus præſertim, & reprobis.

Paſch. ibid.

9 Denique; quia Chriſtus eadẽ maieſtate regnat in coelo, adeſtque ſub Sacramento; dicente Pſalmographo: *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in coelo ſedes eius*: Laurentio et Iuſtiniano: *In hoc ſacroſancto altaris Sacramento totum eſt corpus Chriſti illius formæ terminos non excedens, in quantitate completum, decore pulcherrimum; eamdem habens ſpeciẽ ſub Sacramento, quã nunc habet, cùm regnat in coelo*: cenſendum eſt timendum, & tremendum etiã in altari. Si de coeleſtibus ſpiritibus cælum colentibus, canit Eccleſia: *Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates.* De ijſdem Chryſoſtomus ſacro aſtantibus altari, *Salutarem hãc hoſtiam Angeli ipſi cum tremore ſuſcipiunt.* Ac iterum alibi: *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali mẽſa perfruaris, quod Angeli videntes horreſcũt.* Optimè hoc nouit Sanctiſſima Virgo Clara, Patriarchæ noſtri diſcipula, quæ, *Corpus Domini ſuſcepturа, primò calidis lacrymis irrigabatur, & accedens cum tremore, non minus formidabat in Sacramento latentem, quàm coelũ, terramque regentem.*

Pſ. 10. 5.

B. Laur. Iuſt. de Caſt. Connub. c. 24

In Præf. Miſſ.

D. Chryſoſ. Hom. 3. Epheſ. & Hom. 60. ad Popul.

Surius Auguſt. 12. c. 18.

THEOREMATA

# MORALIA

## EX VERSV QVINTO PSAL. 22 DECERPTA, DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

*Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

Quis

QVIS Pſalmographum audiens, virgam proferentem, & baculum, ſupplicium non cōiectabit, & pœnam? Flagellat vtique virga, percutit baculus: cōtriſtat illa filios, hic verò ſeruos. Sed hæc virga, hic baculus, tantum abeſt, vt contriſtent, quod potius exhilarent, & ſolentur. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, inquit. Quænam, inquies, hæc virga, quis baculus, quod expurgata amaritie, tāta dulcedine & ſuauitate ſcateāt? Dum ijs, quæ ex hoc verſu eliciam, Theorematibus attendes, liquidò baculum, & virgam agnoſces, te cum Pſalmiſta ſolantem.

## THEOREMA I.

### Virga tua &c.

*Tali affectus eſt dulcitudine Deus, dum pro nobis penderet in Cruce, quod vt ea perpetim frueretur Sacrū altaris inſtituit.*

HIC Pſaltes Chriſtum gerit, fideli ſuo dicentem: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* nimirū. Crux tua, & tormenta tua, tibi nempe, q peccaueras, debita; à me verò, qui nō peccaueram, pro te lata, & experta; cōſolata ſunt me, ineffabili ſuauitate affecerunt. Quod verò mox Chriſtianus adnectit, *Paraſti in conſpectu meo menſam*, quædam eſt eloquij Dominici confirmatio; quaſi diceret. Ita planè. Scio dulciſſimè Domine, te miram, dum pro me patereris, ſuauitate repletum: nam vt haſce tibi delicias perpetim præſentes haberes, calicem euchariſticū, in quo tuæ paſſionis memoria colitur, inſtituiſti; ac coram me paraſti.

1 Obſerua, quo affectu Dominus de calice, in quo corporis ſui cruorē libamus pretioſiſſimum, loquitur; laudes eius magnifica interrogatione cōcludēs. *Calix meus inebriās, quā* *Pſal. 22.*
*præclarus eſt?* Velut ſi diceret: *7.*
Quanti decoris, quantæ claritatis, & pulchritudinis, meus iſte ſit calix, vel ineffabile eſt, vel explicatu difficile. nec tota mūdi pulchritudo, vel quæ ſupra mūdū eſt, iure illi cōferri poteſt. Cur tam præclarus, & pulcher videt Chriſto euchariſticus calix, vt in eo ſic ſibi complaceat? Quoniā calix eſt: quoniam in eo lignum Sanctæ

Crucis, in quo paſſus eſt, & mortuus, memoratur. Adnotandum calicem latine lignum ſignificare. Ex eo enim, quod veteres, calices ex ligno cõſueuerunt efficere, ei materiæ nomen dederunt, dixeruntq; lignum. *Calix*, ait Iſidorus, *poculorum genus, ante ex ligno factus, inde & vocatus. Græci enim omne lignũ Colon dicebãt.* Qua in re paſſionis Chriſti memoria refricatur: nam vt addit Cardinalis Iorgius, *Sãguis Chriſti in ligno datus eſt nobis ad bibendum. Vnde in vaſe ligneo debet ſumi, id eſt cum recordatione mortis Chriſti.* Ac ſi diceret. Sãguis Chriſti datus eſt nobis in calice, qui lignum ſonat; vt quoties cœleſti poculo fruimur, mortis & paſſionis eius, quam in ligno tulit, memores ſimus. Quia Chriſtus per hunc calicem paſſionis ſuæ, quã pro nobis in Cruce tulit, cum ineffabili ſui cordis lętitia, memor eſt; ideo tam præclarum, tam pulchrum, tam venuſtum exiſtimat. Tã dulcis, ac ſuauis eſt Chriſto Crucis ſuę memoria, quod vt ea poetim frueretur, Euchariſtiam inſtituit in calice; vt ĩ ligno ligni delicias proſpectans, ligni doloribus oblectaretur. Et quare vas, in quo primo ſacrum conſecrauit sãguinem, propinauitque Diſcipulis, quamuis agatheũ fuiſſe conſtet, lignum, nuncupauit, *Hic calix nouum teſtamentum &c.* Niſi vt ligni nomine pœnas, quas alacriter in ligno tulerat, memoriæ commendaret æternæ?

*D. Iſid. etym. lib. 20. ca. 5.*

*Iorgius Card. in Pſal. 22.*

2 Panes propoſitionis, quos ſupra mẽſam tabernaculi apponebantur; omnium ferè cõſenſu, panem euchariſticũ pſigurabant. Fortè ad hoc præſignandum, ſupra ſingulos patena aurea cũ pugillo thuris, teſte Ioſepho, viſebatur: thus enim Chriſtũ paſſum, & mortuũ ſignificat: vnde ait D. Vincentius: *Datur incenſum in Eccleſia ad memoriã paſſionis Chriſti.* Nos verò loco thuris in hoſtia Crucifixi figurã imprimimus. Adnotandum autẽ, quod vbi vulgatus Interpres hos panes, propoſitionis appellat, *Pones ſuper menſam panes propoſitionis*, panes facierũ vocat Pagninus. Transfert enim: *Et pones ſuper menſam panes facierum coram me iugiter.* Eo q. vt Oleaſtro arridet, *Coram Domino, ſeu ante eius faciem ſemper eſſent.* Fingebatur enim Deus, quaſi intra Sãcta ſanctorum habitans, ſuper arcam in propitiatorio inter duos Cherubim, facie verſa ad introitũ; in quo aurea propoſitionis apponebatur menſa: proptereà hæc dicebatur ante faciẽ Dei ſita, eiuſque panes facierum, quaſi Dei facies in eos perpetim inſpiceret. Ità Abulẽſis.

*D. Vinc. ſerm. 2. de Corp. Dom.*

*Exod. 24. 30.*

*Transl. Pagn.*

*Oleaſt. ibid.*

*Abulenſ. quæſt. 16. in cap. 21. 1. Reg.*

Ad

Ad innuēdum, quod Chriſtus ante faciem ſuam euchariſticū panem ſuæ mortis repræſentatiuum habeat ſemper: vt ſe in eo paſſum, & mortuū videat; ac delicias, quas ſemel guſtauit in Cruce, guſtaret in altari perenniter. Sanè quod exhilarat, atque delectat, ante faciem noſtram figere conſueuimus.

3 Cenſet Rupertus, Chriſtum, non modo dum penderet in Cruce, immolatum; ſed etiā cùm Euchariſtiā inſtitueret, noſque in altari noſtro immolandum doceret. *Dominus noſter, non tunc ſolum immolatus eſt, quando à Iudæis in Cruce ſuſpenſus eſt, ſed & pridie, quam pateretur, quando accipiens panem, & calicem, benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei, ſuis manibus immolatus eſt.* Cenſendum igitur, Chriſtum aliquo modo pati, & mori, quoties eius Sacramenta conficiuntur. Tūc enim eius paſſio, & mors ſic repræſentantur ad viuum, vt pati videatur, vt mori, quamuis impaſſibilis ſit, & immortalis. Sed quorſum tā crebra Chriſti mortis repræſentatio? Quia delicijs mortis, & paſſionis ſuæ ſemper oblectari deſiderat: quibus in Cruce, niſi obiter, gaudere, ac parū guſtare non potuit: non autem explerì, &, vt in votis erat, inebriari. Exponens D. Bruno illud Apoſtoli, *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum, vt pro omnibus guſtaret mortem,* illudque *Guſtaret* expendens, ait: *Guſtaret dicit propter amaritudinem mortis, quæ interius illi ſapuit: vel guſtaret, quia mors illa cito præteriens, quaſi in guſtu fuit, non inebriatus per moram.* Euchariſtiam cōſulto adinuenit, in qua mors eius, & toties iteratur, & repræſentatur; vt quas ſemel guſtauerat, quas libauerat, ſatiaretur delicijs, repleretur delectationibus, inebriaretur voluptatibus. Hæc eſt præcipua ratio, qua euchariſticum calicem, inebriantem appellat, *Calix meus inebrians.* Inebriās me inquit, preguſtatis languoribus, & doloribus; quibus in ara Crucis inebriari non potuit.

Rup. de Diu. Off. lib. 6. ca. 21.

Hebr. 2. 9.

D. Bruno ibid.

Pſal. 22. 7.

4 Hac lege quotannis quilibet Hebræus tribus vicibus ante Deum præſentari debebat; vt aliquid, panem nimirū aut carnem, afferret, offerretque Deo. *Tribus diebus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis; ſolemnitatem azymorum cuſtodies; ſeptem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi tempore menſis nouorū, quando egreſſus es de Aegypto, non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Oleaſter poſtrema conſiderās quæ-

Exod. 23. 14.

rit: *Sed quid tibi, & muneribus noſtris, Domine Deus noſter, qui bonis noſtris non eges?* Quid eſt Domine, quod à populo tuo, coram te præſentando, panes, aut carnes, tibi mandas offerri? Noſtro fortaſſe pane, carne noſtra, noſtriſque alimẽtis indiges, qui nullo indiges bonorum noſtrorum? Tandem bellè reſpondet: *Non vt comedat ipſe, vult te vacuum non apparere, ſed vt te comedentem coram ſe videat, & gaudeat.* Sed adnotandum, quod, cũ Deus panem, aut carnes offerri mãdabat; oblationes, & ſacrificia Euchariſtiam, vt Lyræ lubet, repræſentantia, requirebat. Ac ſi itaque diceret Oleaſter. Nequaquam Deus euchariſticum panem ſibi offerre mandauit, ꝙ eo ipſe egeret vt comedere: ſed vt coram eo manducaretur à nobis, quibus, coram ſe comedentibus, gauderet, & oblectaretur. Nam, quia, vt ait Apoſtolus, Quotieſcumque manducamus panem, & calicem Domini bibimus, mortem eius annuntiamus, hac ſuæ mortis repræſẽtatione lætatur, & gaudet; iubetque quotidie confici, vt ſuæ quotidie ſibi conſolationis, & voluptatis proponeretur obiectum.

*Oleaſt. ibid.*

*Nicol. de Lyra ibid.*

*1. Corinth. 11. 26.*

5 Vbi deperditus filius, ſua cum meretricibus diſſipata ſubſtantia, famem, nuditatẽ, aliaſque paſſus eſt ęrumnas, & ad partem redijt, vt cordis ſui gaudium cumularet Pater, ſaginatum vitulum mandauit occidi, vnà cum redito filio commãducandum. *Adducite,* inquit, *vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus; & epulemur.* Nè te quæſo prætereat, ſicuti per Patrem, Deus, ità per vitulũ ſaginatum, occiſum, & comeſtum, intelligi Chriſtum in Sacramento, vbi dum eius mors repræſentantur, occidi cenſetur. Quibus ſic poſitis, aduertendum, quod Deus, vt mox ait, ob immolationem filij ſui in noſtra Communione gaudet, & epulatur. *Epulari autem, & gaudere oportebat.* Nã *Ipſe Pater in immolatione filij ſui lætatur.* ait Chryſoſtomus. Tanta nimirũ afficitur voluptate, tot repletur delicijs; affluit delectationibus, vt lautè epulari dicatur. Quid mirum? Illas reiterat delicias, quibus nil ſibi vmquam ſuauius.

*Luc. 15. 23.*

*Ibid. nu. 32.*

*D. Chryſoſt. Homil. 14. de duobus filijs.*

6 In eo, quod ipſe Domin⁹ per os Pſaltis ait. *Conſcidiſti ſaccum meum,* Euchariſtiam tangit, in qua ſaccus Chriſti, nempe caro Chriſti, vt pingueſcant ſpinoſa deſerti, & valles abundet frumento, conſcinditur. *Chriſtum,* inquit Bernardus, *quaſi ſaccum plenum miſericordia ſua Deus Pater miſit in terram.* Sanè quid aliud eſt carnem Chriſti conſcindi, quam im-

*Pſal. 29. 12.*

*D. Bernard. ſer. 1. Epiph.*

immolari? ſacrificari? torqueri? cruciari? perfodi ſpinis, clauis, lancea? quæ omnia nunc in altari adamuſſim repræſentantur? Si diues Chriſti ſaccus in altari non conſcinderetur, tanto indigeremus frumento, inedia conficeremur, & fame. Aduerte tamen, quod vbi Chriſtus ait *Conſcidiſti* ſaccum meũ cõfeſtim ſubdit. *Circumdediſti me lætitia.* Ac ſi dicat: Quoties in ſacro altari paſſionem meã per Euchariſtiã innouari perſentio, toties mare magnum, & ſpatioſum conſolationum experior, in quo ab aquis lætitiæ, & exultationis vndique circumcingor. Quid mirum, ſi toties Deus hoc ſacrificium præcipit reiterari, ſi ob, quam repræſentat ſuã paſſionem, & mortem, tantam ſibi affert iucunditatem.

7 Tradunt Sacrum Canonem, à Lino fuiſſe compoſitũ; infra actionem preſertim quæ incipit *Communicantes*, Hic Eccleſia duodecim Apoſtolorum, totidemque Martyrum piè admodũ meminit, nullius tamen Confeſſoris adhibita mentione. Subticentur Sylueſter, Gregorius, Martinus; Ambroſius, Auguſtinus, Antonius, aliorumque Sanctorum Confeſſorum nomina non audiuntur: quaſi Deus ibi non, niſi Martyres nominari gaudeat. Hinc recenſent, à Sanctis Patribus Martyres aliquos minus celebres, & notabiles ſacro è Canone delectos eſſe, vt alios fortè, maioris notæ, deſcriberent Confeſſores, cras verò litteris aureis reſcriptos eſſe adinuentos. Rogo iam cur, ſoli Martyres in miſſa ſunt memorandi, confeſſoreſque obticendi? Reſpondet Antoninus: *Quia Martyres ſeipſos Deo obtulerunt, non autem Confeſſores, qui non ſunt paſſi ſicut Chriſtus, cuius paſſio in Miſſa recolitur.* Velut ſi diceret. Sic ſua Chriſtus paſſione delectatur, & morte gaudet, vt nihil quidpiam aliud, quod mortem non ſapiat, paſſionem non ſonet, delectetur audire. Propterea præter Martyres, qui mortem ſuam in ſeipſis moriendo tulerunt, in Miſſa memorari vult neminem.

*Nicol. de Ploue in Expoſit. Miſſ.*

*D. Antonin. par. 3. tit. 13. cap. 5. §. 4.*

8 Quod linteum, ſiue corporale, in quo corpus Chriſti reponitur, lineum eſſe debeat, manifeſtum eſt cunctis. Quia Græci ſerico vtuntur, arguuntur ab Iſidoro, Sed quorſum lineũ, non ſericum? Audi Rupertum. *Groſſum, & inglorium ex terra conſurgit, ſed inter manus prementium opificum ſubtilitatur, & candeſcit, linum: tribulationẽ ergo Domini in lineo corporali aduertimus.* Quia linũ ad candorem, & ſubtilitatem niſi plurimis, & crebris, tũſionibus, preſſuris, bullitionibus,

*Rup. de Diu. Off. lib. 2. cap. 23.*

&

& lotionibus nõ peruenit; corpus Domini repreſentat, quod pro candore, & tenuitate, quibus enitet, innumeros, fereq; infinitos, paſſum eſt dolores, labores, & tunſiones. Quia vero Dominus, ſic ſuis, dum ſacrum offertur, exultat flagellis, gaudet, & lętatur pœnis, vt hæc etiam in linteo cupiat intueri.

9 Altero tandem, eiuſdem ſacrificij myſterio, iam cõcludamus. Quid cauſæ eſt, quod in ſacro codice, priuſquam veniatur ad Canonem, conſecrationemque corporis, & ſanguinis Domini, Chriſti Crucifixi videtur imago? ipſeque Canon ex T littera incipiat? *Te igitur, &c.* Putas nè hæc obiter, & ſine magna prouidẽtia eueniſſe? Falleris, inquit Innocentius, ſi tale quid cenſeas. Voluit Dominus, quod quæcunque dicuntur, fiunt, & videntur in Miſſa, paſſionem ſuam ræpreſentent. Propterea in ſacro codice, & imago Crucifixi depingitur, & Canon ab elemento T, quod Crucis figuram profert, orditur. *Propter quod*, inquit, *inter prefationem, & Canonem in præliſque Sacramẽtarijs imago Chriſti depingitur, vt non ſolus intellectus litteræ, verum, & aſpectus picturæ, memoriam Dominicæ paſſionis inſpiret. Et fortè diuina factum eſt prouidentia, licèt humana ſit induſtria procuratum, vt ab ea littera Canon inciperet, quæ ſui forma ſignum Crucis oſtedit, & exprimit in figura. Tau namque myſteriũ Crucis inſinuat.* Vides quantopere ſua paſſione Dominus in Euchariſtia lętetur, quod Miſſæ ſacrificium inſtituit, vt in ea non modo ab Hoſtia, ſed & à perſonis, à linteo, à picturis, à litteris, & ſi aliud ad Miſſam pertinet, ab eo cupiat repræſentari?

*In Canon. Miſſ.*

*Innoc. III de Myſt. Miſs. lib. 3. cap. 2.*

## THEOREMA II.

### Virga tua.

*Puriſſimo, ac ſanctiſſimo corpori Redemptoris, puriſſimum, ac ſanctiſſimum cõuenit habitaculum.*

SI Hieronymo, vt fas eſt, crediderís, per virgã Chriſtum intelliges, Illud enim Pſaltis exponens, *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ; Virga*, inquit, *hæreditatis Dei Chriſtus eſt.* Et ſanè non incongruè Chriſtus appellatus eſt virga; quoniam *Virga*, ex Iſidoro, *à viriditate dicitur*: viriditas verò ſãctitatem ſignificat, dicẽte Domino: *Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Verè virga eſt Chriſtus; ſanctus, & purus; innocens, & impollutus, quacumque gratiæ viriditate cõple-

*Pſal. 73. 2.*

*D. Hier. ibid.*

*D. Iſid. Etym. lib. 17. ca. 6.*

*Luc. 23. 3.*

pletus. Quod autẽ in hoc Pſalmo, vbi de Euchariſtia agitur, Chriſti ſanctitas prædicetur, & puritas; eo reſpicit; vt quãta ſanctitate, & puritate ornandus ſis, erudiaris, dum ſacro altari accedis, Sanctũ ſanctorum hoſpitio ſuſcepturus. Chriſto namq; puriſsimo, puriſſimum conuenit habitaculum.

1 Egregiè philoſophatur Sanctiſsimus Bruno, dum Chriſtiani hominis cor Dei vocat altare. *Hoc eſt*, inquit, *altare in Eccleſia, quod eſt cor noſtrum in corpore noſtro: nam, & nos templum Dei ſumus; ſi verò templũ Dei ſumus, & altare vtique in nobis habere debemus.* Ideo cor noſtrũ appellatur altare; quia dum Chriſtum in Communione ſuſcipimus, in corde locamus: ipſe enim, ex noſtris, in nobis cor tantummodo querit. Cæterum ſi rogas quare Chriſtus inter tot hominis membra vt nobiſcum maneat, cur ſolũ exquirat? Reſpondebo cum reſolutione illius Problematis *Quare cur ſit rotundum?* Cui, inter reliquos Floſculorum Ariſtotelis Auctor reſpondet: *Quia figura rotunda nõ habet angulos, ideo cor eſt rotundnm, nè materia corpori nociua ibidem poſſit retineri.* Ideo rotundum fabrefractum eſt cor, vt puriſſima, & limpidiſſima repleretur materia; nam ſi quam habet, rotunditate careret, haberet angulos; poſſetque in angulis (vt domi obſeruatur) ſordes aliquas retinere, & fœdari: quare ex rotunditate cordis puritas eius arguitur. Hæc eſt ergo ratio, qua Chriſtus inter cętera membra ſolum cor exigit pro altari, nec vllibi, præter cor, manſionem conſtituit. Sanè cum ſit puriſſimus, ſedẽ tibi quærit puriſſimam.

*D. Bruno de laud. Eccl. cap. 7.*

*Auct. Floſc. Ariſt. in Probl. pa. 78. apud me.*

2 Cæterũ expendamus, id quod, vt recenſet Matthæus, operatus eſt Chriſtus, dum leproſo ſanitatem cõferret. *Extendens Ieſus manum tetigit eum dicẽs. Volo, mũdare, & cõfeſtim mundata eſt lepra eius.* Quid corpore fœdius leproſo? quid obſcenius? quę impurius? Quid aureæ manus, iacinthis exornatæ, manus inquam Chriſti, mundius, puriuſque? Cur nã tanta puritas, tantam tetigit, impuritatem? Nullam equidem Chriſti caro tangere poteſt impuritatem; quod tangit purũ eſt, omnis ſordis expers, omni labe purgatum. Sanè cũ vt tangeret eum manum Chriſtus extenderet, illico lepra diſparuit, lues aufugit, immũdicia euanuit, vt mundum nõ immundum viſus ſit tetigiſſe. *Manum*, ait Origenes, *ad tangẽdum extendente, effugit illico lepra, & inuenta eſt manus Domini, non lepram, ſed mundum tetigiſse corpus*, Mundicies immũdici-

*Matt. 8. 3.*

*Orig. Homil. 5. in diuer.*

diciā tāgere minimè poteſt, in ſordidia collocari nō patitur.

3 Vides linguam noſtram quot, ac quantis Deus cuſtodit propugnaculis? Dentibus primo, velut duobus muris; labijs indè, nō ſecus ac ante muralibus, quæ quoniam ignem præſeferunt, Paradiſi cuſtodiā ſignant, quem Deus igne obuallauit, Quæ tantæ cuſtodiæ neceſſitas? *Propter ſanctitatem, & bonitatem*, ait Bernardinus, *res ſequidem prætioſa diligenter claudi, & cuſtodiri ſolet*. Iterū inſto: quodnam opus linguæ tanta puritas, ac ſanctitas? *Vt poſſit* inquit, *aſſumere Sanctiſſimum Sacramentum*. Eo quia ſuper cæleſtē Redemptoris carnem omne purum, mundum, nihil impurum, nihil immundū, decet. Vt linguæ, per quā tranſit in animam, cōſeruetur puritas, defendatur ſanctitas, propugnetur mundicies; non ſecus, ac paradiſus, tot, ac tātis obuallatur cuſtodijs.

*D. Bernardin. de Multiloq cep. 2.*

4 Puto te obſeruaſſe, quod dum Presbyteri Cardinales & Epiſcopi Sacrum faciunt, ſandalijs, quæ multimodè ſurſum patent, deorſum verò integrā ſolam habent, vtuntur. Ità accidit, Videamus nunc, cur dum conuexum pedis patens gerent, volam integrè muniāt, Id factum, inquit Iuo Carnotenſis Epiſcopus, ne terram tangant. *Vtuntur Epiſcopi, & Presbyteri Cardinales ſandalijs, quæ calceamenta ſunt Prædicatorum: habent enim ad terram ſolam integram, nè pes tangat terram.* Quoniam opus eſt iſtis, dū celebrant, Chriſtum excipere, cuius locus perinde in puritate debet excellere, vt nec pulueris quidpiam contrahat, & contineat; nè eorum corpus ex terræ contactú aliquo modo ſordeſcāt, & polluatur, vtuntur ſandalijs. Aduerte hinc quanta puritate decorari debeat anima, futura Chriſti habitaculum, quæ etiam parui pulueris, venialiū ſcilicet peccaturum, ſit expers oporteat.

*S. Iuo Carnot. Epiſ. ſerm. de reb. Eccl.*

5 Vides quali ſtudio, vt panis, altari offerendus, ac conſecrandus, candidus ſit, inuigilāt ſacri Æditui? Quid ſi niger eſſet, aut aliquo alio colore; amouendus forte ab altari? Amouendus ſanè, ſi neceſſitas deerit. Rationem affert Algerus. *Decet re vera panē candidiſſimum eſſe & mundiſſimum, ſi facultas non defuerit qui transferri debet in ſplendidiſſimum corpus immulati agni.* Hinc communicantis argue puritatem, candorem, cordis innocentiam. Dum panis, Chriſti commutādus in corpus, tanto debet enitere candore: qualinam candore, puritate, ſplendore, ſplēdeſcere is debet, qui, vt in Chriſtum mutetur, Chriſtum excipit in forma panis?

*Algerus de Sacr. lib. 2. ca. 9.*

6 Con-

6 Contemplare queſo mirã domus ſtructuram, quam pro offerenda Euchariſtia diuina ſapientia fabrefecit. *Sapientia*, ait Salomon, *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* In qua pro nunc nihil aliud iuuat expendere, quàm columnarũ erectionẽ. Quorſum Chriſtus, Sapientia Patris, in euchariſtico cœnaculo tot columnas excidit? Quodnam opus columnæ ſacro Chriſti altari, & mẽſæ Sanctæ Eccleſiæ? Tale reſpõſum habeas ex Salazar: *Ex quatuor cœnaculi lateribus colũnæ aſſurgebant, indeque aulæum ſuſpendebatur ad menſam tegendam; nè quid pulueris, aut ſordiũ ſuper epulas incideret.* Erigebãtur columnę, vt aulæum quoddam ſublime ſuſtinerent, ac ſupra menſam expanderent; quo tegebantur, & muniebantur ſacroſancta fercula, nè quid pulueris, aut ſordium haberent: Sanè indecentiſſimum eſt, vbi manet Chriſtus, eximiæ puritatis amator, vel minimũ haberi ſordiũ; cum ſic pura, ſic ſancta, ſic immaculata quærat loca, vt vel ipſa impuritatis ſpecies eius offendat obtutus.

Prou. 9.

Salazar. ibid.

7 D. Vincentius Ferrerius illud Ioannis expendens: *Cum ergo ſerò eſſet die illo vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorũ venit, Ieſus:* ingenioſè quærit: Vnde nam venit? Scimus quidem tunc Chriſtum Ieroſolymam aduẽtaſſe, vbi ob Iudæorum metũ Diſcipuli congregati latebãt; vnde autem venerit, vbi priuſquã cœlos aſcẽderit, per quadraginta dies fuerit immoratus, ignoramus, Venit ne fortè è mari? è ſiluis? è montibus? E terreſtri Paradiſo, reſpõdet; vbi per id tempus, vt communis Doctorum fert ſententia, eſt commoratus. Nam quia, inquit, ad inuicem locus, & locatum proportionari debent, cum Chriſtus, teſtante Apoſtolo, in reſurrectione fuerit exaltatus: in excelſiori totius mũdi loco commorari debuit, qui omnium ferè conſenſu Paradiſus eſt. Hæc eius ſunt verba. *Venit Ieſus. Et vnde venit? De Paradiſo terreſtri. Doctrina eſt communis, quod Chriſtus poſt reſurrectionem ſtetit cum Sanctis Patribus in Paradiſo terreſtri vſque ad diem Aſcẽſionis. Ratio eſt; quia ſecundum Philoſophum locus, & locatum debent proportionari, & quia Chriſtus poſt reſurrectionem habuit corpus glorioſum, & impaſſibile; conueniẽs ergo fuit, quod ſtetit in excelſiori loco huius mundi. Igitur venit Ieſus de Paradiſo terreſtri ad Diſcipulos in Ieruſalem.* Si ex eo, quod locus, & locatũ proportionari debent, Chriſtũ excel-

Ioan. 2. 19.

D. Vinc. ſerm. 2. Dom. in Albis.

ſum, & ſublimem; ſublimis, & excelſus decuit locus: quis nã Chriſtum ſanctiſſimum & puriſſimũ locus decebit, niſi ſanctiſsimus, & puriſſimus?

8 Opere pretium eſt adnotare, quod celebrans, vinũ oblaturus, & cõſecraturus; aquã ei commiſcendã, benedicit, vinũ verò ſine benedictione relĩquit. *Aquam miſcendam in calicem Sacerdos benedicit.* ait Eccleſia, nihil dicens de vino. Rogo autem: ſi aqua, vt cõſecretur cum vino, indiget benedictione; cur eadem benedictione non eget, & vinum? En quale Durandus afferat reſponsũ. *Vinum in hoc loco Chriſtum ſignificat, qui nulla indiget benedictione: aqua populum, qui in hac vita nequit eſſe ſine peccato, propter quod indiget benedictione Dei, vt reddatur dignus ad præmiſſam vnionem cum Chriſto.* Eo quia, dũ Chriſtum è ſacro altari ſuſcipimus, cũ eo, qui puriſſimus eſt, & munditiſſimus, vt ille ſit in nobis, & nos in illo vniri debemus; ac pariter à ſordibus, quas in vita contraximus, expiari; benedicẽdi, & ſanctificandi ſumus: Hoc autẽ myſticè ſit cum aqua per quã intelligimur, ſanctificatur, & benedicitur. Vinum vero minime benedicitur; quia Chriſtum ſignificat, nulla vnquam ſorde pollutum. Obſeruandũ autẽ, quod hęc noſtra benedictio nõ fiat extra altare, ſed in altari; ad oſtendendũ quali ſanctitate, & mũdicia fulgere debeat Chriſti cõuiua: qui, & ſi ſe plenè extrà expurgauerit, in ipſo etiam altari, mox communicatur, noua opus habeat expurgatione, & ſantificatione.

*Durand. Ration. Diu. lib. 4. cap. 30 num. 21.*

9 Quorſum putas Sancta Mater Eccleſia quadrageſimale tempus inſtituit, in quo, & caro ab aſſuetis cibis, & anima à perpetratis culpis penitus abſtineat, totuſq; homo ſe cõtinuè maceret, lacrymas emũgat, ſanctis incumbat operib⁹, commiſſa facinora deleat, prorſuſque mundetur, & ſanctificetur? Audi quam D. Antoninus egregiam afferat rationẽ. *Congruẽtiſſimè Eccleſia ſtatuit in die ſolemniſſimo feſto Reſurrectionis Chriſti omnes fideles ſumere debere Sacramentũ omnium maximum, & reuerendiſſimum: cuius quaſi vigilia ad ſe præparandũ ad ipſius ſumptionem eſt tota Quadrageſima.* Ad puritatẽ, & ad mũditiã, qua munire ſe debet, qui puriſsimũ, ac mũdiſſimũ Chriſti corp⁹ dignè cupit accipere, nequaquã vnus, aut alter ſuffi cit dies: lõgèplures, multiplicatioreſq; requirũtur. Quia verò Sãcta Mater Eccleſia ſuis mãdauit fidelibus in Reſurrectione tãtũ ſacrũ acciperẽt, dies quadraginta pręmiſit, in quibus ſe crebro expiantes, mundantes, ſãtificãtes, dignã tãto hoſpiti manſionem pararent.

*D. Antonin. par. 2. tit. 9. cap. 9. in princ.*

7 At-

10 Attẽde, quàm crebris, & multiplicatis encomijs Spiritus Sanctus in Canticis Deiparæ pulchritudinem collaudet, & prædicet. Modò ait: *Ecce tu pulchra es amica mea*, modò: *Quam pulchra es amica mea: quam pulchra es.* Tandem, vt reliqua ſubticeam: *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te.* Quare hoc? Quoniam mira, quoniam incredibili, quoniam ineffabili venuſtate, & puritate reſplendet. Et quorſum tam ineffabili? tã incredibili? tam mira? Quoniam futura erat Deiparens; ſuiq; in hoſpitium ventris ſpecioſum forma præ filijs hominum exceptura erat. *Valde quidem conueniens fuit*, inquit Guerricus, *vt ſpecioſus forma præ filijs hominũ ſpecioſam ſuam eligeret matrem*. Dedecebat planè puriſſimum Dei filium, omnis venuſtatis effulgentem decore, in locum recipi, quem culpæ deturparet deformitas. Hinc dictum eſt Birgittæ: *Non decuit Regem gloriæ iacere, niſi in valle puriſſima, & mũdiſſima, & electiſſima præ omnibus Angelis, & hominibus.* Quoniam verò idemmet Chriſtus, idem Dei vnigenitus filius, qui in vterum Virginis Matris intrauit, in nos dum communicamus, ingreditur: eadem in nos, qua in illam, excipiẽdus eſt puritate. Nunc tecum ipſe recogita, quanta ſit iſta puritas, tanto Domino ſuſcipiendo condigna.

*Cãt. 1. 15* · *Ibid. 4. 1.* · *Ibid. nu. 7* · *Guerric. ſer. 4. An nunt.* · *Reuel. D. Birg. lib. 1. cap. 31*

11 Recolẽs Propheta maxima, ac mira ſtudia, quibus Clementiſſimus Deus ſuum proſecutus eſt populum, ex Aegypto migrantem, hæc ait inter plurima *Deduxit eos in nube diei*. velut ſi diceret: Dignatus eſt Deus Omnipotens per nubem diei tueri populũ ſuum, dum inuia, & dura, deſerti peragraret itinera. Quænam fuit hæc nubes, per quam ex tot ærumnis, & difficultatibus Deus populum ſuum eduxit? Sacroſanctum filij corpus. Nonnè vides illud ſacris in altaribus ſub ſpeciebus panis, velut nube velatum? *Per nubem Saluatoris corpus debemus accipere*. ait Hieronymus. Si verò quæris: Quare corpus Chriſti abſolutè nõ dicitur nubes, ſed cum additione, diei? Reſpondet idem: *Pulchrè dixit diei; nubes enim illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Nunquã Chriſtus fuit in nocte; nimirum in loco, quem peccatorũ tenebræ, culparũq; caligines, denigrarent, & obſcurarent. Sed vbi nitet puritas, ſplẽdet ſanctitas, fulget innocentia, perpetim commoratur. Ad hoc innuendum Eccleſia nullibi Euchariſtiam detinet, vbi non effulgeat lumen, prototypũ puritatis. Nã-

*Pſal. 77. 14.* · *D. Hieron. ibid.*

que

que Deo puriſſimo, puriſſimũ
conuenit habitaculum.

12 Idem Pſaltes de eodem
Chriſto Domino ſermonem ha-
*Pſ. 18. 8.* bens, *In ſole*, inquit, *poſuit ta-
bernaculum ſuum*. Tabernacu-
lum Chriſti, Chriſti caro eſt,
quam ſibi Deus in vtero Ma-
tris aſſumpſit, & hypoſtaticè
*Iorg. Car. ibid.* vniuit. *Per tabernaculum in-
telligitur caro aſſumpta*. inquit
Iorgius Cardinalis. Suam ita-
que Chriſtus ſacratiſſimã car-
nem collocauit in ſole. Si per-
conteris, quare non colloca-
rit in luna. Quia, inquam, ſol
ob maximum, quo nitet, lumẽ,
cuncta luminaria in puritate
percellit. Hinc veteres ſolem
in figura pueri cõſueuerunt ef-
*Petr. Comeſt. in 4 Reg. cap. 36.* fingere, vt ex Comeſtore in in-
greſſu Ieroſolymitani templi
videre erat: quia velut puer,
ſol puritatis omnis eſt parti-
ceps: qua, vt & lippis patet,
caret luna, quæ ob terræ pro-
pinquitatem, terrena impuri-
tate commaculatur: vnde Plu-
*Plut. de Plauſis Philoſop. lib. 2. c. 25.* tarco teſte, *Terram nebula ob-
ſcuratam* nuncupauit lunam
Heraclitus. In ſole igitur, &
non in luna, collocanda eſt ca-
ro Saluatoris: *In ſole poſuit ta-
bernaculum ſuum*, nimirum in
loco, quem ſic omnis exornet
puritas, vt nulla fædet obſcæ-
nitas.

13 Nè te prætereat, Sanctiſ-
ſimum, & puriſſimũ Seraphin,
vt Vatis Iſaiæ purgaret labia,
carbunculum illum è ſacro al-
tari forcipe extuliſſe. *Et volauit* *Iſa. 6. 6.*
*ad me, vnus de Seraphim, & in
manu eius calculus, quem forci-
pe tulerat de altari, & tetigit os
meum*. Septuaginta *carbũculum*
transferunt, vbi *Calculum* ha- *Tranſl.*
bet vulgatus Interpres; quod *Septuag.*
Corpus Dominicum, vt toties
dictum eſt, præſignabat. *Calcu-* *D. Thom.*
*lus iſte*, ait Doctor Angelicus, *opuſc. 58.*
*eſt carbunculus, ſic dictus, quia* *cap. 22.*
*ignitus eſt, vt carbo, & ſignificat
corpus Domini de altari ſumptũ;
& charitate inflammatum*. Illud
hoc loco expendendum, quod
diuinus Seraph forcipe, nõ im-
mediatè manibus, Sanctam
Euchariſtiã ſumpſit, velut in-
dignus eſſet Sacrũ illud attin-
gere. Planè magnum myſte-
rium, & admirabile Sacramẽ-
tum. Seraphim Angelorum
omnium, cœleſtiumq; Spiritũ
puriſſimi, ſanctiſſimi, Sũmo
Deo cunctis alijs propinquio-
res, nolunt Deum ſuum,
niſi media forcipe, tangere: &
tu Chriſtiane frater toties ore,
& manu (vt loquar cũ Dama-
ſceno) *Tetigiſti diuinum illum* *D. Da-*
*carbunculum, quem ſub figura ip-* *maſ. Ora-*
*ſi Seraphim tangere omninò ne-* *tion. de*
*quierunt?* Quali, & quanta *Sabb.*
puritate cor tuũ exornari de- *Sanct.*
bet, anima tua decorari, cor-
pus tuum nitere; dum Deum
ſine forcipe tractas? quodque
maius eſt, ſumis? manducas?
deglutis?

Qua

14 Qua pœna, quo ſupplicio, qua morte, imò gehenna dignus es plecti peccator, dum puriſſimum Dominũ in latrinam tui cordis immittis? Tradit Cælius, *Quandoque capitalem admiſiſſe fraudem, qui Principis imaginem nummo, vel anulo ſculptam, latrinæ, aut lupanari, vel etiam obſcænis intuliſſet.* Tu verò (temeritatem horrẽdam) non Regis imaginem, non Regem, quem præferebat imago; ſed Regem Regum Deum, ſed Principem Principum Chriſtũ, quem præ maieſtate tremunt cæli, & terra, quantum in te eſt, infrunitè fœdas, contaminas, conſpurcas, coinquinas; dum eũ in cor tuum, turpius lupanari, irreuerẽtiſſimè proijcis. Morte dignus es planè? ſed qua nunquam morieris, vt perpetim moriaris.

*Cælius li. 16. c. 19.*

15 Quorſum exiſtimas, nobilis ille Centurio noluit ſuæ domi Ieſum, eam ſua ſponte honorare, decorare, ac ſanctificare, oblatum? *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum:* Quoniam (inquit Chryſolog⁹) Deum iniuria timuit afficere, cuius domum ſuam exiſtimauit indignam. *Nè indignitas hoſpitij in hoſpitis manaret iniuriam.* Nouerat Centurio Deo cœlum ipſum indignum, quippe quod Deum capere minimè poteſt, vndè ſuæ domus agnouit indignitatem: noluitque in eam Chriſtum excipere, ne loci impuritas, & indignitas, tanti dignitatem, & puritatẽ offenderet hoſpitis; cui puriſſimum, ac ſanctiſſimum, cõuenit habitaculum. Heu me miſerum peccatorem, qui ſacrum quotidie facio, Chriſtũ quotidie tango, recipio, manduco, diſtribuo; tanti Domini dignitatem, indignitatemque meã non aduertens. Parce Domine, parce, quæſo, fragilitati meæ, parce miſeriæ, tu me dignum efficias, vt te digne tangam, accipiam, comedam.

*Matt. 8. 8*

*D. Chryſol. ſerm. 15.*

## THEOREMA III.

### Virga tua.

*Frumentum electorum; & vinum germinans virgines, Deiparæ debetur Virgini.*

VBi modò per virgam cum Hieronymo Chriſtum accepimus; nũc vero cũ Chryſoſtomo Deipara accipienda eſt Virgo Sanctiſſima; è cuius vtero euchariſticus panis ad aras venit Eccleſiæ. Chriſto igitur ait Propheta: *Virga tua,* nẽpè Genitrix tua, Virgo Virginum Sanctiſſima, conſolata eſt me: ex ea enim primò diuiniſſimus, dulciſſimus, omni dulcore pleniſſimus, carnis tuę fructus exiuit, quo vnà cum

*D. Chryſoſt. in Pſ. 22.*

to-

toto mundo reficior, & conſolor. Mariæ ergò agendæ ſunt gratiæ, velut tanti boni benigniſſimæ largitrici, clibano tāti panis, ollæ tanti ferculi, arbori tanti fructus, quem pauperes, ſerui, & humiles, manducamus.

1 Inter pulchriora, & maioris notæ ſymbola, quibus Matrem Virginem S. Spiritus commendat, & laudat, locum

Cant. 6. 9. habet aurora. *Quæ eſt iſta*, inquit, *quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens?* Dicitur autē aurora, quoniam ab ea Sanctā habemus Euchariſtiam, tantoque ferculo gratulamur. *Dicitur aurora*, ait Richardus à S. Laurētio, *quia aurora illuceſcēte colligebatur manna à filijs Iſrael.* Per tot ſecula mundus cœlicū eſurijt manna, macieque confectus deificum expectabat edulium, quo ſaturari, & impinguari ſpiritualiter poſſet. Illud autem nunquam pluit, nunquam deſcendit, nunquā decidit, niſi vbi aureum tempus aduenit, niſi vbi Virgo Sanctiſſima famelico mundo auroræ inſtar, illuxit. Tunc ſanè ſacro ex vtero, tamquam ex nouo cœlo, pluit māna diuinum, mundus opiparè conuiuauit. Vnde ipſa de tam magno dono, quod mundo præſtiterat, iubilans, & exultans, cecinit:

Luc. 1. 53 *Eſurientes impleuit bonis.*

Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 17.

2 Nunquam nos (ait Innocentius) vtpote infantes, dentiumque expertes, Verbum edere poteramus ęternū, quod in cœli conuiuio comedūt coeleſtes ſpiritus, ni prius liquaretur, & mulceretur. *Edentula, ideſt ſine dentibus plebs, Verbum æternum, & antiquum principium quaſi ſolidum cibum ruminare non poterat, niſi hoc dulciſſimo confecto liquamine, conſueſieret ſorbillare.* Quiſnam autem tam ſolidum, & fortem cibum adeo mulcere, & maſticare valuit, vt ab edētulis ſorbillari potuerit? Maria Virgo Sāctiſſima, quam idcircò Deus nutricem noſtram cōſtituit. *Sicut*, ait idem Richardus, *cibus ſolidus maſticatur à nutrice, & redigitur in liquidam ſubſtantiam, vt tranſeat ad nutrimentum pueri: ità B. Virgo, nutrix noſtra Deum nobis emolliuit, & fecit eſibilem.* In æternum homines eſurire poterant, macie confici, inedia mori; ſi tanta amatrix, tam ardens nutrix, mundo non aduentaſſet, Deū maſticaſſet, mulcicuiſſet, emoluiſſet, feciſſet eſibilem.

Inn. III. de Myſt. Miſſ. lib. 4. c. 44.

Rich. à S. Laur. ibi. lib. 12.

3 Quamobrem Sanctiſſima Virgo, vbi mundo Deum ingenitum primogenitum edidit, pannis inuoluit, non, vt puerperæ aſſolent, in lecto; ſed in pſepio locauit? *Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* ait Lucas. Eo quod diui-

Luc. 2. 7.

diuinũ, quod erat enixa Verbum, cibum agnouit hominum; qui ſummum, in quo eſſent, honorem, non intelligẽtes, tranſiere in iumenta; vt ergò ſe tanti panis piſtricem vidit, congruum exiſtimauit, pannis, ceu panis maſſam inuoluere, & in præſepio, quod mẽſa eſt iumentorum, apponere. En præfatum Richardum. *Ipſum natum noluit ſibi quaſi proprium retinere, ſed quem ſciebat natum ſibi pro ſalute mundi communiter, velut panem in mappa, reclinauit in præſepio. Quaſi diceret boui, & aſino: En pabulum veſtrum, fænum ſcilicet carnis filij mei.* Pulchrè fænum vocat carnem filij, quem ex vtero ſuo, tamquam fænum ex agro, nobis eſurientibus protulit. *Fænum iſtud,* ait Bernardus, *de prato virginalis vteri collectum, factum eſt refectio iumentorum. Verbum, vt fænum fieret, latuit in Virgine, ſol in ſidere, artifex in opere.*

*Rich. à S. Laur. ibi. lib. 4.*

*D. Bern. ſer. 1 Cœnæ Dom.*

4 Per mulerem fortem, quam iteratis laudibus extollit Sapiens, Virgo Dei Genitrix intelligenda eſt. Ipſa inter omnes mulieres fortiſſima; cordatiſſima, caput antiqui ſerpentis, noſtri generis hoſtis ſæuiſſimi, frangere potuit, & conterere. *Ipſa conteret caput tuum.* Hanc itaque mulierem, adnectit Sapiens de longe ad nos panem ſuum nauis inſtar, tuliſſe. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum.* Panem ſuum, ideſt Deum ſuum, panem hominum factum. *Ego ſum panis viuus.* Expende, quod abſolute non ait, panem; ſed addidit, *ſuum*. Quare ſuum? Si panis, quem Virgo Sanctiſſima è cœlo in terram ſuo adduxit ex vtero, panis noſter eſt; nobis productus, nobis apponendus, à nobis edendus: quare ſuus potius, quàm noſter dicendus erit? Potius ſuus, quam noſter dicendus eſt: tum, quod ipſa, vtpote omnium Sanctiſſima, & digniſſima, maiori eo perfruebatur ſuauitate. Tum etiam, quia totus ſui iuris eſt, & niſi ab ea, haberi poteſt à nemine. Audi eundem Richardum. *De longe portans panem ſuum, quo ſcilicet ipſa digniùs, ſaporoſiùs, & ineffabiliùs fruebatur in præſenti omni creatura. Vel panem ſuum, quia totus fuit ſuus, de quo ipſa ait: Comedi panem meum. quoniam non poſſumus eum habere, niſi ab ea, & per eam: & dicendum eſt ei tota deuotione: Mater noſtra, quæ es in coelis, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quam ſcitè philoſophatur: Nam, ſi, vt inquit de ea Bernardus, *A nobis voluit honorari Deus, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde, ſi quid ſpei*

*Gen. 3. 15*

*Prou. 31. 14.*

*Ioan. 6. 51.*

*Rich. à S. Laur. ibi. lib. 12.*

*D. Bern. ſer. Nat. B. Mariæ.*

*in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare;* in ea cœleſtes vitæ panis neceſſe fuit reponi, in quo omne noſtrum eſt bonum, omnis noſtra ſpes, omnis noſtra ſalus; vt tantum donum, talemque vitã ſuis ex manibus agnoſcentes: omnia noſtra, vitam præſertim, tanti muneris largitrici perpetuò debeamus.

5 Quod Sancta Mater Eccleſia Diuiniſſimam Virginem ſui Sponſi Matrem ijs verbis extollat:

In Hym. B. Mar.

*Beata Mater munere,*
*Cuius ſupernus artifex,*
*Mundum pugillo continens,*
*Ventris ſub arca clauſus eſt,*

Si exactius perpendatur, occultiori myſterio non vacabit. Nam quid eſt, quod ventrem eius arcam appellat? Poterat ſanè, & quidem pulcherrimè, vocare theſaurum, in quo Deus opes cœli recondidit; poterat & regiam, ſeu aulam; in qua ſibi Rex Regũ immorari complacuit; ſiue Paradiſum, aut coelum; quia ibi Deus erat, ſcum afferens coelum. Maluit nihilominus arcam dicere, vt ex ea, tamquam ex arca, coeli panem agnoſcas; conſueuit enim panis in arca recondi. *Panis, qui de coelo deſcendit,* ait Richardus, *in arca matris ſuæ clauſus fuit, vt ipſa daret nobis panem de arca ſua.*

Rich. à S. Laur. ibi lib. 10.

Sciant igitur omnes, panem, qui de coelo deſcẽdit, omnem mundo afferentem ſatietatẽ, & vitam, ex Virginis arca, ex Virginis vẽtre progreſſum, cui iurè debetur.

6 Fructum ſalutiferum vocat Euchariſtiam Doctor Angelicus in Officio Corpor. Domini. *Fructum ſalutiferum guſtandum dedit Dominus mortis ſuæ tempore.* Quare fructum? Quia ſicut qui fructu frui cupit, ad arborem accedere neceſſe eſt. Sic ad arborem quoque pro Sacra Euchariſtia accedendum eſt nobis. Et quænã eſt hæc arbor tali fructu onerata, imò honorata, ac decorata? Beata ſemper Virgo Maria, Dei mater digniſſima. Quod Dominus ait ĩ Leuitico, *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ.* ſic exponitur à Ruperto: *Nonnè corpus, & Sanguis filij Dei fructus ſunt arboris pulcherrimæ, ideſt Virginis intemeratæ?* Maria eſt arbor pulcherrima: ipſa ſalutarem fructum ſacro ſemel tulit in vtero, nunc verò perpetim amplectitur, & quaſi quibuſdã ramis, ſuis tenet bracchijs, eum cuilibet offerens, qui vitam cupit æternam. Ad eam igitur recurrẽdum pro ſalutifero fructu, tantumque munus illi debendum: *Fructus ventris generoſi eſt.*

D. Thom. in Off. Corp. Domin.

Leuit. 23. 40.

Rup. lib. 2. cap. 40 in Leuit.

In Offic. Corp. Domin.

7 Plura ſunt, & magna ex par-

te latentia, quorũ intuitu Dominus Euchariſtiam dignatus eſt inſtituere. Inter cætera inquit Salazar Doctiſſimus, *Propter Mariam inſtitutam fuiſſe, vt ſcilicet illa poſt Chriſti paſſionem moras ſuæ beatitudinis, hac eſca confirmata, faciliùs ferre poſſet.* Additque aliud. *Vt Chriſtus illa, quæ olim adeo complacuerunt, viſcera, ſæpius repeteret, ac viſeret.* Præuidens pijſſimus Ieſus ſe è mundo receſſurum in coelum, nè prædilectiſſimam matrem in hac lacrymarum valle triſtem deſereret, & moerentem, Euchariſtiam fecit; vt eam ipſa crebro percipiens, tum dilecti abſentiam, tum ſuæ beatitudinis moram, faciliùs ferret. Quod quamlibeoter effecit; ſciens quod per illa myſteria, ſæpe ſæpius debebat virginalem aulam repetere, in qua per nouem mẽſes ſuauiſſimè fuerat hoſpitatus. Piæ admodum rationes: ex quibus liquidò patet nos tantæ Virginis merito tãto Sacro potiri. Quia enim illi illud inſtituit, nobis non denegauit.

*Salaz. in Prou. c. 9. ver. 4.*

8 Sponſum, & Sponſam, Canæ Galilææ certum eſt erga Virginem magnam obligatione deuinctos: ob eius enim dignissimas preces Filius ſuus Omnipotens tam largiter, quã mirabiliter, vino ex aqua facto, eorum epulas honeſtauit.

*Ioan. 2. 4*

Verum, ſi res hæc profundiùs ac ſtudioſiuſque cõſideretur, longè maiora fiet, vt nos noſtra eidem, pro ijſdem precibus, ſtudia debeamus. Illa enim aquæ commutatio in vinum, vini in ſanguinem, & panem in corpus Chriſti, nõ præſignauit modo, ſed & exquiſiuit conuerſionem. *Quod aquæ nouo ſunt ordine in vina mutatæ, noui nobis poculi prælibatum eſt Sacramentum.* ait D. Maximus. Dum eis pientiſſima Virgo vinum impetrauit à Filio, nobis Euchariſtiam petijt, & obtinuit; vt non vtero tantum, ſed & precibus, & meritis eius, coeleſte myſterium debeamus.

*D. Maxim. Homi. 1. de Epiph.*

9 Eia expendamus illud Eccleſiaſtici, vbi ſe Dei Genitrix pro fructu, quem diuinitus tulit, viti ſe comparauit. *Ego quaſi vitis fructificaui.* Quare magis inquit, vt vitis, quam vt ficus? vt malus? vt palma? Quoniam nõ ex fructibus palmæ, mali, aut ficus; ſed ex fructu vitis vinum communiter decolatur. Vera vitis fuit Angelorum Regina; dedit enim botrum ſanctiſſimũ, qui ſub prelo Crucis paſſus, & preſſus, liquorem edidit pretioſiſſimum, ex quo phialæ replentur altaris, vt eo in terra per gratiã, & in coelo per gloriam, opiparè inebriemur. Sic, hæc metipſa verba conſide-

*Eccl. 24. 23.*

tans, philoſophatur Hugo de S. Victore. *Beata Virgo, per florem ſuæ Virginitatis fructificauit Chriſtum botrum noſtræ redemptionis, qui ſuos electos inebriat, in mūdo vino gratiæ, in coelo vino gloriæ.* Sicut itaque vinum, quod cor noſtrum confirmat, vti debemus, ſic & Chriſti ſanguinem, quo in vitā confirmamur æternam, debemus Deiparæ.

*Hugo de S. Vict. ſer. 55.*

10 Deiparæ vtique inquit Spiritus Sanctus: *Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in delicijs: ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Poſtrema ſunt attendenda, vbi, vt vides, vbera tantæ Matris botris aſſimilantur: Quare botris? *Vbera matris botris aſſimilantur; quia fuderunt lac ad nutrimentum filij.* Scribit Richardus. Fortè tibi hæc explicatio cenſeri poteſt incongrua: ex eo enim quod vbera lac, botri vinum effundant, vbera nullo pacto conferenda ſunt botris. Sed ſi rem profundiùs contempleris, videbis eius pectoris vbera botrorum inſtar extendi, lac vino non diſſimile diffundentia, diuiniſſimum nempe lac, Chriſti conuerſum in ſanguinem, quod quotidie ſub vini ſpecie bibimus. Si ergò tanto poculo gaudes, ſi cum Pſal miſta exilis, decantas: *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt*, dulcitudinem, voluptatem, delitiaſque, quas hauris, fonti tanti liquoris debes: Sāctiſſimæ Dei Matris vberibus. è quibus nectar illud effluxit.

*Cant. 7. 7.*

*Rich. à S. Laur. ibi. lib. 5.*

*Pſ. 22. 7.*

11 Per Heuilath, Indiæ Regionem, quam circunfluit Phiſon, Deiparam intelligit Anaſtaſius. *Circuiuit*, inquit, *omnē terram Heuilath, quæ parturit, et parit ipſum Chriſtum.* Neminem vnquam tanta gratiæ, & gloriæ, circuit abundantia (Phiſon à Lyrano abundātia interpretatur) per quam hominibus eſt omnis abundantia. Neque vllum ex Sanctis Angelorum, aut hominum circuit multitudo, quam Angelorum, hominumque Reginam: quod ſonat etiā Phiſon. Videamus autem, quid magni ferat hæc regio, quod noſtras euehatur in partes? Bdellium fert. *Ibi inuenitur bdellium*, ait Moyſes, hoc eſt. S. Euchariſtia, quā innuit māna, bdellio comparatum. Siue, vt alij habent, *carbunculum*, Sacri eiuſdē typus, quod in qua nocte Chriſtus tradebatur, adeo illuxit, vt omnem hominem illuminaret. Quodque, vt toties dictum eſt, ex altari Seraphim tulit, labijſq; Vatis immiſit; quo dum paſcimur, locupletamur. Talia bona tulit virginalis Heuilath vterus, talia peperit delectamenta, magni botri fæta, tales profudit opes bonorum omnium the-

*Anaſtaſ. Sinai. Examen. li. 8*

*Gen. 2. 12.*

*Num. 11. 7.*

*Alia Trāſlat.*

theſaurus. Ei quidem homo omnis debet, quod hic incipit, quo vt in æternum viuet in cœlo.

11 Demum ſcio te non latere, quod Sanctorum animæ, qui purgantur in igne, ſitiunt, æſtuãtque. Meritò quidẽ, nã, ſi, qui iuxta ignem ſunt, ęſtuãt, quidni æſtuabunt, qui cruciantur in igne? Sitiunt profectò, ſed non deficiunt; quia frequenter bibunt. Quid bibunt? Et quis eorum pincerna? Chriſti ſanguinẽ bibunt, & picerna eorũ Virgo Dei Genitrix eſt. *Maria Virgo*, inquit idem Richardus, *poteſt dici pincerna eorum, qui ſunt in Purgatorio*. Ex eius enim vbere lac cœlicũ profluit, quod in cruorem Chriſti conuerſum, ſub formis vini latet in Sacramẽto, & in Sacro altari quotidie pro illis offertur; vnde eorum ignis, ignitaq; ſitis, vel penitus extinguitur, vel ſuauiter mitigatur. Omne itaque leuamen, & refrigerium; omnem refectionem, & requiem, ſacratiſſimæ Virgini debent. Tibi itaq; ſanctiſſima Domina, & qui in hoc mundo laborant, & qui extrà mundum in cælo iubilant delicias tanti muneris debent. Tibi inquam; ex te enim diuiniſſima caro, quam edimus, cruorque pretioſiſſimus, quẽ potamus nobis, effluxit. Sine te omnis homo inedia conficeretur, & ſiti; per te æternæ vitæ nutritur edulijs, reficitur poculis, deliceatur, per ſecula deliciandus æterna.

*Rich. à S. Lau. ibid. lib. 12.*

## THEOREMA IV.

### Virga tua.

*Horrendam Iudicij faciem præferunt ſacra Altária.*

QVia, vt Maximus meminit, virga Dei iudiciũ ſignificat. *Virga ſignificari perhibent diuinum iudiciũ*, dũ Pſalmographus virgæ Dei meminit, *Virga tua, &c.* diuini cenſendum eſt iudicij meminiſſe; quod ſacræ adijciẽs Euchariſtiæ; proſequitur enim: *Paraſti in conſpectu meo menſam*, Sanctam Cõmunionem innuit quoddam iudicium eſſe. Sanè iudicium eſt *Iudicium ſibi manducat, & bibit*, iuquit Apoſtolus de indignè communicante. Sedet enim Chriſtus in ſolio ſacri altaris, velut in tremendo iudicio, cum viuos, & defũctos iudicaturus eſt.

*D. Maxim. Cõſ. Cent. 2. 99.*

*1. Corinth. 11. 29.*

1. Tamquam de Rege quodam magno, glorioſo, ac cunctis honoribus aucto, celebratoque, de Chriſto loquitur Vates, dum *Honor*, inquit, *Regis iudicium diligit*. Veriſſimum eſt (ac ſi diceret) Deum vbique gentium mitem, pium, miſeri-

*Pſal. 98. 4.*

cor-

cordem, clementem, longanimem prædicari: talis eſt equidem: miſerationum eius non eſt numerus. Ex hoc tamen iuſtitiæ, & iudicij non obliuiſcitur. *Diligit miſericordiã, & iudicium*, vt ſuo proſpiciat honori; nec ſe impunè offendi ſinit. Sed ſi rogas, vbi magis, Chriſtus, vt ſuo proſpiciat honori, iudicium diligat, & exerceat. Dum plebs communicat, reſpondet Bernardinus. *Honor Regis iudicium diligit. ideſt honor Chriſti iudicium diligit in ſumptione corporis eius*, Me aliàs dixiſſe memini, quod dum Presbyter Aethyopum Sacram hoſtiam eleuat, plebique oſtentat, ait: *Hoc eſt corpus honoratum.* Scilicet. Periculoſiſſimum eſt ſacrum hoc corpus contemnere: honoratum eſt enim, & iudicium diligit; Sicut dignos, & meritos large remunerat, ſic & in indignos, & peccatores animaduertit: quemadmodum in extremo videndum eſt iudicio. *Honor Regis iudicium diligit.*

*Pſal. 32. 5.*

*D. Bernardin. to. 1. ſer. 56. ar. 3. cap. 1.*

*In Miſſa Aethyo.*

2 Eo q̃ ſimplices, & idiotæ, circularis, rotundæque formæ ſacram hoſtiam videant, arbitrantur in ea Chriſtum eſſe formæ rotundæ; ſeque illis figuris, liquoris inſtar vaſis in formam, aptari, Sed toto cœlo aberrant, ait Hugo de Sancto Victore: *Non enim habet Chriſtus rotundam formam in ſe, ſed qualem in iudicio viſuri ſumus.* Deludunt ſe tales, qui tale quid de Chriſto, dũ latet ſub forma panis, exiſtimant. Non eſt ibi formę rotundę: eſt illius formæ, quà illum, viuos, & mortuos iudicantem, viſuri ſumus, Videamus quæſo, quidnam importet eſſe formæ rotundæ, quam Deus à ſe abijcit in altari. Quòd circulare eſt, & rotundum. omni motui aptum eſt, & accommodatum, quia ſolidum tangit in modico, imò in puncto, facilè illud quouis impelles; antroſum, detrorſum; ſurſum, deorſum: ſextorſum, ſiniſtrorſum: æquè ſemper votui tuo, ſine cunctamine, cedet. Non ità putes in Sacramẽto Deum habere tuo votui expoſitum, vt ſi illum in cor prauum immiſeris, æquè id ferat, ac ſi ingrederetur in ſanctum. Nam tali caſu tuo nõ cedit iuri, tibi ſe Sacramentaliter tantum, non ſpiritualiter exhibet: nec tui auſus pœnas in longum trahet: mox iudicat, & condemnat. Iudicium tibi tunc manducaſti. inquit Apoſtolus. Nam talis eſt Chriſtus in Sacramento. *Qualem in iudicio viſuri ſumus.* Qualem in iudicio viſuri ſumus? Ira candentem, furore percitum, crudelem in impios, hoſtium ſuorum vltorem: minimè hominum errata diſſimulantem, ſed æternis condemnatẽ tormen-

*Hugo de S. Vict. Erud. Th. tract. 6. cap. 4.*

men-

mentis. Talis eſt in altari. Vix ſacrum acceperat Iudas, cùm in eum Dei carnifex introiuit ad vlciſcendam tantæ temeritatis iniuriam: Idem cæteris peccatoribus imprecatur Dauid, cúm dicit: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueũ. Ideſt*, inquit Bernardinus; *fiat Dominica menſa tamquam laqueus peccati, quo in gula, per quam trãſit corpus Chriſti, à Diabolo illaqueatur.*

Pſal. 68. 22.

D. Bernardin. to. 1. ſer. 56. ar. 2. cap. 6.

3 Puto quidem te ſcire, in celebrioribus Sacris ventilabrum adhiberi. Toties id Romæ, quoties ſummus Pontifex ſolemniter celebrat, animaduertitur. Ignoro tamẽ rationem calleas. Quid inquies miſſæ, & ventilabro? Vt ex eo aduertas Chriſtum in altari ſedere, quemadmodum ſeſſurus eſt in extremo iudicio. Iudicantem Chriſtũ delineaturus Ioãnes, pro inſignibus ventilabrum adſcripſit. *Cuius*, inquit, *ventilabrũ in manu eius, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem cõburet igne inextinguibili.* Quod ſic exponit Paſchaſius; *Per ventilabrũ examẽ diuini iudicij deſignatur; quia, ſicut ventilabrum in area trituræ paleæ ſecernuntur à tritico, ità per diuinum iudicium leues, & vacui à fructu boni operis à conſortio Sanctorum ſegregantur.* Nemo, ſit qui ſe vanis, & futilibus ſeducat rationibus, æque panem autumans edere in menſa altaris, ac ſuũ edit in ſua; quem Deus nullo præuio examine, omnibus libenter impertit, iuſtis, & peccatoribus. Adſunt altari, conuiuæ, non ſecus, ac olim aderũt in conſpectu Chriſti pro tribunali ſedentis, iuſtos ab impijs, vt illos vitæ, hos morti donet æternæ, ventilabro terribili ſecernentis.

Matt. 3. 12.

Paſch. ibid.

4 Non modo, cùm ſit Sacramentum, ſed etiam cùm plebi diuiditur, conſuetum eſt ab Eccleſia faces, & lampades adhiberi; *Etiam, ſi mille ſoles lucerent ſuper terram*. ait Magnus Albertus. Quidnã (oro) talia lumina innuunt? Innuũt ibi æquè Chriſtum adeſſe, ac aderit in iudicio. Sicut enim ibi ex Vate lucernis accenſis ſcrutaturus eſt homines; *Et erit in tempore illo*, ait Deus, *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*; vnde deſcendentem illum de cœlo pro candelabris fulgura præibunt, *Ante ipſum pro candelabris fulgura viua præcedent.* ait Auctor operis imperfecti, quem Chryſoſtomũ autumãt: ſic, & in altari nitent vndique lumina; eo quod Deus ibi cũctos ſtrictè ſcrutatur, diligenter examinat, vt quos dignos inuenerit, præmijs; quos indignos, æternis pœnis afficiat.

Albert. Mag. in Cõp. Theol. lib. 6. cap. 16.

Soph. 1. 12.

Imperf. Hom. 49.

5 Hieronymus Oleaſter ſup

illud

illud Exodi, vbi Deus Moyſi, vt pro ſuo tabernaculo cōſtrueret candelabrum, præcipit, *Facies candelabrum ductile de auro mundiſſimo*, petit à Deo: Ad quid in domo tua Domine candelabrum expoſcis? nonnè tu es lux mundi, qui omnem illuminas hominem? per quem ſol rutilat? ſydera nitent? ignis effulget? quodnam opus lumine habes? Ait tandem: *Ne putares homo in domo ſua poſſe male conuerſari, & occultari: ſiue in die, ſiue noctu, impie egeris, ab eo videris.* Lumen querit in templo; quia ibi iudex ſedet, dignè communicantes, ab indignè vorantibus, ſecreturus. Vt te doceat, dum illum adis, ſuum nullo modo latere poſſe conſpectum. In luce eſt enim, non in tenebris, clarè videt, quis ſis, ſi ſanctus, ſi peccator, tibique pro merito præmia, pœnaſue decernit.

*Exod. 25 31.*

*Oleaſt. ibid.*

6 Quod Pontifex oblaturus, manipulum non cum reliquis ſacerdotibus in ſacrario, ſed altari recipiat; magna dignum eſt animaduerſione. Scit vtiq; Pontifex, ſacroſanctū altare illud referre tribunal, in quo iuſtis præmia, iniuſtis pœnæ iuſto ſeruantur à iudice. Quia verò ipſe ob muneris celſitudinem ſanctus, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, cœlis eminētior æſtimādus eſt: manipulum, quod mercedem ſignificat, & præmium bonorū operum, ſibi ſumit: ſed in altari, Chriſti ſolium referente, mundum in die nouiſſimo iudicantis. *Pontifex*, inquit Durandus, *poſtquam ad altare peruenit, manipulum accipit: ad denotandum, quod tunc demum bonorum operum effectiuum præmium percipiemus, cùm ad æternum tribunal iudicij peruenerimus.* Iam vides in altari præmia & pœnas, velut in iudicij ſolio, diſpenſari. In eo ergo ſi iuſtus eris, accipies plenæ meſſis manipulum; ſi peccator, poenas non deuitabis æternas: Sic enim ibi merces tribuitur ſancto, vt impunis non relinquatur iniquus.

*Durand. Rat. Diu. lib. 4. ca. 7 num. 4.*

7 In arca teſtamenti veteris *Fuiſſe vrnam auream habentem manna, & virgam.* tradit Apoſtolus. Sanè quam diſpar vnio? quam infida ſocietas? Quid mannę, & virgæ? dulci, & amaro? melli, & felli? matris vberibus, & lictoris inſignibus? Quia vrna aurea, Chriſti præſignificabat humanitatem, congruè mannæ adiungebatur virga. *Arca Chriſtus eſt*, ait Doct. Angelicus, *qui continet vrnam auream continentem manna, ideſt, habentem in ſe humanitatem puriſſimam, cui eſt vnita Diuinitas, cuius eſt dulcedo ſuper mel, & fauum: continet etiam virgam.* Nam, & ſi certum ſit Chriſtum, vltrà quod dici

*Hebr. 9. 4.*

*D. Thom. in cap. 11. Apoc.*

dici poteſt, & excogitari, vt ex perti perhibent, ſuauiſſimum eſſe, & dulciſſimum: verum eſt etiam tali repletum eſſe amarore, vt ei etiam vox amareſcat. *Vox diei Domini amara.* ait Sophonias. Christus itaque, dũ in arca Eccleſiæ latet, mannæ dulcedinem, & virgæ amaritudinem continet, illam bonis, hanc reprobis ſeruat; vt vnde dulceſcit iuſtis, amareſcat iniuſtis. Vis rem habere pr̨e oculis? Petrus, quia iuſtus, manna; Iudas, quia peruerſus, virgam expertus eſt; amatorẽ hic, ille dulcedinem. *Petrus*, ait D. Vincẽtius, *Poſtquã cõmunicauit, dixit: O Domine, totum me cõfortauit: numquam anima mea inuenit tantum ſaporem in aliquo cibo*: Iudas autem, vbi Sacrum percepit, præ, quã concepit intrinſecus, amaritudine, nec viſcera ſuſtinere potuerit, quin ea canibus, auibuſq; proiecerit: vnde *Suſpenſus crepuit medius, et diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Quod, altare faciem venturi iudicis præſeferre concludit, in quo Chriſtus, & manna adhibebit, & virgã: & vnde in remuneratione ſanctorum dulcior eſſe non poterit, inde nec in damnatione peccatorum amarior.

*Soph. 1. 14.*

*D. Vinc. ſer. in die Paraſ.*

*Act. 1. 18.*

8 Dum Virgo Dei Genitrix ſalutaretur ab Angelo, deque mirabili Incarnationis myſterio, in vtero eius patrãdo, certior fieret, perterrita eſt, & turbata. *Turbata eſt in ſermone ei⁹.* Cur, turbari potuit, cum conſolari potiùs, & lætari debuerit? Deum ſibi dulciſſimum, cœli bonis onuſtum, veniente audit, & non iubilat? non exiit? ſed cõturbatur? *Senſit ad ſe ſupremum venire Iudicem.* ait Chryſologus. Tametſi Virgo ſanctiſſima Deum ſuauiſſimũ attenderet, & duciſſimum; expaueſcit, tñ, & turbatur. Iudex eſt. n. Deus, ſic pauendus, ſic formidandus, vt etiam dũ pius apparet, pertimeſcatur à iuſtis. Id ipſum accidet in extremo libramine, in quo, quia. *Et à ſiniſtra omnis iniquus condemnabitur*, vt habet Rupertus, *& à dextra vix iuſtus ſaluabitur*, palleſcent, & turbabũtur Sancti: Accidit, & hoc in ſancta Communione, in qua velut in vltima die formidatur à ſanctis: vnde, ex illis quamplurimi communicare non audent, vt de D. Bonauẽtura, & alijs, memoriæ proditum eſt.

*Lu. 1. 29.*

*D. Chryſol. ſerm. 140.*

*Rup. in 3. Reg. cap. 3.*

9 Quantæ fæcunditatis ſit verbum *Bedolach*, quod Moyſes ad exprimendum mannæ colorem vſurpat, ex præhabitis conſtat. Quibus, & alios adde, vt videre eſt apud Lorinum ibidem, transferre *ſmaragdum*. Ex qua translatione ſub typo mannæ magnum Euchariſtiæ myſterium propalatur.

*Nu. 11. 7.*

*Alia Trãſ.*

*Ioan. Lor. ibid.*

tur. Smaragdinus eſt Chriſtus in ſolio altaris reſidens; reſidet enim ibi, quemadmodum in die nouiſſimo, mūdum examinaturus reſedebit. Gemmæ nomen, Rationali affixę, quod Moyſes tertio primi ordinis loco commemorat, quodque Hieronymus transfert ſmaragdum; à verbo quodam; *Quod eſt fulminare, ſeu fulgorē emit-* (Oleaſt. in cap. 28. Exod.) *tere, ortum habet: & mea ſententia ſignificat lapidem fulgurantem*, ait Oleaſter. Dum ſacri altaris manna ſmaragdinum colorem dicitur præferre, Chriſtus in eo fulgurare dicitur, & fulminare; quemadmodum in die illa tremenda coram toto orbe videbitur, cùm, ſmaragdi inſtar fulgurabit, fulminabit. Cum Ioannes Apoſtolus, ſe quandam Chriſti mundum iudicantis imaginem, viſioni ſmaragdinę ſimilem vidiſſe recenſeret, adnectit: (Apoc. 4. 5.) *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes.*

10 Demum, ſicut Chriſtus in finali iudicio adueniet Angelorum exercitu cōſtipatus, (Matt. 25. 31.) *Cum ſederit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo*; quos ad reproborum, & Dœmoniorum adducet interitū; (Dio. Cart. ibid.) *Angeli ſancti*, ait Cartuſianus, *proijcient, & contundent tam Dæmones, quam homines perditos in infernum*; ità & in Euchariſtiam cum Angelorum turma deſcendit, *Et pluet* (Pſal. 77. 27.) *ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata*. ait Dauid, *Quia de cælo veniet corpus Chriſti cum volatilibus, ideſt cum Angelis*, (Hugo Card. ibid.) exponit Hugo. Quos ad malorū pariter vindictā adducet. Ereptis. n. gladijs ſūmo iudici, ī altaris throno ſedēti obſequentiſſimi aſſiſtunt, animaduerſuri in indignos, ſi Chriſtus, ꝙ bonitatis ſuæ obliuiſci non poteſt, non ſuſpenderet gladios. *Peccator*, inquit Paſchaſius, (Paſch. cap. 8. de Corp. Do.) *certus ſit, quia vltores Angeli nec ſemel indignè communicanti parcerent, niſi bonitas Chriſti, in cuius iudicio pendent omnia, gladiū ſuſpenderet, & remoueret interdum momentaneam mortem.* Sed quia ad Angelos ſermo peruenit: age nūc ſequēs Angelorum theorema ſubijciamus.

## THEOREMA V.

### Virga tua.

*Chriſti pane depaſtus magno ſanctorum Angelorum agmine conſtipatur.*

QVia olim lictores, vt mos erat Romanis, virga præcingebatur, & baculo; cum ait Pſaltes:

*Pineda de reb. Salom. lib. 2. cap. 4. num. 5.* *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*, idem eſt, ait Pineda, ac ſi diceret: *In mei defenſionem mihi aduerſus hoſtes contuliſti tuos lictores, tuamipſã cuſtodiã*, ideſt Angelos, q. Dei Regis Regũ lictores ſunt, & milites. Quo quidem honore (proſequitur) idcirco me dignum exiſtimaſti, quoniam *Paraſti in conſpectu meo menſam* Nam, qui menſa dignus eſt Euchariſtica, magno Angelorum conſtipatur agmine, fulciturque præſidio.

1 Quod nequaquam futiliter primo ex eo probatur, quod ait idem Propheta, *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui*. *Pſal. 124 2.* Tunc De⁹ eſt ĩ circuitu populi ſui, cũ eũ corporis, & ſanguinis ſui participem fecerit, & ſanctificauerit. Qui enim pro meritò Chriſti corpus accipiunt, Chriſto, ceu regia quadam veſte, circundantur. *Qui huius ſanguinis ſunt participes, ipſam regiam Chriſti ſtolam induti, imo ipſum Chriſtum induti, ſunt Regem*. ait Chryſoſtomus. *D. Chryſoſt. Ho. 45. in Io.* Dum vero ſuũ populum Chriſtus per ſui corporis, ſanguiniſque participationem circũdat, montes ſũt in circuitu eius: tales nempe, tantique cuſtodes, fortitudine præſtantes, & robore, ad illum accedũt, ac circumuallatus mõtibus videatur. Quinam ſunt hi mõtes? Angeli ait Laurẽtius Iuſtinianus; *B. Laur. Iuſtin.* *Montes videlicet Angeli, qui ob eorum ſublimem gloriam montes meritò nuncupantur*. Tanto ſtudio, tantaque cura eos Deus proſequitur, quos ſuæ communionis dignos inuenerit, vt ad honorem pariter, & tutelam Angelorum agminibus coronet, & cingat. *Montes in circuitu eius.*

2 Hominem, in quem per ſacram Communionem Chriſti corpus ingreditur, nihil à ſepulchro Chriſti differre debere autumat Antoninus: *Quia*, inquit, *in corpore eius per communionem habet quieſcere corpus Chriſti; vt in ſepulchro*. *D. Antonin. pa. 3. tit. 14. de Sacram. Euch.* Ea igitur, quæ Chriſti ſepulcro inerant, neceſſe eſt habeat. Sicut Chriſti ſepulchrum exciſũ erat in petra, magnum ori eius ſaxum aduoluebatur, in horto, & iuxtà Caluarium ſitum erat: ità & dignè communicans in mundi, Dœmoniſque tentationibus inſtar petræ dureſcat: ſaxum, de non recidendo propoſitum ad os ſuum adhibeat, ſitus ſit in horto: hortus enim concluſus eius debet eſſe mens, in quo non quercus aut fagus, quę beſtijs fructificant, ſed roſarum flores, ſed lilia, ſed violæ, cunctarumq; virtutum herbæ odoriferæ videantur. Tandem ſit iuxtà Caluarium, ſit Cruci Chriſti vicinus; Chriſtum paſſum, & mor-

rium, ſedulo contempletur. Vbi autem homo tali, ad Chriſtum excipiendum, ſe diſpoſuerit apparatu, ſeque ſepulchrũ effunxerit; cenſendum eſt ab Angelis non relinqui: numquã enim Angeli ſepulchrum Chriſti relinquũt. Tradit Matthæ³, ſuſcitato Domino, ſuper ſepulchri lapidẽ Angelum viſũ eſſe, quem mox ſeſſurus è monumento reuoluerat. *Angelus enim Domini deſcendit de cælo;* Matt. 28. 2. *& accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Quem non ſtare, ſed ſedere audiens Chriſoſtomus ait: *Sedet quia ab illo tam venerabili ſepulchro numquam Angelus recedit.* Sanè ſicut ſtare, mox receſſuri eſt; ſic ſedere moras facturum ſignificat. D. Chryſoſt. ſer. 77.

3 Aenygmaticè hoc metipſum Propheta noſter explicuit cùm *Immittit*, inquit, *Angelus Domini in circuitu timentiũ eũ.* Pſal. 33. 8. Vbi per Angelum Domini, Chriſtus magni conſilij Angelus capiendus; qui, eo quod pro ſalute mundi ſit miſſus à Patre, rectè Angelus dicitur. Per timentes eum, eos qui è ſacro altari corpus eius accipiunt, quod ſolis Deum timẽtibus impertitur. *Eſcam dedit timentibus ſe:* ait idẽ. Pro quibus ſacri edulij abſcondita eſt dulcitudo. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abſcondiſti timentibus te.* Sed quidnam in eorum circuitu Chriſtus immittet, qui dignè corpus eius acceperint? Propheta, ſolum ait *Immittit*, q. autẽ immittit, ſilet: ſed, quod ſilet Propheta, Aiguanus, huc uſque dictus Incognitus, ſed ſatis cognitus, explicat. *Angelus*, inquit, *Chriſtus in iſto Sacramento immittit in circuitu timentium eum, ad eos de periculis eruendos, alios ſcilicet Angelos.* Hoc eſt: Quos ſemel Chriſtus Ieſus corporis, & ſanguinis ſui Sacramento reficit, Angelos ſuos circa eos immittit, quibus conſtipentur, & fulciãtur. Sed expende quod non ait, ad dexterã, aut ad ſiniſtrã, ſed in circuitu, immittere. *In circuitu timentium eum.* Siquidem Sancti Angeli communicantes, non modo circũdant, & protegunt, ſed & decorãt, honorant, coronant.

Pſal. 110. 4. Pſal. 30. 20. Incog. in Pſal. 35. ver. 56.

4 Quod ſapientiſſimus Salomon, non edulium, ferculũ, panem, aut cibum, ſed eſcam Angelorum, dixerit Euchariſtiam, *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum*, non abs re dictum eſt. Inquies autem: Quid inter eſcam intereſt, & prędicta, cum omnia ſub cibi genere promiſcuè contineantur? Verum quidem eſt cuncta hæc cibos eſſe: illud tamẽ habet eſca præ cæteris, vt non quemlibet cibum ſignificet, ſed cibum ad quem animalia eatenus natu-

Sap. 16. 20.

rali

rali guſtu ferantur, vt in laqueos,& in retia, incidãt. Neque. n. venator, aut piſcator ad alliciendas aues, aut piſces, quemcumque cibum aſſumit, ſed illum, cuius ſapore præ cæteris affici non ignorat. Vt ad ſiluros pulmonem tauri aſſum, ad ſargos farinam iure caprino madefactam; nam hi miro capellas proſequũtur amore: ad palamides purpurã, ad mugiles aphios, ſeu ſquillas paruas marinas, & ſic de reliquis. Animalia namque ſympathia quadã ab aliquarum rerũ amore attrahi ſolent, quæ ex Philoſophia petenda ſunt, quæ animalium naturas, peculiareſque mores oſtendit; quibus cognitis, faciliter coniiciuntur & eſcæ, vt capiantur. Dum igitur euchariſticum Sacrum eſca Angelorũ dicitur, *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum*, ideo dici autumandum, quod Paradiſi aues alliciat, vt ad eum deſcendãt, cui dignè datum eſt manducari. *Hic myſticus ſanguis*, ait Chryſoſtomus, *Dæmones procul expellit, & Angelos ad nos allicit.* Quidnì aduolent Angeli, vbi Rex Angelorum inhabitat?

D. Chryſoſt. Hom.45. in Ioan.

5 Hic Saluatoris noſtri ſententia perpendenda ſe offert. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*: Nam quia per corpus Euchariſtia venit, in qua corpus Domini veraciter continetur; perque aquilas Angeli, idẽ eſt dicere *Vbi fuerit*, &c. quam vbi fuerit Euchariſtia, illuc deſcendent, & congregabuntur Angeli: Cur autem Angeli, dum circa corpus Domini congregantur, dicuntur aquilæ? Quia mũdi sũt, & mundiciæ amatores: mundiſſimum, ac puriſſimum Saluatoris corpus diligunt, ac venerãtur. Scribit Plinius quoddam genus aquilarum eſſe, perinde mundum, vt non, niſi in aere; aucupetur; nec vnquã ad depredãdum, nè polluatur, ad terram volare. Tum etiam quia alas habent, vt aquilæ; vt quos ſacro cibo viderint enutritus, ſub vmbra alarum ſuarum reponant, & protegãt. En D. Leonem. *Circa corpus Domini aquilæ ſunt, quæ ſpiritualibus alis circumuolant, videlicet Angeli ſancti, Spiritus mundi, mundiciam amantes, mundum corpus Domini venerantes, ac fideles præſentes protegentes.*

Matt.24. 28.

Plinius

D. Leo apud S.Th. opuſ. 58. cap. 4.

6 Nunc videamus quid ſibi velit Sponſa, cùm dicit: *Lectulus noſter floridus.* Ex eo vtique, quod ex Salomone Rabbino, ſub lectuli nomine Sanctuarium venit, in quo Deus in medio noſtrum cohabitare dignatur. *Facient Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*, recte etiã ille venit, in quo Deus, vbi dignè cõmunicauerit, velut in Sanctuario, & lectulo, quie-

Cãt.1.16

Rabbi Selom.ibid.

Exod.25. 8.

quieſcit, & habitat. Sed cur hic lectulus dicendus eſt floridus, *Lectulus noſter floridus?* Quia coeli floribus, ideſt Dei Angelis, quos fert hortus Paradiſi, circumdatur, & variegatur; non in decorem, & ornatum ſolummodo; ſed & in tutelam: legunt enim alij: *Lectulus noſter vmbroſus.* Significare itaque voluit Sponſa, Angelos more aquilarum eos, ſub alarum vmbra recipere, quos participes nouerint corporis, & ſanguinis Domini; inſtarq; lictorum, à quocunque malo ſtudioſè protegere.

*Alia Transl.*

7 Sponſus etiam hoc ipſum ſignificauit, vbi Sponſæ collum turri quam mille circumdant clypei, comparauit. *Sicut turris Dauid collum tuum, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Nam quia per collum cibus in ventrē ad corporalis vitæ conſeruationem traijcitur, typus eorum eſt, qui vitæ æternæ cibum, cordis traijcientes in ventrem, à morte præſeruantur æterna; quā nequaquā homines deuitabunt, niſi filij hominis carnem, & ſanguinem comederint, & biberint. Hoc autem collum turris eſt fortiſſima, clypeis mille circumdata. Turris quidem, quia terret hoſtes, ob clypeos, quibus circumcincta protegitur. Sed qui nam ſunt hi clypei, qui Chriſti pane refectum acerrimè defendentes, oſtibus terribilem reddunt, & formidabilem? Angelorum præſidium. ait Nyſſenus. *Exiſtimo autem per turrim, clypeorum multitudine in orbe circumdatam ſignificari Angelorū præſidium.* Quos pane filij ſui paſcere non dedignatur Altiſſimus, ſuo præſidio munit, ſatellitio protegit, Angelicis clypeis circumcingit. Et conſentaneè quidem. Nam vbi Princeps, ibi præſidium Principis. Nefas eſt ſatellites ab ea aula recedere, in qua Rex reſidet, & moratur.

*Cāt. 4. 4.*

*D. Greg. Nyſ. Ho. 7. in Cāt.*

8 Nos autem (obſecro) nè recedamus à Canticis, nì prius aliud eiuſdem ſponſæ: præconium explicemus. *Venter tuus,* ait Sponſus, *ſicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Quibus verbis Spiritus Sanctus animam proculdubio effingit, tritico cœli repletam. Hæc enim ſola laudanda eſt, & commendanda repletio; cum omnis alia abominanda ſit, & exprobranda. Cur autem animæ venter Chriſti pane refectus, lilijs vallari dicitur, non autem roſis, violis, aut narciſſis? *Vallatus lilijs.* Quoniam lilia cum Angelis quandam habent analogiam, vt ad hos ſignificandos illorum nomen aptè transferri poſſit. Lilia q̄dā ſunt Angeli, vtpote olympi ciues, ſupra terram erecti, niueo puritatis, ſā-

*Cāt. 7. 2.*

ctitatiſque candore nitentes: clauduntur q; inferiùs, ſuperiùs dilatantur; quia ſolis cœleſtibus mens eorum afficitur. *Quid enim ſunt lilia, niſi Angelorum præſidia?* ait D. Bruno. Angelorũ igitur præſidio vallatur quilibet, quem Deus diuini tritici non iudicauit indignum.

D. Bruno ſer. 1. de Martyrio.

9 Vbi mediator Dei, & hominum Chriſtus paſſioné tulit, & mortem, vox quædam in templo Salomonis innotuit, clamantium, & dicentium: *Migremus hinc*. Quorum nam fuit hæc vox? Sanctorum Angelorum, Ieruſalem relinquētium, ac deſtituentium. Iure quidem Angeli diſceſſerũt ab ea, quæ à ſe adeo turpiter Dominum Angelorum pepulerat. Aderant pri' illi cœleſtes ſpiritus, quia Dominus aderat, quem coeleſtes ſpiritus comitantur. *Ieruſalem montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* inquit Propheta. Hoc eſt, dum in circuitu populi ſui Dominum habet Ieruſalem, habet & Angelos Domini, per montes, vt ſupra dictum eſt, ſignificatos. Vbi verò Regem Angelorum noluit, deſtituta eſt Angelorum præſidio. Sic ait Paſchaſius. *Legimus in Ioſepho, poſt paſſionem Domini clamatum eſſe publicè multis audientibus, in arce murorum Ieruſalem: Tranſeamus ex ijs ſedibus. Nec immeritò; quia Dominum Angelorum habere noluerunt.* Qui ergo Dominum habent, Angelorum præſidio fulciuntur; qui à Deo ſunt procul, ſunt & Angelorum agmine deſtituti. Quid de illis dicendum, qui dignè communicantes, Angelorum Regem intra animæ clauſtra ſuſceperint? Angelorum agmine proculdubio conſtipari.

Ioſeph. Hebr. de bello Iudai. lib. 7 cap. 17.

Pſal. 124. 2.

Paſch. in cap. 12. Mattt.

10 Huc reſpexit Salomon, dum obitum impiorũ his conuiciatus eſt verbis. *Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum.* Hoc eſt. funus eorum tanto afficietur opprobrio, talibus contumelijs, & ignominijs, vt ſine vllo honore eorũ ſpectandus ſit interitus. Hoc autē (inquies) nō videtur conſtare, cum paſſim pleroſq; ex ſceleſtiſſimis, & perditiſſimis, videamus, magno funeratos honore, magnaque pompa ſepultos. Tametſi (inquam) tale funus noſtris appareat honoratum obtutibus; Dei tamen, ac ſanctorum oculis, nulli non patet opprobrio. Decidunt namque ſine Angelis, qui iuſtorũ iuſta honorant. *Priuantur*, inquit Lyranus, *honore iuſtorum, quorum animæ ad requiem deferuntur per obſequiũ Angelorum*. Magnus animarum honos, ad coelos Angelorum obſequio tranſportari.

Sap. 4. 19.

Lyran. ibid.

Di-

Dignè hoc honore priuantur improbi, quia procul moriuntur à Deo. Potiuntur iuſti, quod ſecum habeant Deum, in Viatico acceptum. Vnde ait Chryſoſtomus: *Qui de vitabac emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum pura, & munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis eorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacrum, hinc rectà in coelum adducuntur.*

D. Chryſoſt. li. 6. de Sacer.

## THEOREMA VI.

### Et baculus tuus.

*Mira vis fidei noſtræ, ſine qua nec cæli munera, nec munerum elargitorem, Deũ, poſſumus promereri.*

BAculus, à quo ſe Propheta prædicat conſolatum, fides noſtra eſt. *Nam baculus fidem notat:* ait Abulenſis. Fides ſola eſt, quæ nos in neceſſitatibus noſtris, vt in votis eſt, conſolatur. Sine ea, nec coeli munera, nec coeli Regẽ, poſſibile eſt promereri. Fidei opus eſt, quod ſua, ſeque nobis Deus præbeat in altari.

Abul. q. 33. in c. 26. Matt.

1 Aduerte primò, quo pacto Dominus cæcum, Bethſaidæ oblatum, illuminarit. *Et veniunt Bethſaidam,* inquit Euangeliſta, *& adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret: & appræhẽſa manu cæci adduxit eum extra vicum, & expuit in oculos eius.* Vide, quod. *Eduxit eum extrà vicũ.* Cur extrà vicũ eduxit? nonnè eũ in vico, æquè ac extrà vicũ, ſanitati poterat reſtituere? poterat illuminare? Egebat beneficio loci, qui nullius, vt nulli non patet, indiget? Nec loco, nec tẽpore, nec re alia quapiam indiget Dominus ad miracula perpetranda: vbique, & ſemper eſt præualens, vbique, & ſemper fortis, vbique, & ſemper omnipotens. Quod cæcum extrà vicum eduxerit, vbi (vt ipſe alibi teſtatus eſt) infidelitas graſſabatur; fuit, vt eum ab infidelitate educeret, ad fidem conuerteret; fideléq; faceret; nam ſine fide oculorum lumen non poterat impetrare. Hæc eſt ſententia Petri Chryſologi. *Hæc eſt Bethſaida, cuius perfidiam Dominus exprobrat, dicens: Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone virtutes factæ fuiſſent, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. Ergo appræhenſa manu eius, de domo infidelitatis educit, leuat eum de perfidiæ ſeſſione, vt ante fidẽ, quàm oculos daret, ante menti, quàm corpori redderet ſanitatem.* Ac ſi concluderet. Attende fidei noſtræ vim, & obſtupeſce. Oportuit prius fidem

Mar. 8. 21.

D. Chryſol.

dem præſtare cæco, quàm lumen; quaſi ſine fidei lumine, cætera cœli dona nobis conferre non poſſet.

2 A cæco ad leproſum me confero, qui cum à Chriſto ſalutem expeteret, inquiens: *Domine, ſi vis, potes me mundare*, reſpondit Chriſtus extemplò: *Volo, mundare.* Additque Euāgeliſta: *Et confeſtim mundata eſt lepra eius.* Vides quam ocyus, qua celeritate dignatus eſt Dominus mūdare leproſū, nec per paruum inſtans diſtulit beneficium? Quænam huius celeritatis eſt cauſa? Fortè hic apud Chriſtum magnæ erat auctoritatis, magnæ virtutis; dignus propterea, vt ſtatim, quæ rogaret, acciperet? Sanè hoc non eſt impoſſibile. Sed Adamantius præter ſolam fidem, nullum aliud in eo recognoſcit meritum; idcirco iudicat tam repēte ſanitate donatum, quod ad cœleſtem medicum fide imbutus acceſſerit: Dicentem enim Dominū; *Volo mundare*, idē eſſe autumat, ac ſi diceret: *Non dubitaſti credere, non tardo ſanare; non diſtuliſti confeſſionem, non differo te mundare.* Magna ſanè vis fidei. Quæ Deum precamur ſola fides impetrat, imò potius extorquet. Vbi fides adeſt, ſpes non abſit; quia Dei munera procul eſſe non poſſunt.

*Matt. 8. 2*

*Orig. Homi. 5. in Diuerſ.*

3 Ad Chananæam nunc diuertamus, de qua Marcus. *Inde ſurgēs Ieſus abijt in partes Tyri, & Sydonis; & ingreſſus domum, neminem ſcire voluit, & non potuit latere. Mulier enim ſtatim, vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.* Quod Chriſtus domi occluſus latere voluerit, & nequiuerit, magnā Chryſologo difficultatem ingerit. *Velle, & non poſſe,* inquit, *non eſt diuinæ maieſtatis, eſt infirmitatis humanæ: ſcriptū eſt enim. Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Et Apoſtolus; voluntati eius quis reſiſtet? Leproſus dixit ad Dominum: ſi vis, potes me mundare. & Euangeliſta dicit: Voluit, & non potuit latere?* Demum reſpondet. *Nūquid ità extollēda eſt mulieris fides, vt inclinetur Domini poſſibilitas, ac voluntas? Aut eſt tanta ſagacitas fidei, vt nolēte Deo, diuinum valeat inueſtigare ſecretum?* Velut ſi apertius diceret. Tantæ virtutis fides eſt apud Deum, vt Deus videatur exequi non poſſe, quod contra id, quod fideliter petimus, decernit. Occludit ſe Dominus domi, latere ſatagit, & ignorari: fidei tamen occludi, & latere non poteſt: eum enim Chananææ fides, quam ipſe tātopere commendauit, vt filiæ ſalutem expoſceret, detexit occluſum,

*Mar. 7. 24.*

*D. Chryſol. ſerm. 100.*

Itaque ſi potentiam fidei, Dei potētiæ cōferas, videtur quodāmodo plus poſſe fides, quā Deus; Deo hoc præſtāte, vt aduertas, quāto te munere locupletauit, quo Dei munera, vel Deo ipſo nolēte, a Deo valeas extorquere.

4 Non eſt omittendū, quod vbi Dominum Petrus ſuper aquas vidit incedere, eadem ab illo petierit liquida calcare vestigia, *Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Quodque id à Domino faciliter impetrauerit; audiēs enim *Veni*: ſua è naui deſcendens, miro quodam ſpectaculo ſiccis per aquas pedibꝰ ambulabat. Sed cū id Petrus nulla petierit neceſſitate cōpulſus, vtpote qui naui, qua vehebatur, quam facilè ad Dominum poterat peruenire; potuit, imò debuit Dominus, eius nō modo precibus non annuere; ſed & genium increpare, velut rem expoſceret ſuperuacaneam: ſua enim ſigna Deus præter neceſſitatē nullatenus aſſolet perpetrare. Quare id ergò conceſſit? *Nè quid fidei negaret deſiderio.* ait Gaudentius. Velut ſi diceret; Quia Fide accinctus ſuū propoſuit placitum Apoſtolus: illico Dominus eius annuit obſecrationibus; nè vnquam diceretur; intercedente fide, qdquam alicui denegaſſe. Nihil quidem fides poſtulat, quod a Deo denegetur. Omnia Deus libenter fidei concedit, omnia donat, omnia inquā, quæcunque fides expoſcit elargitur fidei auctor. Videtur ergo fides Dei theſaurorum clauibus potiri, ipſumq; Dei velle ſua ſub ditione tenere. Quin & Dei omnipotentiæ coæquari: ſicut enim Deus cuncta facere poteſt, ſic fides, quæcunq; Deus poterit, impetrare. *Omnia poſſibilia ſunt credenti*, legimus ex ore Domini.

*Matt. 14. 28.*

*D. Gaud. ſer. 19.*

*Mar. 9. 23.*

5 Vbi verò Petrus e naui, annuente Domino, deſcēdit in mare, ac ſuper aquas alacriter ambularet; magnum ventum, & validum excitatum, funditùs mare commotum, Petrumque mergi cepiſſe, ſubdit Euāgeliſta. *Et deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquā, vt ueniret ad Ieſum]: videns ergò ventum validum, timuit, & cum cæpiſſet mergi, clamauit, dicens,* &c. Si dum Petrum in mari periclitantem, proximūque naufragio, vides, rogas: Quare, qui tā feliciter cæperat ambulare, nunc ſubmerſionē patitur, & naufragiū. Reſpōdet Bruno: *Fides, qua portabatur, ab eo receſſit.* Fides erat, quæ tantum in Petro operabatur miraculum; mox quia fidem amiſit, mergi cæpit, & interire. At ſi inſiſtas. Ad quidnam fides opus erat Petro, cui qui cuncta poteſt, præſto erat, Chriſtus?

*Matt. 14. 30.*

*D. Bruno de Ornatu Eccleſ. cap. 1.*

Non-

Nonnè poterat Chriſtus, quæ Petri fides effecerat? Poterat quidē Dominus quæ fides poterat in Petro: ſed tantum tribuit fidei, vt fide abſente, ipſe etiam præſente, nil audeat operari. Aduertendum idcircò, quāuis ad impetrāda Dei dona, virtutum omniū acies fortiſſimè dimicent, fides autem deficiat, nullatenus conſequēda. *Ecce* ſubdit Bruno, *ſi Domino præſente, fide autē abſente, Petrus mergitur: quis vnquam ſine fide, cunctis etiam virtutibus circumſtātibus, ſecurus eſſe poterit?* Chriſtus impotens, ſeu inops, vel fortè auarus, videri poteſt incredulis; cum ad nutū ſolius fidei ſua dona diſpenſet.

6 Sanè mirabilè, fereq; incredibile eſt illud ad Hebræos

*Deut.* 11. 24. Dominicum paradoxum. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Hoc eſt. Si pede veſtro mare calcaueritis, terram, cœlum, Deum; veſtrū erit mare, veſtra terra, veſtrum cœlum, veſter Deus. Quid pes iſte eſt quæſo, quem ſiue in mare, ſiue in terram, ſiue in cœlū, vel in Deum ipſum, extēdero, Dominus ero maris, terræ, cœli, Dei? Fides, cuius tanta eſt vis, quod ſi te in ea fortiter obfirmaueris, cunctarum rerū, quæ, vel in terra, vel in cœlo, vel ſupra cœlum à Deo expetieris, voti compos fies. Vides quam noua, quam mira ſunt, Chriſtianæ Fidei opera? Nihil eſt à fide expetitum, quod ſit vnquam à Deo denegatum. De ijs agens, Bernardus, qui fide ſtabiliti, Dei munera petunt, ait: *Tales itaque magna audent, quia magni ſunt; &, quæ audent, obtinent iuxtà verbum promiſſionis: Quemcunque locum calcauerit pes veſter, veſter erit. Magna ſiquidē fides, magna meretur; & quatenus in bonis Dei fiduciæ pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.* D.Bern. ſer. 52. in Cant.

7 Quidnam vnquam Sācti, parui, vel magni ponderis, fide non interueniente, à Deo obtinuerunt? Inuias maris ſemitas calcauit Hebræus, ſed non ſine fide. Solem, & lunam detinuit Ioſue, ſed adiutorio fidei. Proſtrauit Dauid Gigātem, ſed fidei robore. Fides fuit in cauſa, quod Iob non deſperaret. Tobiæ cæcitati fides attulit pharmacum. Fides Danieli alligauit ora leonum. Ionam ſaluauit in ceto, & in igne Babylonico pueros. Vt Petrus calcaret vndas, perque liquida deambularet itinera, ſola fides vt dictum eſt, pręſtitit. Sic philoſophatur Zeno. *Hæc*, inquit, *Moyſi in mari rubro terrā vitreā fecit; hæc vt curſus ſoliti cōtempta mēſura, Ieſu Naue deſiderio, ſolis, lunæque ſuos frænos induxit. Hæc de armato Golia Dauid inermi triumphos attulit. Hæc in Iob in crebra, & ingentia mala* D. Zenō ſer. de fide, &c.

*non deſperauit. Hæc in Tobiæ cæcitate medica fuit. Hæc in Daniele ora leonibus alligauit. Hæc in Iona cetum in cymbam conuertit. Hæc in tribus pueris ignes amenos effecit. Hæc mare pedibus ambulare poſſe in Petro præſumpſit.* Quæquidē eatenus ſcripta ſunt, vt clare intelligas, te Dei donis potiri nō poſſe, procul ab adiutorio fidei.

8 Mirantur plerique (vt opinor) quod obtinuit Chananæa, eius à Marco precibus adſcribi, fidei verò à Matthæo. Miratus ſum aliquādiù & ipſe. *Propter hūc ſermonem vade: exiuit Dæmonium à filia tua.* recenſet Marcus cōceſſionis verba fuiſſe. Matthæus verò. *Magna eſt fides tua. fiat tibi ſicut vis.* Si Chriſtum ſcribit Marcus annuiſſe petitis ob preces; cur ſcribit Matthæus ob fidē? Cenſendū fortè ſummi Regis ſcribas eadem de re varia retuliſſe? ſibique non cōſtare, ſed cōtradici? Nemo ſanæ mentis tale quid cogitabit. Quorū enim calamus vnus, vna manus, vnus, qui verba dictaret, Spiritus; eadem dixiſſe arbitrandū: nec per latum vnguem alterū ab altero diſcrepare. Verū eſt Chananæā precibus impetraſſe petita; ſed rectè hoc fidei adſcribitur, quoniā fides præbuit precibus efficaciam. Cōſule Victorem Antiochenum, hęc loca ſic concordantē. *Matthæus ſanationis cauſā fidei, Marcus ſermonis virtuti adſcribit: ſed in idem reddit; efficax enim ſermo ex efficaci fide pdibat.* Claudicant ſine fide preces, frigent orationes, quę fidei nō fouentur feruore. *Petite, & accipietis.* ait quidem Dominus: ſed hæc petitio fide eſt animanda. *Qua abſente, etiam Domino præſente, Petrus mergitur.*

9 Dic mihi, quoties Deū es deprecatus, vt quæ tibi neceſſe ſunt, imperciat, nec vnquam impetraſſe te aliquid, meminiſti? Vnde fortè tibi praua cogitatio irrepſit, vt vel tenacē, vel pauperem Deū æſtimares, vtpote qui, vel quæ affluēter habeat, nolit erogare; vel nil penitus habeat, quod poſſit erogare. Sed vę tibi miſerrimo. Tātum abeſt, vt Deus tenax ſit, vel pauper, quod præ nimia liberalitate, & magnanimitate, bonorum ſuorū æſtimetur effuſor: pręque nimijs theſaurorum ſuorum diuitijs, in cōparatione eius, *Diuites eguerūt, & eſurierunt.* Quod rogatus ſua tibi non tribuat, tuæ defectus eſt fidei. Sine fide cū adis, qui non niſi per fidem ſua dona communicat. Ipſe tenacem facis Deum, & pauperem; quem, ſi fidem haberes, largū experireris, & diuitem. *Nos certè cōpellimus Chriſtum eſſe tenacem: namque puſillanimorum diffidentia facit pauperem Chriſtū.* Plena

*Mar. 7. 29.*

*Matt. 15. 28.*

*Vict. Antioch. in cap. 7. Marci.*

*Matt. 7. 7*

*D. Bruno de Ornat. Eccl. c. 1.*

*Pſal.*

*Petr. Damian. Opuſ. 12. c. 8.*

na

*na fides diuitem illum, & largum in exhibendis muneribus experitur*, ait Petrus Damianus.

10 Quid quæſo cauſæ eſt, quod mulier illa (Martham putat Ambroſius) ſanguinis fluxu laborans, vbi Chriſti fimbriam tetigit, ſanitatem obtinuit? Nos verò toties, ac toties Chriſtum ſumimus in altari, nec ſemel ſanitati reddimur, nec curamur? Deeſt nè Chriſtus nobis, qui mulieri nõ defuit? Deeſt quidem; ſanè deeſt iis Chriſtus, quibus deeſt fides: præſto eſt autem, vbi fides adeſt. *Tetigit*, ait Chryſologus, *veſtimentum mulier, & curata eſt, & ab antiquo eſt abſoluta languore. Miſeri, qui quotidie corpus Domini tractamus, & ſumimus, & à noſtris vlceribus non curamur. Non Chriſtus infirmantibus; ſed fides deeſt.* Statutum eſt à Deo, nihil cuiquam fide abſente cõcedere. A quibus procul eſt fides, Dei procul ſunt dona.

*D. Chryſol. ſer. 33*

11 Multoties te obſeruaſſe puto, gladium vitę ligni cuſtodem, à Moyſe nũcupati verſatilẽ. *Collocauit*, inquit, *Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Cur verò dicatur verſatilis, à Magno Baſilio ſic elucidatur. *An ignoras, quod flammeus gladius poſitus eſt ad cuſtodiendam viam ligni vitæ; incredulis quidem horrẽdus, & inflammatus; credentibus verò facilis acceſſu, & placidè fulgens. Et fecit Dominus ipſum, vt conuertatur. Cum enim fidelem viderit, terga dat; cum verò alium non ſignatum, aciẽ obuertit.* Hoc eſt, idcirco gladius, ligni vitæ cuſtos, verſatilis nuncupatur, quia modo aciem, modò tergũ vertere perhibetur: aciem incredulis, quibus nè ſacros legant fructus, viam minitando præcludit: tergum verò credulis, & fidelibus. Cedit enim his, viamque pandit ad lignũ, vt expetitis fructibus perfruãtur. Quid eſt lignum vitæ, niſi Euchariſtia, quam Chriſtus vitæ panem appellat, quam qui manducauerit, vitam habebit æternam? hoc ſat ante probatum; ante illam verſatilis gladius idcircò eſſe deſcribitur, vt liquidò intelligas ſalutiferum fructum, ſolis fidelibus tribui; alienis autem à fide, nullatenus impertiri.

*Gen. 3. 24.*

*D. Baſil. Conc. Exhor. ad Bapt.*

## THEOREMA VII.

### Baculus tuus.

*Ad ſacrum Eccleſiæ Sympoſiũ non niſi per pœnitentiæ fores peccatoribus patet aditus.*

DVM ſacra altaris libamina fugimus vſq; adeo re-

reficimur, & ſolamur, vt huic collata, nulla nobis ſit alia cõſolatio. Quoniam verò dum peccatores ſumus, ſacro hoc ſolamine, niſi præuia Pœnitentia, frui minimè poſſumus; *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* ait Dei Propheta. Ideſt. Peccatorum meorum confeſſio, quam tu Deus meus inſtituiſti, efficit, vt Euchariſtiæ communione lætificer, & conſoler. Sanè per baculum peccatorum confeſſio capienda, qua priuſquam ſacra ſcandamus altaria, & nos ipſos iudicamus, & à Sacerdote, Chriſti vicario, abſoluimur, & dealbamur. *Baculus*, ait D. Thomas, *ſignificat rectitudinem iuſtitiæ, qua debemus noſmetipſos de noſtris exceſſibus ante Communionẽ iudicare.* Ad ſacrum Eccleſiæ ſympoſium non niſi per pænitentiæ fores peccatoribus patet aditus.

*D. Thom. Opuſ. 58. cap. 16.*

1 Quamquam per primum menſẽ (vnde incipiebat annus, inde noſtrum auſpicandum eſt Theorema) cui nomen eſt Niſam, in quo agnum immolari, præceptum eſt, ſentiant quamplurimi Martium; non deſunt tamen qui Aprilem intelligãt. *Ego puto, quod menſis Aprilis Niſan vocatur.* Lyranus ait. Cuius etiã ſententiæ eſt apud Gloſſam Rabanus. Quia verò ſacra agni immolatio ſacrificiumeuchariſticũ figurabat; in quo agnus, qui mũdi tollit peccata, quique pro ouibus immolatus eſt, & occiſus, lautè manducatur: innuebatur ex ea, nos niſi in menſe Aprilis Sacramentum illud ſumere nõ debere, Quorſum potius in mẽſe Aprilis, quã in alio quopiam? Magnum hæc res occludit myſterium, quod ex Aprilis etymologia luculenter exploditur. Aprilis enim ab aperiẽdo dicitur, quod tunc tẽporis terrã colonus adaperiat. *Dicitur Aprilis, quaſi Aperilis,* ait Rabanus, *quia tunc aperitur terra, pro ſerendis virgultis, herbis, & floribus.* Ex quo clarè moneris, peccatorẽ minime poſſe ſacris agni carnibus veſci, ni cor pius & os Sacerdoti fatiſcat, confitendo exceſſus, enodando culpas, emendando facinora. Huc Bernardinus aſpiciens, ait communicanti: *Vtinam ſit iſte menſis Aprilis, in quo aperiatur cor tuum.* Vellem quemcumque menſem, in quo ad ſacram menſam agnum ſine macula comeſturus accedis, Aprilem tibi eſſe: vellem cor, & os tuum diuino aperiri Vicario, quatenus te nulla culpa coinquinet, indignũq; reddat ſacroſancto ferculo.

*Exod. 12. 1.*

*Lyran. ibid.*

*Raban. apud Gloſſ. ibid.*

*D. Bernardin. tom. 4. ſer. 44.*

2 Idipſum Chriſtus, qui aperire ſolebat ora Prophetarum, per os Dauid affirmat, cũ peccatori *Aperi,* inquit, *os tuũ, & implebo illud.* Vbi ne dubites

*Pſal. 80. 11.*

tes de Communione locutum, qua os tuũ impletur. Ibi enim ſub ſenſibilibus panis, & vini Chriſtus manducatur, & bibitur, qui ſolus poteſt os noſtrũ, cæteris eũ occupantibus, adimplere. Vt itaque os tuum ſacro repleatur edulio, aperiendum eſt prius. *Aperi os tuum, & implebo illud.* Sed ais: Ad quid hoc præceptum? Quodnã illius opus? fieri ne poteſt vnquam, vt Chriſtum clauſo ore recipiam, & manducem? Ego quoties Chriſtum recipio, toties os meũ aperio. Rectè ais; ſed falleris. Certum eſt quidẽ, te nec ſacrum Chriſti corpus, nec alios edere poſſe cibos, ni os prius aperias. Neq; ad hoc indiges Dei mandato. Apertio cordis, & oris per cõfeſſionem culparũ per hæc tibi verba præcipitur. Nõ enim dignus es Chriſtum accipere, niſi per cõfeſſionem os prius aperias, euomaſque peccata. *Tunc os aperitur, quando mortalis culpæ obſtaculum remouetur.* ait Bernardinus. Culpa magnum eſt cordis obſtaculum, ne in illud introeat Chriſtus: per apertionem oris, & cordis in confeſſione eſt remouendum.

*D. Bernardin. tom. 2. ſer. 5. ar. 1. c. 1.*

3 Ad Sacrum Chriſti cõuiuiũ, qui ſpecioſus eſt præ filijs hominum, inuenuſtum accedere, eſt indecentiſſimum. *Si Rex Babylonicus*, ait Chryſoſtomus *ex captiuitate diligens adoloſcentulos pulchros ſpecie, & decoros aſpectu, ſumpſit. Multo magis nos ſanctæ menſæ aſſiſtẽtes, regiæ ſpecie pulchros eſſe decet: aureũ animæ mundum habentes, veſtem puram, calceamenta regia.* Cum Socrates ad Agathonis conuiuium ſoleatus, & vnctus, idque præter morem, vt fertur, acceſſiſſet: deque nouitatis cauſa a quodã ſciſcitatus: *Vt pulcher,* inquit, *eam ad pulchrum.* Cur quæſo nos ad Chriſti pulcherrimi mẽſam inuenuſti accedemus & turpes? Sed quinam nobis ad eam pulchritudinẽ diuino dignam conſpectui patere poteſt ingreſſus; qui noſtras adeo turpiter peccatorum illuuie animas ſordidauimus? Peccatorum confeſſio, & Pœnitẽtia. Nonnè Dauid dicentẽ audis, *Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius?* Sanè ait Incognitus, *Confitendo fit homo de fœdo pulcher. Si ergo amas pulchritudinem, confitere, & ſis pulcher, ideſt iuſtus.* Cum quidam, vt tradit Ferrerius, ob fornicationis crimen, adeo deformis euaſerit, vt non modo ab amicis, & cõiuge, fugeretur vt Dœmon: ſed & ipſe ſui ipſius, ſpeculum conſulens, aufugeret aſpectũ. Aduertens ſe ob tanti ſceleris turpitudinem ita deturpatũ, ad Sacerdotem perrexit, *Et cõfeſſus, recuperauit priſtinam figuram.* Vide quonam pacto peccatorum confeſſio, peccati fæ-

*D. Chryſoſ. Hom. 61. ad Popul.*

*Apophth. Al. Man. lib. 3.*

*Pſal. 96. 6.*

*Incog. ibid.*

*D. Vinc. ſer. 3. Domin. in Albis.*

dita-

ditatem amoueat, pulchritudinemque conciliet? Peccator itaque ad Chriſtum, qui pulcherrimus eſt, turpitudiniſq; oſor, profecturus; ſua confiteatur peccata, perque Pœnitentiam venuſtus fiat, & pulcher; vt ſacro dignus ſit conuiuio.

4 Si ſtudioſè perquires, nõ, niſi in throno, ſolioq; ſedentẽ
Iſa. 6. 1. Chriſtum inuenies. *Sedentem*
Zach. 6. 13. *ſuper ſolium excelſum, & eleuatum* vidit Iſaias. Et Zacharias
Pſal. 9. 8. *Sedebit*, inquit, *& dominabitur*
Pſal. 88. 37. *ſuper ſolio ſuo.* Pſaltes etiam: *Parauit in iudicio thronũ ſuum.* Et iterum alibi. *Thronus eius ſicut ſol.* Tandem Eccleſia: *In excelſo throno vidi ſedere virũ, quẽ adorat multitudo Angelorũ pſallentes.* Cur, niſi in throno, & ſolio, ſedere dicitur Chriſtus? Propterea inquã, vt ſcias, nequaquam illum tuo in corde ſeſſurum, ni thronus & ſolium fias. Si rurſus inſtas: Quonã pacto fieri potero ſolium? Si te, priuſquã illũ admittas, adiu-
Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 10. dicaueris, ait Richardus. *Non facit ſolium, qui ſe non iudicat de præſenti. In illis ſedet Chriſtus, in quibus ſæpius celebratur illud iudicium, de quo Apoſtolus: Si nos metipſos dijudicaremus.* &c. Sane oportet prius peccatorũ tuorum exercere iudicium, mẽtis aſcendẽdo tribunal, vbi, vt cũ
D. Thom. opuſ. 58. cap. 16. Auguſtino Thomas, ait *Adſit accuſatrix cogitatio, & teſtis conſcientia, & carnifex timor Domini, inde quidam ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat.* Deniq; feſtinum ad miniſtrum Chriſti recurrere, peccata, quæ in te ipſo iã examinaueras, ante ipſum euomere, eorumq; remiſſionem, & indulgẽtiã quærere. *Et ſic homo*, cõcludit Doctor Angelicus, *factus ſolium, dignus erit ad ſumendum corpus Chriſti, nunc in Sacramento, & perfecta fruitione in futuro.*

5 Huic etiam Theoremati illud Dauidis ſuffragatur, in ſexageſimo primo Pſalmo decantatum. Vbi. Ad comedendũ (inquit) Dominum acceſſuri, ſi peccatores ſitis, *Effundite corã* Pſal. 61. 9.
*illo corda veſtra.* Quid enim aliud eſt, cor ante Deum effundere, quam cordis ſtercora, ſordeſq; è vaſculo cordis per Confeſſionem abijcere? *Effundite coram illo, corda veſtra per* Hug. Car. ibid.
*Cõfeſſionem*, ait Hugo: *cor enim peccatoris eſt quaſi vas plenum ſtercoribus.* Facienda autem eſt talis effuſio, vt in cor tuum non indignè puriſſimũ corpus Chriſti recipias. Impoſſibile eſt (ait Baſilius) nos ad Euchariſtiam ſuſcipiendam habiles reddi. *Niſi pturbationes, & vi-* D. Baſil.
*tia, animas noſtras poſſidentia,* in Pſ. 61.
*prius eijciamus. Vas quod odore tetro fuit refertum, vnguentum odoratum minimè recipere poterit. Opus itaque ea, quæ prius occupant, vt impedimenta, remouere, ſi talia ſuccedentia collocare*

ve-

*velimus*. Aequè, planè peccator, Saluatorem tuum in cor immundum, & obſcænum immittis, ac ſi in latrinā inijceres. *Quam temerariū eſt*, inquit Auguſtinus, *quāque nefariū, cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare filium? Quis auditus ſuſtineret aurium? Quis oculus non cōfunderetur ad intuitum? Cuius mens non raperetur in exceſsum, vbi mundi pretiū mittitur in ſterquilinium? Non enim minus eſt deteſtabile in os pollutum, quam in lutum mittere filium Dei.* Lupi terrā depaſti, ſi agnum, aut ouem, aliamuè prædam, huiuſcemodi inuenerint, *Terrā euomunt*, inquit Albertus, *& ad prædam reuertuntur.* Et tu vbi Dei agnum inueneris, vt corpus eius, & ſāguinem edas, & bibas, nō euomes fæditates, & ſtercora, quibus depaſtus fueras, & pollutus? Lupo eris deterior.

*D. Aug. apud D. Thom. opuſ. 58. cap. 18.*

*Alb. de Anim. li. 22.*

6 Recenſet Sapiens, quod vbi Chriſtus Aeterni Patris Sapientia, domum ædificauit Eccleſiæ, miſcuit vinum, & Euchariſtiæ propoſuit menſam, *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis.* Ciuitatis inquit; cuiuſnam ciuitatis, ſubticuit. Quænam eſt ciuitas, ad quam Chriſti congregantur conuiuæ? Mēphis? Roma? Athenæ? Nulla ex iſtis, ſed ſancta Ieruſalem. In ea cænaculum fuit, in quo Chriſtus cum Diſcipulis Paſca manducauit, vinum miſcuit, euchariſticam mēſam propoſuit. Quoties itaque ad cōuiuium Chriſti vocaris, puta te Ieroſolymam ingreſſurum. Cur Ieroſolymā? Quia priuſquam ad illud te cōferas, animæ tuæ fæditates, & ſordes ad Confeſſionis fontem opus eſt abluere. Multas, refert Vincētius, portas habuiſſe Ieruſalē, earum vna Porta fontis dicebatur, à Sello Principe Romanorum extructa. Cuius nominis ratio eſt: *Quia illo tempore Ciuitas Ieruſalē erat ità nobilis, quod ad portam vnam Ciuitatis erat fons magnus, vt qui veniebant ab extra, ibi lauarentur à pulueribus, & ſic intrarēt in ciuitatem mundati. Et propter hoc iſta porta vocabatur porta fontis.* Magnū, & execrabile crimen eſt, ad conuiuium Chriſti, vbi cuncta præfulgent: miniſtri, famuli, vaſa, fercula, cōuiuæ, illotis, fædatiſque veſtibus introire. Tranſeas per portam fontis, per Confeſſionem videlicet, vbi peccatorū abluantur ſordes, & ſcelerumque detergantur ſtercora. Sic dignè Dei templum, ſanctam Ieruſalem, vbi conuiuiū Chriſti proponitur, introibis.

*Prou. 9. 1*

*D. Vinc. ſer. 4. Domi. 16. poſt Trinit.*

7 Hoc patuit Ioanni, dum ei diuina ſedes in cœlo apparuit, *Et ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui* la-

*Apoc. 4. 2. & 6.*

*lapidis iaſpidis. Et in conſpectu ſedis tamquam mare.* Vbi in eo, quod ſedis huius ſeſſor *Similis erat aſpectui lapidis iaſpidis.* Chriſtus in ſede altaris exprimitur, elargiens nobis pabula ſuæ carnis. *Iaſpis enim*, vt habet Chaſſanæus, *deſignat in Principe, quod debeat procurare pabula ſubditis.* Mitto hoc in manna, Euchariſtiã, ſignificãs. Vbi manna ait Moyſes *Coloris bdellij*, fuiſſe verti põt ex Lorino, *Coloris iaſpidis*. Nũc illud ſolummodo examinandũ, quod ante Chriſti ſedem in Euchariſtia ſedentis, viſum ſit mare. *In conſpectu ſedis tamquam mare*: velut qui Chriſtũ comeſturi ad altaris accederent ſedẽ, per mare oporteat rranſire. Quare per mare potius, quàm per terram? Quia per confeſſionem ab omni debent inquinamento detergi: Confeſſionem innuit mare. Hinc illud Apoſtoli. *Patres noſtri, omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſi baptizati ſunt, in nube, & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* Vides, quod cùm de ſpirituali cibo, quod eſt Euchariſtia, loquitur, quam Hebræorum patres in manna ſpiritualiter mãducauere, antequam ait ad eam peruenirent, mare pertranſijſſe, locoſque fuiſſe? *Mare tranſierunt, & baptizati ſunt.* Oportet ad altare acceſſurũ a peccatis mundari, & abſtergi, quod Confeſſio præſtat.

*Chaſſan. 1 Cata. par. 5. Cõſid. 21.*

*Num. 11. 7.*

*Lorin. ibid.*

*1. Corint. 10. 1.*

8 Noninus à veterib' Deorum tẽpla dicta eſſe delubra: fontes enim quoſdã habebãt in portis, in quibus, nè ſe ſordidos Dijs ſuis obijcerent, diluebantur ingredientes. *Delubra*, inquit Iſidorus, *dicebant templa fontes habẽtia, quibus ante ingreſſum diluebantur, & appellari delubra à diluẽdo.* Quod, quia templis noſtris, confeſſionis baptiſmiq; fontem habentibus, apprimè quadrat, addit, magno delubra præſagio quodam eſſe vocata. *Ipſa delubra ſunt ædes cũ ſanctis fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur. Et benè quodã præſagio delubra ſunt appellata: ſunt enim in ablutionem peccatorum.* Optimè equidem. Nã, ſi Deos ſuos impuros, Gentes adoraturi, non niſi puri, & loti delubra eorum adibant; quasi nos lauacro, & lotione indigemus, Dei puriſſimi, & ſanctiſſimi templa ingreſſuri, non Deum ſolummodo, adoraturi, ſed & ſumpturi pariter, & manducaturi? Hæc eſt ratio, qua ante altaris ingreſſum, ſacri nobis occurrunt Pœnitentiæ fontes, vt peccatorum ſordibus, & inquinamentis abluti, illud confidenter adeamus, ſacram cum ſanctis, & Angelis accũbitur; ad menſam. Nul-

*D. Iſid. etym. lib. 15. c. 4.*

9 Nullo pacto Eccleſia noſtra Græcorum aptare ſe potuit conſuetudini, vt in ſerico conſecret linteo: lineo enim contenta panno, in eo iugiter per omnem terram, dum ſacrum facit, ſuum recipit Redemptorem. Quidnam habent linea, quod ſacro apparatui ſerica non præſtant? Perfectam, exaptamq; munditiem: ſanè tanta præeminent puritate, vt poſtulent frequẽter lauari; cum quauis paruula, ob nimium candorem, offendantur macula. Huiuſcemodi eſſe debet communicantis anima; linea, inquam, non ſerica: frequenter abſtergi, ac lauari operepretium eſt: atq; omnem curam, omneque ſtudium procluendis in confeſſione culparum ſordibus adhibere.

10 Imitandũ mulieris fortis exemplar, quæ nè panem perperam, & otioſè comederet, *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ.* Conſidera ſemitas domus tuæ, ne panem cœli, qui vincenti porrigitur, otioſè comedas, duriſſimoq; pateas iudicio. Si quæris quid ſit ſuæ domus ſemitas conſiderare, audi Cardinalem Hugonem. *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, ideſt, cogitationes conſcientiæ ſuæ ſubtiliter inueſtigauit, nè indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudiciũ ſibi manducet, & bibat.* Prius quam ad ſanctam menſam accedas, ſacraque fercula comedas, conſcientiæ tuæ latebras diligenter introſpice. Si ſordes adſint, ante Christi vicarium euome; quaq; potes humilitate, & ſinceritate, confitere. Dum enim peccator fueris, nullus tibi alius ſacrum ad altare patebit ingreſſus, quam peccatorum confeſſio, & Pœnitentia.

Prou. 31. 27.

Hug. Car. ibid.

## THEOREMA VIII.

### Baculus tuus.

*Sanctæ Crucis fructu fruimur in altari.*

SI verò Theodoreti ſequi velis ſententiam, ſub nomine baculi Crucem intelligentis: ſic Dauidem Chriſto loquentem audies. Baculus tuus, ideſt Crux tua, conſolatus eſt me. Crux te quidem amariſſimè afflixit; mè tamen dulciſſimè conſolauit, quia ſalutiferum præſtitit tuæ carnis, tuiq; ſanguinis fructum, quo paſſim reficior, & impinguor. Rectè quidem: Nam Crucis fructus eſt ſacrum altaris edulium.

1 Expendendus in primis Prouerbiorum locus, vbi perhibet ſapiens, euchariſticum

panem à muliere forti, quæ eſt S. Mater Eccleſia, tamquam à naui quadam, allatum. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum.*

*Prou. 31. 14.*

Ex quo conijcitur, Sacram Euchariſtiam, non peragrantium terram, ſed nauigantium mare, viaticum eſſe: fertur enim in naui, quæ maris eſt, non terræ vehiculum. Erit ergo biſcoctus, ſeu panis toſtus, ſiue nauticus panis: ſane non, niſi biſcocto nautæ prouidentur, vt enutriantur in mari. Hoc ipſemet Salomon alibi luculentius explicauit, cum de Euchariſtia, ſub conuiuio diuinæ ſapientiæ loqueretur. Vbi legit vulgatus interpres; *Sapientia ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinũ, & propoſuit menſam*, pro *Immolauit victimas ſuas*, Galatinus habet: *Coxit decoctionem ſuam.*

*Prou. 9. 1*

*Galat. de Arcã. li. 3. c. 2.*

Quid aliud eſt decoctionem coquere, quàm, quod ſemel coctum eſt, iterum coquere, & biſcoctum efficere? Cur autem Euchariſtia biſcoctus dicitur? Quia bis cocta eſt: ſemel in clibano virginalis vteri, & iterum in ara Crucis, ex qua tãdem perfecta eſt. *Coctus fuit iſte panis*, inquit Richardus, *in clibano vteri virginalis calefacto igne Spiritus Sancti; ipſo autem die iterum fuit decoctus in ara Crucis, triginta tribus annis, vt traditur, deuolutis; vt ſic eſſet panis biſcoctus, qui competit nauigantibus per mare huius mundi.* Ex ara Sanctæ Crucis egreſſa eſt Euchariſtia; ibi completa eſt, ibi perfecta, inde ſacræ menſę appoſita, vt fructũ illius, ex ramis eius decerptum, exiſtimes.

*Rich. à S. Laur. de laud. B. M. lib. 11.*

2 Nefas erat Hebræis, agnũ Phaſe comedere, niſi toſtum: & aſſum: ait enim Deus, *Edêt carnes nocte illa aſſas igne.* Fortè ſcire cupis quomodo ab Hebræis agnus ille aſſaretur? Audi Iuſtinum. *Agnus in Crucis forma expanſus aſſabatur: ità vt paxillus rectus ab imo vſque ad caput traijceretur, alter tranſuerſus armos diſtenderet.* Non aſſabatur in veru, ſuper craticulam, ſiue ſuper prunas, ſed cruci affixus. Quodnam inuoluebat myſterium, dum aſſaretur agnus, cruci affixus? Magnum quidem, & mirabile: Agnus Chriſtum figurabat in Sacramento, cuius quotidie carnem edimus, ſanguinemq; potamus: cui, velut in paropſide quodam appoſito, reuerenter dicimus in patena: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.* Voluit ſanè Deus agnum illum in ligno Crucis aſſari, vt agnum hunc in Cruce decoctum, deque Cruce, ſacro altari, noſtris pro delicijs erudiamur appoſitum.

*Exod. 12. 8.*

*Iuſtin. apud Ioan. Lor. in c. 9. Num. ver. 10.*

3 Dum per os Dauid Dominus ſua recolens vulnera,

*Fode-*

Pſ. 21. 17 *Foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos*, quæſo, diligenter obſerua, & ſigna verbi *Foderunt* myſteria. Cum certum ſit profectò, Chriſti manus, & pedes transfixos, vulneratos clauiſque læſos in Cruce: cur non ait *Vulnerauerunt*, aut, *confixerunt*, ſed *foderunt*? velut ſi perforati non eſſent, ſed terræ inſtar, vt fructus ferat, effoſſi? Quoniam ex eius vulneribus, in ligno Crucis perpeſſa, fructum ſalutiferum, vitæq; æternæ, tulerunt. Incog. in Pſ. 2. *Non dicit vulnerauerunt, aut transfixerũt*, ait Aiguanus, *quia ſicut terra foſſa facit fructum, ſic Chriſtus vulneratus fructum dedit.* Quis inficiabitur, ſacrum corporis, cruoriſq; Chriſti fructum, quo fideles enutriuntur, ex Crucis ligno prodijſſe?

4 Illud autem, quod Chriſtus ſponſus ait Eccleſiæ ſponſę: Cant. 8. 5 *Sub arbore malo ſuſcitaui te*; ipſa verò reſpondeat: Alia Lectio. *Ibi genuit te mater tua*, vt habet alia lectio, idem, quod præ manibus habemus, myſterium innuit. Quis neſcit, per malum, Crucis arborem innui? Malus Crux eſt, ſub qua ab æterna morte ſurreximus vniuerſi. Hoc clarum eſt: minimè autẽ, quod Chriſtus ſit ſub Cruce progenitus: ſcimus enim ipſũ Bethleem, non in Caluaria, natum, vbi Crucis malum plãtatum agnouimus. Verum quamuis hoc certiſſimum ſit, dicitur tamen ſub Cruce genitus, & enixus, quaſi Crux mater eius eſſet, ipſe illius partus, & fructus: quia *Ita per totam vitã*, ait Iſidorus Clarius, Iſid. Clar. orat. 39. in Luc. *Crucem eſt amplexatus, quam rectè arborem malum appellauit, ob fructus ſuauitatem, & gratiã, atque ità promptè ad eam acceſſit, vt ſub ea natus eſſe videatur.* Perinde Chriſtus quoad vixit amplexatus eſt Crucem, vt eã vſque ad mortem, imò & mortuus, noluerit derelinquere, Mortuus erat, & de Cruce pẽdebat. Ex quo, affectu ardentiſſimo in Crucem, factum eſt, vt ſub Cruce dicatur enixus, quaſi Crux eũ tulerit, fructus Crucis ſit, quique Crucẽ adorant, Crucis fructu paſcantur.

5 AEthyopiæ Sacerdotes, Fagũdez de Quinq; Præcep. lib. 3. c. 3. nu. 7. Patres præſertim Societatis Ieſu, ob vini defectum, vinum ex vuis paſſis, non penitus paſſis, conſecrare recenſent. Cuius adinuenti auctor perhibetur Sanctiſſimus Andreas de Quiedo, illius populi Patriarcha, inſignis miraculorum patrator, & poſterior Thaumaturgus. Quod, tametſi, vt dixi, ob vini permittatur penuriam; ſuo tamen ſcias non vacare myſterio. Vinum ex vua paſſa eliquatum, vinũ paſſum rectè dici poteſt: quod Euchariſtiæ quadrat, in qua ſub formis vini, cruor Chriſti latet, ex

eius

eius corpore, velut ex vua paſſa, liquatum: dum enim penderet in Cruce, ibique tam dura, & dira, continuè pateretur, tunc ſacri cruoris vinum in noſtram potionem effudit. *Hoc vinum propriè dicitur vinũ paſſum*, ait Richardus, *quia de vua paſſa exprimitur, ideſt de corpore Ieſu Chriſti, qui tanta eſt paſſus*. Sacra igitur Euchariſtia, Crucis fructus exiſtimanda, vt pote quę quę ex Chriſti corpore paſſo, preſſoque ſub prælo Crucis, expreſſa eſt.

Rich. à S. Laur. de laud. B. M. li. 12.

6 Id quod cum primò viſũ eſt manna, *Apparuit*, ait Moyſes, *in ſimilitudine minutum, & quaſi pilo contuſum*, Oleaſter interpretans, aduertit, verbũ *chuſpas*, quod Hieronymus *Pilo contuſum*, ipſe *Rotundum* vertit, à Chaldeo *Decorticatum* traduci. Quod cum iuterpretatione Hieronymi concidit: nam, quod pilo contunditur, vt videre in riſo, & hordeo licet, decorticatum eſt. Quia verò manna Euchariſtiæ prothotypum fuit, Chriſtum in ea decorticatum eſſe fatendum. Quare decorticatum? Quia cõmemoratio mortis eius eſt, & paſſionis, ipſumq; prorſus, ac ſi eſſet in Cruce, preſefert vndique vulneratum, exulceratum, pelle nudatum, decorticatum. Hinc illud Petri Cellenſis: *Ecce panes in cæna, quia iam detraximus pelles.* Ex quo datur intelligi ſanctiſſimam, pretioſiſſimamque Saluatoris carnem ad altare de ligno Crucis emiſſam. Crucis ergo fructum exiſtima, quod in altari manducas, & ruminas.

Exod. 16 14.

Oleaſt. ibid.

Petr. Cel. de Panib. cap. 1.

7 Quãquã euãgelicus negotiator per totũ orbẽ pretioſas exquireret margaritas, vnã ſolũmodo inuenit, quã tanti fecit, vt omnia bona ſua pro illa perfunderet. Iure quidem, per eam enim Chriſtus Dei filius figurabatur. Olim profectò homo animæ ſuæ ſalutẽ exquirẽs, in Patriarchis, Prophetis, cæteriſque iuſtis inuenire ſategit, & quamuis in eis multa margaritarum ſpecies adinueniret: nulla tamen erat, quæ humanæ redemptionis pretio ſatis eſſet. Chriſtum tandem inuenit; cuius, vtpote in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, inæſtimabile eſt precium: &, vt eã acquireret, quæcunque habuit alacriter erogauit. *Non quod alij lapides*, inquit Paſchaſius, *quos quæſiuit iſte negotiator, & fortè inuenit, boni non fuerint, & pretioſi: ſed in comparatione iſtius nemo bonus; quia omnes ex iſto habent, vt boni ſint, & pretioſi.* Sat eſt mihi, ex ditis te cognouiſſe Chriſtum margaritam, ſiue vnionem eſſe, qui ſe pro tuę menſæ delicijs ſub formis panis occluſit, comeſtibilemq; fecit. Sanè ob admirandam eius ſua-

Paſch. in cap. 13. Matt.

ſuauitatem fit comeſtibilis vnio. Talem eum feciſſe Cleopatram AEgyptiorum Regina in conuiuio, Antonio inſtructum, memoriæ proditum eſt. Imperatorem Caligolam, Clodiumque Aeſopi tragædi filiũ: hic, vt auctor eſt Plinius, talia ſibi fercula præparabat, *Vt experiretur in gloria palati quid ſaperent margaritæ, atque, vt mirè placuere, nè ſolus hoc ſciret, ſingulas vniones conuiuis abſorbendos dedit.* Sed aduerte, quemadmodum margarita ex mari rubro, aquiritur, quã idcircò Hieronymus vocat *Rubri maris granum*: ità & Corpus Domini è mari rubro, & ſanguineo ſuæ acerbiſſimæ, & amariſſimę paſſionis, aduenit: illud enim Crux ſacra tulit edendumq; dedit. Ideo, vt Crucem, mox eam ſubiturus, Andreas à longè conſpexit, ijs verbis affectu mirifico ſalutauit. *Salue Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius, tamquam margaritis ornata.* Corpus Chriſti margaritam vocauit, dum penderet in Cruce, quoniam illud Crucis fructum agnouit.

*Plin. lib. 9. c. 35.*

*D. Hierõ.*

8 Cum Euchariſtia ſub panis, non autem tritici, ſenſibilibus conſtet, cur à Scriptura ſacra triticum nuncupatur? *Sicut aceruus tritici*, venter illius dictus eſt à Sponſo, quem, ſacro pane Chriſtus, cæli Rex adimpleuit. Qui eam eſuriebant, inquirebantque, non vbi eſt panis, ſed, *vbi eſt triticum*, conclamabant. Denique Moyſes, *Medullam tritici.* appellat. Rectè triticum dicitur: per triticum enim panis ſignificatur. Sanè panis eſt triticum; ſed mola fractum, penſum, ſubactum, quod te in Euchariſtia ad Crucis conſideratioñe deducit. Quemadmodum enim, vt ait Iſidorus, *Triticum dicitur, quia granum eius commolitur, ac teritur*: Sic Euchariſtia ſacra in mola Crucis commolita fuit, & trita, atque inde ad tuam ſaturitatem elapſa.

*Cant. 7. 2*

*Thren. 2. 12.*

*Deut. 32. 14.*

*D. Iſid. Etym. lib. 7. c. 3.*

9 Dum cœli Regnum fermento Dominus confert, ſub fermenti nomine ſeipſum intelligit. *Fermento ſe Dominus comparauit.* habet Hilarius. Ex eo autem, quod in farina ſe dicit abſcõditum. *Quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus*, Euchariſtiã innuit, ſub ſenſibilibus panis Dominum includẽtem. Sed cum (inquies) Euchariſtia nõ ſub formis farinæ, ſed panis, cœlatum habeat Chriſtum, quamobrẽ ad eam ſignificandum potius farina, quàm panis affertur? Vtitur mytonimia: nam panis ex farina eſt. Vt te manu ducat ad Crucem, edoceatque ſacri panis myſterium ex Cruce depromptum. Sicut enim farina, niſi mola occidatur, nõ edi-

*D. Hilar. in Cat. D. Thom. c. 13. Matt.*

*Matt. 13. 33.*

*Plut. in Probl.* editur; vnde *Poeta*, vt Plutarchus tradit, *Myliſtaton farinam dixit per trãslationem, quaſi molendo occiſam*: ità Chriſtus in Euchariſtia, ſub mola Crucis preſſus eſt, & occiſus, vt nos ſua paſceret carne, potaret cruore. Ex Cruce igitur tamquam ex mola, pane cœli cibamur.

10 Celebre eſt illud Salo-
*Prou. 17. 1.* monis adagiũ, *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio*, Euchariſtię applicat Thomas.
*D. Thom. opuſ. 58. cap. 4.* *Buccella ſicca*, inquit, *eſt ſacrificium noſtrum*. Rectè quidem Euchariſtiam buccellã dicit; nam & buccellam Euãgeliſta vocauit, Iudæ ſcelus exaggerans.
*Ioan. 13. 27.* *Poſt buccellam introiuit in eum Sathanas*. Et præterea, quemadmodum buccella, vt placet Syluæ Allegoriarum Auctori, dicta eſt *A bucca, quaſi buccam impleat*: ſimiliter
*Auct. Sylu. Alleg. Ver. Buccella.* Euchariſtia animam noſtram adimplet, vtpote quæ Deum continet, qui ſolus animæ poteſt os implere, reliquis occupantibus potius, quàm implentibus. Sed de hoc ſatis ſupra. Aduerte tamen, quod Sancta Euchariſtia, non abſolutè buccella dicitur, ſed buccella ſicca, *Melior eſt buccella ſicca*. quod non parum ingerit difficultatis: Cum plenè enim conſtet, omni delectatione, & ſapore refertam, guſtui iucundiſſimam, & amabiliſſimam: & ex Ariſtotele *Guſtabile eſt humidum*. Quorſum ergo deſcribitur ſicca? Sic dicitur, non ex eo, quod ſit ſaporis, & dulcitudinis expers; ſed quod fructus ſit S. Crucis; in qua corpus ſacratiſſimum, velut ſub prelo, preſſus, & toſtus, depletum euaſit, & ſiccũ. Hinc illud Domini. *Aruit tãquam teſta virtus mea*. *Ariſt. 2. de Animal. tex. 104.* *Pſal. 21. 16.*

11 Aquam, aut mel, impetraturus Moyſes de ſilice, bis illam, vt refert, percuſſit. *Cumque eleuaſſet Moyſes manũ, percutienſque virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ità vt populus biberet, & iumenta.* *Num. 20 21.* Quæ nam huius percuſſionis neceſſitas? Nonnè ſine ictibus lapis effundere latices poterat, cum id diuinitùs, non humanitus, fieret? Sanè ſi Moyſes è lapide ſine percuſſione obtinere potuiſſet aquas, minimè percuſſiſſet. Lapis ille Chriſtum ſignificabat, à quo Sacrum Euchariſticum emanauit; quod, quia manducatur, & bibitur, ſub typo mellis, quod editur, & aquæ, quæ bibitur, oſtẽſum eſt (vtrumq; ait Scriptura ex eo lapide effluxiſſe.) Hunc verò laticem, hoc mel, opus fuit, Chriſtum in Cruce percuſſum, & lanceatum, effundere: vbi enim acceſſit miles, & lancea latus eius aperuit, tunc Sacramentũ

Sa-

Sacramentorum cum reliquis Sacramentis effluxit: vnde mundus intolerabili fame, ſitique laborans, abundè refectus eſt. En D. Auguſtinum. *Sed hæc petra, niſi percuſſa fuerit, aquas omninò non habet; percuſſa verò fontes producit, & flumina. Percuſſus enim Chriſtus in Cruce noui teſtamenti fontes eduxit. Neceſſe enim erat, vt ille percuteretur, niſi enim ille percuſſus fuiſſet, & de ſacro eius latere ſanguis, & aqua manaſſet, vniuerſus mundus ſitim Verbi Dei patiens, interijſſet.* Tantum itaque Sacrũ ex Crucis virga recognoſcas oportet, cuius percuſſione largiſſimis aquis, dulciſſimoq; melle, nos Chriſtus petra refecit.

D. Aug. Ser. 93. de Temp.

12 Vis hoc ipſum explicatum à Sponſa? Audi quid dicat in ſeptimo Canticorum. *Aſcendam ad palmam, & apprehendam fructus eius.* Attende quod non ait: Aſcendam ad malum, ad ficum, ad oliuã; ſed ad palmam, quæ Crucis eſt ſymbolum, tum quod huius lignum tranſuerſatile fuit ex palma, *Aſcendam ad palmã*, ait Hugo, *ideſt in Crucem: Crucis enim lignum trãſuerſatile ad litteram fuit de palma, in quo affixæ ſunt manus Chriſti.* Tum etiam quia Crux ſacræ menſæ fructum, quo viuimus, & oblectamur, exhibuit, quique, vtpote ſuauiſſimus, & dulciſſimus, fructui palmæ, qui reliquos dulcore excellit, iure optimo comparatur. *Poteſt,* ait Gregorius, *per palmã Crux Chriſti intelligi: palma enim in ſublime valde creſcens, dulciſſimos fructus gignit, & Crux Chriſti cæleſtem nobis cibum præparauit.* Sponſa igitur, Euchariſtiæ fructu reficienda, ad Crucem, cuius fructus eſt, properat.

Cant. 7. 8

Hugo Card. ibi,

D. Greg. ibid.

13 Iure igitur Abbas Cellenſis Dominum audiens, vt ieiunam plebem reficeret, à Philippo quærentem: *Vnde ememus panes, vt manducẽt hi?* à Iuda, ait Domino, potius, quam à Philippo, hæc exquiri debere. *Domine Ieſu, non quæras à Philippo, quære à proditore tuo.* Cur à proditore? *Hic enim,* addit, *habet marſupium vnum cum Scribis, & Phariſæis, hic inſidiatur ſanguini: hic inquam habet denarios triginta, vnde panes emuntur vſque ad ſatietatem omnis carnis.* Dum quæritur panis, panem, qui de cœlo venit, præfigurans, poterat, de nummis à Iuda percontari, cuius in ſacculo triginta ſeruabantur argẽtei, quibus erat emẽdus. Ex ligno enim, quod acceptis denarijs Chriſto proditor extruebat, ſacra accipienda erant myſteria, admirabiliſque panis turbæ duodenæ frangendus.

Ioa. 6. 5.

Petr. Cel. de Panib. c. 1.

14 Et hæc eſt præcipua ratio,

tio, qua denarij inſtar ſacra fingitur hoſtia: *Quia panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur*, habet Auctor Gemmæ animę. Viſa enim Euchariſtia ſub denarij forma, ad denarios diuertimus, quibus Redemptor emptus eſt, vt Cruci affigeretur, & inde nobis, tamquam è clibano panis, prodiret. Vides quanta debeas ſacratiſſimæ Cruci, arbori nobiliſſimæ, generoſiſſimæ? quæ eum tibi protulit fructum, ex cuius comeſtione æternæ vitæ delicias hauris, cœlicis voluptatibus expleris, Angelorum pane veſceris, demum carne, & ſanguine Domini perpetim conuiuaris?

*Auct. Gem. ani. de antiq. ritu Miſſ. li. 1. c. 35.*

## THEOREMA IX.

### Baculus tuus.

*Prædulciſſimus animarum ros, æſtuātium in Purgatorio ſacroſancta Synaxis.*

ANtoninus, Florentinorū Præſul, exiſtimat, hæc, *Baculus tuus, &c.* ab animabus in Purgatorio laborātibus ad Deum, ſuum conſolatorē, proferri. *Eſt*, inquit, *locutio animarum ad Deum: nam baculus Dei ſunt ſuffragia Eccleſiæ, quibus ſubleuantur à pœnis, vt citiùs cōſolentur, ab eis liberatæ. Et ipſa Euchariſtia, in qua repræſentatur Chriſti paſſio, eſt maximum ſuffragium pro defunctis, qui ſunt in Purgatorio: quia ex huiuſmodi baculo ſuſtentantur, & conſolantur tandem*. Huic nos ſententiæ ſubſcribimus, hāc perſuadere conabimur: quod magnum ſanè refrigerium, magnus ros eſt Euchariſtia laborantibus, & æſtuantibus in Purgatorio.

*D. Antonin. p. 3. tit. 33. c. 1.*

1 Aduertendū primò, vbique gentium hoſtiam conſecrandam in denarij figuram effingi; magni Regis imaginem, vt in reliquis conſueuit denarijs, præferentem. Cuius ſi rationem efflagites, cum Auctore Gemmæ animæ dicere quidem poſſem; id factū eſſe non modo ad denotandum, quod Chriſtum contineat, triginta denarijs à proditore Apoſtolo appretiatum, & traditum; ſed etiam quia denarius eſt diurnus in vinea Domini laborantibus. *Panis ideo in modum denarij formatur; quia panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur: qui verus denarius in vinea laborantibus pro præmio datur. Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane ſcribitur, quia in denario imago, & nomen Imperatoris ſcribitur*. Dicendum etiam, ſic efformatum, vt ſcias diuiniſſimā hoſtiam, non modo ad conſolationem viuentium, ſed & ad refri-

*Auct. Gem. an. de Antiq. rit. Miſſ. lib. 1. c. 35.*

refrigerium defunctorũ quos Purgatorij carcer claudit, & cruciat, immolari. Manente enim in eis reatu pœnæ, ſuiſq; ſacculis meriti deficiente moneta, quod diuinæ iuſtitiæ debent, nequeunt reſtituere: quare, iuxta Iuriſtarum illud, *Qui non habet in bonis, luat in corpore*, pœnas in igne luere oportet. *Manẽte reatu*, ait Doctor Seraphicus, *& deficiente moneta meriti, non poſſunt ſoluere, quod ab eis exigitur, niſi per violentiam ſupplicij*. Cum autẽ talis ſolutio nimis atrox æſtimaretur, & dura; pijſſimus, miſericordiſſimus Dominus Euchariſticam monetam excudit, aſſeruandamque tradidit theſauris Eccleſiæ, vt quoties pro eis offeratur, paſſionis, & mortis ſuæ meritis adiuuentur: talique denario, quod longo, immanique ſupplicio debebant, adamuſſim exſoluerent. Hæc ergo eſt potiſſima ratio, qua Sacra Euchariſtia monetę formam prę ſeferat.

*B. Bonauent. Ser. de Mortuis.*

2 Lignum vitæ, quod Deus inter amænas arbores Paradiſi plantauit, ineffabile ſacrum, quod panis vitæ eſt, præfigurabat. Ob eum enim vis illi erat inſita ad vitam hominis conſeruandam, & perpetuandam. Audi Moyſen Barcephã. *Iacob Sangenenſis dicit fieri poſſe, vt arbor illa vitam allatura fuerit immortalem Adamo, ſi de ea comediſſet: propterea quod myſterium Chriſti in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipſius fructus, ramiq; pollerent, cum Chriſtus ipſe ſuapte natura vita ſit, ac vbicunque ille adeſt in propinquo, illinc longe abſit mors*. Age nunc, magnũ Euchariſtiæ myſterium cõſpice, in ligno vitæ præfiguratũ. Refert Ioannes, ſe lignum vitæ vidiſſe, cuiuſdam magni fluminis, ex vtraque parte plantatum omni tempore fructus ſuos exhibens. *Et oſtendit mihi fluuium, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus ſuos*. Cum plantatum legis in vtraque fluminis parte, ne cenſeas duo loca ſeorſim replere: fieri enim non poteſt, vt vnum, idemque lignum duo ſimul loca occupet adæquate. Sed ſeſe perinde diſtendere, ramoſque ſuos expandere, vt vtramque ripã attingat, vtramque fructibus ſuis locupletet, recreet. Quia verò per hoc flumen, noſtra mortalitas deſignatur, perque ripas eius terra, & Purgatorium, illa viuẽtium plaga, hoc defunctorum. *Citra flumen*, ait Richardus, *ſunt adhuc viuẽtes in carne, vltrà iam defuncti ab hac vita*; dum ſcribitur lignum vitæ iuxtà flumen plãtatum, ſe, ſuoſque ramos ad vtramque partem extendere,

*Moyſ. Barcepha de Parad. p. 1. c. 22.*

*Apoc. 22. 2.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib. 12*

clarè ſignificatur; Euchariſtiam, quæ in huius vitæ flumine poſſidetur, æquè ad viuentes, & ad defunctos fructus ſuos emittere, vtroſque ſuis fructibus recreare, reficere, refrigerare.

3 Benè Theoremati noſtro Oſeæ locus aptabitur, vbi Chriſtus, *Ero*, inquit, *mors tua, o mors, morſus tuus ero, o inferne.* Poſthæc (videlicet) ò inferne, me fructus inſtar perſtringes, & mordebis. Hoc tibi fortaſſe nequaquam arridebit; quoniam cum in inferno mors ſempiterna depaſcet; ſi eius miſerrimi, ac deplorandi ciues, imò captiui, vel ſemel ſalutiferi fructus participes fierent, mors moreretur inferni. Neque enim fas eſt, mortem ibi amplius viuere, vbi vita eſt, mortis interitus. Sed per infernum poteſt etiā accipi Purgatorium, dicente Hieronymo: *Infernus eſt locus, in quo animæ recluduntur, ſiue in refrigerio, ſiue in pœnis pro qualitate meritorum*, de quo Chriſtum locutum eſſe cēſendum; eius enim caro ſanctiſſima, fructuſq; ſuauiſſimus, nondum à viuentibus, & peregrinantibus editur; ſed ab ijs etiam mordetur, & manducatur interdum, qui peracto vitæ curriculo, in Purgatorium relegantur, vt per ſacrā comeſtionem, quod Deo debent, exactè retribuant.

Oſeę 13. 14.

D. Hier. ibid.

4 Articulus fidei eſt, Chriſtum Dominū defunctum ad defunctos inferos deſcendiſſe. *Paſſus, mortuus, & ſepultus deſcendit ad inferos.* Si rogas: quorſum, antequam in cœlum ad dexteram Patris aſcenderet, deſcēdit ad inferos? Quia hoc, inquam, Dei pietas exigebat, nè vbi viuos cœli pane refecerat, mortuos eſurientes relinqueret, qui viuos, & mortuos reſtauraturus fructum ſalutiferum tulit. Quia verò mortuis ex inferno emergere, inque terram venire, nequaquam permiſſum erat, deſcēdit ipſe ad inferos, à mortuis quo quomodo mādūcandus. *Quia mortui*, ait Rupertus, *venire non poterant ad manducandum hunc panem Angelorū, iuit ad eos ipſe, vt, quomodo à mortuis manducari poterat, mādūcaretur panis Angelorum, vita viuentium, reſurrectio mortuorum.* Neq; itaq; mortui viuifici panis morſu expertes fuiſſe cenſendum; æquè pro viuis, & mortuis a Rege viuorum, & mortuorum inuentus, vt æquè omnes reficeret, vtriſque vitam præſtaret æternam.

Rup. de Offer. S. Spir. lib. 2. c. 20.

5 Per fluuium Paradiſi, cui nomen eſt Tygris, Richardus, mox referendus, Chriſtum intelligit. Sanè Tygris eſt Chriſtus. Tygris à velocitate nomen

men accepit, & Chriſtus etiam nomen habet à velocitate. *Voca nomen eius*, ait Iſaias, *Accelera, feſtina, &c.* Rurſus Tygris, vtpote qui Paradiſi fluuius eſt, miræ ſuauitatis euehit aquas, *Fertur quod illa flumina tantam ſaporis dulcedinem habeant, vt omnium potionum ſaperent ſuauitatem; & hãc quidem ſuauitatem non prius admittant, quàm in ea irruentibus fluuijs vitietur.* ait Bruno. Vnde illud Romanorum Imperatoris ad milites, in Aegypto caſtrametãtes, vinumq; quærentes; *Nilum habetis, & vinũ quæritis?* (ex Paradiſo Nilus præterfluit quẽ Moyſes Geon appellat): & Chriſtus tantæ ſuauitatis eſt, tanti dulcoris guſtatus in Euchariſtia, vt aliam omnem cœli, mundique ſuauitatem, & dulcedinem longè, lateque ſuperet. His itaq; ſtantibus, aduertẽdum, quod quemadmodum, ex Richardo, Tygris, effluit in mare mortuum. *Tygris, qui cum maximo impetu, vt dicitur fluit in mare mortuum, ſignat Chriſtũ.* Sic, & Chriſtus in mare mortuum, ideſt in Purgatorium, in quo mortui in Chriſto clauduntur. Non enim ad viuorum ſolummodo conſolationem, ſed & ad mortuorum ſolatium, inſtituit ſacra myſteria; vt è ſacro altaris fonte fluẽtia in Purgatorium, quaſi in amariſſimum mortuorum mare, dulcitudine ſua animarum mitiget amatorem, & ab igneis fluctibus eas in cœli portum perducat.

*Iſa.8.3.* — *D. Bruno de laud. Eccl. c.3* — *lib. Apophtheg.* — *Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib.9.*

6 Optas fortaſſe Euchariſticum Tygrim inſpicere, in mare mortuum irrumpentem? Attende diuinum miniſtrum, qui, cùm in tres partes ſacrã Hoſtiam diuidit, vnam dimittit in calicem. Quod nè cenſeas ſine graui myſterio fieri; nihil enim in Miſſa ſuo myſterio caret. *Miſſa tam plena eſt myſterijs,* ait Albertus, *ſicut mare guttis, ſol atomis, firmamentum ſtellis Empyreum Angelis.* Harum trium partium prima oſtendit ſacrum ineffabile in Sanctorum honorem, inque cœlo iubilantium gloriam offerri: ad viuentium ſalutem ſecunda: tertia ad leuamen exiſtentium in Purgatorio. Ità philoſophatur Ioannes Grith. *Tres partes Hoſtiæ fiunt per Sacerdotem in altari. Prima ad deſignandum, quod hoc ſacrificiũ offertur ad honorem Sanctorum in cœlo, ſecunda ad ſalutem viuentium in mundo; tertia, quæ in calicem mergitur, ad liberationem laborantium in Purgatorio.* Sed cur pars hoſtiæ, quæ ſacrificium pro mortuis offerri ſignificat, mittitur in calicem? Quia vas amaroris eſt calix, Purgatorium ſignificans, in quo Sanctorum animæ

*Alb. in Cõp. Theol. lib. 6. c. 8.* — *Io. Grith. in Quvdr. Ser. 27.*

atro-

atrociſſimas experiũtur amaritudines. Mittitur ergo in calicem, tamquam ſi in Purgatorium mitteretur. Fluit Tygris in mare mortuum, vt ſuauitate ſua fluctuum ſuorũ, vel mitigetur, vel dulceſcat prorſus amaritudo.

7 Quod Propheta in Pſalmo centeſimo quadrageſimo quinto cantauit. *Dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit cõpeditos*, ad Purgatorium pertinere videtur, vbi animæ igneis compedibus compeditæ ſunt. Minimè enim paterentur, niſi ad ignem alligatæ. Theologi omnes, cum D. Thoma, Dœmones, & hominũ animas, aiunt, in inferno torqueri, ex apprehenſione quod in loco pœnarum, & ignis, relegati ſunt, naturę eorum incongruum. Soluuntur a Deo interdum iſti Purgatorij compedes, & liberantur captiui, *Dominus ſoluit compeditos.* Quo vero pacto? *Dat eſcam eſurientibus*, inquit Propheta. *Videte ordinem*, ait Hieronymus, *Dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos. Primò eſurimus, deinde accipimus cibum; cum autem ſaturati fuerimus, ſoluuntur pedes noſtri, qui compediti fuerint.* Cum per Euchariſtici ſacrificij applicationem Eccleſia defunctorum animas ſaturat, eas tunc Deus à diris compedibus ſoluit, ab igne liberat, & in Paradiſum deducit. Huius rei exẽplar à D. Theodoro pręoſtenſũ eſt, qui cum Beatum Georgiũ, catenis detentum, communicare vellet, diceretque cuſtodibus: Vereamini filij Myſteriũ Domini. Soluite hunc, dum illud accipit. Neq; enim æquũ eſt, quemquam vinculis adſtrictum Chriſtum recipere: illi autem cauſati, id ſibi non licere, *Beatus Theodorus ſumpto diuinæ communionis poculo, vt id illi impertiret, ſuſpirans ad cęlum ſuſpexit, & illicò vincula humi cum ſtrepitu conciderunt.* Dum ab Euchariſtia ſolui vides compeditos in mundo, diſce etiam ſolui compeditos in Purgatorio. Nam ſi compedes ferreos ſoluit, quidni ſoluet compedes pœnæ peccati, pro cuius liberatione nonimus inſtitutam?

*Pſ. 145. 7.*

*D. Thom. p. p. Queſ. 64. ar. 4.*

*D. Hier. ibid.*

*Georg. Præſb. quid Lippom. 22. Apib.*

8 Quam pulchrè loquitur Sponſa, hoc metipſum myſterium decantans. *Dũ eſſet Rex, inquit, in accubitu ſuo, &c.* Certum eſt ijs verbis Euchariſticum ſacrum innuere, in quo Chriſtus nobiſcum accumbit, cõuiua factus, & eſca. Adnotandum autem, quod, dum Vulgatus transfert *In accubitu ſuo*, habent alij *In circulo ſuo.* Per circulum terram intellige, eã enim Deus inſtar circuli orbiculatem creauit, vnde dicta eſt etiam orbis. Et

*Cãt. 1. 11*

*Alia Transl.*

hoc

hoc idem myſterium innuit; Chriſtus in circulo ſuo dicendus eſt eſſe, dum è regno cœli deſcendit in terram, ſeque obuelat in hoſtia, vt ſuæ carnis pane noſtra nutriat corda. Dicet aliquis: Si per circulum intelligenda eſt terra, dum Chriſtus eſt in Eucharistia potius dicendus videtur ſupra circulum ſuum, quàm in circulo ſuo. Dum enim nobiſcum eſt, ſupra terram eſt, ſicut & nos. Quorſum ergo dicitur. *In circulo ſuo*, cum dicendus foret ſupra circulum ſuum? Vtrobique eſt, inquam, cùm ſupra circulum, tum in circulo. Non dicitur ſupra circulum; quia euidentiſſimũ eſt, Chriſtum nobiſcum eſſe in ſuperficie terræ. Dicitur in circulo, ideſt in centro terræ, ſeu in Purgatorio, quod eſt in centro terræ, vt intelligamus, quod dum ſupra circulum, ideſt ſupra faciem terræ offertur, ità ſumitur & comeditur à peragrantibus terram, vt etiam adſit ſub terra, refocillet, & recreet animas, quæ purgantur in circulo, & in centro terræ.

9 Nequaquam mediocris eſt notæ illud Apoſtolorum Principis priuilegium, quod tenoris huius nactus eſt à Domino, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum*. Eo enim poteſt inferos, cœloſq; fatiſcere, animas nimirum è carcere purgatorio eripere, & in aulam cœlicã introducere. Nec verò portę inferi, claui eius reſiſtere poſſunt, & præualere. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eã*. Sed quomodo non præualebunt, cum ex Chryſoſtomo. *Adamantinæ, ſunt inferorum portæ?* Quænam vnquam vis fuit, cui non præualuit adamas? *Duritię inenarrabilis eſt*, de adamantę ait Plinius, *reſpuens ictum, & ferrum; ſimulque igniũ victrix natura, vt nunquã incaleſcat: vnde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit*. Verum enim verò, etſi inferorũ portæ adamantinæ ſint, duræ, & impenetrabiles, Petro neq; bunt obſiſtere. Adamas, qui nec ferro cedit, nec igni, agni ſanguini cedit, quo dum fuerit aſperſus, frangitur, ſauciatur. Quid aliud quæſo eſt cœli clauis, qua Petrus inſignitur, niſi ſanguis immaculati agni Chriſti noſtri Redemptoris? *Sanguis Chriſti eſt clauis Paradiſi*: ait Hieronimus. Hũc itaque cruorẽ Chriſti pretioſiſſimũ in aris Eccleſiæ Petrus offerens, & effundens pro ſanctis animabus incluſis in Purgatorio, huius adamantinas frangit portas, vnde conſolãtur

*Matt. 16. 18.*

*D. Chryſoſt. Hom. 4. Theſſ.*

*Plin. lib. 37. cap. 4*

*D. Heron. apud D. Thom. opuſ. 58. cap. 27.*

tur captiui, redemuntur compediti, ignibuſque additi ſoluuntur, ſaluantur.

10 Tametſi lunula, quę in euchariſtica ſphęra conſpicitur, ab Eccleſia fieri ſoleat, vt ſacram ſubſtentet Hoſtiam, vel cúm in tẽplo exponitur adoranda, vel cùm per Ciuitatem collaudanda defertur; ſuo tamen myſterio minimè vacare cenſendum: poterat enim obtinuiſſe cõtinens ab hac figura diuerſum. Aduerte quod lunula ſignificat Eccleſiam, detentam in Purgatorio. Eccleſia enim, dum ex hoc mundo transfertur in cœlum, aſſimilatur auroræ, ſoli autem, dũ eſt in cœlo, dum denique in Purgatorio clauditur, lunæ. Quas oẽs ſimilitudines Sponſus conglobauit his verbis: *Quæ eſt iſta, quę progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol.* Ait enim Hugo: *Eccleſia aurora eſt in morte, luna in Purgatorio, ſol in gloria.* Iurè autem Eccleſia, dum in Purgatorio manet, comparatur lunæ: nam, quemadmodũ luna, dum diſtat à ſole, nec in diametro eſt illius aſpectu, partem luminis habet, parte luminis caret; vnde vel dictomos dicitur, vel vtrinque falcata: Sic & illa, dum à ſole diſtat, nimirum a Dei veri ſolis prohibetur aſpectu, lumẽ habet gratiæ, caretque lumine gloriæ. Dum itaque in lunula ſacram Euchariſtiam reponi vides, intellige in Eccleſia Purgatorij flammis æſtuante reponi, vt conſoletur, ſoluatur ab igne, liberetur à carcere, deferatur in cœlum.

*Cant. 6. 9.*

*Hug. Car. ibid.*

11 Nota denique ex Chaſſanæo, nonum fidei noſtræ articulum, quo Chriſti deſcenſum ad inferos cõfitemur, per topazium denotari. *Nonus,* inquit, *articulus de anima Chriſti ad inferna deſcendente, ſatis decenter topazio lapide denotatur.* Sanè tunc Chriſtus topaziũ geſſit, non modo, quod aureum topazij colorem habuerit, dum ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis ab æterna captiuitate redemit: Sed etiam; quia, quemadmodum topazius in aquam feruidam, & ignitam immiſſus, deferuere facit, & frigeſcere, *Expertum eſt,* tradit Magnus Albertus, *in noſtro tẽpore, quod ſi topazium in aquam bullientẽ immittatur, ità deferuere facit, quod ſtatim manu immiſſa extrahitur;* Sic panis vitæ Chriſtus, deſcendens ad inferos, vt ſuo modo manducaretur à mortuis, vt ſupra dictum eſt ex Ruperto, eorum ignem extinxit. Nam vt placet Angelico, tũc liberauit animas Purgatorij ab excluſione gloriæ, quæ erat totius naturæ, dando eis ſpem gloriæ, quamuis non

*Chaſſan. in Cata. par. 12. Conſid. 27.*

*Alb. de reb. metal. lib. 2. cap. 18.*

*D. Thom. 3. p. q. 52 ar. 8.*

non à reatu pœnæ ob propriū defectum, qui erat perſonalis.

## THEOREMA X.

### Baculus tuus.

*Vnus, idemque panis, dulceſcit iuſtis, & amareſcit iniuſtis.*

PAtet ex præhabitis, Sacroſancta Chriſti myſteria per baculū deſignari. Patet ex eo vlterius, quod, quēadmodum ne curuemur, & corruamus, baculo ſuſtentamur; ſic & Euchariſtia, nè corruamus ad inferos, roboramur. Dulcis baculus, ſuauis baculus, præſertim à viatoribus expetendus. Hoc baculo præ ſuauitate, quam exhibet, Vates conſolatum ſe prædicat. *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Aduerte illud *Me:* nam de ſe ipſo loquitur, iuſtitia, & ſanctitate inſignito; non autem de peccatore ſceleribus conſpurcato: cui fel aſpidum eſt, venenumque draconum. Vbi enim Chriſti panis dulceſcit iuſtis, amareſcit iniuſtis.

1 Sub typo mellis viſum eſt Salomoni de Sacro Euchariſtico ſermonem habere, nam dum hominem ad eius comeſtionem inuitat. *Comedite*, inquit, *fili mi mel, quia bonum* (Prou. 14. 13.) *eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo. Mel*, inquit D. Thomas, *corpus Chriſti dulce ſignificat.* (D. Thom. opuſ. 58. cap. 1.) Quare mel ſit typus corporis Domini, inquirendum eſt modo. Poſſem dicere; quia, mellis inſtar omnem dulcedinem, & ſuauitatem excellit. Sed hoc ſatis vulgare eſt. Rurſus; quia quemadmodum mel in terram è cœlo deſcendit, ſic & Euchariſtia è cœlo in ſacrum altare, quod in terra eſt, venit: Sed hoc ſimiliter. Præterea, quēadmodū mel, niſi in campis, quos flores exornant, non inuenitur, ſic S. Synaxis non, niſi animabus virtutum floribus decoratis, diligit māſionem. Sed ad rem noſtram non eſt. Dicam igitur (vt album attingam) quia mel pro florū, ſuper quos effluit, qualitate, dulce eſt, & amarum; medicina, & venenum. Apud nos, quoniam à dulcibus excipitur floribus, dulciſſimum eſt, & medicina. Heracleæ in Ponto, quia ex Plinio in florem egolethon cadit, lethiferæ plantæ, amarum eſt, & venenum. (Plin. lib. 21. c. 3.) Mel eſt Euchariſtia, pro qualitate communicantium dulceſcit, & amareſcit. Si dulcis es, nempe ſanctus, gratiæ dulcore repletus, ea dulceſcet tibi: ſi amarus, id eſt peccator, ſceleris veneno imbutus, amareſcet, venenumque gerebit.

2 Hoc idem myſterium explicuit Spōſa, dum botro Cypri comparauit Dilectum. *Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Nè dubites, his verbis Sacrā Euchariſtiam innui, ſubque nomine botri deſcriptum eſſe Dilectum ſub formis panis, & vini comeſtibilem, & potabilem. Nam, quemadmodum botrus eſui aptatur, & potui; ità ſacrum edulium ſub ſpeciebus panis, vinique velatū manducatur, & bibitur. Expende autem, quod non botro ſimpliciter, ſed botro Cypri, comparat Euchariſtiam. *Botrus Cypri.* Cur botro Cypri? Ob miram, quam experta erat in communione ſuauitatem. Per Cyprum, vt multis arridet, minimè Pamphili maris inſula, inter Siciliam, & Syriam, ſed planta, quædam intelligenda, quam plerique palmam exiſtimāt, cuius fructus longe alios ſuperant in dulcedine. Sed & conſidera, quod ait *Mihi, Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Velut ſi non omnibus, ſed ipſi, quæ ſponſa eſt, & amica, talem ſuauitatem communicet: Sceleſtis & inimicis, quamuis ſit botrus, non ſit tamen Cypri, ſed botrus amariſſimus, felle, & morte reſperſus. En D. Iuſtum Orgilitanum Epiſcopum. *Benè ait: Botrus Cypri Dilectus meus mihi; quia non illis, qui crucifixerunt, ſed ijs, qui in Crucifixum crediderunt, botri iſtius dulcedo conceſſa eſt.* Non illis inquit qui crucifixerunt; cum indignè communicans Chriſtum iterum crucifigat. De quo propterea inquit Apoſtolus: *Reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Et Bernardinus: *Qui indignè Chriſtum ſumit, idem eſt, ac ſi, interficiat.* Sancta itaque Euchariſtia Sāctis, ac dignis, dulciſſima eſt; peccatoribus, & indignis, amariſſima. Botrus eſt, illis Cypri, his fellis.

*Cant. 1. 12.*

*D. Iuſtus ibid.*

*1. Corint. 11. 27.*

*D. Bernardin. tom. 2. ſer. 55. ar. 1. c. 3.*

3 Hinc B. Virgo, Angelorum, & hominum Domina, Cypreſſo, & palmæ ſe confert. *Quaſi Cypreſſus in monte Sion, & quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Quid (inquies) palmæ, & cupreſſo? Illa lenem, hic durum; illa dulcem, hic amarum, illa eſui prorſus deſiderabilē, hic penitus exprobrabilē, fructum exhibet. Rectè ſe plantis adeo diſparibus comparat Deipara; nam fructus, quem tulit, aliter ſapit iuſtis, aliter peccatoribus. Nota quod cùm ſe cōfert cupreſſo, meminit Sion, *Sicut cypreſſus in monte Sion*; cum ſe cōparat palmæ, meminit Cades, *Sicut palma exaltata ſum in Cades.* Per Siō Iudæi, qui Chriſtum crucifixere, ſignificantur. Per Sion eos intellexit Dauid, dum caneret: *In conuer-*

*Eccleſ. 24. 18.*

*Pſ. 125. 1*

*uertendo Dominus captiuitatem Sion*. Per Cades innuuntur Sancti. Cades *ſanctitas* interpretatur. Quia verò Beatiſſima Virgo Chriſtum, tamquã arbor fructum, exhibuit, qui in admirabili Sacro pro diuerſitate ſumentium dulceſcit, & amareſcit; lenis eſt, & durus, ideo modò palmæ, modò cupreſſo ſe comparat. Iuſtis, & ſanctis palma eſt, dactylum illis profert dulciſſimum, ſuauiſſimũ. Iudæis, qui Chriſtum crucifixere; & peccatoribus, qui iterum crucifigunt, cupreſſus; omni duritia, & amaritudine aſperſum exhibet conum. Hoc ipſum myſteriũ ex eo elicies, quod cupreſſus, & palma Cruci materiam ſuppeditauerint. Nam quia dictum eſt ſupra, Sacram Synaxim fructum Crucis exiſtere, coniectandum eam fore conum, aut dactylum, pro communicantium varietate. Richardus, Virginem audiens ſe comparaſſe cupreſſo, hæc ait. *Cypreſſus durum habet fructum, Chriſtum ſcilicet, qui durus eſt in Sacramento indignè accedentibus*.

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 12.*

4 Audiamus iterum Sponſam de Euchariſtico fructu item agentem. *Fructus eius*, inquit, *dulcis gutturi meo*. Expende quod non ait abſolute: Fructus eius dulcis, ſed addit, gutturi meo. *Nota meo*, ait D. Thomas, *ideſt piæ, & fideli menti, quæ credit, & intelligit hunc illum fructum ſibi eſſe vtiliſſimum*. Piæ, ſanctæque menti ſuus Chriſtus ſapit, Chriſtus ſolus ſuauis; cætera amara ſunt, horribilia. Impiè è contra dulceſcunt, quæ præter Chriſtum ſunt, amareſcit Chriſtus magna, & vera dulcedo. Quid verò cauſæ eſt, quod ità diuerſe ſe mẽtes piorum, & impiorum habeant? Clarè illud intelliges, ſi Problematis Ariſtotelis Floſculorum Auctoris memineris, quærentis: Quare mulieres, & maximè prægnantes, appetitum ità inordinatum habeant, vt appetãt carbones, cinerem, terram, & cætera huiuſmodi, quæ aliorum ſtomachis horrorem afferunt? Reſpondentiſque cum Conſtantino, *Quia quales ſunt humores in ſtomacho, talia nutrimenta appetunt: & quia in mulieribus imprægnatis ſunt putridi, & corrupti humores, replẽtes ſtomachum, ideo appetunt ſimilia, cum omne ſimile appetat ſibi ſimile*. Quia mens ſancta ſaluberrimo diuinæ gratiæ repletur humore, ſolum Deum, quæque Dei ſunt, concupiſcit, & appetit; quæ ſunt extrà Deum, inſtar fellis abominatur. Impiæ verò, quia fædo, & corrupto repletur, Deus deſipit, quin & amareſcit;

*Cant. 2. 3.*

*D. Thom. opuſ. 58. cap. 22.*

*Auct. Floſc. Ariſt. apud me pag. 79.*

dulceſcunt voluptates, peccata, venenata gaudia. Simile ſimile cupit. Quoniam verò ſancta Sponſæ Dei mens diuina replebatur gratia, rectè aiebat, Euchariſtiæ fructum dulcem gutturi ſuo. *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Velut ſi mox adnecteret: Quibus palatum meum non eſt, amaleſcet. *Quando infirmus*, ait Ferterius, *habet palatum inordinatum, & infectũ aliquò malo humore, dulce videtur ſibi amarum: ſecus de ſanis benè ordinatis, & diſpoſitis*.

*D. Vinc. ſerm. 1. Do. III. Paſch.*

5 Sacra Chriſti myſteria libuit Apoſtolo ſub aquæ vocabulo nuncupare. *Omnes*, inquit, *eundem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus*. Quod Hugo Cardinalis exponens. *Dicitur*, inquit, *aqua, quia ſitim cupiditatis, & peccati extinguit. Hæc eſt aqua, quæ fluxit, de petra Chriſto: vnde Paulus: Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra*. Hoc tamen nobis non ſufficit, niſi rationem aliam, rei noſtræ concordem, afferamus. Dicendum igitur, quod quemadmodum aqua præ qualitate ſoli, in quod irrumpit, dulcis eſt, & amara, *Aquæ*, ait Moyſes Bar cepha, *vnius, eiuſdemque naturæ cum ſint, pro ſoli indole dulciores, amariores, inſulſiores, ſalſiores euadunt*; Sic & S. Euchariſtia præ diuerſa animarum, in quas ingreditur, indole, dulcis experitur, & amara. Sanctis, ſub quorum lingua mel eſt, & lac, *Mel, & lac ſub lingua tua*, dulcis eſt, ſalutifera. Impijs autem, & peccatoribus, quia *Venenum aſpidum ſub labijs eorum*, amara eſt, mortifera.

*1. Corint. 10. 4.*

*Hug. Car. in cap. 6. Ioan.*

*Moyſ Barupb de Parad. li. 1. c. 21.*

*Cãt. 4. 11.*

*Pſal. 13. 3*

6 Quis me vetabit, euchariſticam aquam ſacris conferre laticibus, ex Aegypti fonte fluentibus, quem omnipotens puer è terra arida in refrigerium anxiæ matris adduxerat, dum ibiè patrio ſolo profugus habitaret? Tradunt, ex vno, eodemque fonte aquam ſcatere dulcem, & amaram, ſed non ijſdem bibentibus. Chriſtianos nimirum ex illo iucundiſſimè bibere, Saracenis abſinthyo amariorem eſſe, ità vt illam vel ſummis labijs deguſtare, pæna ſit maxima. Hæc apud Petrarcam inuenies in Itinerario. Eundẽ fontem puta feciſſe. Chriſtum è ſacro altari ſcatere, quem in Aegypto puer eduxerat. Inde enim profluit aqua, quæ dulcis eſt, & amara, prohibẽtium qualitate ſaporem ſuum immutans. Dignis dulcis eſt, amara indignis. Iuſtis melle, & nectare, peccatoribus felle, & abſinthyo immiſta profluit. Ijs vitam, his mortem ex-

*Frãc. Petrar. in Itiner. circa finem.*

exhibet ſempiternam.

7 Audiſti Hebræos Angelorum abhorrentes eſcam, & contra Moyſen murmurãtes, Num. 21. 5. dicenteſque: *Cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo?* Ipſomet modo conqueri videntur de manna, quo de amara potione ægrotus, quam nauſeabundus ebibit. Rogo: Quid ſuauitatis, quidue ſaporis deerat mannæ in ſe omne delectamentum habenti, omniſque ſaporis ſuauitatem, quod ab Hebræis amarum expertum ſit, & inſulſum? Sal deerat, inquit Auguſtinus, non mannæ, ſed eis, diuinam nempe gratiam. D. Aug. ſer. 97. de Tempor. *Merito inſulti, vt quos non gratiæ ſales condunt, vilem expetunt cibum.* Rectè diuinam gratiam ſalis nomine intelligit: etenim, vt ait Cœl. lib. 27. c. 24. Cælius, *Plerique ſalem gratiã vocant, quod guſtui ſapida reddat, & grata.* Indubitatum eſt, Hebræos, manna faſtidientes, peccatorem Chriſticolã præſignaſſe, ſanctam Euchariſtiã, quam figurabat manna, ceu rem inſulſam, amaramq; faſtidientem. Quodnam condimentum, quis ſapor ſacro deficit corpori, in quod proſpicere deſiderant Angeli, quodque ſancti edentes, ſuauiſſimè conuiuantur? Quod multi magno deſiderio cupientes, nec à fletu abſtinere potuerunt, quin omni in illud corde, pariter, & corpore, medullitus inhiarent? Nec ſuam eſuriem aliter ſatiare, vel mitigare ſaltem valerent, niſi denique corpus ſanctiſſimũ, deſideratiſſimum cum omni iucunditate, & ſpiritali auiditate, accepiſſent? Vnde iſtis tãtoperes ſapit, ſceleſtis autẽ inſulſum eſt, & amarum? Planè defectus non ex ferculo, ſed ex ſumente cenſendus, cui ſal gratiæ deficit. Hi, qui talis ſalis condimento carent, Chriſtus, tamquam amarus, & inſulſus, ad nauſeã prouocat. Cum ijs, qui eo potiuntur, dulciſſimus ſit, & ſuauiſſimus.

8 Itaque Sapientis illud de manna, *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem,* Sap. 16. 20. non ità intelligendum, quaſi verò æquè iuſtis, & peccatoribus, tantas, tamque diuerſimodas delicias exhibuerit. Sed iuſtis tantũ, ac ſanctis: ijs enim modo, quod in votis erat, & expetebãt, cœlicum ſapiebat edulium. *Bonis ſapiebat, prout volebant.* Nicol. de Lyr. ibid. inquit Lyranus. Impijs verò tantum abeſt, vt ſaperet, quod pro tormento, & pœna potius erat. Si Chriſti panem in manna præfiguratũ

tibi

tibi pro libito ſapere concupiſcis: hoc tuæ ditionis eſt. Si, vt fas eſt, iuſtus fias, pluſquã ambroſia ſapiet; ſi verò peccator, pluſquam mors amareſcet. Eatenus enim dulcis eſt Sanctis, vt ſit amarus ſceleſtis. Audi Hieronymum. *Qui mãna comedebant, ſi deſiderabant mala, ſi pirum, ſi vuam, ſi panem, ſi carnem, ſecundum voluntatẽ, & qualitatem comedentis, ità & ſapor in manna erat. Sic, & in carne Chriſti, ſicut volumus, ità & cibum accipimus: ſi Sanctus es, inuenis refrigerium, ſi peccator, inuenis tormentum.*

D. Hier. i Pſ. 147.

9 Orat Dominum Pſaltes, vt à ſe, quam longe poteſt, homines peruerſos abijceret, quod ſui eum exceſſibus inamaricauerint. *Secundum multitudinem impietatũ eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.* Pro irritauerunt. *inamaricauerunt*, transferunt alij. Sed quanam amaritie, quo felle, quo abſinthyo fons totius dulcedinis inamaricari poterit? per quem dulceſcunt amara? per quem mors ipſa amarorum omnium amariſſima, deguſtatur? Scelerum amaritie, peccatorum felle, iniquitatum abſinthyo. Tanta illorũ grauitas eſt, & enormitas, vt Deum inamaricare dicantur: Nobis autem, non ſibi, nec eis qui eum non exacerbant. Hinc Sancta Synaxis, cuius ſuper mel, & fauum ſuauitas, ſuper nectar, & ambroſiã dulcitudo, ſupra quod dici, cogitariue poteſt, delectamentum: quæ dulcore ſuo cęli menſas inundat, Angelos, & Sanctos inebriat, totum mũdum dulcorat, fel eſt peccatoribus, & abſinthyũ. *Peccatoribus panis veritatis amarus eſt*, ait Auguſtinus, *ipſi amaricauerunt Deum, qui peccando in eam ægritudinem deuenerunt, vt cibo veritatis, quo ſanæ animæ gaudent, tamquam felle ſuſtinere non poſſint.*

Pſ. 5. 11.

Alia Transl.

D. Aug. ibid.

10 Tandem non inconſultò Sacrum Eccleſiæ dictum eſt panis, ſeu eſca Angelorum. Nam ijs tãtum ſapit, qui, quæ mundi ſunt, relinquentes, ſe ſupra ſe erigunt, & Angelorum inſtar, cęli rebus adhærent. Quibus autem talis diſplicet incolatus, quo vſque adeo ex hominibus infra ſe deſcendunt, vt conuertantur in bruta, ſintq; ſues, & aſini exiſtimandi, quonam pacto ſapiet Deus? *Palatum porcinũ, & guſtus aſininus non poſſunt in ſapores aromatum.* ait Guilelmus Pariſienſis. Sanè quod dulceſcit Angelis, amareſcit iumentis.

Guliel. Pariſ. de Sacra Euch. c. 7.

THEO-

## THEOREMA XI.

### Ipſa me conſolata ſunt.

*Ad ſolamen noſtri exilij paratur menſa Domini.*

QVoniam in hoc mundo degentes, & peregrinantes à Domino, infinitis propemodum malis exagitamur, menſam nobis euchariſticā Deus appoſuit, vt ſacro cibo refecti conſolaremur, reſpiraremus, perque eam tolerabiliores fierēt, qui nos premunt, labores. Hinc Propheta tot inter anguſtias poſitus, baculo carnis Chriſti conſolatum ſe prædicat, & lætatur, *Virga tua*, inquiens, *& baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Lętari etiam debet Chriſtianus quilibet cum Propheta, cui, vt in huius vitæ exilio reficeretur, parata eſt menſa Domini.

1 Auctor eſt Lucas, quod poſtquam Virgo Sanctiſſima Dei filium peperit, & pannis, quos ferebat egeſtas, reuerentiſſimè inuoluit, collocauit
Luc. 2. 6. eum in præſepio inter bouem, & aſinum. *Peperit filium ſuũ primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* Quod in præſepio reclinauerit, ſacrum euchariſticum innuit. Nam quia ſacras, quas tulit, carnes, cibum noſtrum fore præuidit, poſuit in præſepio, velut eſibile in menſa. Aduertendũ eſt, quod non collocauit eum inter leonem, & canem; inter tygrim & elephātem; ſed inter bouem, & aſinum, quos ſecum Ioſeph Sponſus adduxerat, hunc ad vehendam ipſam, illum venalē pro expenſis itineris. Quod Abacuc prophetauerat, dicens. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Et Iſaias: Abac. 3. 2.
*Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Iſa. 1. 3.
Inter hos itaque Virgo prudentiſſima cor ſuum, non inter alia collocauit animantia. Cur hoc quæſo? Quia cibum futurũ nouerat pro refectione laborantium in hoc exilio qui per bouem, & aſinum ſignificantur. Nullum animal boue, & aſino laborioſius, ille ad trahendum, ſuſtinendumq; aratrũ, hic verò ad ſarcinas euehendas. *Filium ſuum natum poſuit in præſepio*, ait Richardus, Rich. a S. Laur. de Laud. B. M. lib. 2.
*quaſi diceret boui, & aſino, ideſt ijs, qui deſignantur per bouem, & aſinum, qui ſunt animalia laborioſa, & onerifera: Manducate. Ecce refectio veſtra.* Hoc ipſum dicebat illis infantulus. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

2 Ex eo, quod Moyſi ait

Num. 8. 2. Dominus. *Cādelabrū in auſtrali parte erigatur, vt lucernæ contra boream è rigore reſpicerent ad menſam panum propoſitionis*, ſcimus mēſam panum propoſitionis in parte aquilonari locatam in tabernaculo. Sed quidnam opus erat menſam hanc in parte aquilonari conſtitui? Quia S. Euchariſtiam præſignabat, quæ pro laborantibus in exilio, ad eorum aduerſitatum leuamen, & cōſolationem paranda erat. Per Aquilonem aduerſitates intellige. *Menſa cum panibus propoſitionis ſemper ad Aquilonem in tabernaculo ponebatur. Quia proculdubio menſa Euchariſtiæ in tabernaculo Eccleſiæ neceſſaria eſt in parte aquilonari, id eſt in ſtatu aduerſitatis.* ait Bercorius. Si S. Euchariſtia abeſſet ab Aquilone, abeſſet ſcilicet à nobis laborantibus, & tribulatis; quiſnam ferre poſſet crebras vitę huius ærūnas? quotidianos labores? duriſſimū è cælo exilium? Oportuit itaque inter tot mala prę ſto eſſe refugium, refectionē, cōſolationem. Refugium nobis eſt Euchariſtia, quæ quotidie laborantes quotidie reficit, ne vnquam deficiamus.

*Berc. in Diction. Mor. v. Menſa.*

3 Poſtquam ij, qui à primo mane, in Dei vinea laborauere, eadem ſe mercede ſolutos, qua, qui prope veſper aduenerant, agnouerunt, aduerſum patrem familias murmurabant. *Dicentes: ij nouiſſimè vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pōdus diei, & æſtus.* Matt. 20. 12. Quia verò per primos, qui prima mundi ætate Deum coluerunt, per nouiſſimos vero Apoſtoli, & cæteri exinde Chriſti fideles, qui declinante iam mundo, vocati ſunt à Domino, intelliguntur: videndum quare dicant primi *Portauimus pondus diei, & æſtus*, cū, & poſtremi, vt illi vitam ſuam in Dei cultu traduxerint, parique tēporis ſpatio, per totam vitam ſcilicet, laborauerint? Qui in priori mundi æuo vixerunt, non vltra ſtatutum ſuæ vitæ tempus coluerunt Deum. Et qui in poſtremo naſcūtur, nō minus in eodem cultu morātur, quam per omne ſimiliter vitæ ſuæ tempus. His tamen non obſtantibus, iure illi conqueſti ſunt, ait Palacius: *Quia illi carebant Sacramentis conferentibus gratiam, & iuuantibus contra laborem: nos contrà reficimur.* Et ſi veriſſimum ſit, & primos, & vltimos, à primis ad vltimos vitæ dies in Dei cultu perſeueraſſe; primi tamen maiori difficultate, & labore vixerunt, quàm nos; vtpote quibus ſolamē deerat euchariſticum, quod præſto eſt nobis. Non longe igitur à veritate dixerunt: *Portauimus pō-*

*Paul. de Pala. ibi.*

*dus*

*dus diei, & æſtus*. Tantam laborantibus affert Sancta Synaxis conſolationem, recreationem, refectionem, vt labores, & dierum noſtrorũ æſtus faciliores, & tolerabiliores reddantur.

4 Meminiſſe te velim, quæ ait Dominus Moyſi, vbi è cęlo in ardentem rubum deſcẽdit. *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum.* Quod Oleaſter expẽdens, ſic Dominum interpellat; *Nonnè de cœlo, & de ſede tua Domine eos poteras liberare ab omni malo? Nonne Angelum ad liberationem eorum mittere? Quare opus eſt, vt deſcendas?* Iure quidem: Deus enim vbiq; omnipotẽs, quæcunque voluit, fecit in cęlo, & in terra; æquè eminus, & cominus adiuuare poteſt, & liberare: æquè manens in cęlo, ac in terram deſcendens, populum laborantem reficere, & captiuũ redimere. Quorſum ergo deſcendit? *Gaudet Deus*, reſpondet, *vt leuiora faciat, quæ Sancti patiuntur mala, ſeſe illis immiſcere*. Nemini fuit vnquam ambiguum eadem poſſe Deum in terra, ſiue in terrã deſcendat, ſiue in cęlo reſideat: voluit tamẽ in terram deſcẽdere, ſeque ſuo populo commiſcere, vt diuinitatis præſentia ſeruorum ſuorũ labores leuiores, & tolerabiliores efficeret. Dũ itaq; Chriſtum Deũ vides quotidie è cęlo ad ſacrũ altare deſcendere, vt ſeſe nobis immiſceat, tale quid fieri puta; *Vt leuiora faciat, quæ ſancti patiuntur mala*. Grande leuamen eſt laborantibus, grande ſolatiũ exulis, Deum habere pręſentem adiutorem conſolatorem.

Exod. 3. 7.

Oleaſt. ibid.

5 Apoſtolos nauigãtes, magnum vitæ paſſos diſcrimen tradit Matthæus. Iraſcebãtur venti, exaltabantur vndæ, ſæuiebant procellę, corũq; nauis fluctibus iactabatur immẽſis. Vbi verò Chriſtus ſuper aquarum ſemitas ad nauẽ aduenit, vẽtus prorſus diſparuit, ſiluit mare, euanuerunt procellę, & facta eſt tranquillitas magna. *Et cũ aſcendiſſet nauiculam, ceſſauit ventus.* Quare tunc vẽtus ceſſauit, qui prius tam fremebundus irruebat? Quia Dominus affuit. Audi Paulum de Palacio: *Vbi verò intrauit in nauẽ Dominus, id eſt cum Domini præſentia in anima ſentitur, tunc nulla tribulatio ſẽtitur: vel quia ceſſauit exactor, vel quia licet premat, præſentia tamen Domini animus dulcedine abſorbetur.* Velut diceret. Aduẽtus Chriſti in nauem, aduentum eius in animam, cum ex altari ſumitur, præſignauit. Vnde, quemadmodum, vbi intrauit in nauem, pacata, & ſerenata

Matt. 14. 32.

Paul. de Palac. ib.

ſunt omnia: ità poſtquam ingreditur animam, ceſſant labores, dolores, anguſtiæ, & cętera mala, quibus antea premebatur: vel ſi non ceſſant, quia omnimoda cōſolatione, ꝑ dulciſſima recreatione, & ineffabili gaudio afficitur, non ſentiuntur.

6 Bartholomæus de Piſis, qui ab hinc pluſquā ducentis annis ſcripſit de Deipara, ſuper illud Lucę. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth exultauit infans in vtero eius*, aduertens, quod tunc temporis cōmotus eſt puer, nam, vt placet Valentiæ, ex eo fuit hæc exultatio, quia *Cum naturaliter fœtus habeat faciem verſus dorſū matris, tunc infans vertit faciem verſus pectora matris, & verſus Virginem Mariam amplectentē ipſam Eliſabeth, vt ex vtero faciliter poſſet adorare Chriſtum exiſtentem in vtero Virginis.* pulchrè petit: Paſſa eſt nè Eliſabeth ex cōmotione filij in vtero laboris aliquid, & doloris, ſicuti paſſa eſt Rebecca ex commotione filiorum ſuorum in vtero diſſidētium? Negatiuè reſpondet, egregiā afferens rationem. *Quomodo poterat dolere, habens ante ſe Regem gloriæ, quem diuinitus cognouit?* Impoſſibile fuit Eliſabeth, dolere tunc temporis, cum Chriſtum pręſentem haberet, ab cuius præſentia fugiunt dolores, abſunt labores, elongantur ærumnæ. Hæc eſt potiſſima ratio, qua piiſſimus Deus, noſtrorum miſeratus laborum, Euchariſtiam inſtituit: voluit enim nobis in ea præſto eſſe, vt ſua dulci præſentia ſic mitigaret labores, quatenus vel non ſentiantur, vel promptius, aut facilius tolerentur.

*Luc. 1. 41.* — *Valēt. in Cant. Magnificat.* — *Barthol. de Piſis de Vit. B. M. lib. 2. fruct. 9.*

7 Egregiè Theodoretus Oſeæ illud exponit. *Quia & væ eis eſt, caro mea ex eis.* Ait enim, hęc eſſe Dei verba indignantis, ſuoque populo minitantis, refrenantis tamen indignationem, & gladium ſuſpendētis. Planè tunc Hebręi, eorum flagitantibus culpis, penitus deſtrui, prorſus eradicari, funditus diſterminari merebant: ſed Deus parcebat interea, quia caro, quam vt Verbū caro fieret, aſſumpturus erat, erat in eis. Quæ ſi non fuiſſet in eis, væ eis, omnes promiſcuè occidiſſet, deleſſetque à libro viuentium. Ac ſi diceret, ait ipſe. *Veruntamen non funditus peribitis, vſque dum ex vobis ſumpſero carnem. Quoniam caro mea, quam ſumpturus ſum, ex vobis eſt, non prorſus vos deſeram, donec eam ſumpſero.* Si, quia caro Chriſti erat in Hebręis, parcebat Deus Hebræis, nec ſceleribus cōdigna exigebat ſupplicia, vnde proſperè agebant: dū nos

*Oſæ. 9. 12.* — *Transl. Septuag.* — *Oleaſt. ibid.* — *Theod. ib.*

per ſacram Communionem Chriſti carnem in nobis habemus, Deum in nos pro culpatum reatu non animaduertere, ſed miſericorditer parcere, lanceam, & gladium ſuſpendere, quid dubitabit? Vides quam magnam nobis Euchariſtia conſolationẽ exhibeat. Scutum noſtrũ eſt, ab ira Dei cœli, nos protegit. Quod ſi ea careremus, quis quæſo in hoc miſero exilio ſuperſtes eſſet ex nobis, innumeris mundi malis, iræ Dei flagellis, adiectis?

8 Audi paradoxum Iacobi
*Iacob. 1. 2* *Omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Paradoxum inquam: nam cum tribulatio gemitũ, & mœſtitiam afferat; gaudium, & omne gaudium inquit afferre. Et
*Pſal.* vnde illud Prophetæ *Tribulationem, & dolorem inueni*, tribulationi dolorem, non gaudium cõiungentis? Nouimus profectò, labores, ægritudines, mortem, bonorumque iacturã, gaudium omne repellere, & non, niſi mœrorem, adducere. Sic vtique res ſe haberet, ſi noſtrę vitę laboribus, ſpem ęterni prę mij, Deique prę ſentiam, dum agitamur, adimeres. Quia verò ijs, non modo cęli credimus penetrare ſedilia, ſed & Dei prę ſentia fruimur, tribulatio minimè dolorem, mœrorẽ, lacrymas, ſed gaudium, & omne gau-
dium affert. *Omne gaudium* *D. Bern.*
*exiſtimemus*, inquit Bernar- *Ser. 15. in*
dus, *cùm in varias tribulationes* *Pſ. 90.*
*incideri mus; non modo, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, ſed quoniam iuxtà eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde*. Quam proſperè, quam fauſtè tribulato res cedit, qui vt in malis gaudeat, in mœrore exultet, in dolore iubilet, ſecum Deus reſidet in altari.

9 Quidnam putas lapis ille ſtanneus, quem gratulanter in manu Zorobabel viſuri
erant Hebræi, vt Zacharias *Zach. 4.*
habet, ſignificabat? *Et lætabũ-* *10.*
*tur*, inquit, *& videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel*. Chriſtum Deum noſtrum, ait Hieronimus, non ſecus, ac
ſi diceret. *Lętabuntur, ac vide-* *D. Hier.*
*bunt auxilium Saluatoris*. Ex *ibid.*
ço, quod Vates, Hebræos lapidem ſtanneum in manu Zorobabel ait viſuros, loqui videtur de Chriſto in Euchariſtia, quæ attractatur à Sacerdote. *Zorobabel* Latinè *Magiſter cõuerſionis* interpretatur, Sacerdos videlicet, cuius munus eſt homines, vt ad Deum conuertantur, inſtruere. Quare autem Euchariſtia dicitur ſtannum, cùm ob eius pretioſitatem potius dicenda ſit aurum? adamas? carbunculus?

& ſi quid eſt pretioſius? Quia non ad pretioſitatem, ſed ad fortitudinem reſpexit illius. Nam, quemadmodum ſtannũ cũcta metalla, nè crementur ab igne, defendit, ſic Chriſtus in Euchariſtia fideles, nè ſub tantis malis, præ eorum fragilitate deficiant defendit. Hoc adnectit Hieronymus. *Sicut enim ſtannum ab igne alia metalla defendit, & cum ſit natura æs, ferrumque duriſſimum, ſi abſque ſtanno fuerit, teritur, ac crematur. Sic omnis Angelorum, & hominum fortitudo, ſi non habuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur, & fragilis.* Gaude, & lætare Chriſtiane frater, dum hunc ſtanneum lapidem Sacerdotis manu cõſpicis eleuatum: gaude inquã: nam tuorum conſpicis laborũ ſuppetias, malorum leuamen, ærumnarum tuarum conſolationem: quo dum peregrinaris à Domino, vires reparas, exilijque calamitates declinas, ab imminentibus ærumnis non offenderis.

10 Mirum quidem, mirum eſt, quod dum tantis talibuſque doloribus diuexamur, ſtemus adhuc, viuamus, ſimus. Quid oro vita hæc eſt, quam omnium malorum congeries? laborum receptaculũ? viuus, & verus infernus? Tantis tamen in malis, tot in laboribus, eodemq; in inferno, vbi mors regnat, & ſæuit, viuimus, & perſiſtimus. Quis à nobis tam longè mortem abegit; Quis interitum effugauit? Chriſti Dei noſtri præſentia. *Quis enim ſuſtineret, quis perſiſteret ſine Deo?* ait Bernardus. D. Bern. Ser. 15. i Pſ. 90. Gratias tibi Domine, qui vt vitæ noſtræ conſuleres, noſtrę incolumitati, ſaluti, pręſto nobis es, quamquam velatus, & tectus.

11 Fęlix ergo exilium, expetendum, optabile. Quid dixi exilium? Si, vbi bonum, ibi patria; ibi cœlum, vbi Deus; hæc patria nobis eſt, cœlũ eſt, vbi ſummum bonum, vbi Deum Optimum præſentem habemus. Brutus, vt habet Seneca in eo, quod de virtute compoſuit, ait, *Se vidiſſe Marcellum ſecum Mitylenis exulãtem, & quantum modo natura hominis pateretur, beatiſſimè viuentem.* Seneca de Conſol. ad Albin. Adijcitque, *Vt ſum ſibi, ſe magis in exilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quàm illũ in exilio relinquere.* Cur, quod de Marcello ſcribitur, non adijciã de Chriſto? Cur ob ineffabiles cõſolationes, quas ex Chriſti præſentia ſub Euchariſtiæ formis haurimus in hoc exilio, non dicam ingenuè, neminem hìc exulari? exulari verò ſi ex exilio translatis in patriam deeſſet Dominus?

# THEOREMATA MORALIA

## EX VERSV SEXTO PSAL. 22 DECERPTA,

## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.

QVID ſit paſcuæ locus, quidue refectionis aqua, qua ſe à Deo Vates, nō modo nutritū, & educatum affirmat; ſed & ad Deum conuerſum, per ſanctas ſemitas ductum, timore cuiuſuis mali purgatum: ex eo, quod adijcit, *Paraſti in conſpectu meo menſam*, liquidò patet. Non nè dixi tibi, nihil in hoc Pſalmo Euchariſtiam non olere? Euchariſticus Pſalmus eſt, euchariſticis plenus myſterijs. Sed age nunc videamus, quibus hæc mēſa conſtruitur, quo eius edulia libanda ſunt apparatu, qua fame, qua ſiti comedenda, potanda, quas delicias afferat, quo pacto edētes exhilaret; quod, pueris, & effæminatis exceptis, neminem non admittat. Demum quali pœna plectendi, qui gratiæ expertes gratiæ pane paſcuntur.

### THEOREMA I.

### Paraſti.

*Regales Euchariſtiæ dapes ſolis Regibus patent.*

CIbis nequaquam obuijs, & vulgaribus, Saluatoris menſa referta eſt, ſed longè

gè ante inſtructis, & apparatis. *Paraſti*, inquit Rex Propheta, *in conſpectu meo mēſam*, velut ſit Regibus, & Principibus propoſita, quibus longo tempore, maturoque ſtudio præparantur edulia. Ex quo datur intelligi, ſacræ menſæ conuiuam Regem eſſe debere. Regales enim dapes ſolum Regem decent.

1 Fructus palmæ deperiēs Sponſa. *Aſcendam*, inquit, *ad palmam, & apprahendam fructus eius*. Quod nam opus erat ad palmam aſcendere, vt palmæ appræhenderet, & deguſtaret fructus? Nonne fere omnes fructu palmæ fruūtur, cum pauciſſimi ex illis palmā aſcendant? Per fructum palmæ intelligitur Euchariſtia, vt ex traditionibus Rabbinorum habetur. *Dixerunt Magiſtri futurum eſt, vt triticum palmeſcat, & aſcendat ſicut palma, & hoc in diebus Meſſiæ*. ait Rabbinus Niſa apud Pinedā. Palmæ autem aſcenſus, non litteraliter, ſed myſtice intelligendus eſt, per quem regalem ſignificare dignitatem, ijdem Rabbini teſtantur. Perquirentes enim, vt refert Lyranus, an Saul, poſtquam ei locutus eſt Samuel, per eius verba ſe Regem eſſe intellexerit; affirmatiuè reſpondent, idque præſciuiſſe per ſomniū, aiunt, in quo *Viderat ſe eſſe in capite arboris palmæ, quæ viſio ſignum regale erat*. Dum itaque Spōſa ſacro ſe fructu potiri poſſe deſperat, niſi palmā aſcendat, apertiſſimè innuit, nequaquam ſe Chriſti menſæ auſuram accumbere, niſi prius Regina fieret: probè ſciens, Regum menſam eſſe, quæ regales exhibet dapes.

Cant 7. 8.

Rabbin. Niſa apud Pined. de Reb. Saloni. li. 6. cap. 20. num. 31.

Lorin. in li. 1. Reg. cap. 9.

2 Præcepit Moyſi Dominus, propoſitionis menſam corona quadam cingeret, & circundaret, quam interraſilē dixit. *Faciēs*, inquit, *& menſam de lignis Setim, facieſque illi labrum aureum per circuitū, & ipſi labio coronam interraſilem, altam quatuor digitis*. Menſa hæc myſticam noſtri altaris menſam, vt omnes communiter ſentiunt, præſignabat. Exquirendum autem, quidnam illa eſſet corona, quam Deus interraſilem dicit, quidue ſit interraſilem eſſe. Circulus quidem erat inſtar coronæ ſacram menſam præcingens. Interraſilis verò *Ideſt interpellata cælaturis, & plano*. inquit Comeſtor. Ideſt eſt interraſile; ac interraſum, hoc eſt per interualla eraſas, & exculptū. Sed quænam erant ſculpturæ, ſiue cælaturæ, quæ menſam circundabant? florum fortè? arborum? gemmarum? ſtellarum? Regum imagines erant, vt idem Doctor adnectit *Erāt, vt aiunt Hebræi, cælaturæ illæ*,

Exod. 25. 25.

Comeſt. c. 48. in Exod.

quaſi

*quaſi imagines Regum*. Quod Deus fieri voluit ad innuendum conuiuas Sanctæ Eccleſiæ ſacrum circundantes altare, Reges eſſe debere, præter Reges ad illud neminem admittendum.

3 Deplorãdus ille, ac miſerrimus, qui, vt refert Matthæus, miſſus eſt in tenebras, vbi æternus fletus, dentiumque ſtridor inhabitat, tale quid meruit, quia in regalibus nuptijs nuptialem veſtem exutus, auſus fuit accumbere. Ait enim ad illum Rex:
*Matt. 22. 12.* *Amice: quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* At cur tam magnum ſupplicium? tam atrox pœna, ob ſolum veſtis defectum? Nuptiæ illæ ſacræ Euchariſtiæ nuptias repræſentabant, vbi ſponſa, nimirum anima, Chriſto Sponſo vnitur, & copulatur: ad quas nuptiali veſte nudatum accũbere, magnum nefas, magna
*Bened. Iuſtin. in Epiſt. Ioan. Proluſ. 4* Dei offenſa. Veſtis hæc, vt ex ijs, quæ de veſtibus cænatorijs habet Iuſtinianus, colligitur, purpurea erat, per quã D. Gregorius charitatem intelligit, quam Chriſtus Rex Regum & Sponſus, dum præeſſet nuptijs, videbatur indutus. Hæc
*D. Greg. in Caten. S. Thom. ibid.* ſunt verba S. Doctoris. *Quid autem debemus intelligere per nuptialem veſtem, niſi charitatem; quia hãc in ſe Dominus habuit, dum ad ſociandã ſibi Eccleſiæ nuptias veniret?* Quoniam verò Regum indumentum eſt purpura, illum, cui in ſacris in nuptijs veſtis hæc defecerat, non Regem, ſed ignobilem, & plebeum fuiſſe, cẽſendum: rectèque tam durè, tam diriè mulctatum; cum enim Rex non eſſet, ad cœnam Regis auſus eſt accumbere, cuius non, niſi Regibus patet ingreſſus.

4 Illud diligenter aduertẽdũ præterea, quod Dei Sapiẽtia Chriſtus ſeruis iniũxit, vt, cùm ad ſacram menſam cõuiuas cõgregarẽt, aduocarẽt ad arcem. *Sapientia*, ait Sapiens, *Prou. 9 1*
*ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinũ, & propoſuit menſam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarẽt ad arcem.* Quare ad arcem, & non ad, quam ædificauerat, domum? Quia non, niſi Reges, vocabant. *Arx, & palatium*, ſcribit Salazar, *Regem decet.* Eo *Salazar ibid.*
quia, vt pluries dictũ eſt, Chriſtus Dei ſapientia per hanc menſam Sacri altaris menſam delineabat: vt clarè innueret, nemini præter Reges ſacris epulis paſci licere, mandauit ancillis, non ad domum; ſed ad arcem vocare. Regũ ſunt, non plebeorum, ſacroſancta myſteria.

5 Hæbræorum inſcitiam, & vecordiam, manna paruipendentium, imò abominan-

Pſal. 106 18. tium, conſiderans Dauid: *Omnem eſcam*, inquit, *abominata eſt anima eorum*. Quod primo quidem obtutu, ijs, quæ dicta ſunt à Moyſe, diſſonare videtur. Refert Moyſes, Hebræos cum manna deſpicerẽt, eſculenta cętera, carnes nimirum, piſces, cucumeres, pepones, porros, cæpaſque Aegypti, non modo non abhorruiſſe, ſed & cupidè expetijſſe, deperijſſe. Eiulabant namque: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniũt cucumeres, & pepones, & cæpe, & allia. Anima noſtra arida eſt; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, quam man*. Cur ego ait Pſaltes: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*? Magni Baſilij frater, Gregorius Nyſſenus, hunc locum expendens, ſubque typo mannę Euchariſtiam capiens, difficultatem hanc egregiè ſoluit. Quia (inquit) Dauid in eucharistica menſa cuiuſcũque boni adeſſe plenitudinẽ, ſatagebat exprimere, eam omnem eſcã vocauit: Moyſem imitatus, qui vt oſtenderet in Paradiſo repoſitum quidquid viſui, & guſtui expetibile, & delectabile foret, omne lignum ait ibi plantatum: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignũ, pulchrum viſu, & aduescendũ ſuaue*. En verba S. Doctores, *Vt enim ibi omne lignum nominat plenitudinem omnis boni; ità hic verum illum, & omnipotentem cibum appellat omnem eſcam*. Si itaque in euchariſtica menſa eſcam omnem habes appoſitam, Regum menſam exiſtima. Solæ Regum menſæ omnes exhibẽt epulas. *Apud Perſas*, ſcribit Atheneus, *apponebantur in Regis menſa quaſcunque epulas terra producit*. Quod idcircò dicitur, vt aduertas, nemini, qui redemitus non ſit corona, Chriſti menſæ participem fieri.

Num. 11. 5.

Gen. 2. 9

D. Greg. Nyſſ. tracta. 1. c. 8 in Pſal.

Athen. lib. 14. cap. 23.

6 Diximus pluries, per prandium, quod propoſuit Dominus in nuptijs filij ſui, Sacram Euchariſtiam delineari. Attende modò, quibus verbis à ſeruis voluit aduocari conuiuas. *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui; tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias*. Quod nã opus, quæuè neceſſitas, tantas epulas prædicere? tanta fercula magnificare? tantum apparatum prædicare? Sat non erat *Venite ad prandium*, dicere, quod inſuper addendum fuit *Tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata*? Sanè ſi ſatis fuiſſet, dicere *Venite ad prandium*, non multiplicaſſet ſine neceſ-

Matt. 22. 4.

ſitate

ſitate ſermonem. Sategit oſtendere, ſympoſiũ, ad quod inuitabat, regale, non vulgare, eſſe. Hoc autumat Hieronymus. *Prandium paratum, & tauri, & altilia occiſa per metaphoram opes regales deſcribunt.* Vt ex qualitate conuiuij, ſcirent inuitati, ad illud minime vulgares, plebeoſque homines, ſed Reges, & Principes, inuitari. Regum menſa eſt, non plebeorum.

*D. Hiero. ibid.*

7 Illud etiam hic recolendum, quod Dominus Ieſus in cœna, quam vt Euchariſtiam institueret, cum Apoſtolis celebrauit, quodam vſus ſit vaſculo, quod paropſidem vocat Matthæus. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Hæc verba Chriſti fuiſſe recenſet, proditorem Diſcipulis detegentis. Peto igitur. Quare Euangeliſta paropſidem potius, quàm catinum, patinam, aut diſcum, vocare voluit vas menſæ Domini? Audi Bernardinum, ex quo id intelliges. *Paropſis eſt vas contınens cibum quadrilaterum: tali autem quadrato diſco ſolent manducare Magnates. ſicut faciebat Imperator cum Baronibus ſuis, quando in Italiam venit.* Quoniam Matthæus ſategit innuere, Saluatoris menſam regalem eſſe, ibique non, niſi cum Regibus, Deum accumbere, regalis vaſculi meminit, in quo præter Reges nemo manducat. Ea paropſis non modo ex forma, ſed & ex materia regale vaſculum erat, fabrefactum enim tradunt ex pretioſo ſmaragdo, quod nunc Genuenſes reuerentiſſimè ſeruant. Sanè cunctis obuium eſt, non niſi Reges, & Principes, in gemmeis vaſibus manducare. Qua de re, dum menſam Domini vides paropſidibus inſtrui, gemmeiſque vaſculis coruſcare, memento te Regem fieri: dedecet plebeum hominem huiuſcemodi menſæ accumbere, in qua tam pretioſè comeditur.

*Matt. 26 23.*

*D. Bernardin. tom. 2. ſer. 7. de Beatitud. ar. 1. cap. 2.*

*Franc. Petrar. in Itiner.*

8 Clarum, ac certum eſt, qui Dominum ſumpturus, & manducaturus, ſacro accedit altari, regia Chriſti ſtola indutus, diuino aſtare conuiuio. *Qui huiuſcemodi ſanguinis ſunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis virtutibus commorantur, ipſam regiam Chriſti ſtolam induti.* ait Chryſoſtomus. Cum autem plebeum, ſubiectumque regio cultu fulgere non deceat modò, ſed nec vnquã datum ſit; quonã pacto ſacrum adis altare, Regis, cum Rex non ſis, regiã ſtolã ſumpturus? Iubet lex, qui Rex, aut Princeps non ſit, aureis veſtibus non vtatur: Regum tantũmodo ſunt hæc veſtimenta, dicente Chaſſanæo

*D. Chryſ. Hom. 45. in Ioan.*

Chaſſan. i Catal. p. 11. cōſid. 61.

næo Iuriſperito. *Color aureus eſt nobilior cæteris reſpectu rei, quam repræſentat secundum ſe; per eum enim repræſentatur lux: & propter eius nobilitatem nulli liceat portare veſtes aureas, niſi Principi.*

9 Verumenim verò, ſi, vt dictum eſt hactenus, ſacræ menſæ aditus ſolis Regibus, & Principibus patet, neceſſe erit eſurire pauperes; ieiunare humiles: à ſacris dapibus longe abeſſe plebeos? Abſit, vt hoc aſſeram. Cunctis apponitur, æquè patet omnibus; nobilibus, & ignobilibus; Regibus, & ſubditis; Principibus, ac plebeis. Cum dixi menſam Chriſti Regum tãtum eſſe; per Reges intelligẽdi ſunt Sancti: ij enim veri ſunt Reges, & ſoli Reges. Quod ex Regis etymologia perſpicuum eſt, quod vt placet Iſidoro, à rectè agẽdo ortum eſt, quod in ſolis Sanctis conſpicitur. *Reges*, inquit, *à rectè agendo vocati ſunt, ideoque ſicut rectè faciendo, Regis nomen obtinetur, ità peccando amittitur. Nam & viros ſanctos perinde Reges vocari in ſacris eloquijs, eo quod rectè agãt.* Quare decantat Seneca: *Regem non faciunt opes, non veſtis tyriæ color, non auro nitidæ trabes. Rex eſt, qui poſuit metus, & diri mala pectoris, quem non ambitio impotens, & nunquam ſtabilis fauor vulgi præcipitis mouit; qui tuto poſitus in loco, infra ſe videt omnia.* Vides quam graphicè Poeta ſolos ſanctos Reges conſtituit? Regnumque trãsfert ad Sanctos?

D. Iſid. de Sũmo bono lib. 3. cap. 48.

Seneca in Thyeſte

10 Inſtabis autem. Quo pacto Sancti di cendi ſunt Reges, cum ſe ſeruos eſſe profiteantur? En magnum Paulum, vas ſanctitatis, & electionis, ſeruum ſe profitentem, dum ad Romanos ſcriberet. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.* Si ſerui, quomodo Reges, cum ſerui ſeruire, Regis ſit imperare? Si prout expedit Pauli verba perpẽderis, rectè percipies Sanctos Reges eſſe, non ſeruos. Minimè enim ſe ſeruum ſimpliciter dicit, ſed adijcit *Ieſu Chriſti.* Serui autem Chriſti Reges ſunt, & non ſerui. Audi Petrum Lombardũ. *Nè miſera ſeruitus videatur, nõ ſimpliciter ait ſeruus, ſed addidit Ieſu, cui ſeruire regnare eſt.* Quare ait Sanctiſſimus Leo: *Quid enim tam regium, quàm ſubditum Deo animum, corporis ſui eſſe rectorem?*

Rom. 1. 1.

Magiſt. ſent. ibid.

D. Leo ſer. 3. in Anniuer.

11 Cum itaq; dicitur Chriſtus ad menſam ſuam non, niſi Reges, excipere, per Reges (dicam iterum) ſanctos intellige. Quod & Patriarcha Iacob, dum Aſer benediceret, vidit. *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.*

Gen. 49. 20.

Aſer,

Aſer, ideſt Chriſtus (nam quia Aſer Beatitudo transfertur, typus Chriſti eſt, in quo eſt omnium beatitudo, cùm in terra degentium, tùm in cœlo lætantium) panis, videlicet Euchariſticus, pinguis eſt, & præbebit delicias Regibus. Quibuſnam Regibus? Sãctis, & ſpiritualibus viris, qui verè ſunt Reges. *Aſer*, inquit Hugo, *ideſt Beatus, & ſignificat Chriſtum, qui eſt beatitudo Sanctorum. Panis eius dicitur pinguis ab effectu, quia impinguat pinguedine charitatis, & dilectionis. Et ipſe eſt deliciæ Regum, ideſt virorum ſpiritualium.*

*Hugo Cardin. in c. 6. Ioan.*

## THEOREMA II.

### Paraſti.

*Deus ad nos adueniens, ſtudioſo à nobis excipiendus eſt apparatu.*

SI nobis, ceu Regibus, & Principibus, cœleſtem parauit Dominus menſam, vt per ſacram Communionem animas noſtras inhabitet; quali nos apparatu præueniri debemus ad excipiendum in nos hoſpitẽ tã ſanctiſsimum? diuiniſsimum? cui cęli ſedes parua? mundi habitatio immunda? ſordet quæuis alia domus?

1 Auctor eſt Lucas, quod Chriſto Regum Rege, Marthæ domum ingreſſo, Martha *Satagebat circa frequens miniſterium*. Si ritè, ac ſtudioſe verbum *Satagebat* expenderis, nil aliud ſignificare dignoſces, quàm affligebatur, torquebatur, ſeu, vt Græcus habet, *diſtrahebatur*. Hac in re Martha pauperis inſtar effingitur, qui magnum Regem hoſpitaturus, aut Principem, nec domi quidquam habens illius dignum hoſpitio; amaricatur, affligitur, torquetur. Quod tamen de Martha, vtpote ditiſsima, dici nequaquam poteſt. Erat enim Bethaniæ Domina, quę illi, patre decedente, contigerat; ſicut Marię Magdalon, vnde dicta eſt Magdalena. Non ergo ei deerant magnifica, pulchraq; domus, ſeruorum, & ancillarũ ſedulitas, miniſtrorum obſequia, ciborum copia, regia ſupellectilis: demum illud omne, quod ad Regem excipiendum exquirebatur. Vnde ergò mœrebat? torquebatur? diſtrahebatur? *Martha*, reſpondet Ianſenius, *Satagebat circa frequens miniſterium, ideſt anxie torquebatur, diſtrahebatur, ſiue diſtendebatur; ſurſum, ac deorſum currens: ac ſollicitè ſatagens, nè quid omnium deeſſet, quæ ad ſuaniter excipiendum tantum hoſpitem*

*Luc. 10. 40.*

*Alia Lectio.*

*Ianſ. Cõc. Euang. c. 82.*

*pertinerent. Demonſtrauit ſe & amare, & reuereri Dominum, cui digne excipiendo tota eſſet intenta, nihil ſatis eſſe putans.* Cognouit Martha, ſe non hominem ſolum excepiſſe, ſed & Deum; ideo nullarum opum apparatum, & pompam ad eum hoſpitandum ſufficientem exiſtimauit. Tali ſanè apparatu debet excipi Deus, dum ad nos diuertit; ſanè nec omnes mundi opes, noſtrę ditioni ſubactę, ad eius apparatum ſufficerent.

2 Si Legis Sacerdotem ſacris vidiſſes indutum, gemmis, auro, cocco, purpura, byſſo, iacintho, circumquaq; nitentem, obſtupuiſſes quidē, ſpiritum amiſiſſes. Sic enim eum Deus, vt ad ipſum accederet, mādauit apparari. Cur tantus apparatus? Vt ex eo ſcires, qualis tibi, ac quanta, cum ad eum accedis, opus ſit præparatio. Oleaſtrum audi. *Mirum valde eſt quanta ambitione voluerit Dominus Sacerdotes miniſtros ſuos parare, antequam illi præſtarent munus obſequij. Quo nos voluit admonere paratos eſſe, & circumſpectos cū ad Dei obſequium vocamur, aut noſtra ſponte accedimus.* Dedecet Chriſtianum tantum Regem, tantum Dominum, Regem regum, dominantium Dominum, debito non excipere ſtudio. De Sanctiſſima Catharina Vergine Bononiēſi, D. Claræ aſſecla, memini me legiſſe; non modo, vt non indigne Communionem acciperet, animam pręparaſſe, ſed & corpus identidem. Eo enim die, velut ſponſa ad ſponſum itura, diligenti ſtudio nobilioribus apparabatur induuijs, pretioſioribus veſtibus, rebuſque pulchrioribus.

*Oleaſt. in cap. 29. Exod.*

*In vita B. Catharinę Bonon.*

3 Cur Deus totius opifex (quęrit Nyſſenus) poſtquam cœlum fecit, & terram, quęue cęlum ambit, & terra cōtinet, plaſmare voluit hominem? Quorſum nobiliorem, diuiniorem creaturam, omnium prętantiſſimam, omnibus dominaturam, poſtpoſuit omnibus? Reſpondit. *Conſentaneum non erat Imperatorem exiſtere prius, quam eos, quibus eſſet in poteſtate præfecturus. Idcircò vniuerſitatis huius Creator, ei, qui imperaturus erat, quandam ſedem regiam præſtruxit: ea verò terra erat, & inſulæ, & mare, & ipſū cęlum, quo hæc omnia tamquam tecto concamerantur; atque ijs in palatijs omnis generis opes conditæ ſunt.* Ideſt, idcircò Deus in opificio mundi rebus omnibus poſtpoſuit hominē, quia nobilius quid, ac præſtantius futurus erat, omniū Princeps, & Dominus. Vnde conſentaneum fuit, prius vniuerſum conſtruere, ex quo cœ-

*D. Greg. Nyſſ. de Homin. Opif. c. 2.*

cœlum, & terra, aulæ concamerataæ gereret uicem, illius habitaculo cōgruentis; queq; cęlum, & terra detinent, opū, & ſupellectilis; mox verò illum, rebus his apparatis, procreare. Si Deus omnipotens pro homine excipiendo, pro homine inquam, luteo, caduco, morituro, Dœmoni ſe ſubdituro, tantæ magnificentiæ apparatum adhibuit: quali nam homo apparatu Deum debet excipere; cui ipſe collatus, iumentum eſt? vermis eſt? nihil eſt?

4 Totum orbem commotum, diſtractum, diſcurrentē hinc inde, recolunt ſacra eloquia, dum Deus Moyſem cōpellaturus deſcendit in Sina. Sedulò diſcurrebant fulmina, ignis vndique emicabat, volabant per aera nubes, à mulierum conſuetudine ſe Hebræorum plebs continebat, ab omnibus voluptatibus ſe temperabat, crebris aſperſionibus ſeſe per triduum expurgauerat, veſtibuſque aſtabat ablutis. Ad quid tanta rerū, hominumque commotio? Aduenientem Dominum dignè pro poſſe recipiendum. *Nam par erat*, inquit Philo, *vt Dei aduentante potentia nulla mundi pars conquieſceret, ſed omnes concitatæ illi ſedulo inſeruirent.* Tantæ molis eſt aduentus diuinæ maieſtatis in terrā, quod pro eo excipiendo, proque eius ſede apparanda, totus mundus diſtrahitur, confunditur, angitur. Vt te ſaltem muta elemēta docerent, quali, & qnanto apparatu excipere Deum debeas, dum è ſacro altari tuam venit in animam.

*Philo Hebr. de Decal. Præcep.*

5 Per noctem integrā olim luctauit Iacob cum Angelo, illumque adeo tenaciter vinxit, vt cum ſe nulla ab illo ſolui poſſet vi, preces aptaret rogaretq; eum. *Dimitte me.* Aduerte autem Angelum minime noctu rogitaſſe Iacob, vt ſolueretur, ſed cū iā aurora illuceſceret. *Iam enim* inquit *aſcendit aurora.* Quarę dum nox eſſet, & tenebræ, dimitti non petijt? ſed vbi lux affuit, & effulſit aurora? Reſpondet Oleaſter. *Nolebat cognoſci quantum ad effigiem: nolunt enim ſuperni ciues, ſe tam palam oſtendere, ne familiarius cognoſcantur.* Libenter cum Iacob conuerſabatur Angelus, dum ab illo cognoſci caligines prohibebāt, & tenebræ. Poſtquam autem aduenit aurora, effulſitq; dies, nè cognoſceretur ab homine, & familiaritatem iniret, orauit dimitti. Quod idcircò cauit, quia familiaritas, vt vulgo dicitur, parit contemptum. Hoc identidem fuit, quod à primis annis in ſpeluncis, & antris deſer-

*Gen. 32. 26.*

*Oleaſt. ibid.*

deſerti Dei præcurſorem occluſit. Ne, inquit Metaphraſtes, *euaneſceret in eum populi reuerentia, vt quæ offuſcetur cõuerſationis aſſuefactione.* Et ex hoc pariter coniectandum, quod dum Chriſtus eſt in altari, tot, tantiſque inuolucris noſtris occultatur ab oculis, ne quotidie viſus, familiaris fieret, habereturque contemptui. *Nouit Dominus*, ait Oleaſter, *hominum curioſitatem, & quàm facilè in contemptum veniant, quæ nobis ſunt familiaria: ideoque, licèt delicias duxerit, eſſe cum filijs hominum, voluit tamen ab eis multis operculis occultari.* Vult Deus à nobis, qua decet, magnificentia, & pompa tractari; idcircò cũ nobiſcum eſt, familiaritatem noſtram, vt ſuam ſeruet maieſtatem, effugit. Cæſar Auguſtus à quodam parca, & pene quotidiana cœna inuitatus, cum à conuiuatore dimitteretur, non parum indignatus, hoc illi ſuſurrauit. *Non putabam me tibi familiarem.* maieſtatis ſuæ contemptum ex familiaritate cognoſcens. Vult ergo Dominus regali pompa in noſtram animam recipi, dũ noſtram familiaritatem deuitans, ſe ſub panis, vinique ſenſibilibus occulſit in altari.

*Metaphr. apud Lip. 29. Aug.*

*Oleaſt. in c. 26. Exodi.*

*Apoph. lib. 4.*

6 Audi quę Deo inquit regius Vates. *Pſallam, & intelligam in via immaculata. Quando venies ad me?* Domine (ac ſi caneret) in domum meam ueni: quæſo nè longa ducas molimina, nè te diu expectãs, diú crucier, angar, affligar. Quando demum aduenies? Magna hominis confidentia, Deum ad ſe aduocantis. Vndenam Vates tali, ac tanta fiducia diuinum præſtolabatur aduentum? neue moras traheret, obſecrabat? An ne familiaritas, & conſuetudo cum Deo ſuo ſuppeditabat fiduciam, vnde Deum, vtpote familiarem, familiariter excipere propoſuerit? Abſit hoc de tanto Propheta, minime Dei maieſtatis ignaro. Sciebat Deũ nõ, niſi pro ſua maieſtate, à familiaribus etiã excipi, & hoſpitari. Vnde ſeipſum regaliter diſpoſuerat, regaleſq; aulas extruxerat. *Talem enim hic admirabilis vir puritatem habuit, vt cum fiducia ad Deum clamaret: Quando venies ad me? Videlicet. Regales aulas inſtructas tibi præparaui, tuum aduentum Domine expecto.* ait Theodoretus. Nemini datum eſt ſine magno, & regali apparatu, in ſe illum recipere, qui nullibi maieſtatis obliuiſcitur ſuæ.

*Pſ. 100. 2*

*Theodor. ibid.*

7 Apparatus modo venit conſiderandus, quo Dominũ Ieruſalem plebs Hebræorum excepit. Scribit enim Matthæus. *Plurima turba ſtrauerunt*

*Mat. 21. 8*

*runt veſtimenta ſua in via; alij autem cedebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.* Quod certè ad decorem, & ſplendorem viæ, per quã Rex Chriſtus tranſibat, factum, arbitrandum. Sic enim mundus Regem, aut Principem excipit. Alexandro Babylonem ingreſſuro Bagophanes arcis, & regiæ pecuniæ cuſtos, *Totũ iter floribus, coroniſque ſtrauerat, argenteiſque altaribus vtroque latere diſpoſitis, quæ nõ thure modo, ſed & alijs odoribus cumulauerat.* tradit Curtius. Tũ, vt cenſet Paſchaſius, *Nè aſellus, in quo ſedebat, terram calcaret nudam.* Quia deuota plebs, à Spiritu Sancto edocta, diuinam aduenientis præſenſerat maieſtatem, quali pompa poterant ſummum omniũ Regem ſatagebant excipere. Idcircò viã eius floribus, frõdibuſque ſtrauerunt, non modo vt nihil turpe, indecorum Saluatoris obijceretur obtutibus; verum & nè, quo ferebatur, aſellus, terram nudam attingeret, lutoque fœdaretur, & puluere. Quod ad maiorem honorem excogitatum eſt. Ex quo tecum ipſe recogita, quid facturi eſſent, ſi pedeſter, vt conſueuerat, aduenıſſet. Cum pompa, & maieſtate ſuſcipiendus eſt Dominus, viæque eius non emundandæ tãtummodo, ſed et pro poſſe exornandæ, cùm ad nos diuertit: vt puriſſima eius lumina non tantum nihil ſit, quod lædat; ſed & multum ſit, quod delectet.

*Quint. Cur. lib. 5*

*Paſch. in cap. 24. Matt.*

8. Quod autem Corinthijs ſuadet Apoſtolus, *Os meum patet ad uos ò Corinthij, dilatamini & vos*, non eſt ſilentio prætereundum. Quò enim talis dilatatio reſpicit, quæ ab electionis vaſe tanta cura committitur? Audi quid ſubiungat Hieronymus *Nè anguſtia pectoris non poſſitis habere hoſpitem Chriſtum.* Hoc eſt. Dum Regem Chriſtum, vt in cordibus veſtris inhabitet, ꝑſtolamini, ea pro poſſe dilatare, & ampliare debetis: minimè enim hominem expectatis, cui loculus quiſque ſufficit; ſed Deum magnum, immenſum, maieſtatis immodicę, quem cœlum, & terra, quęque ſunt extrà cœlum; non poſſũt excipere. Quibus, quali apparatu diſponi ſe debeat anima, Saluatorem exceptura, ſignificat. Cum enim adeo magnus ſit, cuncta, quæ illũ excipiunt, magna eſſe, neceſſe eſt. Magna fides, magna charitas, magnus exceſſuum dolor, magna puritas, & mundicies. *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Exclamat Rex Dauid.

*Corint. 2. 6.*

*D. Hiero. in cap. 60 Iſa.*

*1. Paral. 29. 1.*

9. Demum hoc illud eſt, quod Dominus turbis He-

bræo-

bræorum explicuit, quas poſt eum ſolus venter alliciebat. Ioan. 6. 27. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Vbi, vt clarè patet, de pane euchariſtico loquitur, quem ab eis expeti maluiſſet, quàm caduci ventris eduliũ. Sed ſi loquitur de euchariſtico, quare ait: *Operamini cibũ?* Quale opus, qui labor, qualis ſudor, ad operandam Euchariſtiam impenditur ab hominibus? Solus Chriſtus, vt eam conficeret, laborauit, ſanguinem ſudauit, agonem ſubijt, vapulauit, Cruci confixus eſt, & defunctus. In altari etiam non hominis; ſed Chriſti manus inuiſibiliter extenſa tantum conficit Sacramentum. Si nihil operis impendunt homines, cur Chriſtus ait hominibus: *Operamini?* Audi reſponſum Ianſenij. Iaſ. Concord. Euãg. c. 59 *Quod dicit operamini, hunc habet ſenſum. Operam veſtram, & laborem hùc impendite, vt non aſſequamini cibum pereuntem, ſed cibum permanentem: vt ſignificaret, labore, & cura veſtra parari cibũ animæ.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Opus, & labor, qui pro ſacro pane mandatur, minimè ad eius confectionem, ſed ad confecti aſſecutionem, impendẽdũ eſt. Nec enim oſcitanter, & otioſe, reſolutique ſopore, veſci eo poſſumus: ſed vſque adeo diſponendi ſumus, ac præparandi, vt multo labore ſudemus, nec quidquam operis omittamus, quod ad aduentus Dei apparatum conſentaneum eſt. Quid aliud quæſo dixit Dominus Adæ, cum *In ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris pane*, quàm quod Gen. 3. 19. conculcauit Hebræis? *Dicit Dominus ad Adam*, ait D. Iuſtus; D. Iuſtus in Cant. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Non enim qui vitio, vel ſopore inerte reſoluuntur, ad illius panis; qui de cœlo deſcendit, eſum citò perueniunt; ſed qui ſanctis laboribus inuigilauerint, ipſi eum reperiunt.*

## THEOREMA III.

### In conſpectu meo.

*Indignus eſt veſci Chriſto, qui non eſurit, nec ſitit Chriſtum.*

NEquaquam Deus omnipotens ſuam Prophetę menſam appoſuiſſet, niſi ſui ſitibundum agnoſceret. Propheta ille eſt, qui præ nimio Dei deſiderio, ad Deum proclamat ardenter. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Pſ. 41. 2. Certum eſt ſacra Chriſti myſteria tũc di-

dignè ſuſcipi, cum feruentiſſime flagitantur. Indignus eſt veſci Chriſto, qui nō ſitit, nec eſurit Chriſtum.

1 Cum non curet Eccleſia, vinum, quod in ſanguinē conſecrat, album ſit, aut rubrum, ſiue alterius cuiuſcunque coloris: vnde quæſo eſt quod in conſecratione corporis, pane candido vtitur? Ex pane cuiuſcunque coloris, ſi neceſſitas fuerit, fieri nō prohibetur ſacrum Chriſti corpus, tamen citra neceſſitatē, candidum quotidiè conſueuit afferre. Vt nihil ſit in hoc ſacro, quod famem non acuet, deſiderium non excitet, conuiuantes non attrahat. Sanè non modo non acueret deſiderium, ſed etiam minueret ſi forte nigrum offerret. En tibi Algerum. *In candido pane conſecratur magis corpus Chriſti, quam in nigro. Sicut enim mucor, & vetuſtas in tali Sacramento prohibentur, ne irrogent ſumentibus faſtidium: ſic in eo nihil debet eſſe, quod ſumendi minuat deſiderium.* Quia ſuper cœleſtis panis deſiderium ſuis quærit in conuiuis, nihil non eſt in eo, qnod deſideriū non excitet, non acuet, non afferat.

*Alger. de Sacram. lib. 2. c. 6*

2 Ad Sanctam Synaxim properabat Sponſa, cùm diceret Dilecto: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnguenta ſunt vtiq; ſacra Chriſti myſteria, ex eo confecta, cui nomen eſt oleum. *Oleum effuſum nomen tuum.* Hinc inſtar vnguenti, vnguentorum, aſſeruantur in vaſculo, cui vulgo nomen eſt pyxis. *Pyxides*, ait Iſidorus, *vaſa ſunt vnguentaria.* Videndum autem, quare Sponſa ad ſacram mēſam accedens non deambulat, aut lento paſſu graditur, ſed currit. *Curremus.* Vt, inquam, digna eſſet diuiniſſimis epulis: indignum Chriſto exiſtimans, quicunque non currit ad Chriſtum. *Natura rerū*, ait Bonauētura, *perſuadet currere, ſi non curris, non es dignus accipere.* Concitato curſu, tāquam ceruus ad fontes aquarū, properare debes ad Chriſti myſteria. Si non curris, te ea non eſurire, nec in pretio habere, ſignificas, propter quod exiſtimaris indignus.

*Cant. 1. 3*

*D. Iſid. Etym. li. 20. c. 21.*

*D. Bon. in c. 9. Lucæ.*

2 Sanè notum eſt cunctis, nunquam Deum Hebręis Angelorum eſcam pluiſſe, *Ecce ego pluam vobis panem de cęlo*, niſi vbi eſurientes aduertit, eiulantes, panemq; lacrymis expetientes. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate.* Cur (quærit Cyrillus) prius quam eſurirent, & panem expeterent, nunquam illis dedit

*Exo. 16. 4.*

D. Cyrill. lib. 3. c. 34. in Ioan. Dominus manna? *Conuenienter*, reſpondet, *petitionem, clamoremque illorum expectatum fuiſſe: tunc enim gratiſsimum ſolet videri beneficium, quando magno ardore petitur: aliter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoſcit*. Hoc eſt. Cum Deus nobis ſua munera impertit, eorum magnitudinem, & excellentiam vult nos agnoſcere: nam, quod neſcitur, tametſi pretioſum, & magnum, negligitur, non expetitur. Ad hanc autem agnitionem niſi eorum inopia preſſi, non cogimur. Oportuit ergo plebẽ Hebræorum inediam pati, deſideraſſe, perquiſiuiſſe panem, vt panem Deus plueret illis è cęlo. Sed hæc omnia tendebant in Euchariſtiã, In Offic. Corpor. Chriſti. quæ cum à Deo datur, *Datur manna patribus*. Indigni eã ſunt, qui eam non eſuriunt, & deſiderant: tales ſiquidem tãti muneris magnitudinem, & excellentiam ignorant; neque, vt par eſt, æſtimãt, & magnifaciunt. Sanè ijs euchariſticum donum idẽ eſt, quod ſuibus margaritæ, vetitæ illis à Domino: Matt. 7. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*.

4 Quam pulchrè ait Pſaltes, ignem Deum iter facientem præcedere. Pſ. 96. 3. *Ignis ante ipsũ præcedet*. velut ſi ignis diuinæ maieſtatis præcurſor foret, Perſarumque Regum inſtar Deus incederet, qui, ſi quando mouenda erant caſtra, ignem, quẽ ipſi ſacrum, æternumque vocabant, argenteis præferebant altaribus, vt videre eſt apud Cœlium. Sed Cæl. Rod. lib. 8. c. 2. hos ignis anteibat, vt Deus; Deum autem, vt famulus, & miniſter. Nullibi Deus hoſpitari conſueuit, & commorari, quò nõ præceſſerit ignis, hoſpitium calefecerit, ſuique ſitim accenderit. Ab eo poſſidetur Dominus, in quo eius præceſſerit deſiderium. Audi Bernardum. D. Bern. Ser. 31. in Cant. *Ignis ante ipſum præcedet. Oportet namque, vt ſancti deſiderij ardor præcedat faciem eius ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus, qui omnem conſumit rubiginem vitiorum, & ſic præparet locum Domino*. Quod probè ſciens Auguſtinus, hæc Deo inquit. *Te igitur clementiſſime Deus inuoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex deſiderio, quod inſpiras ei*. D. Aug. c. 3. Manual.

5 Poterat proculdubio Dominus mane Euchariſtiam facere, ſicut & fecit in veſpere: vnde quemadmodum eam nunc cœnam nuncupamus, vocaremus prandium. Noluit autem in mane, Sed ſerò, vt cęna vocaretur, non prandiũ. Quorſum potiùs cœna, quam prandium? Memini me hac de re quædam alias ſcripſiſſe:

pro

pro eo autem, quod hoc exigit inſtitutum, factum reor, quia nos famelicos, & ſitientes voluit ad ſacram menſã accedere: eam nempe deſiderantes, expetentes, vt ad cœnam acceditur: cum tamen ad prandium homines, priuſquam fameſcant, accedere conſueuerint. *Romani*, inquit Plutarchus, *per prandium matutinam eſitationem, cibationéque innuere volunt, qua vtuntur, priuſquàm famelici fiant.*

*Plut. Probl. Sympoſ. Dec. 8.*

6 Si Iob, qua debes diligentia, dicentem audies, *Antequam comedo ſuſpiro*, de ſacra diuinorum myſteriorum comeſtione locutũ inuenies. Non enim ait, antequam caro, vel corpus meum comedit, ſed, *antequam comedo, ſuſpiro*, vt aduertas, ſe non de cibo, quo corpus, & caro nutritur, ſed de eo, quo anima vegetatur, de ſacra nempe Euchariſtia, ſermonem habere. Cæterum videamus, quorſum communicaturus ſuſpirabat. Satagebat cõmunicare, ait Gregorius, non enim communicaſſet, niſi ſuſpiria præmiſiſſet. *Suſpirat antequam comedat, niſi enim ſuſpiret, non comedet.* Sanè, cum ſuſpirium index ſit animæ flamma amoris ardentis; Iob ante comeſtionem ſuſpirans, animæ ſimulacrum eſt famelicę, & deſiderabundæ, cui ſoli datum eſt ſacram ad menſam accumbere. *Tali animæ ſuſpirando frequenter*, ait Bernardus, *imò ſine intermiſſione oranti, & afflictanti præ deſiderio, interdum deſideratus ille, qui ità quæritur, miſeratus occurrit.*

*Iob. 3. 24*

*D. Greg. Moral. li. 4. c. 7.*

*D. Bern. vbi ſupra.*

7 Scribit Ioannes, ſe ab Angelo Dei quoddam excepiſſe volumen, ceu ferculum, deuorandum. *Accipe librum, & deuora illum*; quem mox, vt datum fuit, deuorauit. *Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum.* Quare non ait Angelus: manduca, comede illum, ſed deuora? Cognoſcebat, Ioannem illum auidè eſurire, & deſiderare: id enim voratur, quod auidè deſideratur, & eſuritur. Quia verò, vt autumat Thomas, liber præſignabat Chriſtum, *Iſte liber eſt ipſe Chriſtus. In hoc libro ſcriptum fuit ſtylo clauorum perforantium manus, pedes, & latus; & ſtylo flagellorum pertrahentium ſanguinem è corpore eius*; iure optimo datus non eſt manducandus, ſed deuorandus. Nemo Chriſto depaſcitur, antequam Chriſtum ſuauiſſimum, dulciſſimum eſurierit, deſiderauerit. Et meritò: inſtar enim mellis ſapuit Ioanni. *Erat in ore meo tamquam mel dulcis.* Quare concludit Angelicus. *Hic liber deuoratur, quando magna cum auiditate ad interiora traij-*

*Apoc. 10. 9.*

*D. Thom. ibid.*

*Apoc. ibid.*

*citur, vt anima nutriatur: debet autem deuorari, quia dulciſſimus eſt.* Si communicanti deſit auiditas, ſignũ eſt, eius vel contemnere, vel ignorare, dulcedinem. Quonam igitur modo dignus erit cœleſti pane, qui præſtantiam dulcoris eius ignorat, paruipendit, contemnit?

8 Quid cenſendum de Dauide, qui de petra, à Moyſe percuſſa, modò aquam ait, Pſ. 77. 26 modò mel emanaſſe? *Eduxit* Pſ. 88. 17 *aquam de petra.* inquit in ſeptuageſimo ſeptimo, in octuageſimo autem octauo. *De petra melle ſaturauit eos.* Quid aquæ, & melli Vates ſapiẽtiſſime? quid dulci, & saporis omnis experti? Si rem hanc litteraliter conſideremus; liquor, quem lapis emiſit, aqua fuit; non mel. Vocatur autem mel, attenta diſpoſitione bibentium; quoniam immoderatè ſitientibus educta eſt, quibus ob ſitim aqua, non aqua, ſed mel, viſa eſt. *Quia,* inquit Theodoretus, *illis ſitiẽ-* Theod. ibid. *tibus mellis dulcedini ſimilis viſa eſt.* Aqua, ſitienti exhibita, mel videtur. Darius Perſarum Rex, aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam ebibens, negauit ſe vnquam bibiſſe iucundius; quia nunquam biberat ſitiens; ſed multis antea poculis, & epulis nauſeatus. Hoc dictum habeas de Sancta Euchariſtia: nam priuſquam Vates caneret. *De petra melle ſaturauit eos,* præmiſerat: *Cibauit eos ex adipe frumenti.* Vt clarè intelligas, ſacrum Domini cibum non, niſi ſitientibus, & deſiderantibus eſſe propoſitum: Hos ſolos dulcedinem eius experiri, guſtare, cognoſcere: Reliquos, qui non ſitiunt, non famescunt, quia contemnũt, *Anima ſaturata calcabit fauum,* Prou. 27. 7. indignos eſſe.

9 Expẽdamus modò quod alibi dictum eſt ab eodem, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Pſ. 118. 131. vbi per ſpiritum accipiendus eſt Chriſtus. Spiritus enim eſt. Per ſpiritum animaliter, per Chriſtum ſpiritualiter, viuimus. Ideo ſcriptum eſt. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Thren. 4. 20. Tunc autem os aperimus, & Chriſtum attrahimus, cum dignè communicaturi ſacro aſtamus altari. Verum aduerte quod ait Pſaltes attraxi, non inuitaui, aut aliud quidpiam ſimile. Quorſum attraxi? Attrahere auiditatem quandam, ſiue famẽ, & ſitim importat. Propheta verò ſignificare ſategit ſe niſi eſurientem, ſitientemque, ad Chriſtum, pane eius explendum, non acceſſiſſe. Nam, vt ait Guerricus, hunc metipſum Guer. ſer. 3. de Aduẽt. Dom. locum examinans, *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus,*

*minus, non modo inuitandus, ſed attrahendus quadam violentia precis, vehementiaque feruoris in hoſpitum cordis.* Si itaque nobis feruoris, & deſiderij vis, qua Chriſtus in cor noſtrũ attrahitur, deerit; neſcio ſi tãtum hoſpitem nobiſcũ habere poterimus. Indigni ſumus re optanda, quam non optauimus.

10 Cum introſpicerẽ Apo-
Apoc. 9. 17. calypſis ſacraria. *Vidi* cum Ioanne *Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magni Dei.* Nec me, hæc audiẽs, continere potui, quin ſic clamarem: Quid eſt Angele Dei, quod ad tuam, hominumque cœnam, aues congregas, & inuitas? Neque enim ſcriptum
Pſal. 77. eſt: *Angelorum panem manducauit auis*, ſed, *manducauit homo.* Quid, præcor, hæc cæna nulla ratione prę ditis proficit animantibus, cum in ea Dei Verbum edatur, & ſermo, quæ ſentiant, intelligant, ſapiant, corda perquirens? Dum autem ſolertiori ſtudio rem mecum ipſe perpenderem, ſentij non aues, ſed homines auium inuitari vocabulo: homines inquam, non promiſcuè cunctos, ſed eos tantũmodo, quos ſic ſacræ cænæ fames, & ſitis accendat, vt nimia quadam auiditate ad eam iugiter inhiarẽt. *Aues* (ait Rupertus) *ab auiditate comeſtionis dictæ ſunt.* Rup. lib. 1. cap. 1. i Habacc. Solas aues, ſolos auidos quærit, reficit, impinguat Eucharistica cœna.

11 Audi Chriſti Dilectam.
*Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. 3. Ijs verbis Eccleſia Sponſa loquitur de Chriſto Dilecto ſub ligni typo, quem plantauit Deus ſecus decurſus aquarum, de quo Dauid in primo: qui, vt alias diximus, fructum ſalutiferum ſui corporis, & ſanguinis dedit, ſub formis panis incluſum. Hunc ergo fructum Sponſa gutturi ſuo dulcem eſſe inquit. Gutturi ſuo, inquam, quæ deſiderauerat, velut ſi non deſideraſſet, dulcis gutturi ſuo nequaquam fuiſſet. Ex quo infert Richardus. *Non pertinere ad guttur Eccleſiæ, qui fructum hunc non eſurit.* Rich. à S. Laur. de Laud. B. B. Mar. Vt fidelis habeat Eccleſiæ guttur, cui fructus euchariſticus ſapit, dulceſcit, debet eum eſurire, & cupere. Qui non deſiderat, non eſurit, non habet guttur Eccleſiæ; non eſt de corpore Eccleſiæ. Huic tanquam ethnico, & infideli, longè à ſinu Eccleſiæ poſito, appoſita non eſt menſa cœli, ſed ſolis deſiderantibus, & eſurientibus.

12 Dum pauperes Dauid ad

*Pſal. 21. 27.* ad menſam altaris inuitat, *Edant pauperes, & ſaturabuntur,* Euchariſtiam eleemoſynam reputat. Certè eleemoſyna eſt. Nam, quemadmodum *Petr. Damia. ſer. 71.* Eleemoſinę vox Deum includit (El, à quo incipit, vt Damianus aduertit, Hebraicè Deus eſt) ſic & Euchariſtia ſub formis, quas præfert, Deū viuum, & verum verè, & realiter habet. Itaque ait Rupertus: *Rup. in c. 6. Ioan.* *Edant pauperes grandē eleemoſynam Regis Regum, quā dat ipſe, non aliam, quā ſe ipſum.* Dicitur autem eleemoſyna ex eo præcipuè, quod non ſecus ac eleemoſyna, non, niſi eſurientibus, impertitur. Aduertit hoc Virgo Deipara, & *Luc. 1. 53* cecinit: *Eſurientes impleuit bonis.* Qui (ac ſi diceret) bonis euchariſticis adimpleri prætendit, pauper ſit, eſuriat, cupiat illa. Eſurientes Deus illis impleuit. Si non cupiat, nō eſuriat, ſed, vt diues faſtidiat, *D. Aug. in Pſ. 21.* dimittetur inanis. *Diuites dimiſit inanes. Beati pauperes,* loquitur Auguſtinus, *qui ideo edunt, vt ſaturentur. Qui autem diuites ſunt, non ſatiantur, quia non eſuriunt.*

13 Hebræis in lege preceptum fuit agnum cōmanducare, quatenus non tepidè, & lente; ſed cum feſtinatione, vt deuorantium more, ſe haberent in menſa. *Exod. 12 11.* *Comedetis feſtinanter.* Scio, ab aliquibus primo aſpectu poſſe cenſeri, Deum voracitatem, & ingluuiem, carnis, & ventris curam hoc mandato populū docuiſſe. Nam, quemadmodum temperantia lento ore, & maturo dente maſticare docet, & ruminare; ſic gula feſtinanter comedere, & deuorare. Voracitatem quidem Deus plebē ſuam edocuit; at non eorum, quæ ventris, ſed quæ mentis, ſunt; carnium, non beſtiarum, ſed agni immaculati, Chriſti filij ſui, cuius agnus ille figura erat præcipua, vel inter præcipuas. Præfigebantur tunc leges comeſtionis euchariſtici cibi, quem nō, niſi eſurientes, & præ eſurie deuorantes, digni ſunt manducare. *Quod autem,* ſcribit Gaudentius, *dicit, cum feſtinatione illum manducandum, præcipit nè lento corde, & ore languido Sacramentū Dominici corporis ſumamus; ſed cum omni auiditate animi, quaſi verè eſurientes, & ſitientes.* *D. Gaud. ſer. 2. de Agno Paſch.*

14 Cur Deus in lege veteri tot, ac tanta inſtituit ſacrificia, & holocauſta; quot & quanta videre eſt in Leuitico: cum in lege noua vnum tantum inſtituturus fuerat corporis, & ſāguinis Chriſti? Autumat Algerus id factum, vt videntes homines nullum ex tot, tantiſque ſaluti eorum ſufficere, euchariſticum ſacrifi-

fi-

ficiũ magis deſideraret, quod futurum erat ſufficientiſſimũ. *Sciendum, quod ideo Deus tàm multa ſacrificia dedit in lege, vt nullum eorum ſufficiens eſſe oſtenderet; quia cætera eſſent ſuperflua ſi vnum ſufficere poſſet, vt vnum ſuum ſufficiens magis deſideraretur.* Vides quali eſurie, quali ſiti, quo deſiderio velit Dominus ſuũ Sacramentum expoſci, quod à primioribus mundi diebus hanc famẽ, hoc deſideriũ in hominibus excitauit. Nefas cenſuit deſiderabilem panem ſine deſiderio comedi.

*Alg. de Sacram. lib. 2. c. 3*

15 Quocirca ait D. Bernardus: *Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ: attolle deſiderium, altus eſt.* Perpende quo pacto fructum euchariſticum, qui dat vitam mundo, quærit Doctor Mellifluus. Eo quia Domine (inquit) ſãctum fructum, & pretioſum carnis tuæ perinde erexiſti, vt ad eum nequeã, niſi per magnum, & altum deſiderium peruenire: quid faciã miſer, quia ſerpit deſiderium meum? conficiar eſurie? moriat fame? Attolle tu Deus illud, & altum fiet, ſicque tàm altum, & dulcem fructum attingam, & capiam; eoq; delicier & reficiar. Vide ex hoc, nullum aliud iter ſupereſſe nobis, quo tam altum fructum colligere valeamus, præter animæ famem, eſuriem, deſiderium.

*D. Bern. apud D. Thom. Opuſ. 60.*

## THEOREMA IIII.

### Paraſti.

*Sacrum Chriſti Sympoſium ſpiritualium deliciarum Cornucopia.*

DVm ait Vates *Paraſti in conſpectu meo menſam,* idem eſſe, ac ſi diceret, autumat Genebrardus; *Tu me alis liberaliter, & ſuauiter, imò ſumptuosè, lautè, & magnificè, & ad voluptatem.* Rectè quidẽ: tot enim deliciæ, tot voluptates, tot ſuauitates experiuntur in euchariſtica menſa, vt meritò deliciarum omnium ſpiritualium Cornucopia ſit æſtimanda.

*Genebr. in Pſ. 22.*

1 Idcircò putarim Propoſitionis panes Euchariſtiam prætuliſſe, quia facierum panes, à Dei facie, vt Abulenſi arridet, dicebantur. Dei enim faciem habet Euchariſtia, vnde denarij inſtar efficitur, *Quia*, ait Auctor Gemmæ animæ, *& in denario imago, & nomen Imperatoris exprimitur.* Habet autem Dei faciem non impreſſam ſolummodo, ſed & incluſam: includit namque Chriſtum, qui Dei facies eſt, quatenus Deum repræſentat,

*Abul. in 1. Reg. c. 21. q. 10.*

*Auct. Gẽ. anim.*

vt

vt facies hominem. Quemadmodum itaque bonum omne, quod concupiſci poteſt in cœlo, & in terra, Dei facies exhibet, vnde dictũ eſt Moyſi Dei faciem expetenti: *Ego oſtendam omne bonũ tibi?* Et populo bonorum omnium indigẽtiam promerenti, *Proÿciam vos à facie mea. Ideſt*, ait D. Thomas, *ab omni bono, quod eſt in cœlo, & in terra;* ſic Sancta Euchariſtia bonũ omne, quod in cœlo ſit, & in terra, videtur habere, vt nihil ad ſpirituales delicias & voluptates concupiſcibile ſit, quod non proferat affluenter. Dei faciem habet, omne bonum habet.

*Exo. 33. 18.*

*Hier. 7. 15.*

*D. Thom. opuſ. 58. cap. 25.*

2 Mirum quidem eſt, ait Cyprianus, cœli, ac terræ Dominum, totius gloriæ Regem, cui cuncta viuunt, & ſeruiunt, in humili, dum naſceretur, iacuiſſe pſepi, nullis marmoribꝰ ſtrato, nullis decorato diuitijs, nullis ornato aulęis; qbus Regum domus nitent, & admirantur. Sed ſi hæc (addit) adfuiſſent, fuiſſent tamquam non eſſent. In ſolo enim puero omnium collectio continebatur, & nitebat bonorum. Quod ſi ibi fortè, & tu cum Matre, & Ioſeph aſtares, minimè ab eo oculos potuiſſes auertere, & aliud ſpectari, quamuis magnum, & pulchrum. *Ornamenta, quæ deerant, & ſi adeſſent, non haberẽt oculos inſpectores: quia præſentia paruuli ſic horum, qui aderant, Ioſeph, & ſi forte alius ibi erat, oculos occuparet, ſic illũminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in hoc ſũmo bono omnium bonorum vnita collectio videretur: nec opus eſſet vagari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat.* Quia verò, vt ait Chryſoſtomus, *Hæc menſa vicem explet præſepis; nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem faſcijs inuolutum, ſicut tunc, ſed vndequaque Spiritu Sancto conueſtitum;* eundem nos habemus in altari, quem in domo panis Ioſeph habuit cum Deipara. In vno igitur ipſo bonorum omnium collectione fruimur, nec opus erit nobis aliud aliunde perqrere, & mendicare. Sanè tãta affluentia omnimodas voluptates hæc menſa ſuppeditat, vt nihil concupiſci poſſit, quod non præbeat conuiuantibus, quibus in vno *Omnium bonorum vnita collectio eſt.*

*D. Cypr. de Nati. Chriſti.*

*D. Chryſoſt. Orat. de B. Philog.*

3 Cæterum attende, quod cum Chriſtus Apoſtolos ad propalandum Euangeliũ mitteret, *Præcepit eis, nè quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs;* ac ſi eis virga eorum neceſſitatibus, & voluptatibus ſola ſufficeret. Quænam erat hæc virga tãtæ

*Matt. 6. 8*

vis,& virtutis, vt nihil eam habentibus deeſſe poſſit? Ipſemet Chriſtus, qui talia loquebatur, Qui ſecum Chriſtum habet, omnia ſecum habet; quia Chriſtus eſt omnibus omnia. Ecce Paſchaſiũ. *Nihil ferendum in via, niſi virgam tantum, mandatur: ex cuius profectò poteſtate, quæ neceſſaria ſunt adfutura, nulli Doctori fidelium putandum eſt deficere. Ipſa eſt enim virga de radice Ieſſe, quam Moyſes olim ſecum tulit, & in cuius poteſtate plurima ſignorum geſſit.* Quia verò hæc virga, ſalutari fructu fæcunda, communicanti ſacro præbetur ex altari, quidnam illi deſiderabilis, quid boni, quid, quod amplius concupiſcat, deficiet vnquam?

*Paſch. in cap. 10. Matt.*

4 Gregorius Nyſſenus Geneſis illud expendens, *Ex omni ligno Paradiſi comede*, cẽſet, Deũ nequaquam de omnibus Paradiſi plantis eſſe locutum, quaſi Deus eorum omnium eſum impertiret Adamo; ſed de ligno vitæ ſolummodo: ꝙ omne lignum dixit, quia omnia bona reliquis diſtributa, in ſe vno continebat vnita. *De omni ligno, inquit Deus, quod eſt in Paradiſo veſceris. Quis homini rectè eſurienti fructum ligni illius de Paradiſo tribuat, quo bonum omne comprehenditur, & quod oratio diuina omne nuncupat? Nam latiſſimè certè & eximia illa voce cognata inter ſe bonorum ſpecies omnes continentur, in quo vno boni adeo totius vniuerſitatem exiſtere ſignificatur.* Ex eo autẽ, quod per lignum vitæ, Dei intelligitur Sapientia, *Lignum vitæ eſt apprehendentibus eam*, quæ, dum miſcet vinum, & euchariſtiam menſam apponit, ſe ſub ſpecie panis, & vini potabilem, & eſibilem facit; clariſſime innuitur, in Sacra Euchariſtia vniuerſitatem bonorum omnium, quæ ſub cœlo, in cœlo, & ſupra cœlum ſunt, contineri. Ait proinde Iuſtinianus: *Cur non delectet Chriſtus, cum in ipſo vniuerſa delectabilia ſint? Si te pulchritudo delectat, vtique præ filijs hominum ſpecioſus eſt forma. Si poteſtas placet, poteſtas eius poteſtas æterna. Si tuum diuitiæ mulcent affectum, gloriæ & diuitiæ in domo eius. Et, vt cuncta paucis explicem, omnium plenitudo donorum, qui in eo diffuſa eſt, delectabilem, & valde charum illum reddunt hominibus.*

*Gen. 2. 16*

*D. Greg. Niſſ. de Hom. Opiſ. cap. 29.*

*Prou. 18.*

*B. Laur. Iuſt. faſcic. Amor. c. 6.*

5 Recordare quæſo, Chriſtum apud Matthæũ ſub nuptiarũ typo, quas homo Rex filio ſuo fecit, ſuum explicuiſſe conuiuium. *Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Certum eſt hunc hominem, quem in hac parabola Chriſtus hominem

*Matt. 22. 2.*

minem facit, & Regem, Deum eſſe cœli Regẽ, & terræ. Neq; obliuiſcaris, quod dum ipſemet Chriſtus eundem Deum apud Lucam, cœnam magnā exhibentem, proponeret, hominem tantum appellat. *Homo quidam fecit cœnam magnā.* Sed cur hic homo tātum, cum ibi ſit Rex, & homo? Propterea, quod ibi magnam, & admirandam delectabilium omnium affluentiam, qua in mēſa Eccleſiæ fruitur anima, vbi corpus eius editur, & ſanguis bibitur, ſategit innuere. Quod ſatis innuit, dum à Deo Rege præparatā enuntiat. Quēadmodum enim menſam Regum terræ bona cuncta premunt, quæ parturit terra; ſic & in menſa Regis cœli, & terræ nihil non eſt, quod ferat cœlum, & terra. *Audiſti Dei conuiuium*, ait Chryſologus, *ſollicitus non ſis de qualitate conuiuÿ. Qui peruenire Regis meretur ad menſam, manducauit quidquid regni dominatio poſſidet, & poteſtas: ſic qui ad conuiuium venerit Creatoris, habebit in delicÿs ſuis, quidquid continetur in creatura.*

Luc. 14. 16.

D. Chryſol. ſer. 95.

6 Monet amicum Paſchaſius, nè cum panis, vt conſecretur, conficitur, ſal, vel mel addatur. *Quæſo, nè ſequaris ineptias de tripartito Chriſti corpore: nec ſal, vel mel in eo admiſceas.* Cur nec ſal, nec mel, cum ſal ſapidum, mel dulcem panem efficiat? Sal quod ſaporis eſt expers, ſapidum efficit; mel dulce reddit, quod dulcedine caret. Sed panis hic, dum in Corpus Chriſti conuertitur, ſic miro modo ſapit, dulceſcitq; vt nec ſalē, nec melle, neq; alia huiuſcemodi re videatur opus habere. Habes vtiq; ibi ſalis, melliſq; Auctorem, perennem omnium dulcitudinum fontem, qui ſumma cælum explet dulcitudine, terram ſuauitate: ſine quo nil dulce, nihil ſapidū, nil delectabile, nil expetibile.

Paſch. epiſt. ad Frideg.

7 Cum cunctis innoteſcat, è petra, quam Moyſes percuſſit, vnum ſolūmodo aquā nempe, promanaſſe liquorem, vnde dicitur ab eodē Propheta, quod & aqua, & mel, & oleum emanauerit? *Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Quia aquæ illæ ſacrum eucharíſticum prēſignagnabant, quod è Chriſto petra, percuſſo poſt obitum latere, vt Paulus ſcribit, effluxit. In ſacro ſanè euchariſtico non vnus ſapor, & dulcor; non vnum delectamentū, ſed diuerſimoda; imò cuncta, vt ait Sapiens, perpetim experiuntur. *Omne delectamentū in ſe habentē.* Habes .n. in illa, quidquid guſtare deſideras: idcirco tantis vocitatur vocabulis. *Notandum*, ait Paſchaſius,

Deut. 33. 13.

Sap. 16. 20.

ſius,

ſius, *quod hoc frumentum, corpus videlicet Chriſti, omnes delicias habeat; ità & potus ſanguinis. Vnde quod de petra typicè manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur; quia quid quid ſpiritualiter prægustare poteris, hoc totum ibi inuenies*.

8 Me multoties quæſiſſe memini, quare Chriſtus Dei Patris Sapientia, vbi ſub typo domus, templum ſacrum conſtruxit, ibique ſanguinis ſui vinum, corporiſue menſam propoſuit, ſuos miſit Apoſtolos, non ad domum, ſed ad Ciuitatem, aduocare conuiuas?

Prou. 9. 3. *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mænia Ciuitatis.* Nam cum conuiuæ in Ciuitate fuerint, in Eccleſia nempe, quæ Ciuitas dicitur, fidelium nempè collectio, ſicut ciuitas ciuium: (nemo extrà Eccleſiam Eccleſiæ menſæ accùbit) non ad Ciuitatem, ſed de Ciuitate ad domum, ad templũ videlicet, aduocandi erant, & congregandi. Sanè dum conuiuas aduocabant ad Ciuitatem, de Ciuitate aduocabant ad domum, vt oſtenderét domum, illam non in Caſtello eſſe, aut in Oppido, ſed in Ciuitate. Audientes enim conuiuæ, ſe ad Ciuitatem vocari, conuiuium ſibi adeo delitioſum coniectare debebant, vt nihil in eo deficeret, quod concupiſci valeret: quod minimè ſibi poterant promittere, ad Oppidum, aut ad Caſtellum vocati. *In Oppidis exiguæ ſunt opes, in Ciuitatibus totum eſt, quod deſideretur*. ait Palacius. Paul. de Palac. in cap. 5. Matt.

9 Clarum eſt cunctis, vbi Rex Salomon ſub typo mulieris fortis de Eccleſia dixit: *Facta eſt quaſi nauis inſtitutis de longe portans panem ſuum*, nomine panis Euchariſtiam intelligere. Prou. 31. 14. Etenim panem ſuũ ait, nõ carnis, aduerſariæ ſuę, quæ corporali pane depaſcitur. Sola Euchariſtia eſt panis Eccleſię, quo nutritur, & creſcit, quem à longe euehit, è cælo nempè. *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit*. Joan. 6. 50. Aduertendum porrò, quod Gloſſa hunc locum interpretans, de Eccleſia ſic ait. *Solam viui panis ſatietatem deſiderat, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* Gloſſ. in cap. 31. Prou. Sed, ſi Eccleſia ſacrum hunc fert panem, habetq; quare illum deſiderat? Ea, quæ deſunt, deſiderantur, quæ præſto ſunt, minimè cupiuntur. Sed hoc dictum eſt, vt liquidò cognoſcamus quales, quantaſque delicias afferat Euchariſtia, quæ dum abundè, & ad ſatietatem comeditur, comedi deſideratur. Fortè Petrum imitari ſatagit, qui de ineffabilibus voluptatibus, quas eiuſdem Chriſti facies Angelis proſpicienti-

1. Petr. 1 bus exhibet. *In quem*, inquit,
12. *deſiderant Angeli proſpicere*.
Nam & hoc de Chriſto intelligendum eſt, dum ab Angelis, non ſolum reuelata facie in cœli regno proſpicitur, ſed & obuelata viſitur in altari; vtrobique enim ab Angelis ſuis inſpectus, inſpici concupiſcitur. Quod in ſua Liturgia videtur Marcus innuere,
D. Mar. in dum hæc ait. *Poſt conſecra-*
Liturg. *tionem in animo beneficia conferſ, vt eis, qui in te fiduciam collocant, illa tribuas, quæ in ſe Angeli proſpicere deſiderant*.

10 Prædicat quidē Dauid Domini ſuauitatem, & dulcitudinem: prædicat inquam;
Pſ. 33. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. Silet autem, qualis ſuauitatis ſit, qualiſue dulcedinis. Eſt ne inſtar nectaris? mellis? ambroſiæ? ſiue potius mānæ? aut rei alterius, quæ præ nimia dulcitudine maximè concupiſcitur? Nec vlli poterit, ex quibus fruimur, ſuauitatibus comparari, nec aliæ cuipiam, quæ valeat concupiſci. Propterea Dauid quantæ ſuauitatis ſit, præterijt; quia aliquo explicare non valuit exemplari.
D. Bern. in *Guſtate*, ait Bernardus, *& vi-*
Feſt. Om. *dete quoniam ſuauis eſt Domi-*
Sanct. *nus. Huic ſuauitati, huic ſapori, omne quod deſideratur, non valet comparari.* Omnes ſapores includit, omnes delectationes habet, oēs delicias cōtinet, eas etiā, quæ concupiſci, aut cogitari non valent.

11 Dum Chriſtum audis dicentem: *Niſi manducaueri-* Ioan. 6.
*tis carnem filij hominis, & bibe-* 54.
*ritis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Ne cenſeas per hæc ſancta myſteria ea modo, quę ad vitam neceſſaria ſunt, exhiberi, vt homo illis adiutus, viuere tantummodo poſſit. Ea etiam præbent, quæ ad vitæ iucunditatem, & delicias pertinent. Habes ex præhabitis ineffabile Sacramentum non ſolum dici panem, & vinum, ſed & margaritam, carbunculum, ſaphirum, ſmaragdum, aurū. Quare hoc? Conſule Cyprianum
Monacum hæc dicentem. *Ad-* Cypr. Monac. in c.
*uerte, inter ea, quæ Deus contu-* 3. Cant.
*lit homini, quædam, vt viueret, contuliſſe; quædam verò, vt iucundè viueret. Cibos, vinum, & aquam in eam rem à Deo fuere condita, vt mortalis homo haberet, quibus ruentem vitam poſſit fulcire, & ſuſtentare. Sed & multa creauit, quæ non adeo videntur neceſſaria ad vitam tuendam, vt gemmas, & lapillos, quę ob eam rem, vt arbitror, inuenta fuerunt, & excogitata, vt homo non tantum viueret, ſed & iucundè etiam, & ſuauiter viueret.* Ideo Euchariſtia nō ſub vocabulis panis, & vini tantummodo, ſed & pretioſarum

gem-

gemmarum, innuitur, quoniā non modo ad vitæ neceſſitates, ſed & ad voluptates præſtita eſt; vt dum ea depaſcimur, non tantum viuamus; ſed & delicioſè viuamus. Omnium animæ deliciarum Cornucopia eſt.

12 De Domino Ieſu ſub panis, vinique formis occluſo loquitur Sponſa, cum dicit: *Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Botrus enim, & cibum præſtat, & potum, *Botri enim vineæ*, inquit Lucas Abbas, *ad vtrumque apti ſunt, & cibum eſurienti, & potum tribuunt ſitienti.* quemadmodum potū, & cibum exhibet Euchariſtia ſub panis, & vini formis. Verum aduerte quod pro *Botrus Cypri* ponit Hebraica veritas. *Vir omnia ſatisfaciens.* Si quæſieris, inquit Galatinus, quid ſit vir omnia ſatisfaciens: Tale tibi cum Barachia Rabbino reſponſum exhibeo. *Eſt vir in quo ſunt omnia.* Dum igitur Sponſum Dilecta factum eſibilem, & potabilem contemplatur, cumque virum, in quo ſunt omnia, vocat; cum cunctarum deliciarum admirabile cornucopia effingit. *Vir omnia ſatisfaciens.*

*Cāt.1.14.*
*Luc. Ab. ibid.*
*Galat. de Arcan. li.6. c.3.*

## THEOREMA V.

In conſpectu meo.

*Exetrandum hypocritæ ſcelus, dum Chriſtum manducat, vt lateat.*

SEd ſanctam hanc, & myſticam menſam, ſuo ait Propheta in conſpectu paratam, *Paraſti in conſpectu meo menſam;* cuius oculi ſolū Dominum collimarūt, *Oculi mei*, inquit, *ſemper ad Dominum.* Non autem in conſpectu hypocritæ, qui ex Petro Cellenſi *Oculum attendit, non Deum.* Horrendum ſcelus in Chriſti menſa committit, qui, vt in ſcelere lateat, ſacrum Chriſti corpus recipit, imò potius deſpicit.

1 In eos ardentiſsimè ſuccenſus eſt Deus per os Pſaltis ſui, qui vna cum pane ſuam deuorarit plebem. Vbi enim vulgatus habet Interpres, *Deuorant plebem meam ſicut eſcam panis*, transfert Arabicus *Comedunt populum meum comeſtione panis.* Ac ſi Deus dicat: Doleo profecto, & mæreo quod peruerſi meam deuorent plebem: ſed quod deuorent in comeſtione panis, dum panem manducant, vltrà quod dici poteſt, angor, effligor. Plus dolet Chriſto, quod dum viduas vexant, pupillos expoliant, pauperes depopulantur, comedant panem; quàm ingens illud malum

*Pſ.24.15.*
*Abb.Cel. de Panib. c. 16.*
*Pſ. 13.4.*
*Transl. Arab.*

lum

lum perpetratum in plebem. Porrò quod malum eſt, pauperes ſuppeditando panem edere? Magnum, & execrabile. Te monitum velim, hoc loco per panem minimè carnis capias alimentum, quem profert terra quotannis, ſed eum, qui quotidie in terram deſcendit è cęlo, & qui verè nuncupandus eſt panis: quia panis ſignificat *omne*, vt aliàs dictum eſt, & Sacra Euchariſtia, ſola eſt, in qua omne bonum habet, & ſperat Eccleſia. Hoc autem pane quamplurimi verſipelles, dum plebem deuorant, frequẽter vtuntur: vt ſe eius comeſtione religioſos oſtentantes, & pios; ſuorũ cordium feritatẽ abſcondant, doceantque, quod immaniter operantur, non ex animi crudelitate, ſed ex iuſtitiæ zelo procedere, ſtudioque virtutis. Quod facillimè conſequũtur. Quis enim credet in eodem pectore, in quod frequẽter Chriſti corpus excipitur, hoſpitari poſſe crudelitatem? Hoc autem ſcelus tam grande eſt, tã que enorme, vt plus torqueat Chriſtum quam pauperum, filiorum ſuorum, violenta prędatio. Sanè hi ad perpetuanda peccata Deo, veluti mediatore quodam, peruersè vtuntur.

2 Vides Euchariſtiam inſtar nummi formatã, & quaſi inenſſam? Scio quidem hoc fieri, ad oſtendendum, eam illum eſſe denarium, qui merces erit in vinea Domini laborantibus. *Panis ideò in modum denarij formatur, quia verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur.* ait Auctor Gẽmæ animæ. *Auc. Gẽ. anim. de Antiq. ritu Miſſ. li. 3. c. 35.* Sed euenisse etiã poteſt, ad detegendum hypocritę ſcelus, qui turpi quodã auſu pro nũmo abutitur Euchariſtia. *Hypocrita non fruitur Deo, ſed vtitur tamquã nummo.* ait Cellenſis. *Petr. Cel. ibid. vt ſupra.* Quia, quemadmodum nummus pro iis, quæ nobis deſunt, adipiſcendis, eſt medium: ſic hypocritæ Sancta Communio, eam enim ad pietatis, & ſanctitatis ęſtimationem captandam vſurpat, vt iniquitas ſui pectoris profundius lateat, & quos vult decipere, & fallere, faciliùs decipiat, & fallat.

3 Nec te lateat, quod Chriſtus in Dei templũ ingreſſus, videnſque in eo prophana, Deoque inuiſa, exerceri negotia, zelo percitus *Menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* *Matt. 21. 12.* Per has menſas, ſacra capienda ſunt altaria. *Obſerua*, ait Hieronymus, *altaria Dei nummulariorum menſas vocari.* *D. Hier. ibid.* Vnde autem putas Dominum tàm ardenter iratum: tàm iracundè ſuccenſum? Niſi ex fraude vendentiũ columbas,

ſuis

ſuis nimirum è cordibus profligantium, & eijciētium ſynceritatem, & ſimplicitatem. Sacra Chriſti altaria hypocritis menſæ ſunt quidem, ſed non panis vitæ æternæ, vt in ijs reficiantur, viuant, æternētur; ſed menſæ nummulariorum; vtpote qui ſacrum panē tamquam nummum vſurpant ad perpetranda facinora mediatorem: talique ingenio cōmunicant, vt dum videntur communicātes, credantur innocentes, ſubque ouina pelle faciliùs, & feliciùs aggredi, & complere poſſint, quod rabies machinatur lupina.

4 Dicturus Dauid S. Euchariſtiam medium efficaciſſimum eſſe, quo terræ incolæ cœli regno fruantur, ſic ait de Chriſto. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Hoc eſt. Euchariſtica menſa, in qua per dies ſingulos Chriſtus immolatur, & ſumitur, medium quoddam eſt, quo homines in cœlum aſcendant, ſaluentur, beentur. Rectè quidem, ait Germanus, *Quia confinium cœli, & terræ eſt ſancta menſa*. Vnde Michael Aiguanus, illud Pſalmi perpendens, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei, Hoc ſacrificium*, ait, *dicitur via eūdi ad Deum, propter quod viaticū dicitur; & hæc eſt ſcala Iacob*. Vltima hæc expende *Hæc eſt ſcala Iacob*. Quod Euchariſtia dicatur ſcala, rationem iam diximus; ad hoc enim eſt inſtituta, vt ſcalam haberemus, cuius cacumen cœlum pertingeret, vt è terra per ipſam aſcēderemus in cœlum. Quare autem Iacob? Quia, ſicut per ſcalam Iacob aſcendebatur, & deſcēdebatur, ſimiliter per Euchariſtiam, non tantum aſcenditur à Sanctis, & dignis, in cœlum; ſed & deſcēditur ab hypocritis in infernum. Scala hypocritis eſt Euchariſtia, ſed ſcala deſcenſus, ſed ſcala præcipitij: & vnde iuſti per illam è terra ſuſtolluntur in cælum, ipſi è terra cadunt præcipites in infernum. Corpore enim Domini, quod iuſti ſumunt, vt in bonis roborentur operibus, ad perpetrandas culpas vtuntur. Væ tibi infeliciſſime hypocrita, qui Deum tui ſceleris, tuæque perditionis adhibes mediatorem; eoque, quod datū eſt pro ſcala aſcēſus in cęlum, abuteris pro ſcala deſcenſus è terra.

Pſ. 73. 12.

D. Germ. Rer. Eccl. Theor.

Pſ. 49. 23.

Incog. in Pſal. 33. Ver.

5 Hinc illa Dei cōqueſtio, & exclamatio, quæ legētibus, vel audientibus tremorem incutit, & terrorem. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Si fortè quæris à Domino: Quo pacto Deus meus te in iniquitatibus meis ſeruire Iſ. 43. 24.

feci,

feci, qui cum malè agentibus cooperari non potes? Dum ad obuoluenda, & abſcondenda tui cordis ſcelera communicaſti, reſpondere poterit: non quod tuorum exceſſuum cooperator ſim, & adiutor: ſed quia pro tali à te frequenter effingor. Vide maledicte hypocrita qualem notam inuris Altiſsimo, quantopere Deum iniuriaris, ſcelerum tuorum (quantū in te eſt) faciens mediatorem, & complicem? Quā tibi putas in die iræ theſaurizas iram? Vbi audiuit Alphōſus Rex Aragoniæ, Antoninū Picenum, magnum hypocritā iactando plurima in Deum, & Deiparam, animam expuiſſe; *Propterea*, inquit, *Deum in hypocritas tantopere ſæuire, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipſum tamquam ſceleris mediatorem.*

*Æneas Silu. de dit. Alph.*

6 Si fontem ſtudioſè perquiras, ex quo hypocriſis vocabulum prodeat, clarè cognoſces quale ſcelus operatur hypocrita, dum, vt mundo lateat, Saluatoris menſam frequentat. *Hypocriſis*, ſcribit Antoninus, *græcum vocabulum ab Ipro, quod eſt ſupra, & Chriſim, quod eſt aurum, dicitur, quaſi deſuper aurum. Hypocrita enim deſuper, ideſt ab extra in operibus ſe oſtendit eſſe aurum ſanctitatis, ſed intus eſt lutum cupiditatis.* Scit iniquus ſe facili nōn poſſe negotio ſceleſtiſſimi voti ſui compotem fieri, niſi ſe ſub ſtola ſanctitatis abſcōdat, & velut inauret; ideo per ſingulos dies orat, ieiunat, eleemoſynas pbet, ſacra pſertim frequētat altaria; atque ſic faciens videtur ſibi, & hominibus aſſecutus iā aureū ſanctitatis amictum, quo, qui dignè communicant, decorātur. *Hoc ſacrificio muniti*, ait Chryſoſtomus, *tamquam aureis quibuſdam veſtibus vndique contecti ſumus.* Sed dum ſe foris aurea hac veſte gloriatur ornatū, ſordet intus in anima fœdiſſimo, & turpiſſimo polluta, in quem Deum dudum immittere non expauit. Peruerſam hominis iniquitatem? iniquam Dœmonis peruerſitatem? ad hoc tantum, vt lateas, Chriſtum in auro, imò in cœlo locandum, locas in luto, in fæce, in ſterquilinio?

*D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 6 §. 4.*

*D. Chryſoſt. Ho. 24. in 1. Corinth.*

7 Tradit Moyſes, quod vbi Balaam, magorū Princeps, vt Dei populo malediceret, conſtituit Sacrificia, hæc ait Balac Regi, qui illuc eum adduxerat. *Ita paulisper iuxtà holocauſtum tuum, donec vadā, ſi fortè occurrat mihi Dominus.* Quę dum Toſtatus examinat, pulchrè quærit. Qua de re Balaam, ſe ad Deum dixit ire quæterendum, cum Deum prorſus neſciret? Quid ſibi, & Deo, qui non Deum, ſed Dœmo-

*Num. 23 3.*

mo-

monem conſulere conſueuit? Sic demum reſpondet: *Dixit de Deo, quamquam non inquireret Deum, ſed Dæmonem: ibat enim ad quærendum auguria, ſed qui Deum quærunt, non inquirunt hæc.* Tale quid operatur hypocrita, fingit ſe Deum quærere, ſed quærit Dęmonem. Putas ne, quod dum, vt ſuam peruerſitatem aſcondat, diuina recipit ſacra, Deũ quærat in ſacris? Minimè quidem, ſed Dęmonem. Qui quęrit Deum, vt à criminibus abſoluatur, vt ſanctitate donetur, vt cęlum acquirat, Deum quærit. Qui verò Deũ quærit, tanquam flagitiorum ſuorum mediatorem, & auxiliatorem, Dęmonem quærit. Vide ergo abominandam huius peruerſitatem, quærentis Dęmonem in Euthariſtia, vbi Chriſtus adeſt, vbi Angelorũ Rex colitur, vnde tam longe abeſt Dœmon, quàm longe cęlum ab inferis. Quali honore, qua reuerentia, & cultu, peruerſe, ſacramenta fidei tuæ, ſpei tuæ, ſalutis tuæ, proſequeris? q ibi Dęmonẽ, vbi Deum credis adeſſe, requiris? Quod autem q̃ris, vt per eũ in æternum puniaris, & pereas, adinuenies. Quia Chriſti proditor ad ſanctam menſam, vt tu, ſimulator acceſsit, Dęmonem, non Deum inuenit. *Iudas* inquit Chryſoſtomus, *nõ ſyncerus, ſed ſimulator accubuit, & poſt buccellam Chriſti in eum Diabolus intrauit.*

*Abul. q. 2. ibid.*

*S. Chryſ. Ser. 1. de Myſt. Cœn. Domin.*

8 Quæſo rè tantocius recedamus à Iuda: per ipſum enim affabrè ſignificatur hypocritæ. Illius ergo flagitium Dominus Apoſtolis tàm anxiè perquirentibus, oſtenſurus, ait: *Qui intingit meum manum in paropſide, hic me tradet.* Quã pulchrè Dominus proditoris ſui, ſimulationem explanat. *Intingit manum*, inquit, hoc eſt albus non eſt, ſyncerus, & purus, (*Solum album ſyncerum, & purum, ac minime inquinatũ eſt.* ait Plutarchus) ſed intinctus, & doloſus; & alius quàm appareat. Intinctum, ſynceritatis amiſſo candore, doloſum dicitur, iuxtà illud Regis Aethyopum ad legatos Cambyſis, de purpurea veſte. *Doloſi hominis doloſa ſunt veſtimenta.* Nulla animi ſynceritate, & integritate communicabat Iudas, ſed doloſè, ſed vt ſanctitatem oſtẽderet, cum ſanctis ſancta manducãs, vt ſuo lateret in facinore. *Qui manducat*, explicat verba Domini Bernardinus, *panem meum, non vt pæniteat, ſed vt lateat, ille me conculcabit.* Quid aliud facit hypocrita, dum, vt lateat, ſacra myſteria comedit, quàm quod proditor Iudas? Iudæ ergo conferendus. Quod & Bernardinus adnectit.

*Matt. 26 23.*

*Plut. in Probl.*

*Herod. li. 3.*

*D. Bernardin. to. 2. Ser. 55. ar. 1. c. 2.*

ctit. *Ex quo patet, quod, qui vult in peccatis latere, ſub pulchra facie religionis, & communicare, aſſimilabitur Iudæ traditori*: Ex immenſa itaque peruerſitate, & malignitate Iudæ, huius enormitas, & peruerſitas conijectanda.

9 Deſpicit Sancta Eccleſia ſerica, ſiue lanea, vt Chriſtum conſecret, corporalia: ſolum lineum ſternit, vt dignè tantū conficiat Sacramentum. Cur non magis ſericum, quod lineo eſt præcioſius? Vt communicantis puritatem, ſynceritatemq; nulla denotet maculatam hypocriſi. Per corporale, in quo Christi corpus reponitur, animam, in qua ex altari ponendum eſt, intelligens, quam vt tanto ſit digna depoſito, lineam Deus querit, laneam ſpernit & ſericam. Lanea, ac pariter ſerica, fucū, & adulterinum colorem, quā facile admittunt. At linum, ſimplicitatis amās, illum omnino reſpuit: vnde erit elegās hyeroglyphicum ſynceri, candidique animi, ab omni fuco abhorrentis fictionem omnē, hypocriſimque aduerſantis.

10. Quid tibi, & Euchariſtiæ perditiſsime hypocrita? Audi quid dicam. Manifeſtū eſt, non defuiſſe Deo formas, ſub quibus corpus Chriſti recōderet, præter panis, & vini: maluit tamen rerum aliarum oblitus, ſolo pane, vinoque vti: *Quia panis, & vinum propriè proprius cibus eſt, non beſtiarum, ſed hominum*: ait Algerus. Quare ſi Sancta Euchariſtia cibus hominum eſt, non beſtiarum, quid tibi, & illi, qui non homo es, ſed lupus ouinam pellem indutus? Sed mulus? *Mulus*, inquit Drogo, *ex equo, & aſina miſtus duplex eſt animus, qui foris oſtendit, quod intus non ſeruat. Talis erat Iudas.* Sed denique vulpis?

*Alg. de Sacram. lib. 2. c. 5*

*Drogo Card. de Sacr. Dō. Paſſ. li. 1*

*Pelliculam veterem retinens, & fronte politus.*

*Perſeus Satyr. 5.*

*Aſtutam rapido geſtas in pectore vulpem.* cecinit Perſeus. Væ tibi miſer, quod vnde ſibi homines vitam æternam acquirunt, mortem tibi concilias. Audi quid addam.

11 Per virgam Aaron, ex qua *Turgentibus gemmis exuperant flores, qui floribus dilatatis in amygdalas deformati ſūt*, Mediolanenſium Præſul, Ambroſius, Saluatoris noſtri carnem intelligit. *Arida virga Aaron, inquit, quæ poſtea miraculosè germinauit, Chriſti caro eſt, quæ virga dicitur à Propheta. Egreditur virga de radice Ieſſe.* Quę idcircò dicitur germinaſſe amygdalas, quia Sacram Euchariſtiā germinauit, qua velut amygdala præ dulcore ſani, & debiles, Angeli nimirum, & homines, ſatiantur, & nutriuntur. *Cuius nucleus*, ait Ri-

*Num. 17. 8.*

*D. Amb. 12. manſ. filior. Iſrael māſ. 15.*

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. lib. 12* Richardus, *dulcis eſt, & cibus infirmorum, homines, & Angelos paſcit in Sacramento altaris.* Aduerte autem, quod quemadmodum, Secundum Plinium, *amygdalarum fructus hominibus dat ſanitatem, vulpibus verò mortem*: ità & Eucharistia, vbi cunctis hominibus fructus eſt ſalutaris, tibi, qui vulpis es, fructus eſt lethalis. Quamquam enim peccatoribus omnibus exitialis ſit, quippe quæ cunctis, indignè eam edentibus, interitum afferat: de te hoc tamen præcipuè dicitur, quia ſcelus tuum Dominus, temeritatem, enormitatem tuam, ſupra quod dici poteſt, abominatur.

*Apud Bercor. Ver. Fructus.*

12 Tandem audi Hieronymum: *Nihil ditius illo, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinemque portat in vitro*: ac pariter diſce Sacrã Euchariſtiam non, niſi in vitrum reponi debere, in cor videlicet ſyncerum, & ſimplex, inſtar vitri lucidum, & tranſparens: in hominem, qui quod habet in corde, prçoſtendat in facie, non in verſipellem, & vulpinum, cui alia eſt corporis, cordis alia facies. Quem admodum nil ditius ſyncero, & recto viro, cum Euchariſtiam accipit; ità nil te pauperius, qui tot obuolutus technis illam audes accipere. Nil inquam te pauperius, qui ſempiterna premeris pauperie, inſtante temeritatis ſupplicium.

*D. Hier. ep. 4. ad Ruſtic.*

## THEOREMA VI.

### In conſpectu meo.

*Angelorum eſca non niſi Angelos paſcit.*

SI Dauid canentẽ audiens, *Paraſti in conſpectu meo menſam*, à me quid ipſe ſit ſciſcitaris, cui ſacræ Angelorum menſæ datum eſt accumbere? Ob vitæ ſanctitatem, puritatem, & innocentiã, Angelum eſſe, reſpondeo. Sic legitur ab Achis Rege vocatus. *Scio quia bonus es tu in oculis* 1. Reg. 29
*meis, ſicut Angelus.* Sanè ſi non 9.
eſſet Angelus, quo pacto poſſet Angelorum pane nutriri?

1 Quorſum noluit Dominus tempore legis naturę, ſiuè ſcriptæ, ſed nouiſsimis diebus, diuiniſſimam Euchariſtiam facere? Quãta olim auiditate, & fame perquirebatur, & non erat, qui frangeret eis: quia deficiebat, quod frangerent, quod nos quoti-
die frangimus? *Genua mea in-* Pſ. 108.
*firmata sũt à ieiunio*, ſacri huius 24.
panis inopia, quo nos quotidiè roboramur, & confirmamur, gemebat Rex Citharedus. Ratio huiuſcemodi rei illa eſt: quoniam tunc temporis

homines, homines erant; nódum aduenerat Chriſtus, qui ſuam per gratiam homines transferret in Angelos; dedecens autem erat Angelorum panem homines manducare. Vbi verò Deus factus eſt homo, hominesq; à Deo ex hominibus facti sũt Angeli, panis Angelorũ appoſitus eſt in terra, vt panem ſuum ederent Angeli terræ. Sic philoſophatur Seraphicus. *Sicut Angeli in patria pleno hauſtu bibũt de ſpiritu perenni, & viuo fonte luminis, & ſatiantur ab vbertate domus eius: Sic ſapientia ante præuidit, vt rationales animas hominum, quas tam chare redemit, & per gratiam magnificauit, & fecit ſimiles Angelis Dei, cibaret illo pane, quo Angeli nutriuntur.*

*D. Bonau. de Præp. ad Miſſ. c. 7.*

2 Nè idcircò Pſaltem manna panem Angelorum exiſtimes nuncupaſſe, *Panem Angelorum mãducauit homo*, quod Angeli manna raſiciãtur, terrenoque indigeant alimento. Sed ex eo, quod manna Euchariſtiam præfigurabat, qua in conuiuio cœli ſine vllo velamine per beatificam viſionẽ perfruuntur Angeli, & in mẽſa Eccleſiæ ſub ſacris formis incluſa recreantur Chriſticolæ: qui, eo quia à Chriſto facti ſunt Angeli, meritò panem Angelorũ mãducant. Iure quidem. *Inferiori*, ait Iuriſtarum Gloſſa, *non ſunt tales cibi conferendi, quales ſuperiori: quoniã alimenta debentur ſecundũ qualitatem perſonarum.* Dum homines permãſerunt homines, groſſiori mannæ viſibilis nutriti ſunt pabulo: poſtquam ex hominibus facti ſunt Angeli, & ſuperiores hominibus, remouendum fuit manna, eorumque menſis pretioſiſſimũ, delicatiſſimumq; Chriſti corpus, quo veſcuntur cœli Poteſtates, & Principes, apponendum. Eatenus ergo ſacroſancta menſa Chriſtianis cœleſtem panem impertit, quatenus Chriſtiani ſunt Angeli. Proinde ait Cyrillus: Cum canit Propheta: *Panem Angelorum manducauit homo*, videri quidem de Patribus ſuis manna comedentibus loqui, reuera tamen de Chriſtianis ſermonem habere. *Videtur hæc de maioribus ſuis dixiſſe, ſed de noſtris potiùs dicit.* Rectè quidem: non enim Hebræi, ſed nos Angeli ſumus, quibus Deus Angelorum menſam appoſuit. Idcircò ait Paulus de Palacio: *Pauit Deus, Iudæos in deſerto manna. Erat igitur ferè neceſſarium, vt Chriſtianos factos angelicos paſceret pane Angelorum, non iàm figuratiuo, & vmbratili, ſed verè pane cœleſti, & reali.*

*Pſ. 77. 25*

*Gloſ. legis apud Chaſſan. Catal. p. 1. Conſid. 22.*

*D. Cyrill. li. 4. c. 10. in Ioan.*

*Paul. de Palac. in cap. 26. Matt.*

3 Referunt ſacræ litteræ, cum pro ſe Rex Dauid proq; ſuis

ſuis ſatellitibus, panem expeteret, talem à ſacerdote reſponſionem obtinuiſſe. *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctũ, ſi mundi ſunt pueri.* Ac ſi diceret. Si tu, tuiq; comites, puritatis eſtis expertes, fruſtra hunc panem exquiritis. Placet Hieronymo, hoc dictum fuiſſe, quia panes ſancti corpus Chriſti præfigurabant, quod, niſi puriſſimis, & mundiſſimis, nefas eſt impertiri. Quorſum non, niſi mundiſſimis, & puriſſimis? Quia panis eſt Angelorũ, ſolis Angelis porrigendus: Angeli verò ex hominibus non, niſi puriſſimi, & ſanctiſſimi, fiunt. Expende primi Paralipomenon locum, vbi traditur, Dauid aurum puriſſimum dediſſe filio Salomoni, ad tabernaculi Cherubim effingendos. *Aurum puriſſimum dedit; vt ex eo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim, extendentium alas, & velantium arcã federis Domini.* Quia ſciebat Sapientiſſimus Princeps, Cherubim nõ, niſi ex auro puriſſimo fieri poſſe, aurum puriſſimum præſtitit. Quid (inquies) aurum puriſſimum præfert? Mondam cordis cõſcientiam, per quam homo in Angelum tranſit. Audi Bonauenturam. *Aurum puriſſimum ſignificat conſcientiam puram, & mundam, quæ, in viris ſpiritualibus potiſſimè inuenitur: propter quam vita Angelica ſimilis potiſſimè reperitur. Nam nulla creatura puritati angelicæ in præſenti poterit adæquari, quæ ipſius angelicam puritatem, quantum in ſe fuerit, cõtempſerit imitari.* Ideo Deus ad Angelorum menſam ſolos puros, ſolos mundos admittit; quia hi ſoli ex hominibus facti ſunt Angeli: Angelos autem ſolos decet ad menſam Angelorum admitti.

*1. Reg. 21 4.*

*D. Hiero. lib. 1. contra Iouin.*

*1. Paral. 28. 18.*

*D. Bonau. de Eccle. Hierar. c. de Cheru.*

4 Quod pulchrè innuit Dominus, dum ad Sympoſium ſuum ſolos inuitat egenos. *Pauperes eius ſaturabo panibus.* Quare (inquis) ad Sacrã menſam diuitum oblitus, ſolos pauperes aduocat? Potiſſima huius rei ratio eſt; quia cùm terra tota ſit diuitum, pauperes ſunt ſine terra: vnde illis, quia cuncta terrena, cuncta fæda ſunt, & immunda; iſtis, quia diſtant à terra, omnia munda, & pura. Inde eſt, quod pauperem Dauid ſanctum appellat, quod Græci *Agios* dicunt, ideſt *ſine terra*. *Deus*, inquit, *in loco ſancto ſuo*. ideſt in paupere. Quia homines è terra diuidit pauperies, ſãctos efficit. Pauper vero, qui ſine terra, ac ſanctus eſt, locus Dei dicitur, in quem Deus dignè recipitur. Cum ait *Dominus in loco ſancto ſuo*, ait Bernardinus, *innuit paupertatem;*

*Pſal. 132. 13.*

*Pſ. 67. 6.*

*D. Bernardin. tom. 1. ſer. 16. in princi.*

cùm

*cùm dicit ſancto: ſanctus enim quaſi ſine terra dicitur. Ecce paupertas, quæ meritò dicitur ſancta, quia conſiſtit in abdicatione omnis proprietatis.* Solus pauper ſanctus, quia ſolus ſine terra, quia ſolus ſupra terrā, quia ſolus Angelus; ſanè ſupra terram eſt Angelus. Meritò ergò ſolus ad Angelorum menſam admittitur.

5 Audi prætereà; quod ad idem ſignificandum alibi ait Pſaltes. *Pſ. 46. 9.* *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.* Ac ſi diceret cōmunicanti: Dū Deum ad ſacrum altare properas ſuſcepturus, te ipſum diligenter obſerua, ſi Dei ſedes ſis; nam ſi non fueris; Deum in te non recipies, quia nullibi extra ſedem ſuam inſpicitur Deus. Si quæras, quidnam ſit Dei ſedes? Angelus inquam, præ, qua rutilat, innocentia, & puritate. *D. Hiero. in Pſ. 69.* *Angeli pro innocentia eorum dicuntur ſedes: Vnde dixit Deus: Cælum mihi ſedes.* ait Hieronymus. Angelus ergo fias priuſquam Deum cordis tui ſeſſorem ex altari recipias.

6 Rurſus adde huic loco alium non abſimilem, eiuſdē *Pſ. 98. 1.* de eodem dicentis: *Dominus regnauit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubim moueatur terra.* Nè autem cenſeas, Prophetam de Sanctis Cherubim, cœlorum ciuibus, ſubſtantijs ſpiritualibus, immortalibus, tantum locutum; hæc addit idem Doctor. *Felix eſt, qui ſolium Dei eſt, felix eſt, in quo Deus ſemper ſedet.* *D. Hiero. ibid.* Ac ſi apertiùs diceret: Dei ſedem eſſe non modo Cherubim, ſed & hominibus accidit, qui Sāctis Cherubim coæquari ſtuduerint: vnde non ſolum ij felices, qui cœlo fruuntur, ſed felices etiam, qui viuunt in terra: fieri enim poteſt, vt & iſti ſint Cherubim, poſtquam ſcilicet fuerint Cherubinorum innocētiam, & ſanctimoniam aſſecuti. *Tu quoque*, ait *D. Bruno in Pſ. 121* Bruno, *ſi vis, Cherubim fieri potes: multi quidem Cherubim ex hominibus facti ſunt.* Cherubim latinè *Immaculata pictura* transfertur. Vbi tuis ex fæditatibus mundaberis & ablueris, tuamque depinxeris animā ſanctitatis viridi, charitatis aureo, virginitatis cādido, voluntariæ paupertatis cæruleo, cœleſtis conuerſationis ſaphiro, contemplationis hyacinthino, laudabilis verecundiæ roſeo, compaſſionis liuido, patientiæ ſinoplide, humilitatis obſcuro; eris procul dubio *Immaculata pictura*, Cherubim, Deiq; ſedes. Si verò ad altare properans te horum colorū diſcoloratum aduertas, aduertas te hominē eſſe, non Angelum; ſiſte gradum: Angelorum menſa eſt, non hominum: non homo, ſed Ange-

Jus ad eam recupiendus.

7 Dum ab Eccleſia vides Sacroſanctam Hoſtiā in ſphæra ſolis appoſitam, memor e-
*Pſ. 18. 5.* ſto Prophetæ inquientis: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* ideſt corpus ſuum. Taberna-
*D. Iſid. Etym. lib. 15. c. 10.* culum eſt corpus Chriſti. *Tabernacula*, ait Iſidorus, *tentoria ſunt militum, quibus in itinere ſolis ardores, tempeſtateſque imbrium, frigoriſque iniurias vitant:* Corpus Chriſti tentorium eſt militantis Eccleſiæ, quo & à cœli iniurijs, & ab ardoribus inferorum ſe quotidie protegit. Cur autem in ſole ſuum Chriſtus tabernaculum poſuit? Et quid eſt ſol, qui tanti Dei ſedes eſſe promeruit? Sol cor cœli eſt, in-
*Macrob. in ſomn. Scipion. cap. 20.* quit Macrobius: *Phyſici ſolem cor cœli vocauerunt*; ſcribit in ſonio Scipionis. In ſole Chriſtus corpus ſuum conſtituit, quia cor cœlicum, cor angelicum expetit. Angeli cor cœlicum habent. In Angelis corpus Chriſti reponitur. Qui tale cor non habet, qui non eſt Angelus, à menſa Chriſti recedat. Indignus eſt enim in quo Chriſtus conſtituat ſui corporis tabernaculum.

8 Ex eo, quod Dei miniſtros vides ſtolis albis indutos altaria ſacra circundare, & decorare; aduertere debes, quam eleganter Sponſa propoſuerit Dilectum, filios ſuos corpore ſuo, & ſanguine, in li-
lijs nutrientem. *Qui paſcit inter lilia.* *Cāt. 2. 16.* Operæpretium ſuſcitari exiſtimo: quorſum Deus miniſtros ſuos ſtolis albis, non rubris, viridibus, aut alterius coloris veſtiat, dum ſibi ad ſacram menſam aſſiſtunt? Gemmæ animæ Auctorem dicentē inuenio, id vt Angelos præſeferant, fieri, quorum albæ sūt veſtes: ſub liliorum typo de *Pier. lib. 55.* Angelis loquitur, ex Pierio Dominus, dum *Conſiderate*, *Matt. 6. 28.* inquit, *lilia agri.* Nam quia Deus neminem, qui non ſit Angelus, ad ſuam menſam admittit, miniſtris aſſiſtentibus præcipit, veſtes albas oſtentent, Angelos præferant, Angelos pro poſſe ſtudeant imitari. *Ideo miniſtri Chriſti*, *Auct. Gem. animæ de Antiq. ritu. Miſ. lib. 1. c. 198.* ait ille, *in albis veſtibus miniſtrant, quia Angeli æterni Regis miniſtri in albis apparebant. Per albas itaque veſtes admonentur, vt Angelos Dei miniſtros per mundiciam in Chriſti ſeruitio imitentur.* Nec maiorem puritatem, quam in te diſcas, in altaris miniſtro requiri, vnde illi vt dignè miniſtret, Angelos debeat imitari, tibi verò, vt dignè communices, ſatis ſit hominem permanere. Nam ſi debent illi vt Chriſtum ſolūmodo tangant, vt ſolummodo Chriſto miniſtrent, angelica puritate nitere; efficacior te ad idem ra-

tio trahit, qui ſacrum eduliũ accipis, qui comedis, qui Deũ in te ſumis, qui à Deo in ſe-ſum eris.

9 Attẽtiorem te velim rei, quam nunc tibi proponam. Deus nullo pacto tulit Moyſem, & Ioſuem, priuſquam calceamenta abijcerent, in ſacrum locum intrare. *Exo.3.5.* *Nè appropies hùc*, ait Moyſi, *ſolue calceamentum de pedibus ſuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* *Ioſue 5. 16.* Eadem & Ioſue dicta ſunt. Rogas: Quare ſeruos ſuos in loco ſacro calceatos noluit Deus? Locus ille, inquam, ſacra templa præfigurabat, quæ Chriſtum ſub formis panis præſentem habent. Quia verò in his ob maieſtatis ſuæ decorem nolebat homines, ſed Angelos, cõmorari; calceamentorum ſolutione ſeruos ſuos transformari iuſſit in Angelos: calceamentum enim, quod pellis eſt mortuorum, noſtram mortalitatem ſignificat, per quam, in tot miſerias, & ærumnas, per peccatum incidimus. Dimittitur autem, cùm vſque adeo humanitatis, mortalitatiſque rerum obliniſceris, vt te non hominem morti, caduciſque rebus obnoxium, ſed Angelum immortalem exiſtiment. En Amalarium Fortunatum Epiſcopum Treuerentem. *Calceamenta de mortuis animalibus fiunt; mortuum animal eſt Adam, de quo nos mortem traximus. Videamus ſi aliquo modo mens noſtra calceata eſt morte eius.* *Amalar. Fort. de Eccl. Off. li.1.c.12* *Niſi ille fieret mortalis, non haberemus neceſſitatem dormiendi, non domorum ædificandarum, non neceſſitatem agriculturæ, non eſuriremus, non ſitiremus; non bella componeremus. Quando circa hæc mẽs ſtudet, calceata eſt pellibus mortui animalis. Intrantes nos ad ſancta loca, vbi Dominus, & Angelus eius eſt, exuamus nos ijs calceamentis, & cogitemus de cõuerſatione Angelorũ, vbi eſt requies ſine ſomno, vbi domus gratia protectionis Dei, vbi opus ſine labore, ſatietas ſine eſurie, vera pax perpetua ſine bello.* Calceamenta, mortalitatem ſcilicet exuere, Angelos fieri, præcipit Deus tẽplum intrantibus: quidni præcipiet communicantibus?

10 Mos veterum fuit tectis concameratis templa cõſtruere, quod vbique locorum occurrit. Factum autem eſt, vt cœlum repræſentarent. *Veteres templorum tecta concamerata faciebant, vt imaginem cœli redderent, quod conſtat eſſe conuexum*: ait Richardus. *Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 10.* Quia qui ſunt in templo, vel ob Dei præſentiam, vel ob ſacram mẽſam ibi propoſitam, Angeli eſſe debent, Angelorum conuiues, & incolæ regni Dei,

Dei, cœli inſtar fabrefactum eſt templum, vt qui ibi ſunt, non homines in terra cum hominibus, ſed Angeli in cœlo cum Angelis, cenſeantur. *Qui huius ſanguinis ſunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis virtutibus commorantur.* ait Chryſoſtomus. Erudiantur ſimiliter; quod ſicut Deus in cœlum neminem, qui vel natura, vel imitatione Angelus non fuerit, excipit; ſic pariter in templum neminem admittit, ſacroque pane reficit, qui ſe non præferat Angelum.

*D. Chryſoſt. Hom. 45. in Ioan.*

11 Si ideo cœlum eſt cœlum, quia Deum habet præſentem, quemadmodum Roma eſt Roma, quia pręſentem habet Chriſti Vicarium; cur templum non erit cœlum, cum habeat Deum præſentẽ? Quoniam verò Deus eſt in templo per Euchariſtiam, Euchariſtia templum efficit cœlum. *Per hæc myſteria terra cœlum facta eſt. Quid enim in cœlo eſt, quod magis illud honeſtet, quam ipſe Chriſtus? At hic per hoc Sacramentum in terra eſt, nobiſcumque verſatur.* ait Clarius. Dum ergo Deũ adoratus, aut mãducaturus manes in templo, & in cœlo te eſſe reputas, non hominem, ſed Angelũ æſtima: homines enim in terra ſunt, non, vt tu es, in cœlo. Tot profecto virtutibus, tot perfectionibus illuſtratus ibi debes aſſiſtere, vt vel nihil ab Angelo differas, vel pro poſſe angelicam puritatem affectes.

*Iſid. Clar. Orat. 20.*

12 Inter nongentas propoſitiones, quas de diuinis, & naturalibus, Picus Mirandulę Princeps litterarum ſtudioſiſſimus, Romę propoſuit agitandas, hæc habebatur. *Poteſt per alium modum ſaluari corpus Chriſti eſſe in altari, quam per conuerſionem panis in ipſum, ſcilicet per ſubſtentationem paneitatis in diuino ſuppoſito vnà cum humanitate aſſumpta, ità quod eſſet vnum ſuppoſitum in tribus naturis, ſcilicet Deitate; humanitate, et paneitate.* Quod, vt aduertis, minimè de facto, ſed de poſſibili aſſeritur. Dices: Quarè Chriſtus noluit eſſe cũ pane? Noluiſſe arbitror, vt Euchariſtiam non cibum hominum, ſed Angelorũ oſtenderet. Sanè ſi Chriſtus eſſet vnà cum pane, innueret ſe ibi æque ſpiritus, ac corporis nutrimentum, vtpote qui ſpiritũ carne, carnem pane nutriret, eſſeque totale hominis alimẽtum, qui carne conſtat, & ſpiritu. Verum quia Euchariſtia cibus non eſt ventris, ſed mentis, non carnis ſed cordis, non corporis, ſed ſpiritus, noluit in ea Dominus vnà cum pane manere: Vt ex hoc cognoſceres, illius alimentum eſſe Euchariſtiam, qui perin-

*Picus Mirand. in Apol. Quæſt. 6.*

de viuit in corpore, vt & ſolum ſpiritum cenſeatur habere, & ſolam ſpiritualis alimoniæ neceſſitatem, quod Angelorum eſt.

13 Hinc quędam de incredibili Aegyptiorum Monachorum ſilentio numero quãuis maximo ad ſacrum altare conuenientium, tradit Caſſianus. *Præter illum*, inquit, *qui conſurgens Pſalmos decantabat in medio, nullus hominum penitus adeſſe credebatur. Non ſputum, non excreatio, non tuſſis, non oſcitatio, non gemitus; non ſuſpiria, non vox vlla alia audiretur.* Quid hos credis fuiſſe? Homines forte? Atquì ait: Nullus hominum adeſſe credebatur. Angelos cenſeas, quorum, vtpote æternorum, beatèque viuentium, non eſt ſpuere, oſcitare, gemere, ſuſpirare, vocem emittere. Sacroſque dignos accubitu, ad quem ſoli admittuntur Angeli, à quo excluduntur homines.

*Chaßian. par. 2. inſti. c. 10.*

## THEOREMA VII.

### Menſam.

*Summum terræ gaudium Auguſtiſſimum Sacrum.*

IN eo, quod admirabilis Euchariſtia dicitur menſa, *Paraſti in conſpectu meo mẽſam*, ſummum, quod affert, gaudium, ſignificatur. Pſaltes prout alibi. Fiat lętitia eorum, diceret, *Fiat mẽſa eorum*, inquit, *coram ipſis in laqueum.* Ac ſi diceret, ait Theodoretus: *Lætitia eorum Domine in calamitates conuerte, & in ea, quæ fecerunt, incidant. Menſam enim lætitiam vocauit.* Rectè Euchariſtia lętitia dicitur. Eſt enim ſumma noſtra lætitia, ſummum gaudium, ſumma exultatio.

*Pſal. 68. 22.*
*Theod. in Pſal. 48.*

1 Vbi Deus Abrahæ, quẽ expetierat, Iſac filium promiſit; riſit Abraham. *Dixit Deus Abrahæ: dabo tibi filium, cui benedicturus ſum. cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit.* Quæramus, cur riſerit? indecens quippe & indecorũ prorſus, coram tanta maieſtate, quam Dominationes adorãt, pauent Poteſtates, cæli tremunt columnæ, æſtimandus eſt riſus. Verum quia hic riſus cordis Abrahæ gaudium ſignificauit. *Riſus lætitiam declarauit viri iuſti.* ait Ambroſius. Culpandus minimè eſt. Exultauit enim eo quia in Iſaac Chriſtum naſciturum præuidit, vt ait Dominus, *Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Tanta enim lætitia Chriſtus afficit viſus, quod ſummo gaudio repleat aſpi-

*Geneſ. 17. 17.*
*D. Amb. de Abraham li. 2. cap. 11.*
*Ioa. 8. 56*

aſpicientes . His itaque ſic diſpoſitis , clamat Ferrarienſis , *Sed & ſi tantum gaudium habuit Abraham videns Chriſtum de longinquo, quantum, & quale gaudium habuerunt vidẽtes de propinquo, vt Ioannes exultans in vtero materno?* Clamabo & ego; quali exultatione, qualique lætitia, gaudere debes & tu, dum Deum nõ de longinquo, ſed dẽ propinquo, obuelatum licet, aſpicias? Si dum de longe aſpicitur, tanta aſpicientes replet hilaritate; quanto iubilo, quãto gaudio, quanta lætitia replebit prope eum intuẽtes, quodque maius eſt tangẽtes, oſculantes, edentes?

*Barthol. Ferrar. de Chriſto Abſcõd. lib. 3.*

2 Vbicunque olim Chriſti Crucifixi pingebatur imago, à dextris illius pulchra quædam, & decora puella, ſancta nimirum Eccleſia; videbatur aſtans, aurea redimita corona, iucũdo, & hilari vultũ, dextraque in calicem è ſacro latere Chriſti cruorem excipiens. Sic recenſet Doctor Angelicus. *In locis à dextris Crucifixi depingebatur puella hilari vultu, pulchra facie, & coronata; quæ ſãguinem Chriſti reuerenter in calicem ſuſcipit.* Dũ dicitur hilari vultu, idem eſt, ac ſi diceretur maximo perfuſa viſitur gaudio, dum ſacrum detinet calicem, diuino cruore repletum: non tantum in anima, ſed & in extrinſeco, ità vt exiliat, & tripudiet. Sed vnde illi tanta lætitia? Sacro ex illo calice, adnectit Angelicus, *Vnde lumen, cordis gaudium, & æternæ gloriæ coronam acquirit.* Agnoſcit Eccleſia, diuinę gratię lumen, quod habet in præſenti, & coronam gloriæ, quam ſperat in futurum, ex Euchariſtię Sacro manare: ideò tãto repletur gaudio, hilaris eſt, & exultat, dũ illud habet in manu. Præcipua ſane gaudij noſtri materia, Euchariſtia eſt. Recolũt de D. Philippo Nerio, tantum gaudium ex Euchariſtię viſione percepiſſe, *Quod cum vacuum calicem in manibus retineret, perfundebatur lætitia.*

*D. Thom. opuſ. 58. cap. 31.*

*Gallon. in Vit. D. Philipp. Ner. ann. 1551.*

3 Attende quibus encomijs manus Dilecti Saluatoris noſtri Sponſa commendat. *Manus illius,* inquit, *tornatiles; aureæ, plenæ, hyacinthis.* Attendit nì fallor Euchariſtiam facientem, cui quotidie incumbit: non enim Sacerdotis, ſed Chriſti per Sacerdotis manus tantũ miraculum operantur. Quare ait Rupertus. *Hoc operantur manus Chriſti tornatiles, aureæ, plena hyacinthis: manus inquam Chriſti hoc operãtur per manus Sacerdotis, quæ manibus ſuis confortatæ ſunt.* Vbi Vulgatus habet. *Tornatiles,* viſũ eſt alijs transferre *Sphæricæ,* cœlum, quod ſphæricum eſt,

*Cant. 5. 14.*

*Rup. de Diu. Off. lib 2. c. 5*

*Alia lectio.*

irruentibus. Sanè inſtar cœli ſunt tunc manus Chriſti; ſe ipſum, qui cœlum ſua facit præſentia, detinentes. Aureæ inſuper dicuntur, quia continent prætium animarum noſtrarum. Denique plenæ hyacinthis, quoniam magnũ ſacrificium, ſemel in ara Crucis oblatum, per ſingulos dies offerunt in altari. *Hyacinthus;* (Bercor. ver. Hyacinth.) autem *ſacris altaribus eſt dedicatus.* ait Bercorius. Verum aduerte, quod vbi apud Vulgatũ Euchariſtia appellatur hyacinthus, apud alios dicitur *Tharſis*, quod quia interpretatur *Conuerſio gaudi*. *Diligentibus ſe torrentem voluptatis infundit.* (Philo Carp. in Cant.) ait Carpatius. Vt nos à mœrore in lætitiam, à gemitu in gaudium, à lacrymis in exultationẽ conuertat.

3 Quamquã plenè niteat ſol, accendi debent lumina, fulgere intorticia, lampadeſque ſplẽdere, dum ſit Euchariſtia. Ad quid hoc? Quod opus lucis in luce? Certum eſt lucẽ eatenus expeti, quatenus adſunt tenebræ, vt effugentur. Cum lux adeſt, & ſol fons luminis rutilat, quod opus lumine? Nec ad fugandas tenebras, nec ad lumen introducendum hoc facit Eccleſia, ſed in ſignum lætitiæ, & exultationis. Lumen lætitiæ typus eſt. Cùm ſe Tobias, luminis expertem agnouit: *Quale gaudiũ mihi erit*, inquit, (Tob. 5. 12.) *qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Hinc cùm celebriora feſta peragimus, ignes ad cordis gaudium ſignificandum accendimus. Dũ Sacramentũ facimus, ait Hieronymus, *Accenduntur luminaria iam ſole rutilante, nõ vtique ad effugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* (D. Hieron. adu. Vigil.) Quia Sancta Mater dum Miſſarum ſolemnia celebrat, Euchariſtiam habet ſummum ſui cordis gaudium, ineffabilem exultationem; lumina accendit, vt gaudere, & exilire videatur à cunctis.

4 Propterea quod Propheta vas ſanguinis Chriſti calicem inebriantem dicat. *Calix meus inebrians*, (Pſ. 22. 6.) poteſt fortaſſe temperantiæ aures offendere, cui ebrietas diſplicet, vtpote quæ hominẽ eneruat, deturpat, dementat, redigit in brutum, perinde abominanda, vt ijs eam Auguſtinus auſus ſit condemnare. *Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, inſania volũtaria, ignominioſus lãguor, turpitudo morum, vitæ honeſtæ infamia, animæ corruptela.* (D. Aug. ad ſacr. Virg.) Quia verò ebrietas, qua calix Euchariſticus bibentes inebriat,

ebriat, ſacra eſt, & ſobria; arridebit non diſplicebit auribus temperantiæ, proque poſſe appetetur à ſobrijs. Idem eſt Chriſti calicem inebriare, ac lætitia afficere: conſueuit enim ſcriptura ebrietatem vſurpare pro gaudio. *In diuinis ſcripturis*, ait Cyrillus, *inuenies quia ebrietas pro gaudio animæ, & lætitia mentis accipitur.* Dum ergo ait Vates. *Calix meus inebrians*, idem puta, ac ſi dicat. Calix meus lætificās. Quoniam nihil eſt; quod lætificet homines, vt Euchariſtia. Quidni lætificabit, cum Chriſtum, gaudium cœli, & terræ, contineat?

*D. Cyrill. Alex. li. 7. in Leuit.*

6. Audiſti Citharedum Prophetam cantantem, & dicentem, exultaſſe montes, & colles, velut vt animæ, & gaudij participes? *Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium.* Vnde gaudium montibus? vnde lætitia collibus, vt exultaſſe dicantur? Quia Dominum exceperunt, ait Theodoretus (de monte Oreb, & Sina loquitur David, in quos Deum legimus deſcēdiſſe) *Colles, & montes moti ſut, & tripudiare videbantur, quippe qui celorum Dominum receperunt. Dicit autem montem ſina, & Oreb, in illis enim Dominus apparuit.* Tanta lætitia Dominus, ad quos vel ſemel aduenerit, affluit, vt etiam inſenſibilia exultent, tripudiēt. Diſce ex hoc, quo pacto tripudiet, & exultet Eccleſia, ad cuius altaria Dominus quotidie trahitur.

*Pſ. 113. 4*

*Theod. ib.*

7. Procellas, tempeſtateſque meminiſſe te ūelim à Domino cum Apoſtolis latas, hiſque à Sacro Chroniſta deſcriptas. *Aſcendente eo in nauiculā ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ità vt nauicula operiretur fluctibus.* Rogo de motu maris, vndenam inſurrexit? fortè ex vento in vndas fortiter irruente, vt ſępe ſępius accidit? Tenet quidam apud Paſchaſium minime ex vēto hoc accidiſſe; nam motus ille maris non erat, vt videbatur, procella, ſed magna maris lætitia. Videns enim mare, ſe Deum ſecum habere, exultauit, exiliuit, tripudiauit, ſeque in ſuo ſinu continere non potuit. *Legi quemdam Doctorem*, ait Paſchaſius, *quod mare exiliens præ gaudio ſui aduentus Creatoris, vix ferre quiuit ſe, & hinc eſſe, non quod tempeſtas fuerit aurarū, ſed lætitiæ motus.* Tanti gaudij cauſa eſt pręſentia Chriſti, qua tu quotidie frueris, vt & ipſummet mare, quod amariſſimum eſt, quod perpetim indignatur, quod numquam expertus eſt gaudium, dum habet Chriſtum, gaudeat, dulceſcat, exiliat.

*Matt. 8. 29.*

*Paſchaſ. ibid.*

Dum,

8 Dũ, vbi Chriſtus mortuus eſt, & paſſus, terræ globũ legis
Matt. 27 commotũ. *Terra mota eſt.* vt re-
51. cenſet Matthæus: quod etiam Dei Pſaltes præuidens, ait.
Pſ. 45. 7. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* Lætitia adimpletam, gaudio perfuſam, diem feſtũ agentem, autuma. Sane dum feſtum agimus, hinc indè cõmouemur, diſcurrimus, exilimus, ſaltamus, canimus, clamamus, organo pulſamus, bõbardis perſtrepimus. Sed quęnam terræ acceſſit tanti gaudij ratio? Quia ſe ſacro Creatoris ſui ſanguine ablutam agnouit. En Proclum ſanctiſſimum. *Dielm feſtum agit terra*
D. Procl. *diuino abluta ſanguine.* Tanto
orat. 4. perfunditur gaudio diuini ſãguinis particeps, cæleſtis diues theſauri, ſacri nectaris ebrius: vt & quæ gaudium non ſentiunt, eo perfuſa, ferè gaudium ſentiant, exiliant, feſtum diem agant.

9 Nondum nos ſemel gaudere, ſed & iterum, ſemperq; gaudere, docet Apoſtolus Paulus. *Gaudete in Domino ſemper:*
Philip. 4. *iterum dio gaudete.* Sed cur ita
4. gaudendum, vbi potius plorandum? dolendum? contriſtandum eſt? In valle lachrymarum viuimus, lachrymis egemus, non gaudijs. In exilio ſumus, mæror deportatis, non exultatio conuenit. Carcęre mancipamur, dolor captiuos, non lætitia, decet. Et vnde illud Apoſtolorum Principis: *In quo exultabitis modi-* 1. Petri
*cum nunc ſi oportet contriſtari in* 1. 5.
*varijs tentationibus?* In valle lacrymarum vtique ſumus, exules, & captiui: gaudẽdum tamen, & exultandum. quia Dominum nobiſcũ habemus. *Dominus enim prope eſt.* Subdit Apoſtolus. Sane tali, tantoque gaudio Dei nos præſentia replet, vt omnis luctus, mœroriſque reddat oblitos, exilium commutet in patriam, luctum in exultationem, terram in Paradiſum. Exultauit vtique Abraham Deum videns à lõgè, *Abraham pater veſter exul-*
*tauit, vt videret diem meum.* Io. 8. 56.
*Vidit, & gauiſus eſt.* Et nos verò non exultabimus, Deum tam prope habentes? proſpicientes? ſpeculantes? *Venit ad* Seneca
*nos ex ijs, quos amamus, etiam* lib. 5. ep.
*abſentibus, gaudium; ſed id leue,* 35.
*& vanidum. Conſpectus, & præſentia, & conuerſatio habet aliquid viuæ voluptatis.* ait Seneca.

10 Aptè quidem, & pulchrè viti ſe Dominus confert,
*Ego ſum vitis vera.* Ex eo enim Ioa. 15. 1.
pretioſus cruor emanat, quẽ ſub formis liquoris vitis propinat in ſacro cratere, et nos
ad eum inuitat: *Venite, come-* Prou. 9. 5
*dite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis:* cum, vt Varr. de
Varroni placet, vitis ab inuitan- Re. ruſt.

tando dicatur. Cæterum quia per hoc Sacramentum nos ſibi ipſi ſtringit, & vnit, quod cum conſtitueret. *Vtrunque noſtrum corpus, & animam ſibi aſtringere ardebat.* ait Rupertus, ſe vitem clariori euidentia profitetur; quia ex Iſidoro vitis dicitur, *Quia vittis adnectit, quaſi bracchijs quibuſdam quidquid comprehenderit ſtringit.* Demum, vt album attingam, quemadmodum vitis naturali quadam proprietate gaudium ſpirat, ſibique appropinquantes exhilarat: vnde apud Philoſtratum, vt refert Pierius, *Vinitor ſub vite conſidẽdum Fœnici ſuadet, quod ex ea ſpirare ſolet lætitia*: ità & Chriſtus in Euchariſtico ſacro conuiuantes lætificat: quin & inſpicientes. De Catharina Senenſi memoriæ proditũ eſt, *Quod quoties ſummum Sacramẽtum, vel ſumpſiſſet, vel vidiſſet, nouum, & ineffabile gaudium in eius animo exiſtebat, ità vt non raro in eius pectore cor exiliret, idque cum tanto ſono, vt ſociæ circumſtantes clariſſimè audirẽt.*

*Rup. de Diui. Off. li. 2. c. 10*

*D. Iſid. etym. lib. 2. c. 10.*

*Pier. lib. 53.*

*Surius 29. April.*

11 Audi quæ Deus inquit Hebræis Numer. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis.* Hic ambigendum non eſt agi de Euchariſtia: non enim ait: Cũ habebitis cibum, ferculũ, aut edulium, ſed epulum. Epulũ, vt placet Iſidoro, ab opulentia dicitur: & nihil Sacro Euchariſtico ditius, opulentius. *In ipſo*, ait Laurentius Patriarcha, *theſauri reperiuntur plurimi, munera copioſa, ſpirituales deliciæ, mirabilia maxima, ſacra myſteria, Dei, hominiſque perſona.* Quare ait Philipphus Abbas: *Eccleſia habet epulum, cũ in altario corporis, & ſanguinis Chriſti conficit Sacramentum.* Sacro igitur epulo perfruentibus, enutritis Deus canere iubet. *Canetis tubis.* Quare canendum? Et quare non canendum, inquam, cũ præ oculis noſtris gaudium habeamus? habeamus eum, qui replet nos lætitia cũ vultu ſuo? Iubilandum vtique, lætandũ, exultandum, canendumque tubis in ſignum lætitiæ?

*Num. 10. 10.*

*D. Iſid. Etym. li. 20. c. 2.*

*B. Laur. Iuſti. ſer. de Sacr. Euch.*

*Philipp. Abb. de Sil. Cler. c. 19.*

12 Super illud Ioannis, *Nuptię factæ ſunt in Cana Galileę, & erat mater Ieſu ibi: vocatus eſt autem Ieſus cum Diſcipulis ſuis ad nuptias*, quærunt non incurioſè quamplurimi: Quare Dominus Ieſus adeſſe voluit nuptijs? Reſpondentque communiter: Nè damnare nuptias videretur, cũ cælebs, & virgo, in tota vita permanſerit. Pulchra quidem ratio. Sed placet Cyrillo, id factum etiam pro adimendo, lætiſicandoq; nuptiarum mœrore. Malè videbantur nuptiæ ex Eua, prima nupta, ceſſiſſe; vtpote cuius exceſſu perpetes fon-

*Ioan. 2. 1.*

fontes erant iurgium, lacrymarum, dolorum, laborũque. Voluit ergo Dominus nuptijs intereſſe, vt eas ipſe, qui verũ eſt gaudium, gaudentes, & lętas ſua præſentia redderet. *Qui cum ſit verum gaudium, priſcum nuptiarum mœrorem præſentia ſua depulſit.* concludit Cyrillus. Fugit mœror, labor, dolor, vbi Chriſtus apparet. Cuncta iubilat, exultant, exiliunt, vbi præſto eſt Chriſtus. Naſcitur, & canunt Angeli: palam fit Magis, & Magi gaudio magno replentur; offertur in templo, & ſenex exultat, canit: nauigat, & ludit mare; moritur in ligno, & exultant in ligna Syluarum. Tandem comeditur in altari, & lætantur conuiuæ *in voce exultationis, & confeſſionis*, tantaque lætitia, & exultatione replentur, vt & in cœlo eorum iubilatio concrepet. *Dum filij tui.* loquitur Eccleſię Iuſtinianus, *Sacratiſſimi Corporis Domini paſcuntur edulio, tàm piè, tam deuotè, vt in voce Pſalmi, in exultatione mentis, in fidei confeſſione epulantium feſtiuus in aula cœleſti concrepet ſonus.*

D. Cyrill. Alex. in Io. lib. 2. c. 21.

Pſ. 41. 5.

B. Laur. Iuſt. ſer. de Euch.

13 En locum, hoc loco minime contemnendum. Refert Matthæus, quod vbi Rex ille, qui filio nuptias fecerat, aduenisse accepit, & diſcubuiſſe conuiuas, vt eos aſpiceret, ingreſſus eſt triclinium. *Intrauit autem Rex, vt videret diſcũbentes.* Quærit ſuper hoc Abulenſis. Quare Rex intrauit, vt videret conuiuas? Quidnam ſui pręſentia, & viſu, boni pręſtare poterat illis? *Vt Rex*, reſpondet, *lætificeret epulantes, cum eis præſentiam ſuam exhiberet.* Quænam hę nuptiarum epulæ? niſi ſacroſancta Communio, in qua ſanctorum animæ vt Deo ſummo Regi copulentur vt ſponſo; de carne, & ſanguine eius opipare conuiuantur? In ea Deum Regem non in triclinium altaris ſolummodo, ſed, & in ipſas dapes, ingreſſum credimus, vt, cum ipſe ſit verum gaudiũ, adimplendo ſe ipſo cõuiuas, adimpleret itidem gaudio.

Matt. 22 11.

Abul. qu. 33. ib.

14 Expende tandem, quod calcante Iona carinam, iraſcebatur mare, intumeſcebant aquæ, efferueſcebant vndæ, mortem minabantur acerbã. Vbi fuit in mare deiectus, ſiluere procellæ, continuere ſe aquæ, pacatæ ſunt vndæ, trãquillatum eſt mare. *Tulerunt Ionam, & miſerant in mare, & ſtetit mare à feruore ſuo.* Vnde eſt, quod mare tantopere iratum, ac fremens, tanta facilitate ſedatum eſt, redditumq; tranquillum? *Stetit mare à feruore ſuo, deſideratum tenẽs; gaudet, confouet in viſceribus ſuis, & ex gaudio tranquillitas redit.* ait Hugo. Præſentia Ionæ, quã

Ioa. 1. 15

Hugo Card. ibi.

mare

mare deſiderauerat, in cauſa fuit; vt ipſum furoris oblitũ, nouo gaudio repleretur. Deus meus? & quam conferet corpus tuum cordibus animatũ lætitiam, cùm ad nos ſacro properabit altari, cum glorioſum ſit, & beatum? cęli, terręque gaudium; exultatio? iubilum? *Alimentum vitæ*, vt dicam cum Chryſippo, *eſca lætitiæ: incorruptionis dulcedo?*

Chryſip; de Laud. V. M.

## THEOREMA VIII.

### Menſam.

*Nulli non communis ſacroſancta Communio.*

SAcrum altaris nuncupatur menſa, *Paraſti in conſpectu meo menſam*; quia in medio poſitum, cunctis communiter patet, omnibus exhibetur, nemo ab illo ſecluditur. *Menſam dixerunt, quod in medio apponatur*, ait Plutarcus. Sicut de medio extrema omnia æquè participant, ſic Chriſticolæ omnes; pueri, & ſenes, nobiles, & ignobiles; iuſti, & peccatores; viui, & defuncti: quodque maius eſt indirectè, & per accidens qui cruciantur in orco, participes ſunt, Eucharistię, quod, vt accidat, probandum eſt demum.

Plu. Probl. Symp. Decad. 8.

1 Bartholomæus de Piſis illud Lucæ conſiderans, *Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio*, deuotè pariter, & argutè, ſic Deiparam interpellat: Vbinam prudentiſsima Virgo cęli Regem conſtituis? in diuerſorio? cur non in Regum aula, vt cũ decet? *Beata Virgo*, reſpondet, *non collocat eum in palatijs Regum, & Principum, ſed in diuerſorio, vt ad videndum ſuum filiũ aduenientes non impedirent cliẽtes, non turbarent armigeri, aut tremorem ingererent ſatellites faſtuoſi. Exponitur cunctis ſuus filius, qui ad omnium erat directus ſalutem, nè ſuus aſpectus tolleretur ab vllo, qui ſe omnibus exponebat ad nutum.* Scitè profectò, & eleganter velut ſi diceret: Non ignorabat ſapientiſſima Virgo perinde omniũ eſſe dilectum ſuum, vt nemo excludendus foret ab eo: ideo tametſi cognoſceret, vtpote Regem Regum, in Regum aulis, & Principum, & in Imperatorũ Baſilicis, collocandũ; noluit tamen; quia quãplurimos excludi nouit ab aulis, humiles nimirum; pauperes priuatæ vitæ amatores, & ſolitarios. Reclinauit in diuerſorio, quod commune eſt Regi, & ſubiecto, Duci, & militi, nobili, & plebeo, ciui, & peregrino, & cuicũq; generi per-

Luc. 27.

Barth. de Piſis lib. 3. fruc. 7. de Vita B. Mar.

ſonarum. Quia verò tunc Euchariſtia menſa figurabatur, cum panis Angelorum, vt alibi dictum eſt, reponeretur in domo panis, docuit nos Deipara, menſam filij ſui adeò communem, vulgaremque futuram, vt nemo ab ea foret excludendus.

2 Age nunc, florem dic Sacrum altaris. Flos eſt vtique; defluit enim è cœlo. *Flores nominati, quod defluunt.* ex Iſidoro. Defluunt ex eo præterea torrentes lactis, flumina mellis, liquores cęleſtis balſami, quos, qui Deũ ſitiunt, bibũt, & inebriantur. *Hic bibunt in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami cęleſtis.* ait Bernardus. Flos eſt inquam, *Omni ſuauitate odoriferus, aſpectu decorus, guſtu dulcis, tactu ſuauis, aſpectu delectabilis,* vt ait Hugo. Sed vbinam hic flos floret? nitet? vernat? In campo. *Ego flos campi.* quam læta vox. Non in horto ſepibus, non in domo repagulis, non in turre vallis, non in Vrbe mænijs, ſeptus, & clauſus, ſed in campo, nullis ſepibus, nullis repagulis, nullis vallis, nullis mænijs cuſtoditus. *Ego flos campi. Quaſi diceret,* ait idem Hugo, *O Sponſa noli me in abſcondito cubiculi, vel in horto lectuli quærere, quia palam me exhibeo omnibus ad cognoſcendum, inueniendum, obtinendum, vt flos campi, quo nihil eſt magis expoſitum.* Et iterum. *Non horti, quia omnibus volentibus ad delectabiliter intuendum, & ſuauiter odorandum expoſitus: non in horto, non in lecto, vel domi ſingulariter poſſidendus, incluſus.*

*D. Iſid. etym. lib. 17. cap. 6*

*D. Bern. Ser. 1 Cœna Dom.*

*Hugo Cardin.*

*Cant. 2. 1.*

*Hugo Cardin. ibid.*

3 Illud interim liceat expendere, quod Saluator ſacrũ porrigeas ſanguinis poculũ turbæ ſuę, ait. *Hic eſt ſanguis meus noui, & æterni teſtamẽti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Vides quod non modo ait, *pro vobis,* ſed & *pro multis.* Velut diceret, vobis eum ſumentibus, non tantum vobis, ſed & alijs non ſumentibus, proderit. Sed dum pharmaca, vt patet, non ſumentibus minimè proſint, indè hoc ſumptum & ſumentem, & non ſumentẽ iuuat? Pharmacũ hoc è cęlo, non è terra eſt, diuinum, non humanum, tantaque vi fretũ; vt ſuas ex ſumentibus vires transferat in non ſumentes, nulliq; non proſit. *Accedat,* habet Ferrarienſis, *ad poculum Chriſti, & bibat ſanguinem, qui eſt potus proficiens non ſumentibus; prodeſt pręſentibus in Miſſa, & abſentibus prodeſt viuis, prodeſt defunctis. Hoc autem prænuntiat Dominus cum dicit. Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro vobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet*

*Bartol. Ferrar. de Chriſto Abſc. li. 3.*

cet

*cet non ſumentibus, effunditur in remiſſionem peccatorum.*

4 Si vinum Dominus, vt referunt Euangeliſtę, miſcuit, & Luc. 22. 17. conſecrauit in calice, *Accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos*, cur ait Salomon miſcuiſſe, & conſecraſſe in cratere? *Miſcuit in* Prou. 9. *cratera vinum.* Sane crater, ſicut & calix, vas potatorium eſt. Maluit autem Sapiens crateris vſurpare vocabulum; quia ſategit innuere, quam commune, & vulgare ſit eucharisticum ſacrum. Crater omnium latiſſimi, & capaciſſimi vaſis eſt genus, vnde & ad ingens illud foramen tràslatum eſt, per quod Aethna euomit ignes: & ad receptacula fontium, in quæ aquæ decurrunt, & congregantur. Magnum etiam illud vas Magni Alexandri, ex quo nouem hominum millia potauerunt, dictum eſt crater. Crater ergo vas dicitur, in quod mittitur Euchariſtia, vt ſignificetur, nemini hauſtum pretioſiſsimi ſanguinis, qui pro omnibus effuſus eſt, prohiberi. Proinde D.Baſil. i init.prou. ait Baſilius: *Craterem autem dicit Communionem, & popularem bonorum participationem, vnde ęqualiter omnibus, vnicuique quod poſſibile eſt, & competens eſt haurire.*

Num. 11 7. 5 Quæro iterum: Cum referat Moyſes, manna diuini edulij typum, bdellij prætuliſſe colorem, ſiue, vt alij transferunt, cryſtalli, carbunculi, ſmaragdi, iaſpidis, adamãtis, & margaritæ; vnde mox Chriſtus corpus ſuum, & ſanguinẽ ſub ſenſibilibus panis, & vini propoſuit, cum, vt figurato reſponderet figura, ſub gemmarum formis debuiſſet apponere? Non immeritò id factum exiſtima. Si ſub pretioſis formis tam magnum bonum lateret, ſolis mũdi magnatibus, ſolis nobilibus, & diuitibus apponeretur edendum: pauperes, & ignobiles, quibus gẽmæ deſunt, eſurirent, perirẽt. Quia verò pientiſſimus Dominus ſacram menſam ſuam cunctis apponi voluit, æquè à pauperibus, ac diuitibus, participari; non ſub gemmarum, quæ paucorum ſunt, inuolucris, ſed ſub panis, & vini, quę cunctis obuiæ fiunt, corpus ſuum, & ſanguinem conſecrauit. *Deus in ſuis beneficijs noſtram abſtulit expenſam, nè grauaremur, ſuam contulit incomparabilem gratiam, vt hilarius iuuaremur. Si enim in quibuslibet pretioſis ſpeciebus Sacramẽta ſua Deus inſtituiſſet, difficilis, & onerosa pauperibus ad ea fieret acceſſio.* ait Algerus.

Apud Lor. ibid. ver. 6. & 8.

Alger. de Sacr. lib. 3. c. 4.

6 Quamquam vnus, ſimplexque cibus ſit Euchariſtia, tot tamen gaudet vocabulis, vt ea omnia laborioſum ſit re-

cenſere. Non ſolum panis dicitur, vinum, aqua, mel, lac, manna, ſed & alijs penè innumeris. Quare tot vni cibo indicta ſunt nomina? Cum Henriquez dicere poſſem, id accidiſſe ob indicibilem eius, & ineffabilem excellẽtiam. Res cuius excellentia vna voce ſignificari non poteſt, vt multis, & diuerſis nominibus deſcribatur oportet. Sed & aliã cũ Drogone rationẽ aſſigno. Quia ſicut animalibus terræ pro diuerſitate naturæ, & guſtus varia apta ſunt pabula, ità vt huic mel, illi herba, huic hordeum, huic verò res quæpiam alia congruat: ità & varijs hominibus varius eſt guſtus, varius appetitus, vnde, & varia ciborum electio. Hinc porcum Troianum adinuenerunt, quem, varijs cibis refertum, cocorum coquit induſtria, vt in eo vno habeant conuiuantes, quod ſuo palato arrideat; nemoque incœnatus abſcedat. Sacra igitur Euchariſtia tot nominibus inſignitur; quia omnigenis referta eſt ſaporibus, & delicijs, vt omnis generis homines inuenirent in ea, quidquid palatũ eorum affectat: nemoque ſit, quia ab ea ieiunus abeat. *Vnus, & idẽ cibus, & api mel, & ceruo fons aquæ, & panis, qui cor hominis confirmat*, ait Doctor Cardinalis.

*Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 1. n. 1.*

*Drogo de Sacram. Domin. Paß. li. 1.*

7 In nonnullis collectis, quas poſt Communionem recitat Sacerdos, hæc verba reperies *Refecti cibo potuque cæleſti, &c.* Aduerte hic, quod non dicit refectus, ſed refecti, velut ſi non ſolus, ſed & alij cum eo ſacris refecti fuerint Sacramentis. Sed ſolus communicauit, ſolus refectus eſt; quare ergo refecti, inqt, & nõ refectus? Audi D. Vincentiũ. *Non dicit refectus, ſed refecti, quia ſicut omnia membra corporis reficiuntur cibo ab ore ſumpto, ſic de corpore Eccleſiæ omnia membra coniuncta reficiuntur.* Perinde communis, & vulgaris eſt menſa Domini, quod dum ad eam vnus accedit, vnus manducat, & bibit; omnes comedunt, bibunt, tantiſque myſterijs abunde reficiũtur. Quod enim de Sanctis dicendum, qui errauerunt in ſolitudinibus, in deſertis, in ſpeluncis, procul à Ciuitatibus, longè à templis, expulſi ab aris qui nunquam Sacerdotem viderunt, qui neq; ſemel ſacro interfuerunt? Fuiſſe tanti muneris expertes? eſuriſſe ſacrum cœli panem? ſitiuiſſe pretioſum cruorẽ, quos tanto Chriſtus amore proſequebatur? Nequaquã planè. Nam & ſi non ſacramentaliter; ſpiritualiter tamen reficiebantur. *Qui in deſertis errabant*, ait Carbaſila, *in monti-*

*D. Vinc. Serm. 1. Dom. 1. poſt Paſcha.*

*Nicol. Carbaſ. in Exp. hyturg. c. 42*

bus,

*bus, ſiue ſpeluncis, in foraminibus terræ; qui altare, & Sacerdotem nullo modo videre poterant; eos Chriſtus ipſe hac ſanctificatione inuiſibiliter ſanctificabat.* Comedebant Sacra, reficiebantur, ſanctificabantur inuiſibiliter, cum Sacerdote viſibiliter refecto, & ſanctificato.

8 Quo plus Prouerbiorum
Prou. 9. 1 illud expenderis, *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam; miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis*, & maiora, & grauiora tibi ſemper occurrent myſteria, vt videre aliqualiter eſt ex p̄habitis. Eia nunc iterum perpēdatur, & eruatur aliud, rei, quam præ manibus habemus, admodum conſentaneū. Chriſtus ſibi domum erexit, vt ſacrum in ea ſympoſium præpararet. In domo igitur præparauit. Cur ergo miſit ancillas, *Vt vocarent ad arcem & ad mœnia Ciuitatis*, cùm mittere debuiſſet, vt conuocarent ad domum? Dum aduocabant ad Ciuitatem, aduocabant ad domum; nec enim alibi poterant conuiuæ, quā vbi propoſitum erat cōuiuiū, congregari. Non dixit autem ad domum, ſed ad Ciuitatem, nè exiſtimares Euchariſtiam paucorū eſſe; eſt enim omniū. Sanè domus paucorum eſt, Ciuitas omnium. Diſce ergò ex loco Sacrum euchariſticum commune eſſe, omnibus peruium, cunctis propoſitum, nemini denegatum.

9 Aduerte præterea, quod cum Pſaltes ſub typo mannæ munus euchariſtici panis præſtitum è culmine cœli deſcriberet, vſus eſt verbo pluendi,
*Et pluit illis*, inquit, *manna ad* Pſal. 77.
*manducandum*. Poterat qui- 24.
dem ſcribere; miſit, deſcendere fecit, aut ſimile quidpiā; ijs autem neglectis *Pluit*, inquit. Quorſum hoc? Vt donum euchariſticum omnibus datum eſſe deſcriberet. Cum Deus pluit, omnibus pluit. Sacra Euchariſtia nō ſolis Petro, & Paulo, alijſque perfectis, & grandibus præparatur; ſed & nobis, quamquam par-
uulis, & puſillis. *Pluit illis* Rup. Ab.
*manna ad manducandum*, ait lib. 3. c.
Rupertus, *vbique terrarū pa-* 10. Exodi.
*ratam, omnibus puſillis, & magnis ſignificat copiam, vt de ipſo magnus Propheta dicat. Paraſti in conſpectu meo menſam; & de nobis, licèt minimis: Edant pauperes, & ſaturabuntur.*

10 Docuit hoc Euāgeliſta, dum ſcriberet, Dominū, facta iam Euchariſtia, fregiſſe, &
dediſſe eam Diſcipulis. *Cœ-* Matth. 26.
*nantibus autem eis, accepit Ie-* 26.
*ſus panem, & benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis.* Expende, ait Hugo, quod ait *De-*

*dit,*

*Hug. Car. ibid.*

*dit, non vendidit.* Datur, non venditur Euchariſtia. Vt ex hoc coniectes non paucorum eſſe, ſed omnium. Quis ſanè neſcit, ſi pretioſiora mundi darentur, non vẽderentur; omnium, non paucorum eſſent? Quę non dantur, ſed venduntur, paucorũ ſunt. Dedit ergo Chriſtus pretioſum corpus ſuum, non vendidit, vt omnium ſit, non modo diuitum, Apoſtolorum ſcilicet, aliorumque perfectorum; ſed etiam pauperum, nempe imperfectorum. *Dedit, non vendidit.*

*Luc. 16. 27.*

11 Tandem quidnam diuitem purpuratum impulit, vt dũ inextinguibili torqueretur in igne, rogaret Abraham, vt Lazarũ ad ſuos mitteret, quæ poſt hanc vitam accident, nuntiaturum, nè in idem ſupplicium, quod ipſe patiebatur, inciderent? Fratrũ charitas, inquies. At quænam, & qualis charitas eo adeſſe poteſt in corde, à quo tam procul eſt charitas, quàm procul eſt Deus, qui vera charitas eſt? Sanè mouit eum nouum ſui cruciatus augmentũ. *Nè pœna eius augmentaretur*, ſcribit D. Vincentius, *quia quanto plures ſunt damnati, tãto magis pœna actualis eis augmentatur.* Quia ergò per hæc Sacroſancta myſteria plurimi, & innumerabiles, & ſalutem conſequuntur æternam, & liberãtur ab inferorum ingreſſu, fatendum, ea etiam damnatis proficere, non quidem ad ſalutem; ſed quatenus augmẽtum pœnæ, qua ex maiori conſortio torquerentur, excludit. *Valent etiam damnatis per modum diminutionis*, Iſidorus; *quanto enim plures ſoluantur, tanto pauciores damnabuntur, & ità minor erit pœna, per ſubſtractionem conſortij illorum.* In quo ſenſu adeo cõmunis eſt Sacra Communio, vt ijs etiam, cum quibus nec Deus, nec Eccleſia Dei communicat, eius quo quomodo per accidens communicetur effectus.

*D. Vinc. ſerm. 2. Dom. 1. poſt Trin.*

*D. Iſid. de Off. Eccl. lib. 2. c. 28.*

## THEOREMA IX.

### Menſam.

*Viris, viribusq; præſtãtibus, non effæminatis, & pueris, paratur menſa Domini.*

*Athen. lib. 11. c. 13.*

AVctor eſt Athenæus, à veteribus menſas rotundas conſtrui ſolitas, circularem figuram pulchram, & ornatam exiſtimantibus; ad quas, vt ferunt alij, non niſi fortes admittebantur, & ſtrenui. Cauit hoc inter cæteros Arcturus, Britannorum Rex potentiſſimus. Si menſæ Do-

mini formam ſtudioſè ſcrutaberis, occurret tibi rotunditas. In ea vitæ noſtræ ſeruatur æternitas, quæ, quod principio, & fine caret, rotunditas dici poteſt. Ad eam ergò non admittuntur effæminati, & pueri, ſed viri tantummodo, & fortes, robore præſtantes, & ſtrenui.

1 Dum Olim Sacram Hoſtiam celebrans eleuabat, moxq; dimiſſam plebi diuidebat, diſtribuebatque placet Damaſceno, idipſum repræſentatum, quod factum eſt Ieruſalem, vbi Dominus exaltatus eſt in Cruce, & poſitus in ſepulcro: per Chriſti ſepulcrum cõmunicantes intelligens. *Extollitur in manibus Sacerdotum, tamquam in Cruce, & diſtribuitur confractum, atque ità in nobis ſepelitur, vt nos ſimul incorruptos reddat.* Quicunque igitur communicare deſiderat, Dominici monumenti calleat qualitates; aliter Sacrum Corpus in ſe nequaquam dignè recondet. Sacrum monumentũ in ſaxo, non in luto, aut arena, fuit exciſum. *Poſuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petra.* ait Matthæus. Quare viriles, fortes, firmi contra hoſtes, & hoſtium tela, qui per petram ſignificantur, digni ſunt Dominica ſepultura: indigni verò molles, fragiles, effæminati, qui per arenam, & lutum ſignificantur. *Molles,* ait idem, Doctor *& quæ facilè in voluptates effunduntur animæ, diuinum Verbum admittere non ſuſtinent: ſed firma tantum, & maſculo quodam robore ad virtutẽ amplectendam, exercendamque, præditæ.*

D.Damaſc.epiſt. ad Zach. cap.2.

Matt.27. 60.

D.Damaſc. Hom. de Sabb. ſanct.

2 Menſam propoſitionis, quam Deus ad præſignandam Eccleſiæ menſam, mandauit apponi, corona quædam aurea circuibat, quam, & ſi Vulgatus Interraſilem dicat, *Coronam pugilis* dicit Cõplutenſis. Corona, qua redemita eſt menſa Eccleſiæ, ipſamet Euchariſtia eſt. Sic eam appellat Chryſoſtomus, manus requiſitam exaggerans puritatem, cui datum eſt Sacrum attingere. *Quos radios ſolares,* inquit, *excedere non debet manus illa, quæ hanc coronam pertractat?* Dicitur autem corona, quia conuiuantes Reges cœli conſtituit, per eam Eccleſia, *Aeternæ gloriæ coronam accipit.* ait D. Thomas. Verum aduerte, quod hæc corona dicitur pugilis, ſeu pugilum. Pugil à pugilatu procedit, & ſignificat virum fortem, virilem, pugnantem. Vt aduertas talium eſſe Euchariſtiam, pugillorum, nempe fortium, robuſtorum; non imbecillorum, puerorum, debilium: Menſa eſt

Exo.25. 23.

Transl. Complut.

D.Chryſoſt.

D.Thom. opuſc. 58 cap.31.

eſt rotunda, in ſpirituali certamine ſtrenuorum, qui carni, mundo, Dæmoni non ſuccumbunt.

3 Luna decimaquarta, corporis, & ſanguinis ſui Sacroſancta myſteria à Chriſto cōfecta, accepimus, ſuæque familiæ diſtributa. Quare luna decimaquarta potius, quam prima? Vt doceret ea lunæ tantummodo plenæ præbendum. Scias per lunam Eccleſiam ſignificari, cui diuiniſſimum adinuentum eſt ferculum, quæ à Spōſo prædicatur *Pulchra vt luna*. Ea prima eſt, & decimaquarta; parua, & magna; inanis, & plena: prima, parua, inanis in imperfectioribus; decimaquarta, magna, plena in perfectioribus membris. Sacer, & ſanctus cibus nō omnium Eccleſiæ membrorum eſt; ſed perfectorum, ſed grandium, ſed plenorum virtutibus.

Cant. 6. 9

4 Sancitum eſt in lege, carnes ſacrificij, quas immolabat pro peccato Sacerdos, manducari tātum à maſculis. *Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus eius*. Quia verò hoc ſacrificiū Euchariſtiam præſignabat, inſurgit dubitatio non parua. Nam ſi ſtatutum eſt, ſolos viros, & maſculos, Chriſti carnibus veſci, fæminæ proculdubio, tamquam tanto ferculo indignæ, excluderetur à Sacro cōuiuio. Porrò quare deuotus ſexus relinquendus ieiunus? fame, & ſiti tabefaciendus? Reſpondet Rupertus, exponens quid per maſculum intelligi debeat. *Nemo mollis, & fluxus huiuſmodi hoſtiæ dignus eſt eſu: omnis quippe maſculus de genere ſacerdotali, id eſt omnis fortis, qui viriliter intus reſiſtit, veſcetur carnibus eius*. Cùm textus ait maſculum, fæminas, quæ maſculæ ſunt, nō excludit, nec maſculos, qui ſunt fæminæ includit. Omnem robuſtum, & fortem, ſiue vir ſit, ſiue fæmina, per maſculum intelligitur. Quantas fæminas nouimus, quantas puellas audiuimus, quantas virgines legimus, maſculeo robore præditas? Numquid Tecla, Agatha, Catharina, Agnes, Lucia, & innumerabiles huiuſcemodi, fæminæ fuerunt? Maſculæ profectò, & vt maſculæ ſacris carnibus Agni refectæ. Maſcula erat Agnes, quæ ludibunda cecinit: *Corpus eius corpori meo ſociatū eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas*. Maſcula Lucia, quæ (vt recolunt) mori nō potuit, niſi ſacrum panem acciperet. Dummodo igitur robore præſtes, & viribus, vir fueris, vel fæmina, ad Eccleſiæ menſam audacter accedas.

Leuit. 6. 29.

Rup. Ab. lib. 2. c. 34. in Leuit.

5 Sed verò notandū eſt, à

Ioan-

Ioanne referente multitudinem, quam Chriſtus omnipotens in deſerto pauit, nullam haberi de pueris, & mulieri-

Ioan. 6. 10

bus mentionem. *Diſcubuerũt,* inquit, *viri numero quaſi quinque millia.* Cum enim conſtet, vnà ibi cum viris & mulieres, & paruulos adfuiſſe (non eſt enim poſſibile, deuotum, piũque, ſexum cum ſuis infantibus, ſancta non ſecutum eſſe veſtigia,) quare mulierum, & puerorum nulla facta métione, ſolos viros enumerat? Quoniam in hoc cõuiuio Euchariſtię refectio p̃ſignabatur, ad quam nullus puer, nulla fæmina admittitur: nullus nimirum effęminatus, effractus, & imbecillis: ſolis viris, ſolis fortibus, ſolis cordatis expoſita eſt. En D. Cyrillum.

D. Cyrill. Alex. li. 3. cap. 16 in Ioan.

*Mulieribus autem, & pueris confusè diſcumbentibus, de viris ſolis mentionem fecit: ænygmaticè monens, omnibus, qui viriliter probitatem, & fidem amplectuntur, non imbecillis, & mollibus cœleſtem à Saluatore cibum præberi. Nam qui muliebri animo, aut puerili ſunt, nihil magni cognoſcere poſſunt.* Adde & Haymonem, item clariùs explicantem.

Haymo ſer. Dom. 4. Quadr.

*In hac refectione nulla fæmina fuiſſe memoratur, ſed tantummodo viri. Vir quippe à viribus dicitur. Myſticè monemur, vt quam ſuauis ſit Dominus guſtare deſideramus, viri ſimus, ideſt forte contra Diaboli tentationes. Nec ab hac refectione Dominica fæmina ieiuna remanebit ſi ſexu fæmineo viriliter tẽtaméta Diaboli compreſſerit: ſicut contrario vir ſexu fæmineo mentis afficitur, ſi contra impetum tentationis mollis, & diſſolutus in opere ſuo inuenitur.*

6 Refert Durandus, ciborium, ſeu capſam, in qua corpus Chriſti reconditur, ſæpe ex cryſtallo fieri. *Capſa, in qua hoſtiæ conſecratæ aſſeruantur, quandoque fit de cryſtallo.* Cryſtallina fuit capſula, in qua Clara, clariſſima Virgo, ad profligãdos hoſtes ab Aſſiſio, corpus ſanctiſſimum protulit. Quare ex cryſtallo conſueuit confici? Vbi cryſtalli ſtructuram audieris, pulchram rationem accipies, qua & quæſito tuo ſatisfies, & inſtituti noſtri veritas ſolidabitur. *Cryſtallus,* inquit Bercorius, *fit ex aqua; quia licèt aqua ſit natura fluxibilis, quandoque tamen per fortitudinem frigoris ità induratur, ac gelatur, quod Cryſtallus firma, lucens, & fulgida inuenitur.* Idcirco corporis Chriſti ciborium ex cryſtallo fabrefieri aſſolet, quoniam non in mollibus, & fluxibilibus loculis; ſed in firmis, & fortibus, reponi debet: debet non in molli, & effæminato corde reponi; niſi prius durefcat, ſo-

Dur. Rat. Diui. lib. 1. cap. 3. num. 25.

Berc. Reduc. Mor. lib. 10. c. 63.

lidetur, & in cryſtallum euadat.

Pſal. 27. 25. 7 Cum ait Propheta *Panẽ Angelorum manducauit homo,* non eſt ſenſus, quod Angeli communicent, & Euchariſtiã nobiſcum vna manducent, vt te aliàs monui. Manducant quidẽ Angeli Chriſtũ, ſed reuelata facie, remotiſque, ſub quibus à nobis editur, inuolucris, per viſionẽ nempe beatificam. Senſus eſt, Euchariſtiam fortium eſſe, & potẽtiũ, *Alia, Trãsl.* ſic enim alij transferunt: *Panem potentum, ſiue fortium mãducauit homo.* Potens autem, & fortis dicitur Angelus: nam qs fortior Angelo? Sane vnus Angelus per vnam noctem totum Sennacherib exercitum trucidauit. Alius tribus tantũ horis ſeptuaginta Hebręorum millia gladio peſtis occidit. Quid plura? Plus poteſt vnicus Angelus, quã vniuerſi terrarum Reges cum vniuerſis militibus dimicantes. Tãti roboris, & fortitudinis eſt Angelus. Cum ergo dicitur. *Panẽ Angelorum manducauit homo.* fortium, & robuſtorum, qui prę fortitudine, & robore Angeli dici poſſunt, eſſe dicitur Euchariſtia; non imbecillorũ, puerorum, effæminatorum.

Num. 20. 20. 8 Quid eſt, ait Auguſtinus, quod vbi populus Dei aquam potauit è lapide, quem percuſſerat Moyſes, contra Regem Amalech bellum illicò iniit? Niſi, quod poſtquam populus Chriſtianus Sacramenta ſuſceperit ſacro è latere Chriſti, quem lapis præſignabat, educta; neceſſe ei ſit cum Diabolo dimicare? *D. Aug. ſer. 93. de Temp.* *Bibit de petra populus, & ſtatim bellum iniit contra Amalech. Videte fratres, quia poſtquam quiſque de petra biberit, ideſt Chriſti Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere.* Nemini Dœmon violẽtiùs inſidiatur, neminem fortiùs impugnat, quàm Deo plenum; vt Deo euacuetur, vt deſeratur à Deo. Operæpretiũ ergo eſt, communicãtem perindè fortem, & ſtrenuum eſſe, vt Diabolo poſſit reſiſtere, eiuſque tela comprimere, elidere tentamẽta. Quod ſi puer erit, aut fæmina, imbecillis, & fractus, mollis, & voluptuoſus: quomodo hoſti fortiſſimo poterit obſiſtere, & vincere; tecum ipſe cõſidera. Hinc eſt, quod ſacra corporis Chriſti comeſtio nuncupata eſt prandium. *Matt. 22. 4.* *Ecce prandium meum paraui:* Quia viros fortes, ideoneoſque bello requirit. *Prandium*, ſcribit Pollio Trabellius, *Poll. Trabell. apud Cæl. lib. 27. c. 24.* *dici, quod ad bellum milites paret, accinctis initum. Cui rei adſit argumentũ,* addit Cælius, *quod à diſcinctis cum Imperatore cœnarctur.* Quid prandio, & pueris? fæminis? imbecillis? cum ſit poſt pran-

prandium dimicandũ? bellum
cum Amalech, cum Dæmone
truculentiſſimo, ineundum?
9 Ceterũ aduerte, ꝙ Vates
Eccleſiæ, de filijs ſuis, ſacrã altaris
menſam coronantibus,
loquẽs, filiorũ tantũ meminit
nõ autẽ filiarũ. *Filij tui*, ĩquit,
Pſal. 127 4. *ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu
menſæ tuæ. Non dicitur filiæ, ſed
D. Hier. Ibid. tantummodò filij.* inquit Hieronymus.
Rogas. Si mater Eccleſia,
tanta fæcunditate ditata,
& filios habet, & filias, vnde
Iſa. 60.4 dictum ei eſt ab Iſaia, *Filij tui
de longe venient, & filiæ tuæ de
latere ſurgent*, quare nam ſacro
edulio, non filias, ſed ſolos filios,
nutrit? Superuacanea eſt
hæc rogatio, cum ex præhabitis
ſatis, ſuperque acceperis,
non, niſi viros, & fortes Sacro
Chriſti nutriri; effœminatos autem,
& debiles, ceu tanto ferculo
ineptos, longè è rotunda
mẽſa repelli? q̃ viros accipit,
nõ fæminas; filios, non filias.
10 Quã dolẽter, quãq; amarè
Vates dentiũ ſuorũ fractionẽ
deplorat? *Fregit*, inq̃t, *ad nu*
Thren. 3. 16. *merũ dẽtes meos, cibauit me cinere.*
Excuſſi ſunt dentes mei,
nec vnus integer ꝓtermiſſus,
oẽs auulſi, oẽs exterminati; factus
ſũ edẽtulus. Sed quid ſategit
innuere per dẽtiũ confractionẽ?
Euchariſtiæ priuationẽ,
D. Hieron. lib. 1 in Thr. eſuriẽ. Idẽ enim eſt, ac
dixiſſet, ait Hieronymus, *Abſtulit
mihi vſum edendi, & pauit
paſtu inutili.* Nouerat Propheta,
Diuinam Synaxim,
cibum grandium eſſe, non infantium;
vnde dictum eſt Auguſtino:
*Cibus grandiũ ſum;* D. Aug.
*creſce, & manducabis.* Quare
ſe tanti edulij indignum,
& immeritum videns, ſe
puerum effingit edentulum,
qui cum fragilis ſit, & imbecillis,
nullatenus ad ſacram
menſam admittitur, cui
non, niſi fortes, & bellatores,
accumbunt.
11 Sanctam Euchariſtiam
delineabat Chriſtus cum diceret:
*Homo quidam fecit cœ-* Luc. 14. 16.
*nam magnam.* vt toties dictum
eſt. Cœna quidem eſt Euchariſtia,
tum quia data eſt
in cœna; tum etiam, quia,
quemadmodum in cœna clariori
lumine ſolis non vtimur,
ſed tenuiori, & obſcuriori
candelæ; ſic & in ſacra menſa
vtimur lumine fidei, quod
tenue eſt, & obſcurum: vbi
Chriſtum videmus per ſpeculum
in ænygmate, clariùs in
regno cœli viſuri, vbi (Deus
faxit) gloriæ lumen effulſerit.
Sed quare magna? Poteſt
dici magna, quia magnus
homo, qui nobis eam appoſuit,
ideſt Deus. Præterea,
quia magna in ea sũt fercula,
& pocula, nempe Chriſti corpus,
& ſanguis. Rurſus,
quia magni ſunt ſerui, qui
in ea miniſtrant, Angeli ſci-

cet, Principes Paradiſi. Demum, quia non, niſi magnos, admittit. *Magna eſt*, ait Guilelmus, Pariſienſis Epiſcopus, *magnitudine cœnantium. Quia omnes ſunt magni: paruulis enim non eſt appoſita menſa iſta.* Magnorum eſt Chriſti menſa, virorum, & fortiũ. Excludit paruos, pueros, debiles, fęminas, imbelles.

*Guliel. Pariſ. de Retrib. Sanct.*

12 Electorum frumentum vocat Euchariſtiam Propheta Zacharias: *Quid eſt* inquit, *bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum?* Rectè quidem neque enim cuique promiſcuè ſacra patent myſteria, ſed quibus ſancto dignos accubitu Deus inuenerit, exque indignis elegerit. Quinam autem ſunt tanto ferculo digni, quos, vt ſua carne pingueſcant, inebrientur cruore, ſeliget Chriſtus ex cunctis? Ex eo, quod transferunt Septuaginta, id tibi clarum fiat. *Quia ſi quid optimum illius; & ſi quid bonum ab eo, frumentum iuuenibus.* Pro electis, vt legis, iuuenes habent. Soli iuuenes ſacram ſeliguntur ad menſam, iuuenum Chriſtus eſt cibus: fortes enim ſunt, viribus præmuniti, robore præſtantes: cœleſteque munus, quod ſibi ſemel acceperint, retinent, & defendunt; quod imbelles pueri, ſenes, debiles, molleſque mulieres efficere minimè valent. En D. Hieronymum. *Hunc panem comedunt, qui in Chriſto robuſti ſunt, & ad quos Ioannes Euangeliſta loquitur: Scribo vobis iuuenes, quia Sermo Dei in vobis manet, & fortes eſtis, & viciſtis malignum.*

*Zach. 9. 17.*

*Transl. Septuag.*

*D. Hieron. ibid.*

13 Demum curioſior aliquis, me contra prædicta ſic forte interpellabit, & arguet. Nonne dudum accepi Euchariſtiam cœna magna delineatam? Cur ergò illam ſolis fortibus, ſolidis, & robuſtis inquis apponi, cum ad hãc conuiuator Dominus debiles, cæcos, claudos, imbelles, aduocari præceperit? *Exi in plateas, & vicos Ciuitatis; & pauperes, & debiles, & claudos, & cæcos introduc huc.* Rectè dixi, terque, quaterque iterabo, ſolos robuſtos, & fortes, ad hanc cœnam admitti; nam ſi ad eam cæci, debiles, claudiq; aduocati fuerũt, diuina vocatio illuminauit cœcos, roborauit debiles, erexitque claudos. Ita Mediolanẽſiũ occurrit Antiſtes. *Qui vocãtur ad cœnã, prius vocãdo ſanantur. Si claudus fuit, gradiẽdi facultatẽ, vt veniret, accepit. Si lumine oculorũ priuatus, domũ vtiq; Domini, niſi infuſa luce, intrare nõ potuit.* Adeo verum eſt, Sacrã Euchariſtiã ſolis fortibus patere, & robuſtis; quod ſi quos de-

*Luc. 14. 21.*

*D. Amb. lib. 16. in c. 9. Luc.*

debiles ad eam Deus vocat, prius roborare, fortéq; reddere, quã admittere, videatur.

## THEOREMA X.

### Aduerſus omnes, qui tribulant me.

*Sicut magna eſt culpa, qua ſe aggrauat homo dum Chriſtum manducat cum culpa: ſic magna eſt pœna, qua pro tali plectendus eſt culpa.*

TAndem dum inquit, myſticam Chriſti menſam aduerſus omnes, qui eum tribulant, præparatam; aduerſus peccatores præparatam innuit, ij enim ſanctos tribulant, & affligunt. Nam ſicuti ſacer panis eſt pro ſanctis, ſic eſt contra ſceleſtos: qui, quia indignè communicantes, magnum ſcelus committunt, ſunt magna pęna plectendi.

1 Quam libentiſsimè Dominus domum Centurionis viſitaturus intraſſet, niſi hic domus ſuę indignitatem afferẽs, Matt. 8. 8 reſtitiſſet, *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Sed inquirendum, cur ſe Centurio confiteatur indignum? Ob paupertatem inquies: indignæ enim ſunt pauperum caſæ, quæ eos excipiant, quibus patent aulæ, & palatia. Cui verò ratio hęc ſatisfaciet? Centurio in primis magni palatij Dominus fuiſſe cenſendus, vtpote qui Scribis, & Phariſæis Synagogã conſtruxerit. Erat pręterea gnarus, Saluatorem mundi pauperum caſas ingredi ſolitum, viſitare egenos, cum exiguis commorari: quippequi natus in diuerſorio, in domo matris pauperis educatus, paupertatem pluſquam opes amplectebatur. Exiſtimãdus eſt ergo Cẽturio, indignitatem culpę allegaſſe, non paupertatis: quemadmodum indignitatem culpæ allegant Chriſticolæ, dum communicaturi ſacro aſtant altari, eademque cernui replicãt. Anima enim peccatis obnoxia adeo indigna eſt, quæ Deum excipiat, vt Palacius audeat affirmare, minus ad id fore ineptum, ſi culpis careret, infernum, quam peccatricẽ animã. *Aptior planè*, inquit, *locus Deo eſt infernus, ſi ibi culpæ non eſſent, quam domus peccatrix.* Paul. de Palac. ib. Sanè magno facinore inurretur, qui Deum in infernum exciperet; ſed maius perpetrat, qui in animam excipit, peccatorum ſorde fędatam. Vide quã grauiter delinquat, qui Chriſtum indignè manducat?

2 Verba illa Citharœdi Prophetæ: *Quoniã quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addide-* Pſ. 68. 27

*diderunt*, placet Bernardino, Chriſti Domini eſſe, aduerſus eos querẽtis, qui ſacrum corpus ſuum indignè, & irreuerenter accipiunt. In quibus obſerua, Hebræos ſuæ mortis, & paſſionis auctores, & carnifices excuſari; accuſari autẽ huiuſmodi peccatores. Non ſe percuſſum, & occiſum ab eis inquit, ſed à Deo, ſine cuius nutu percuti minimè poterat. *Quem tu percuſſiſti*; Clamat verò ſe perſecutũ ab iſtis. *Perſecuti ſunt*. Quod non ex eo dicit quod eum impij, truceſque Hebræi, non percuſſerint, ſed quod ſcelus illorum, ſi iſtorum ſceleri comparetur, aliquatenus minus eſt. Percuſſerunt quidem illi, ſed Deum ſuum ignorabant: iſti verò, & Deum credunt, & perſecuntur. *Magis dolet Chriſtus*, inquit S. Doctor, *iſta vulnera facta à peccatoribus ſumentibus corpus ſuum indignè, quia iterũ crucifigunt eum; quàm vulnera ſibi facta à Iudæis, qui ignorabãt, quid faciebant, & neſciebãt ipſum eſſe filium Dei. Sed iſti exiſtentes in peccato mortali, ſcienter ſumunt ipſum indignè, & ſcienter addunt ſibi vulnera vulneribus.* Nullum maius, grauius, horribilius, ſcelere Iudæorum, Deum ſuum crucifigentium, Saluatorem ſuum occidentium, vitam ſuam vita priuantium: & tamen ſuperatur ab eo, quod committit indignè communicans: expende quam grauis culpa ſit, in culpa communicare.

D. Bernardin. to. 4. ſer. 44.

3 Totus timuit, totus tremuit Vates Ezechiel, dum iuxtà altare Angelos Domini euaginatis gladijs ſtetiſſe vidit, ad interficiendũ paratos. *Et ecce*, inquit, *ſex viri*, *& vnuſquiſque vas interitus in manu eius, ingreſſi ſunt: & ſteterunt iuxta altare.* Rationabilis timor: quis enim ab ira Angeli, miniſtri Dei, nõ horrebit, mortis vas, & interitus deferentis in manu? Sed cur Angeli iuxtà altare ſteterunt? & non iuxta forum, vbi tot iurgia, & technæ? & non iuxta tribunal, vbi tot iniuſtitiæ? & non iuxtà geneum, vbi tot ſtupra, inceſtus, & adulteria? & non in loco alio, vbi Dominus tam impiè laceſſitur? Sanè minus peccant homines extrà altare, quàm in altari. Minus peccat auarus pauperem deglutiẽdo, quam Chriſtum. Minus peccat iudex, iuſtum morti damnando, quàm iuſtorum Deum, & Dominum. Minus peccat ſcortum, carnes ſuas vendendo, quàm carnem Saluatoris cum proditore Diſcipulo. *Iuxta altare ſtare dicuntur*, ait Hieronymus, *parati ad iubentis imperium; vt cuiuſcunque viderint ibi non eſſe peccata dimiſſa, ſen-*

Ezech. 9. 2.

D. Hier. ibid.

ten-

*tentiæ Domini, & interfectioni ſubiacere cognoſcant.* Gladijs euaginatis iuxtà altare ſtant Angeli, vt indignè communicantes ſciant, tam magnum peccatum; tam horrendum ſcelus patrare, quod iræ Dei gladio ſine mora ſubiacent, ibidem occidendi, vbi tãtum nefas non erubeſcunt perficere. Quod de culpis, alibi perpetratis, oſtenſum non eſt.

4 Audi quæ refert Dauid de ijs, quos Deus Angelorum pane refecerat. *Adhuc eſcæ* Pſ. 77. 30. *eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit omnes pingues eorum.* Quàm eleganter ſeueritatem iræ Dei; celeritatemque, deſcribit? Adhuc accumbebant, manducabant, nõdum deglutierant, & Deus eos occidit. Pſ. 102. 8 Sed vbi eſt illud. *Miſerator, & miſericors Dominus; longanimis, & multum miſericors*, Et Iſa. 30. 18 illud *Expectat Dominus, vt miſereatur noſtri?* quod nunc tãto impetu, tàm ſubito, tam celeriter, eodemque tempore, quo patrata eſt culpa, & iratus eſt, & armatus, & vultus in peccatores? Quia in illa comeſtione indigna Euchariſtici Sacri comeſtio præſignabatur. Hugo Car din. ibid. *Poteſt exponi*, inquit Hugo, *de indignè ſumentibus Euchariſtiam, quia ex hoc ſtatim ira Dei aſcendit ſuper eos, ſecũdum illud, Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Vnde frequenter poſt Paſcha magis infirmari, & mori videmus, quàm in alio tẽpore: & ideo cantat Eccleſia illum verſum. Quæſumus auctor omnium in hoc paſchali gaudio, ab omni mortis impetu tuum defende populum.* Vſque adeo exacerbatur, & accenditur Deus, ab ijs, qui corpus, & ſanguinem filij ſui manducant, & bibunt indignè, vt patientiæ, & longanimitatis ſuæ videatur oblitus, nec expectare poſſit, vt ſolet. Dum ſanctas carnes impuro habent in ore, dum manducant, dum dentibus terunt, indignatur, armatur, vlciſcitur. *Ex hoc ſtatim ira Dei aſcendit ſuper eos.*

5 Diſcum, in quo Sacerdos ſacrum ſceleſto præbet eduſium, diſco illi conferendum exiſtimo, quẽ vxor Putiphatis, philtro plenum, ad Ioſeph miſit, vt ſuis irretiretur amoribus. Qui, vt iuſto aduenit, cum gladio viſus eſt offerri: vt aduerteret vnà cum cibo præſentaneàm mortem afferre. Sic recolit Patriarcha in teſtamento ſuo, ſi tamen ſuo. *Miſit* Teſtam. duod. Patriar. Biblioth. Patr. tom. 6. *mihi cibum incantatione reſperſum, & vt venit Eunuchus ferẽs ipſum, reſpexi, & vidi virum terribilem, tradentem mihi cum diſco gladium.* Quidnam tibi defert Sacerdos dum indignè communicas, niſi cibum cum

gladio

gladio? imò gladium pro cibo. Audi quæ moneat Chryſoſtomus diuinum miniſtrum. *Corpus Chriſti etiam hæc multitudo eſt; quare cauẽdnum eſt tibi, qui hæc myſteria miniſtras, nè Dominum irrites, corpus hoc non purgando, nè acutum gladium pro cibo præbeat.* Vides iterum, quam celeri, quam ſubitanea Deus in indignè cõmunicantes irruat vltione? Cùm homo pro alia plectitur culpa, gladius deſcendit poſt culpam. Cum proeo, quod communicauit in culpa, venit cum culpa ſupplicium, cum cibo lethum, cum diſco gladius.

*D. Chryſoſt. Homil. 84. in Matt.*

6 Nunc veniamus ad Iudam, ſceleſtiſsimum Domini ſui proditorem, qui dum execrabiles Domino moliebatur inſidias, labijs Dominum temerè, & impudenter accepit. Hæc de eo ſcribit Euãgeliſta. *Et cum intinxiſset panem, dedit eum Iudæ Simoni Iſchariotæ, & poſt buccellam introiuit in eum Sathanas.* Ac ſi diceret: Vix Iudas ſumpſerat, vix manducauerat, vix deglutierat Euchariſtiam, quod præſto fuit Sathanas, vt introiret in eum. Scio id prima facie piorum auribus diſſonare. Videtur enim Sathanas contempſiſſe Dominum, ſi quò dudum introierat Dominus, itroiſſet & ipſe. Sed tale quid, non in Chriſti contemptum, ſed in proditoris ſupplicium, factum eſt, qui non eſt veritus tam indignum patrare piaculum. Sathanas Dominum reuereretur vt iuſtum, pertimeſcit vt iudicem. Introiuit in Iudam, vt ſatellis, vt vltor, vt carnifex Domini, nolentis auſum tam impudentem præterire impunitum. Hæc eſt Victoris Antiocheni ſententia. *Ioannes poſt acceptam buccellam Sathanam in illum introiſse ſcribit. At hoc ea de cauſa non contingit, quod Sathanas acceptum Chriſti corpus pro nihilo duceret, aut contemneret; ſed quod Deus impudentem proditoris auſum impune abire nollet.* Qualia olim, quantaque facinora impius perpetrauerat Iudas, quorum nulla adhuc ſupplicia ſenſerat? Quot adhuc homicidia, detractiones, & furta, committebat? Hoc tantũmodo Deus ferre non potuiſſe videtur: cũ vix patratum eſt ſcelus, illicò affluit vltor, & carnifex. Planè tam magnum, horrendum, enorme facinus eſt, Deum in culpa comedere, quod cuncta excellat facinora, & à diuina pietate, quæ omnia fert peccata, ſuſtinet ſcelera, patitur facinora, quodammodo ferri non poſsit.

*Ioan. 14. 27.*

*Vict. Antioch. in c. 14. Matt.*

7 Scis quid ſibi velit, quod dum oſcitamus, os noſtrum Sãctæ Crucis ſigno munimus? Tradit Vincẽtius hoc inchoatum

tum

tum à tempore D. Gregorij, cùm Romę crudeliſsima graſſaretur peſtis, ità vt homines oſcitando, animas paſſim euomerent. Id propterea quod poſt accepta ſacra myſteria infruniti redirent ad culpam. Tunc enim temporis Angelorum agmina clarè videbantur in cœlo, telis, & ſagittis armati; impios quoſq; huius reos criminis hiantes occidere. Vt ergo his obuiaretur ærumnis, excogitatum eſt, Signo Crucis oſcitãtis os ſignari, & muniri. *Hoc ſingulariter*, inquit S. Doctor, *oſtenſum fuit tempore B. Gregorij, quando Chriſtiani Romæ communicabant tempore paſchali, & redibant ad peccata, & malam vitam. Pro quare miſit Deus gentes armatorum: in aere videbantur Angeli cum armis, & ſagittis, & gentes moriebantur oſcitando. Ideo eſt inuentum, quando quis oſcitat homo ſignat ſe ſigno Crucis* Velim nunc aduertas horrenda Sennacherib maledicta, vita quidem fuiſſe exercitus internitione totius, ſed ab vno tantum Angelo. Vitum item Dauidis adulterium, & homicidium, ſeptuaginta millium virorum interitu, ſed, & ab vno Angelo: ad eos verò percutiendos, qui indigno Sacra ſumunt accubitu, acceptaque eijciunt, exercitus Angelorum immitti. Velut præ tanti ſceleris enormitate, nõ vnus, aut alter ſufficeret Angelus, ſed Angelorum requireretur exercitus, cœleſtium pugnatorum acies, bellatorum numerus infinitus.

*D. Vinc. Ser. Fer. V. Rogat.*

8 Tradit Bernardinus eos, qui corde polluto Sacra Chriſti ſuſcipiunt, in Pſalmi ſexageſimi octaui maledictiones incidere. Et primò in eam. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Ideſt irretiantur Sacra Euchariſtia, qua dum Sãcti à peccatis ſoluuntur, iſti ijſdem culpis, cum quibus eã accipiunt, magis illaqueãtur. *Quia*, inquit S. Doctor, *tales ſemper ſunt in illo peccato, in quo ſunt, quando recipiunt corpus Chriſti; quia menſa eorum eſt altare!* Inſuper. *Effunde ſuper eos iram tuam.* Effunde, ait, nõ ſtilla, vt alibi Deus, *Stillabit*, inquit, *furor meus ſuper Ieruſalem.* Nam, vbi Deus vt cætera vindicet facinora, furorem ſtillat, in iſtos totum effundit; vt cunctis obruantur malis, vexentur laboribus, torqueãtur ærumnis; nullaque ſit eis requies, nulla conſolatio, nulla refectio. *Antequam moriantur*, proſequitur Bernardinus, *mittit Deus eis infirmitates, & tribulationes, vt non habeant aliquam cõſolationem in hac vita.* Rurſus. *Furor iræ tuæ compræhendat eos.* Quia, vt idem adnectit, *Triuantur vita corporali*

*Pſ. 68. 23*

*D. Bernard. tom. 4. ſer. 44.*

*2. Paralip. 12. 7.*

*D. Bernard. ibi.*

*ante tempus.* Demum. *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet.* *Quia Deus,* concludit S. Doctor, *permittit ſupervenire incurſus hoſtium, vt bella, & peſtes, quibus mediantibus habitationes, & loca deſtruuntur, deſeruntur, & cõburuntur, vt nullus remaneat ex eis.* Vides quãtis malis, calamitatibus, & flagellis plectuntur, qui temerè Sancta manducant? Proprijs (de lege ordinaria) confirmãtur in culpis, torrens iræ Dei ſuper eos effunditur, proſcinditur eis vita, hoſtium exercitibus patent, Vrbes eorum vaſtantur, incenduntur, ſale ſuperfunduntur. Crimen læſæ maieſtatis committunt, rei ſunt corporis, & ſanguinis Domini.

9 Tandem, vt animos ab hoc Theoremate relaxemus, audiamus quibus nos communicaturos Guerricus Abbas admoneat. *Debemus,* inquit, *ei reuerentiam, inueſtigare ſcilicet noſmetipſos: & ſi inuenerimus cor pollutum fœdis cogitationibus, aut mala voluntate, ab eius contactu, vt ab igne, & nos & alios arceamus.* Nan (velut ſi adnecteret) quicunque ſacra hac myſteria polluto corde, fædis cogitationibus, aut mala voluntate, manducat, in ignem incurrit. Sed de quo igne loquitur? De eo, qui vrit in terra? an de eo, qui accendit in tartaro? De tartareo planè: nam qui indigne communicant tanta fæditate, ac deformitate afficiuntur, vt Dœmones videãtur, tartareo igne combuſti. Legimus Sãcto cuidam Epiſcopo poſt ſanctã populi Communionem *Peccatorum facies nigras, vt carbones, & oculos ſanguine repletos* apparuiſſe. Si Dœmonum faciem prætuliſſe, referret, id ipſum foret; nam Dœmones ita pinguntur. Quare Bernardinus ęternam iſtorum cõbuſtionem ab hac vita, inquit incipere. *Incipiunt eſſe in inferno antequam moriantur, & poſt mortem merguntur in profundo.* Similes effecti Diabolo, cum Diabolo ex nunc inferorum pęna plectũtur. Magna culpa, magno plectenda eſt ſuplicio.

*Guer. ſer. 5. in Purif.*

*Prompt. exempl. ver. Euch. exẽp. 20.*

*D. Bernardin. ibid.*

THEO-

THEOREMATA

# MORALIA

## EX VERSV SEPTIMO PS. 22 DECERPTA,

## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt.

HAVD rectè lapis agglutinabitur lapidi, paries vnietur parieti, lignũ contignabitur ligno, aurum adhærebit argento, ni gluten adſit, quo copulẽtur. Nec vnquam anima copulabitur Chriſto, niſi ſeſe ſãctus interiecerit Spiritus. *Spiritus Sanctus copula eſt vnionis noſtræ in Chriſto.* ait Chryſoſtomus. Propterea Vates de Sacro Euchariſtiæ loquens, Sancti Spiritus olei meminit. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Per illud enim Chriſto intimè copulamur, incorporamur. Oportet ergo ſancto præueniri Spiritu, qui mediatorem agat, & gluten. Hoc tibi, ſed non ſolum, decerptum ex hoc proferam Verſu.

D. Chryſoſt. Hom. de Spirit. Sanct.

### THEOREMA I.

Impinguaſti in oleo.

*Quos Spiritus Sanctus non præparat, Filius Dei non inhabitat.*

OLei nomine, quo caput Vatis, in menſa Domini accumbentis, inunctum aſſeritur, *Impinguaſti in oleo caput meum*, Spiritum Sanctum intellige. Eo enim inſtar oleo

vngimur, & ſanctificamur: inde ab Eccleſia *Spiritalis vnctio* nuncupatur. Eo nos oportet inungi, vt digni diuino munere efficiamur. Noſtri cordis hoſpitium, nequaquam hoſpitabitur Chriſtus, niſi à SpirituSancto fuerit præparatum.

1 Tradit Ioannes, ſe ſub typo Ciuitatis aureæ Sanctam Eccleſiam vidiſſe, cuius non modo parietes, ſed, & plateæ etiam auro mundo fulgerēt. *Ipſa verò Ciuitas aurum mundum.* Inde eſt quod canimus: *Plateæ, & muri eius ex auro puriſſimo.* Sed quorſum tota aurea? Quia *Ciuitas Regis magni* eſt, cui non, niſi in auro, conſuetum eſt commorari. *Vidit Ioannes*, ait Hieronymus, *Ciuitatem Sanctam de cælo depoſitam. Tota aurea erat; muros habebat aureos, aureas habebat plateas. In hac Ciuitate Chriſtus regnat.* Quicunque Chriſtum excepturus properat ad altare, ſe ipſum diligenter inſpiciat, num ſit hæc Ciuitas, luteus accedat, an aureus. Nam ſi luteus, ſiſtendus eſt gradus. Non habitat Chriſtus in luto. Si aureus, confidenter accedat, digna erit ſedes Domini habitantis, & commorātis in auro. Sed quid agendum à luteo, vt ex luteo euadat in aureum? Satagendum, vt in eum Spiritus Sanctus adueniat. Ipſe luteos conuertit in aureos. *Quemadmodum*, Baſilius, *ſolis radiorum iactus faciunt, vt nubes illuminētur, & ſplendeſcāt, auricolorem aſpectum induētes: ſic & Spiritus Sāctus in hominis corpus ingreſſus.* Glorioſius de homine, in quem introierit, Sanctus loqui poteſt Afflatus, quam de Roma Octauius. *Romam accepi lateritiam, & relinquo marmoream*, iactabat ſe iſte. Spiritus autem Domini, Hominem accepi luteum, & relinquo aureum, gloriari poteſt. Cura itaque a Sancto Spiritu aureus fieri, ſi Chriſtū hoſpitem optas habere.

*Apoc. 21. 8.*

*Pſ. 47. 3.*

*D. Hier. in Pſ. 133*

*D. Baſil. Hom. de Spir. Sāc.*

*Apophth. Ald. Manut.*

2 Numquam manna deſcendebat de cœlo, niſi de cœlo prius deſcendiſſet, & ros. *Mane*, ait Moyſes, *ros iacuit per circuitum caſtrorum: cumque operuiſſet ſuperficiem terræ apparuit in ſolitudine minutum, & c.* Oportebat terram rore operiri, vt ſuper eam manna deſcenderet. Sed quodnam opus manna roris cooperimento? Nullum quidem ex ſe, maximum ex eo, quod præfigurabat. Māna enim altaris nunquam deſcendit in animam, quæ à rore cœli, ſcilicet à Spiritu Sācto, præuenta non fuerit. *Ros, qui cum manna deſcendit, Spiritum Sanctum ſignificat*, ait Rupertus. Eleganter verò Spiritus Sanctus ſub typo roris exprimitur, Ros dictū eſt, quod

*Exod. 16. 13.*

*Rup. Ab. li. 5. c. 15 in Exod.*

*D. Iſidor.*

ſit rarum, ex Iſidoro. rarum autem eſt pretioſum, vt patet in gemmis. Et quid rarius, pretioſius Sancto Spiritu? dono Altiſſimi? Terra deinde cordis, quę tali rore irrigatur, calorem emittit, quem cõcupiſcentia carnis accenderat: fœcundatur, germinat nouos virtutum flores, bonorum operum fructus: tot denique cœlorum donis, velut pretioſiſſimis margaritis, ornatur; quot, quantiſque guttis ros camporum plantas decorat. Quibus cor hominis dignum fit, & ſine quibus indignum Chriſtum excipere.

3 Ex eo, quod tradit Sponſa, lectum, in quo cum Dilecto dulciter quieſcebat, floridum eſſe, *Lectulus noſter floridus*, arguitur Chriſtus, velut delicatiſſimę, nobiliſſimę cõplexionis, non niſi in locis mollibus, & teneris, requieſcere. Inde illum Ignatius nuncupauit amorem; *Amor meus eſt Crucifixus*. Nã amor, vt Plato philoſophatur, *Neq; per terram, & ſaxa vadit, quæ aſpera ſunt; ſed molliſſimis omnium rebus ſe infigit, atque permanet*. Quare etiam manna, vt dictum eſt ſupra, non prius deſcendebat in terram, quam rore ſuper infuſo molleſceret. De qua illud cani poterat.

*Cant.* *D. Ignat. Martyr,* *Plato in* *Ouid. 3. Fauſt.*

*Mollis erat tellus rorata mane pruina.*

Nec vnquã Chriſtus, vt quieſcat in nobis, in cor noſtrum adueniet, niſi prius emolliatur, fiatque carneus ex lapideo. Quod idem eſt, ac dicere: Niſi prius fuerit gratia Spiritus Sancti præuentũ, cui munus eſt, dura mollia, rigida flectibilia, ſaxea carnea efficere. *Flecte quod eſt rigidum*, ait illi Mater Eccleſia.

4 Magna dignũ animaduerſione eſt, quot laudibus, & encomijs Lucas Simeonis ſanctitatem, puritatemq; prædicare ſategit. *Et ecce*, inquit, *homo erat in Ieruſalem, cui nomẽ Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo*. Quidnam Lucam impulit, vt tam magnus Sanctiſſimi ſenis fieret præco? Dignitas, & reuerẽtia infantuli, quem ſuſcepit in vlnas. Quia eius in cœli Regem infantulum relaturus erat amplexus, operæpretiũ cenſuit, prius iuſtitiam, ſanctitatem, & innocentiam commendare. Quia vero iuſtitiam, ſanctitatem, & innocentiam non, niſi per Spiritum Sãctum, aſſequimur, ideo ſubdidit: *Et Spiritus Sanctus erat in eo*. Ità Bartholomæus de Piſis hunc locum interpretatur. *Commendat*, inquit, *Euangeliſta; cum de innocen-*

*Luc. 2. 25.* *Barth. de Piſis de Vit. & Laud. B. Mar. lib. fruc. 13.*

cen-

*centia, & purgatione, quia Ieſũ accepit in vlnas, qui cum ſit innocentiſſimus, & inhabitare dignetur in corpore ſubdito peccatis; ſignum eſt, ſi permiſit à Sancto ſene ſe in vlnas accipi, ſuæ innocentiæ, purgationis à peccato, & puritatis; & quod Spiritus Sanctus purgauerat eum.* Eundem Chriſtum infantulum recipis & tu à Dei miniſtro, quem accepit Simeon à Deipara. Opus eſt ergò te, tam Sanctum, tam iuſtum, & immaculatum excepturum, à Sãcto Spiritu præueniri, diſponi, ſanctum, iuſtum, & immaculatum reddi. Aliter tanto bono, tanto dono, indignus exiſtimaberis.

5 Quis hominum Virgines fatuas durè non inculpabit, ad nuptias ſine oleo prę ſumẽtes intrare? Sed quid hoc oleum, quidue hæ nuptiæ, à quibus olei expertes effugantur? Oleum eſt Spiritus Sanctus, nuptiæ, quas Rex facit filio ſuo; ſacra ſunt Euchariſtica; quibus Deo copulatur, vnimur, nubemus. *Sacramentũ hoc magnum eſt, dico autem ego in Chriſto & Eccleſia*, ait Apoſtolus. Hoc equidem indigemus oleo vt myſticis aſtemus nuptijs; nam ſine Sancti Spiritus vnctione, ac ſanctificatione, non modo, quæ ibi ſumimus, non proſunt, ſed vitæ cibus toxicum fit execrabile. Audi Corbeienſem Abbatem. *Hic ſanguis nihil magis diligit, quam in Chriſto Virgines. Virgines, inquam, ſed prudentes, & pudicas: quia ſũt, & fatuæ in animo, non habentes oleum ſecum Spiritus Sancti. Nã neque caro & ſanguis ſine oleo Spiritus Sancti prodeſt nobis, imò magis officit.*

*Epheſ. 5. 32.*

*Paſchaſ. de corpo. & ſangu. Domin.*

6 Gnoras quare S. Mater Eccleſia, niſi poſt Pentecoſtẽ, Corporis Chriſti nõ celebrat Solemnia? Refert Suarius, cõſueuiſſe olim Hebræos in veſpere diei lunæ decimæquartæ cuiuſlibet mẽſis Martij, lucernis accẽſis cunctorum domos ſcrutari; panem fermentatum quærentes, lõgeq; abijciẽtes. Nefas enim erat, agnum cum fermentato comedere; qui, vt Deus præceperat, edendus erat cum azymo. *Ferũt Hebræi, conſuetudinem ſuam fuiſſe, vt in fine decimi quarti diei fermẽtatum inquirerent ad lumen lucernæ.* Quia verò dum ſacrũ corpus accipitur, agnus nouæ legis comeditur, oportet illud in azymis ſynceritatis, & veritatis, non in fermento neqtiæ, & malitiæ, vt ait Apoſtolus, manducari. Sancta igitur mater Eccleſia priuſquam Feſtum Corporis Domini faciat, celebrat Pentecoſten: vt te, cœlitus illuſtrata, moneat, antequam comedas Chriſtũ, lumen Sancti Spiritus inuocare,

*Suarez 3. par. q. 50 ar. 6. d 1. p. 40. ſec. 2*

re, quo præcordium tuorum latebras perſcruteris, fermẽtatum (ſi fortè adſit) erroris, & culpæ remoueas, ſolumq; ſynceritatis, & puritatis detineas azymum. Sic digne Agnus, qui tollit peccata mundi, conceditur, & guſtatur.

7 Studioſe aduertendum, quod vbi Magdalena Magiſtrum ſuum, & Dominum, rediuiuum, & glorioſum agnoſcens, ad pedes eius inclinaretur de more oſculatura, repulit eam Dominus, contrectari non patiens. *Noli me tangere, nondum aſcendi ad Patrem meum.* Poſtquam autem apparuit Apoſtolis; Thomæ, nõ modo carnes ſuas tangere, & contrectare permiſit, ſed & manus in manuum, pedum, laterisque vulnera, præcipit immittere. *Infer digitum tuũ hùc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Quare, quod negatur Mariæ, permittitur Thomæ? Eſt apud Deum perſonarum acceptio, vt, quod vni conceditur, alteri denegetur? Abſit, vt hoc æſtimemus. Vera huius rei ratio eſt; quia Thomas dudum Spiritum Sãctum acceperat, minimè verò Maria. *Recordentur ſtudioſi*, ait Cyrillus, *Magdalenam quidem à tactu Chriſti prohibitam. Noli me tangere, inquit; quoniã nondum aſcendi ad Patrẽ meũ. Thomam autem hortatur, vt & latus, & clauorum fixuras diligentiùs tangendo, & manum, & digitum immittendo perquirat. Illi enim nondum gratia Spiritus ſanctificatæ, tangere non licebat; nam antequam in cœlum aſcendiſſet, deſcenſus Spiritus in omnes non fuit. Thomæ autem hoc licebat, quia vnà cum alijs Spiritum fuerat conſecutus: ad vniuerſum namque Diſcipulorũ cõſortium liberalitate dãtis vox illa tranſiuit. Accipite Spiritum Sanctum.* Vides iam nemini tactum corporis Chriſti licere, niſi in quem Spiritus Sanctus aduenerit; quem ſanctificauerit, præparauerit, Chriſto Dignum effecerit? Quod ſi Chriſtum non licet ſine Spiritus Sancti gratia tangere, quo pacto licebit edere? ſibiq; incorporare, vnire, quod lõgè maius eſt?

Ioan. 20. 17.

Iſid. ver. 27.

D. Cyrill. Alex. li. 12. c. 58. in Ioan.

8 Legimus in libris Regũ, Philiſtæos magnis oppreſſos ærumnis, quod arcam ſummi Dei bello captam ſuis in regionibus detinerent. Quare vt rebus ſuis proſpicerent, conſulere Diuinos, quid pro ſalute omnium eſſet agendũ. Reſponſum verò acceperunt, arcam Domini in nouo plauſtro locandam, alijs vſibus interdicto. *Accipite, & facite plauſtrum nouum, tolletiſque arcam Dei, & ponetis in plauſtro.* 1. Re. 6. 7.

Ex-

Expendens hoc Abuléſis, Diuinorum reſponſi flagitat rationem. Cur arca Dei nouũ dimittẽda erat in plauſtrum? quidni in aliud, quod eorum vſibus inſeruiſſet? Reſpondet tandem: hoc factum, *Ad reuerentiam arcæ: volebant enim eam honorabiliùs reducere in terram ſuam, nè Deus eis vlteriùs iraſceretur. Si autem portaretur in aliquo plauſtro antiquo, in qua fuißent portata aliqua alia, non eſſet tanta reuerentia; quia videbatur æquari cum alijs rebus humanis.* Diſce ab infidelibus, & ignorantibus Deum, qui Deum excepturus properas ad altare, te diuino vſui indignũ eſſe, dũ nõ nou⁹, & recens, ſed antiquus es, mundique vſibus applicatus. Teque innouerandum eſſe, vt dignus Deo fias, quem Diuini in arca ſedere arbitrantes, eam, niſi in plauſtrum nouũ, non permiſeruut locari. Sed quiſnam, inquies, hominem innouat? Spiritus Sanctus inquam. Is vetera reintegrat, mundat, reficit, innouat. Propterea ait Deo Pſaltes: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Ora igitur, inuoca ſuper cœleſtem Artificem, vt innoueris, & inhabiteris à Domino. Neque Chriſti Apoſtoli, niſi miſſo Spiritu Sancto, ac penitus innouati ſacris aſtiterũt altaribus, ſãctã cõfecerũt Synaxim, cõmunicauerũt, vt recolet Paſchaſius. *Ex quo. n. renouati sũt Sãcti Apoſtoli per aduentũ Sancti Spiritus de cælis, ex eo ſane credimus hunc calicem in Eccleſia conſecratum.*

*Abul. ibid. q. 14*

*Paſchaſ. de Corp. & ſang. Domin.*

9 Dictum eſt ſupra, neminem præter Angelos, pro dignitate poſſe ſacrum panẽ accipere, Angelorum enim eſca eſt. Te ergo in Angelum euadere oportet, priuſquam Angelorum panem præſumas attingere. Verum inquies. Quiſnam artifex Angelorum? Quiſnam homines commutat in Angelos? Spiritus Sanctus inquam. Ipſe lutum transfert in ſpiritum, terrena in cœleſtia, humana in diuina, homines in Angelos. *Habet homo*, inquit Baſilius, *vbi Spiritus inhabitat, dignitatem Angeli Dei, cum antea fuerit terra, & cinis.* Vt ergo dignè panem Angelorum manduces, Spiritum Sanctum implora, vt eo præuentus, ex homine in Angelum tranſeas.

*D. Baſil. Hom. de Spir. Sãt.*

10 Accipe demũ pulchram Saluatoris noſtri ſententiam. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus.* Pulchram inquam, ſed non admodum facilem. Si ex Scholaſticis opera Trinitatis ad extrà ſunt indiuiſa, ope-

*Pſal. 103. 30.*

*Ioan. 14. 23.*

operæpretium eſt, quò venit cum Patre Filius, ſanctum venire Spiritũ. Quare ergo Chriſtus ſui, Patriſque aduentus, tãtũmodo meminit, & de Spiritu Sancto nil loquitur? Reſpondet Paſchaſius: *Non quaſi prætermiſſo Spiritu, ſed ſignanter inſinuans, quod ad eos tantũ Pater, & ipſe veniat, quos idẽ ſuo præuentu aſpirationis ſanctificauerit Spiritus: licèt in omnibus ſibi ſemper cooperatrix ſit tota Trinitas*. Hoc eſt. Cum Dominus ſui, Patriſque aduentũ in eum diligentibus meminit, & Spiritum obticet, Spiritum non excludit, ſed iàm veniſſe ſupponit. Quippe qui cũ Patre in neminem venit, in quem Spiritus non præuenit.

*Paſch. in cap. 21. Matt.*

## THEOREMA II.

### Impinguaſti in oleo.

*Fons totius pulchritudinis noſtræ Sancta Chriſti Synaxis.*

POteſt & olei nomine, per quod Vatis caput impinguatum accepimus, Sacrum altaris intelligi. Oleum manauitè petra, quæ Dominum præſignabat, *Oleumque de ſaxo duriſſimo*, Quidnì oleum erit Euchariſtia, quę ſacro fluxit è latere Saluatoris? Oleum inquam, quod vt ait Bernardus, *Paſcit, vngit, fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorẽ, lux, cibus, medicina eſt*. Oleo vngunt ſe fæminæ ad ſpeciem, & venuſtatem captandam. Finxit Homerus Vlyſſi in Phœniciam appulſo fracta iam naui, marique eiecto, Palladẽ oleũ attuliſſe, quo ille perunctus, omni abiecto ſquallore, dignior, ſpecioſior, & venerabilior euaſit. Et Sacra Euchariſtia quantum expeti poteſt pulchras, & decoras reddit hominum animas. Attende.

*Deuter. 32. 13.*

*D. Bern. in Cant.*

*Hom. apud Pier. lib. 55.*

1 Et primò quidem ex Cãticis myſteria aliquot ſeligamus. *Nolite conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol*. ait Sponſa. Quod quia non ex aſpectu, ſed ex deſpectu ſolis, intelligendum eſt, (vbi vulgatus habet. *Quia decolorauit me ſol*, transferunt Septuaginta; *Quia deſpexit me ſol*,) primo aſpectu nouum, & inſoliens dictu videtur, nì dicam abſurdum. Ex ſolis enim aſpectu corpora noſtra nigreſcunt, vt teſtantur Ethyopes; albeſcunt ex defectu, vt in Septentrionalibus eſt videre. Quare ergo Sponſa ſuam ſolis deſpectui deformitatem adſcribit, adſcribendam aſpectui? Non de facie carnis, nec de ſole viſibili; ſed de facie animæ, deque ſummo ſole, ſolis Creatore, diſcurrit. Vnde

*Cant. 1. 5*

*Transl. Septuag.*

de enim à ſole viſus carnis vultus nigreſcit, pulchreſcit à Deo viſa noſtræ facies animę, ſecus autem deſpecta. *Oſtendit*, ait Origenes, *non de nigredine corporis fieri ſermonem, quod vtique ſol obſcurare, & denigrare ſolet, cùm reſpicit, magis, quàm cùm deſpicit. Contrarij verò ordinis eſt animæ nigredo, nam non aſpectu, ſed deſpectu ſolis inuritur.* Sed dum te ſacro altari præſentas, nonnè coram ſummo ſole tuam exhibes animam? Quanta igitur, dum te videt, ſpecie decorabit? decore ornabit? ornatu complebit? Quos hic ſol intuetur, ornat, decorat, mira afficit ſpecie. Orig. Homil. 2. in Cant.

2 Quanti facerent ſpeculum fœminæ, in quo conſpectæ, deformes, pulchræ; pulchræ, pulchriores euaderent? Tale ſpeculum eſt Chriſtus. *Speculum ſine macula.* ait Sapiens. Atque hoc de Chriſto prout manet in Hoſtia, interpretatur Vincentius. *Hoſtia eſt ſpeculum. De Hoſtia conſecrata poteſt dici Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* Speculum ſanè, ſed mirũ, ſed nouum, ſed optabile. Quod dũ inſpicitur, pulchreſcit deformis anima, nouaque pulchritudo ſuperadditur pulchris. Dum ſponſa Chriſtum pulchrum predicat, & decorum, *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus*; non modo illius, ſed & quæ vel per viſum ab eo in animabus noſtris procedit, venuſtatem attendit. *Decorus dicitur*, ait idem Origenes, *& quanto magis inſpici potuerit oculis ſpiritualibus, tanto ſpecioſior inuenitur, & pulchrior. Quia non ſolum illius ſpecies, & pulchritudo mirabilis apparebit; verum & inſpicienti, atque intuenti eum decus ingens, & ſpecies formæ nouæ, ac mirabilis orietur.* Quidnì, dum ſe nobis Chriſtus per eſum commiſcet, exornabit nos, decorabit; dum vel videns, vel viſus, formoſitatem conciliat? Sap. 7. 26. D. Vinc. ſer. 1. Corpor. Chriſti. Cãt. 1. 15. Orig. ibi. Hom. 3.

3 Rurſus. Vultum Eccleſiæ Sponſæ Chriſtus Sponſus aſpiciens, eius pulchritudinẽ admiratus: *Quam pulchra es, inquit, & quam decora chariſſima in delicijs.* Non te in campo certaminis vitam egiſſe credo laborioſam; ſed in cœli delicijs, in amænitatibus Paradiſi, lætam, & tranquillam cum Angelis. Sed vndenam tantus decor, tanta venuſtas Eccleſiæ, vt admirabilis illi ſit, cui omne pulchrũ eſt turpe? omne formoſum deforme? omne nitẽs obſcurum? Ex delicatiſſimæ Chriſti carnis eſu, ac delicioſiſſimi eiuſdem ſanguinis potu. Sic autumat D. Thomas. *Delicato cibo, & potu corporis Chriſti, & ſanguinis* Cãt. 7. 6. D. Thom. opuſc. 58. cap. 26.

*nutrita, facta eſt multum decora: & idcircò grata Deo, & chara*. Tantam haurit Eccleſia ex Euchariſtico fonte pulchritudinem, vt Deum innoxium à ſtupore moueat in ſtuporẽ.

4 Sed nec eiuſdem vbera ſine pulchritudinis commendatione præterijt. *Quam pulchræ ſunt, mammæ tuæ ſoror mea ſponſa: pulchriora ſunt vbera tua vino*. (Cãt. 4. 10.) Aduerte poſtrema huius ſententiæ duplicem ſenſũ habere. Poſſunt enim ob vinũ pulchra eſſe ſignificare, quaſi ſuam à vino hauſerint pulchritudinem. Poſſunt quoque innuere, pulchritudinem eius vini pulchritudine potiorem. Quia verò magis prior ſenſus arridet, inſurgit hæc dubitatio. Cum ob vinum epotum pulchra, & decora; turpia, & indecora fiant, vnde illud Propertij,

*Vino forma perit, vino corrumpitur ætas*; (Proper. lib. 2. Eleg. vlt.)

vnde eſt quod vinum Eccleſiæ vbera tanto affecit decore, vt admirentur, & collaudentur à Deo? Sed non de vino, quod profert tellus, ſed de vino, quod è cœlo deſcendit in calicem, loquitur Chriſtus. *Ex vino enim ſpirituali, & myſtico poculo maiorem hauriunt pulchritudinem vbera tua*. (Theod. in Cant.) Sic verba Dñi exponit Theodoretus. Sanè vnde illud speciem dedecorat, pulchritudinem adimit, deturpat imaginem; hoc ſpeciem conciliat, pulchritudinem addit, colluſtrat imaginem: dignaſque facit animas ab ipſo Domino collaudari.

5 Audi nunc ſuauiſſimum Chriſti, eiuſdemque Eccleſiæ Sponſæ dialogum. *Ecce tu pulchra es amica, ecce tu pulchra es*; ait Chriſtus. (Cãt. 1. 15.) *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus*. nulla cunctatione interiecta reſpondet Eccleſia. Quid eſt hoc? Quare dum Sponſus decorem Sponſę commendat, ipſa viciſſim decorem meminit Sponſi? Quia rectè ſciebat, ex illius decore decorem ſuum exortum: vnde conſentaneum erat, decori, à quo ſuum acceperat, referre decorem. *Quaſi diceret*, ait Hugo, *Tu dicis me pulchram, ſed pulchritudo mea non eſt ex me, ſed ex te: tu enim ex te pulcher es, ego à te*. (Hug. Car. ibid.) In quo quidem cognoſcimus, omnem à Deo pulchritudinem noſtram procedere. Deus, Dionyſio teſte, *Apud ſe vniuerſæ pulchritudinis fontanam elegantiã excellenter ex ſe ſe habet*. (D. Dionyſ. apud Genebr. ĩ Cant. ibi.) Audi Chriſtum ipſũ id Birgittæ teſtantem. *O quam multum diffidũt homines de me, qui onerant ſe veſtibus, ſicut hecinaceus pomis, & ſicut pauo pennis: ſic ſuperbiunt ipſi de pulchris veſtimẽtis: cum tamen nec vale fieri poſſint ſine me, nec pul-* (Reuel. S. Brigit. li. 4. c. 84.)

*chri videantur, niſi de meis*. Vides quo pacto omnis pulchritudo noſtra ex euchariſtico fonte promanat? Chriſtum habet incluſum, ſine quo pulchrefieri impoſſibile eſt.

6 Hoc vnum addã ex Canticis, quod indignum eſt præteriri. Aduertit Damaſcenus, quod vbi Chriſtus Sponſam introduxit in cellam vinariam quod eſt ſacrum altare. *Introduxit me in cellam vinariam*, ab ea ſibi faciem flagitauit oſtendi. *Oſtende mihi faciem tuam*. Hæc ſunt verba Doctoris. *Anima Chriſto deſponſata in Cant. ait: Introducite me in domum vini. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Introducite in me domum Eccleſiæ, in qua poculũ ſalutaris lætitiæ agni ſanguine temperatum proponitur. Quæ poſtquam in eam ingreſſa eſt, oſtende mihi, inquit, faciem tuã.* Ratio autem, qua Chriſtus nõ niſi poſt altaris ingreſſũ Sponſæ vultum concupiuit inſpicere; non affertur à Damaſceno; quia vulgarem exiſtimauit, neminemque lætentem. Diſplicet Deo omne deforme, placet omne pulchrum: illud deſpicere ſatagit, hoc aſpicere. Deformis erat anima, priuſquam Sacramenta reciperet, ideo vultus eius intuitum non expetijt: expetijt poſtquam accepit, & manducauit; quia ſpecioſa facta eſt, pulchra, & decora, diuiniq; intuitus digna.

*Cãt. 2. 4.*

*Ibid. ver. 14.*

*D. Damaſc. ſer. 2. de Nat. B. Mar.*

7 Panegyricum autẽ, quod Eccleſiæ venuſtati conſecrauit Apoſtolus, hæc includit. *Non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi.* Quod magna eſt animaduerſione conſiderandum: Nam, cum certum ſit Eccleſiam peccare quotidie, ac ſuam quotidie faciem deturpare, quorsũ modò ab Apoſtolo tanta forma exornata deſcribitur, vt nec ruga turpeſcat? Quia quotidie pretioſo Chriſti Spõſi corpore, & ſanguine paſcitur, & nutritur, eouſq; forma reficitur, reſtauratur; ac ſi numquam turpata, ac labefacta fuerit. Audi Abbatem Paſchaſium in illud Zachariæ, *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, &c. Notandum quod non niſi electorum eſt cibus, ex quo bonum ſalutis Eccleſiæ, & pulchritudo decoris præſtatur: quia & ſi quotidie ſordeſcit, exinde reparatur, vt Sponſa Chriſti ſine macula, & ruga talibus inueniatur reſperſa muneribus.* Videtur ergò Chriſtus in inſtitutione Sacri Euchariſtici pharmacum cõpoſuiſſe, ac præbuiſſe Eccleſiæ ad venuſtatem ſibi conciliandam, & reſtaurandam.

*Eph. 5. 27.*

*Zach. 9. 16.*

*Paſch. de Corp. & ſang. Domi. c. 21.*

8 Mirum de ſe, deque tri-

bus

bus pueris Daniel Propheta commemorat. Dum, inquit, in aula Regis Aſſyriorum educarentur, cibos, qui de menſa Regis, vt cum cæteris adoleſcentibus veſcerētur, afferebātur, ne ſe idolatrarum eſcis contaminarent, noluiſſe comedere: ſolis leguminibus, & aquæ potu, contentos. Quid inde? *Poſt dies autem decem*, adijcit, *apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio*. Dum hoc Danieli, eiuſque ſocijs ex leguminum eſu potuque aquæ autumas eueniſſe, toto aberras cœlo. Pauciſſimi nutrimenti ſunt legumina, malæ digeſtionis, inflatiua, maciem potiùs, & pallorem, quā ſpeciem conciliantia. Vnde ergo, inquies, eueniſſe putandum? Ex cibo quo ſpiritus alebatur. Autumat Gloſſa, eos carnis Chriſti pane, è cęlo miſſo, refectos. *Apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio. Quia eos ſatiabat panis, qui de cœlo deſcēdit, ideſt refectio ſpiritalis de cęlo eis miſſa, & Filius Dei interiùs paſcebat eos*. Tantam animabus noſtris ſpeciem ſacra confert comeſtio, vt præſtantiores, delicatioresq; Regum longè excellat epulas.

*Dan. 1.15*

*Gloſ. apud Hug. Cardin. ibid.*

9 Quid eſt, quod ex Chriſti latere, in ligno Crucis percuſſo, imò aperto, non modo ſanguis exiuit, ſed & cum ſanguine aqua? *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua*. Nam cum ad noſtri generis reparationem ſanguis pretioſiſſimus ſatis, imò ſupereſſet; aquę ſcaturigo ſuperuacanea videtur. Dies mihi deficiet, ſi recenſere voluero magna, & admiranda myſteria, quibus hæc aqua ditatur. Dicam tantum, vt inſtitutum hoc exigit, aquam ad omnimodā nobis pulchritudinem conciliādam emiſſam. Nec ſolum rubicundum, nec ſolum candidum ſatis eſt ad decorem: nam, qui merè rubet, qui merè candet, non eſt verè venuſtus. Rubori candorem, candori ruborem opus eſt adicere, vt pulchritudo conſurgat. *Candidus, & rubicundus* prædicatur Dilectus, nè eius pulchritudini derogetur, qui ſpecioſus eſt præ filijs hominum. Oportuit ergò cum ſanguine aquā educere, vt ea nos prius mundaret, dealbaret; mūdatis, & dealbatis ruborem ſanguis adijceret; ſicque omnimodè pulchras, ſibique ſimiles animas noſtras efficeret. Ita diſcurrit Richardus. *Ad animas noſtras colorandas, & quaſi picturandas dedit Chriſtus*

*Io. 19.34.*

*Cant. 5.*

*Rich. à S. Laut. de Laud. B. M. lib. 5.*

ex

*ex pretioſo vaſe corporis ſui ſanguinem, & aquam; ſanguinem ad rubricãdum, aquam ad dealbandum: quia proprium eſt aquæ dealbare, quia abluit. Vt ei aſſimilemur, qui candidus, & rubicundus eſt. Sine hac coloratione pallida eſt, & diſcolor anima, & indigna Chriſto Domino.* Quia verò quod ſemel factum eſt in Caluaria, repræſentatur quotidie ĩ ara Eccleſię, Sacerdoti vino conſecrando, & in ſanguinem conuertendo aquam adhibere præcipitur. Nam, quia ex illis myſterijs omnimoda animabus noſtris pulchritudo conſurgit, nil deeſſe debet ex ijs, quæ talis pulchritudo requirit.

10 Accedamus rurſus ad animæ venuſtatem, quam his verbis Deus admiratur, & prędicat. *Decora facta es vehemẽter nimis, & profeciſti in Regnũ.* Ezec. 16. 13. Tali ſpecie, ſupra quod oculis patet, condecoraris, vt non modo pulchra ſis vehemẽter, ſed perinde pulchra, præque alijs pulchra, vt digna ſis imperio. Deus, ni fallor, alludere veterum conſuetudini voluit, qui pulchriores ſibi intronizare, & pręficere ſatagebãt. Qua de cauſa, vt referunt, Troianorum imperium conſecutus eſt Priamus. Inde illud; *Species Priami digna eſt imperio.* Sed quæſo: Vndenam anima tantam ſibi venuſtatem inuenit? Ex eo, quod *Similã, & oleum, & mel comediſti.* Ezec. ibi. pręmiſerat Dominus. Nempe pretioſiſſimo Filij mei corpore, & ſanguine, per ſimilam, oleum, & mel intellecto, nutrita es. *Qui talem comedit cibum,* D. Hier. ibid. ait Hieronymus, *& hoc dulciſsimo, & ſuauiſſimo pane, oleique ſplendore fulgente paſtus fuerit, ac nutritus, vertetur ĩ decorem, & fiet pulcherrimus, non ſemel, ſed repetito nimis, nimis. Duplicatum enim aduerbium pondus facit orationis, quod pulchritudinis magnitudini addi vltrà non poſſet.* Speciei, quam confert panis Chriſti comeſtio, nihil amplius addi poteſt. Eſt enim non plus vltrà pulchritudinis noſtræ.

11 Denique certum eſt, & indubium, Sanctorum corpora in die retributionis æternæ tanto decore, & ſplendore illuſtranda, vt ſolem ipſum excedant. *Omnes Doctores dicũt,* D. Vinc. ſer. 3. Dõ. in Albis. ſcribit Vincentius, *quod ſepties erit ſole clarius corpus glorioſũ.* Quare placet D. Leoni Chriſti transfigurationem inuentam, *Vt totum Chriſti corpus* ℥ D. Leo ſerm. de Transfig. *agnoſceret quali eſſet commutatione donandum, vt eius ſibi honoris cõſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet.* Vndenam tantus nitor? tanta venuſtas carni noſtræ turpiſſimæ? Ex myſteriorum Chriſti Communione, aſſerit D. Thomas.

D. Thom. Opuſc. 58 cap. 23. mas. *Electi, propter Chriſti corporis participationem, ſcilicet ſacramentalem, vel ſpiritualem, ſurgent ſole pulchriores.* Omnis enim pulchritudo noſtra, & quam habet anima, & quam ſibi caro promittit, ex eucharistico fonte eſt haurienda. Ibi quidem lauamur, & dealbamur; ibi lenimur, & vngimur, ibi pingimur, & ornamur; ibi eo decoramur ornatu, vt non modo in terris inter homines; ſed & in cœlis inter Sanctos, & Angelos nimia venuſtate fulgeamus. Quod perinde certũ eſt, vt aliqui, magis piè, quam ſolidè, aſſeuerauerint, ſingulari neſcio qua pulchritudine, qui communicarunt, inſigniendos in cœlo, ad aureolæ, quæ Martyribus, Doctoribus, & Virginibus tribuetur, ſimilitudinem. Quaſi hac pulchritudinis nota alijs præſtare debeant, qui corpus ſanctum acceperint. *Apud Lorin. in Pſ. 21. ver. 27.*

## THEOREMA III.

### In oleo.

*Qualis ad Chriſtum acceſſeris, talis ad te Chriſtus accedet.*

EA eſt olei natura, vt liquoris, cui admiſceatur, qualitatem excipiat. *Si permiſces cum eo medicinas calidas fit medicina calida; & ſi frigidas, frigida.* Scribit Galenus. *Galen. 2. de Simph. med. diſtinct. 3. c. 1.* Pulchrè Euchariſtia ſub olei typo proponitur. *Impinguaſti in oleo caput meum.* In ea Chriſtus pro ſuſcipientium varietate ſe variat. Qualis ad eum acceſſeris, talis ad te Chriſtus accedet.

1 Cur Chriſtus in ſacris litteris, modo vinea, modo oſtium, modo Sacerdos, rurſus ouis, cæteriſque ſimilium vocabulis appellatur? Cur cum vnus ſit, vno nõ vocitetur nomine, vno non ſignetur typo, vna non deſcribatur figura? Vnus quidem eſt Chriſtus, ſed varius, ſe ſe prout noſtra neceſſitas exigit (vt nihil non habeamus in eo) perpetuo varians; Oblectari optanti, vinea eſt; cæli oſtium ingredi, oſtium; mediatorem quærenti, Sacerdos; peccanti ouis, & hoſtia. Adſit Hieroſolymitanus Cyrillus. *Vnicuique varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione, & lætitia, illis fit vinea; qui opus habent, vt ingrediantur, his conſtituitur oſtium, & qui cuperent efferre conſolationes, fit mediator, ſummuſque Sacerdos. Rurſus habentibus peccata, vt pro ipſis mactetur, ouis. Et omnibus fit omnia ipſe idem natura permanẽs, qui eſt.* Sanè qualis eris, talẽ tibi ſe Chriſtus exhibet. *D. Cyrill. Hieroſol. Catheſ. 10*

Mi-

2 Minimè ambigẽdum eſt, Sponſam his verbis, *Mel, & lac ſub lingua tua*, de euchariſtico Sacro locutam. Mel eſt enim, & lac. Diuinitatem è cælo, quam mel ſignificat; humanitatem è terra, per lac intellectam, ſub panis, & vini formis continet, & obuelat. Clariùs hoc tibi conſtabit, vbi Sponſam aduerteris cum altaris miniſtro habuiſſe ſermonem. Hic per parua verba, quæ proferat, tam magnum Sacramentum cõficiens, illud ſub lingua videtur habere, habet Antoninus. *Benè dicit: Mel, & lac ſub lingua tua: eo quod poſtquam Sacerdos ſua lingua ſuper Hoſtiam verba conſecrationis finiuit, ibi eſt mel diuinitatis, & lac humanitatis.* Habes igi- Euchariſtiam mel eſſe, & lac; quidque mellis, lactiſque nomine ſignificetur. Nec ſolum mel, nec ſolum lac dicitur, ſed lac ſimul, & mel: quia nec omnibus mel eſt, nec omnibus lac: Sed pro communicantiũ varietate, lac vni, mel alteri. Lac pueris, mel adultis Myſticus cæli panis pueris, & imperfectioribus lac eſt; adultis, ac ſanctioribus, mel. *Neque enim eadem omnes ratione alis, ſed pro ſua quæque natura, atque ætate: nam imbecilliores lacte paſcis, melle verò perfectiores.* ait Domino Pſellius. Pro cuiuslibet exigentia, qualitate, & merito, transfert ſe Chriſtus in Euchariſtia.

*Cat. 4. 11*

*D. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 10.*

*Pſell. in Cant.*

3 Sacrum ſui corporis Chriſtus, velut vitæ fructum laturus, flori ſe comparauit (ex flore conſurgit fructus.) *Ego*, inquit, *flos campi.* Flos tantum ait, ſilet autem qualis. Qualis quæſo flos? Rubet fortè cum roſis? candet cum lilijs? pallet cum violis? Planè idcircò obticuit, vt eum, & roſam, & lilium, & violam exiſtimes. Roſa eſt cum roſis, lilium cum lilijs, viola cum violis. Cum rubentibus, rubet; cum candentibus, candet; cum pallentibus, pallet. En Cardinalem Hugonem. *Quod autem generaliter florem ſe dicit, non determinando aliquem, inde eſt, quod non vnico modo floret in campo Eccleſiæ; ſed, vt ità dicam, rubet in Martyribus, candet in Virginibus; viret in Confeſſoribus; pallet in pænitentibus, rutilat in Prædicatoribus. In nos ſe perpetim transferens, noſtris coloratur affectibus.*

*Cant. 2. 1*

*Hug. Cardin. ibi.*

4 Traditionem delatam: tradit Origenes, ad ſua vſque tempora, talem de Chriſto dũ cum hominibus conuerſaretur in mundo: inſtar mannæ pro cuiuſque meritò ſæpius transformabatur, vt huic ipſe, illi verò alius appareret. *Venit traditio talis ad nos de eo, quod vnicuique apparebat ſecũdum quod fuerat dignus: & cum fuiſ-*

*Orig. tracta. 35. in Matt.*

*fuiſſet ipſe, quaſi non ipſe omnibus videbatur: ſecundum quod de manna eſt ſcriptum; quoniam Deus filijs Iſrael panem miſit de cælo omnem delectationem habentem, & ad omnem guſtum conuenientem.* Si Chriſtus, cũ adhuc manna non eſſet, inſtar mannæ paſſim pro cuiuſcunque merito immutabatur; poſtquam Euchariſtiam inſtituit, & factus eſt manna, trãſformationes has exercuiſſe, & adhuc in ſacro altari exercere, potiori iure cenſendũ: ità, vt ſit alius contemplatiuo, alius actiuo; alius perfecto, alius imperfecto; alius iuſto, alius ſceleſto, ſe vnicuique pro dignitate commutans.

5 Quis me vitabit altare Thabor monti conferre? Altus eſt Thabor, altum eſt altare, ſic ab altitudine dictum. Thabor *Aduentus luminis* latinè transfertur; altari tantũ luminis aduenit, vt cum lumine Solis, creatoris ſolis, habeat, & cœli ſidera, nimirum Angelos, quod lumina, & cãdelabra, quibus perpetuò nitet, vt poſſunt, oſtendunt. Demum Thabor interpretatur etiam puritas, quod & altari ſummopere quadrat, in quo, ob Domini reuerentiam, omnia pura ſunt, & nitentia. Quẽadmodum ergò in Thabor ità transfiguratus eſt Chriſtus, vt alius viſus ſit Petro, alius Ioanni, alius Iacobo: quia alius à Iacobo, & Ioanne erat Petrus, alius à Petro, & Iacobo Ioannes, alius à Petro, & Ioanne Iacobus, & ſi qui præter hos adfuiſſent, ſe omnibus exhibuiſſet multipliciorem. Sic & in Sacro altari transfiguratur quotidie pro conuiuantium merito: vnus quidem manens, ſed multiplex expertus à multis. Bernardinus. *Chriſtus in Transfiguratione ſuper montem Thabor alius apparuit Petro, quia videbatur eſſe totus feruens; Ioanni apparuit totus contemplatiuus, Iacobo apparuit totus actiuus, quia ipſe erat actiuus. Similiter erit in recipiente corpus Chriſti; quia ſi erit diſpoſitus in amando, erit totus feruens in tali Sacramento capiendo: ſi erit timoroſus, ſentiet timorem cum dolore: ſi erit pius, liqueſiet cor eius in pietate. Et ſic varios dulcores ſentiẽt in ſumendo ipſum ſecundum varias eorum diſpoſitiones, in quibus reperiuntur tempore ſumptionis.*

D. Bernardin. to. 4. ſer. 44.

6 Studioſè adnotandum, quod Protoplauſtũ Dominus ſanam reuocaturus ad mentẽ, poſt meridiẽ illum cõuenerit. *Cum audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* Quamobrem poſt meridiem; & non potiùs in meridie? Vt ſe oſtẽderet conformatum Adamo.

Gen. 3. 8.

Adamus ob culpā à Dei amore frigeuerat, & Deus ab Adami dilectione frigebat. Congruè ergo illum nō in meridie conuenit, cùm flagrante ſole caleſcimus, ſed poſt meridiē, cùm declinante ſole frigeſcimus. Audi Auguſtinum. *Oſtēdens, quod Dominus ab amore peccatorum refrigeſcit; quia per peccatum in homine refrigeratus eſt amor charitatis.* Cum calido calet Dominus, friget cū frigido. Diligit diligentem; torpet ab amore cum torpente ab amore. Seque in nos metipſos variè transfigurat.

*D. Aug. ſer. 26. ad fratres.*

7 Cum Chriſtum ignem eſſe certiſſimum ſit, & veriſſimum, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*; præſertim in ſacro altari, vbi inextinguibiliter ardet, *Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti. Ignem quippe, & ſpiritum manducandum, atque bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus videlicet ſuum, & ſanguinem.* ait Ephrem: vnde, vt perhibent, Catharina Senenſis, *Cum Sanctam acciperet Euchariſtiam, videbat frequenter in manibus Sacerdotis fornacem ardentem.* Cū inquam Chriſtus ſit ignis; vnde eſt, quod vt plurimum homines, dum hoc igne veſcuntur, non calent? non ardent? non vtuntur? Comedere ignē, nec ſaltem caleſcere? mirum ſanè eſt. Scribit Bernardinus, ſe id à Sancto quopiam, & pio viro quæſiuiſſe. *Et reſpōſum mihi fuit*, concludit, *propter diſpoſitionem accipientis; quia tātum habet dulcedinis, quantum eſt diſpoſitus.* Sanè ignis eſt Chriſtus, ſed ignitis. Frigentibus gelu eſt. Vt te hic ignis accendat, accede ad eum accenſus. Si alges, tecum etiam alget. Se transformat in te.

*Deuter. 4. 24.*

*D. Ephrē. de Nat. Dei, &c.*

*Sur. apud Lippom. 29. April.*

*D. Bernardin. to. 4. ſer. 39. p. 2.*

8 In hac re Chriſtus corallum repręſentare videtur. Corallum in orbiculos elaboratum, exuberantiùs rubet, ſi geſtetur à viris, quam ſi feratur à fęminis. In his languidum habet calorem, quia hæ languidum habent calorem. Feruidum, & intenſiorem habet in viro; quia vir feruidū, & intenſiorem eſt conſecutus. *Per corallum intelligo ſanguinē Ieſu Chriſti.* ait Bercorius, qui dum è cœlo in ſacrum altare dilabitur, pro conuiuantium diſpoſitione conuertitur: calidis, calidus, frigidis frigidus; rubentibus rubens, pallentibus porrigitur pallens.

*Leui. Lēnius lib. 2. c. 22. de occult. nat. mir.*

*Bercor. Reduct. Mor. lib. 10. c. 65.*

9 Illud Chriſti ad Diſcipulos, *Hoc facite in meam commemorationem*, placet D. Thomæ non de hactenus completis ſolummodo, ſed & de complendis etiam ab ipſo, myſterijs ītelligendum. Non modo Euchariſtia Incarnationem, Natiuitatem, Mortem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Domini

*Luc. 22. 19.*

mini

mini repræſentat: repræſentat etiam ſecundum aduentum: habet iudicij poſtremi figurã. Exponens S. Doctor illud

Pſ. 110.4

Pſalmi, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus; eſcam dedit timentibus ſe*, hæc ait.

D.Thom. opuſ. 58. c. 2.

*Quaſi diceret: Dominus dedit nobis eſcã, ſcilicet ſeipſum ad memoriam ſuorum mirabilium: præteritorum, quod nos redemit: præſentium, quia omnia noſtra reſpicit: futurorum, quia diſtrictè iam iudicabit.* Quare, quemadmodum in futuro iudicio vnus & idem, pro intuentium diſpoſitione, & qualitate, varius apparebit: alius erit electis, alius reprobis,

Paſch. in c.24. Matth.

*Longè aliter videbũt eũ electi, & aliter reprobi. Electi ſiquidem, vt gaudeant, & reprobi vt doleant.* inquit Paſchaſius.

D.Thom. in cap. 1. Apoc.

*Pro diuerſitate conſcientiarum, & mitis apparebit in iudicio Chriſtus electis, & terribilis reprobis: nam qualem quiſque conſcientiam tulerit, talem & iudicẽ habebit.* ait Thomas cum Iſidoro. Similiter & in ſacra menſa, qualem quiſque conſcientiam tulerit, talem Chriſtum inueniet: vbi ſe pro ſuſcipientium merito commutat, & fingit, alium iuſto, aliũ ſe oſtentans ſceleſto.

10 Minimè hic viſum Vatis Ezechielis omittam.

Ezech. 1. 26.

*Et vidi*, inquit, *quaſi aſpectum lapidis ſaphiri ſimilitudo throni, & ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper: quaſi ſpeciem electri à lũbis eius, & deſuper; & à lumbis eius vſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu, velut aſpectum arcus, cũ fuerit in nube.* Ex eo quod viderit Chriſtum in nube, puta vidiſſe ſub hoſtia, ſub ſenſibilibus azymi, nebulam preſeſerentis. *In varitate*, ait Iorgius Card. *nebula in ſui ſignificatione eſt panis azymus ſic formatus ad modum hoſtiæ.*

Iorg. Cardin. in Pſ. 77.

Chriſtus igitur in ſacro altari à lũbis ſurſum electreus, à lumbis deorſum igneus eſt. Sed quid ſibi vult talis diſparium compoſitio? Quare non vel totus ex electro, vel totus ex igne? Audi pulcherrimam rationem Hieronymi.

D. Hier. in Pſ. 147

*In Ezechiel Deus videtur à lumbis vſque ſurſum electreus, à lumbris vſque deorſum igneus. Si quis ſurſum eſt huic aureus eſt; ſi quis deorſum, huic gehẽna præparata eſt.* Quia Chriſtus in Sacramento non eſt omnibus idem, ſed pro cuiuſcunque conſcientia tranſmutatur, accidit vt ſuperiora eius aurea, inferiora ignea repræſententur. Iuſtis, qui terrena deſpiciunt, ſe ſupra terrã erigunt, quæq; Dei ſunt appetunt, aurum eſt, nempe redemptio, refectio, cõfortatio, diuitiæ: Sceleſtis, qui terræ adhærent, terrena expetunt,

quæ Dei ſunt ſtomachantur, æterni ignis incendium.

11 Neque hoc myſterium ſubtiuit Sponſa, dum ait: *Botrus Cypri Dilectus meus.* Sed qualis botrus ſit, pretermittit. Sanè botrus modò floreſcit, modò aceſcit, tandem dulceſcit ad maturitatem perueniens. Qualis botrus eſt Dilectus tuus, ò mulierum pulcherrima? floridus? acidus? an ſuauis? *Exiſtimo*, ait Theodoretus, *eum pro ſpiritualium ætatum ratione alijs quidem floridum eſſe, alijs acerbum, alijs maturum.* Si Sponſus in ſacra menſa, vbi æternitatis muſtũ propinat, idẽ eſſet omnibus, facilè qualis botrus ſit dignoſci poſſet: quia verò pro meritorum diuerſitate, ſe in alium ſæpè commutat, ità, vt vni floreat, alteri aceſcat, dulceſcat alteri, explicari non poteſt. Tibi, ſi per gratiam ſuam flores, flos pulcherrimus apparebit, ſi ob culpas aceſcis, acer, imò acerrimus erit. Sed, ſi perfectionis album attingeris; melle dulciorem, & ſuauiorẽ inuenies. Autumo Euchariſtiam illi conferendam cryſtallo, quæ in Oppido Luſitaniæ Santareno aſſeruatur, vt recolunt: in qua ſe Chriſtus omnipotens pro cuiuſcumque deuotione nũc puer tenellus, nunc duodenis, nunc annorum triginta, nũc Crucifixus, nunc iudex ſeuerus, apparet. Ex quo multa fideles commoda ſortiuntur.

*Cãt. 1. 13*

*Theod. ib.*

*Criſtoph. Caſtr. in Duod. Proph. li. 3. c. 3. de Prophetia.*

12 Audi quid referat Pariſienſium Præſul. *Quædam mulier, cum Sacratiſſimam Euchariſtiam in ſinu ſuo nimis irreuerenter, & execrabiliter abſcõdiſſet: cum vellet eam de ſinu extrahere, inuenit pro ea ſerpentem horrificum, atque terribilẽ.* Maleficam hanc ſceleſtiſſimã arbitror, quæ ſacrum Redẽptoris corpus, vt eo in ſuis (proh ſcelus) præſtigijs abuteretur, accepit. Quæres verò: Quid ſibi voluit Dominus, dum ſe non in leonem, tygrim, pantheram, aut in aliud ferociſſimum animal, ſed in ſerpentẽ mutauit? Voluit inquam, ſe in id, quod erat illa, transferre. Quis negabit ſerpentem eſſe veneficam? Adnotat Epiphanius *Euam* ſine aſpiratione mulierem ſignificare, cum aſpiratione ſerpentem. Ergo ſerpens eſt mulier, cui antiquus ſerpens aſpirat, ſiue inſpirat. Serpens eſt Euchariſtia cum ſerpente, quemadmodum agnus cum agno: vt huic vitam, illi mortem conciliet ſempiternam.

*Gulielm. Pariſ. de Morib. c. 8.*

*Epiph. cõtra Hæres. lib. 3.*

13 Nota perpulchrã Abbatis Guerrici ſententiam. *Verbum quod Deus eſt, nunquã potuit, niſi cum gaudio, videri. cum ſe hodie mihi videndũ præbeat in eo, quod ſum; ſi me nõn*

*Guer. ſer. 5. de Natiu. Dom.*

*læti-*

*lætificat, impius ſum.* Aſpectus Chriſti, per quem cœlum gaudio repletur, non poteſt non lætificare videntes: quod ſi triſtis quiſpiã ex aſpectu eius abſcedit, is malus eſt, iniquus eſt: lætificaretur enim ſi ſanctus, & iuſtus eſſet. Quid eſt quod ex aſpectu Chriſti ſancti lætificantur? perfidi contriſtãtur? Quia iuſti lætos, peccatores triſtes, ſe Chriſto præſentant: illi quidem, quia ſecuri de præmio; iſti quia iudicium, ac ſupplicium timent. *Qui ingreditur in conſpectu eius in exultatione, eſt à reatu liber, eſt de præmio per ſecurus.* ait Chryſologus. Quia verò Chriſtus pro cuiuſque aſpectu ſolet ſe transformare, lætus eſt lætis, triſtibus triſtis; & vbi iſtos contriſtat, illos exhilarat.

*D. Chryſol. ſer. 6.*

14 Audi quid ſcribat Apoſtolus ad Romanos. *Alius credit ſe manducare omnia, qui autem infirmus eſt olus manducet.* Hic Romanos ad Sacri Euchariſtici comeſtioné compellit, in quo Chriſtum edimus, qui eſt omnibus omnia: nam cum quæ noſtra ſunt mãducamus, non omnia, ſed vnam tantũmodo manducamus; mãducamus omnia, dum Chriſtũ comedimus, qui in altaris edulio eſt omnibus omnia, *Omne delectamentum in ſe habet, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Sed quibus eſt omnia? Sanis tantum, ideſt ſanctis: languentibus, & peccatoribus olus inſulſum, damnificum. Ità ſe Chriſtus pro comedẽtium qualitate transformat, vt vni ſit omnia bona, alteri ſit nullum bonũ, imò omnia mala. Gregorius Nyſſenus ſic verba Pauli declarat. *Cibus varius ſimul, & ſimplex: ſimplex viſu, atque vnicus, varius ad ſingulorum cupiditates ſe vertens. Nã cum ſit panis, ignorat labefieri; ſic in carnẽ verti nolit olus imitari. Quidquid denique aſſumenti conueniens, & expetitum ſit, vt Apoſtolus vult, qui hanc mẽſam nobis præparauit, in id commutatur.*

*Rom. 14. 2.*

*Sap. 16. 20.*

*D. Greg. Nyſſ. de vita Moyſ.*

15 Admiratur Mellifluus, quod vix Spõſa Dilectum faſciculo myrrhæ cõtulerat, *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus,* cũ eũdẽ botro Cypri cõparare voluerit, *Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Petitque ab ea. Quare Dilectum rebus adeo diſparibus confers? Si, quia amarus, myrrha tibi videtur, quare exiſtimas botrum, quo nihil eſt dulcius? Si, quia dulcis, botrus tibi videtur, quo pacto erit myrrha, aſpera res, & amara? Demum vtrunque eſſe ait, & myrrham, & botrũ; & amarum, & dulcem. *Illinc amaricans, iſtinc inebrians.* Pro ſumentium meritò transformare eum vidit, vt qui dignis eſt botrus, myrrha ſit indignis:

*Cãt. 1. 12*

*Ibid. ver. 14.*

*D. Bern. ſer. 2. in Cœn. Domin.*

gnis: amarus his, illis ſuauis, & dulcis.

## THEOREMA IIII.

### Ex calix meus.

*Nonniſi in aula, amoris aulæis ornata, nõ manet Emmanuel.*

SI credis Varroni, *calix* à calendo dicitur. Cum ergo vas, Chriſti ſanguinẽ continens, tum hic à Dauide, tũ alibi à Chriſto, calicem dictũ audieris, aduerte ſacroſancta myſteria in vaſa calido reponenda: tibiq; cor ferueat, cũ ad ſacras aras accedis.

1 Vbi Chriſtus anaticum liberauit à Dœmone, in domũ Petri perrexit, in qua & ſociũ

Luc. 4. 38 eius à languore curauit. *Surgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Lubet hic quærere, quare ſe Dominus in domum Petri recepit. Cur non in domum Ioannis? Iacobi? Andreæ? vel ex cognatis alterius opulentioris? Quid boni, quid Chriſti oculis dignũ domus Petri pauper, abiecta, parua, incompoſita, poterat exhibere? Reſpondet

Iſid. Clarius in Luc. Ora. 21. Clarius. *Æquius fuit, vt à Petro primùm reciperetur, quia feruidior erat cæteris.* Velut diceret. Quia Dominus ſolas domus amantium ingredi cõſueuerat, in eius domum primò recipi debuit, à quo in primis proſequebatur amorem. Hic autem Petrus erat. Iure ergo primò Petri in domum intrauit. Non quærit domus, & ſupellectilis magnificentiam Dominus: quærit charitatem, dilectionem, amorem.

2 Quod autem ait Sponſa. *Faſciculus myrrhæ Dilectus* Cãt. 1. 14.
*meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur*, diligenter eſt trutinandum. Cur enim non ſuper caput, aut inter manus, vel ſupra dorſum, ſed inter vbera, ait ſe Dominum excepturam? Si ſuper caput dixiſſet, quia caput ſuper omnia extollitur, ſublimiorem, & eminentiorem ſedem ſpopondiſſet illi. Nec minoris honoris fuiſſent manus; ab Angelis enim in manibus deferri legimus. *In manibus potabunt* Pſal. 90.
*te.* Demum ſupra dorſum di- 12.
cens, gratiam ei referret inæſtimabilis muneris, qui olim eam vt deperditam ouem, in humeros exaltauit, & in patriam tranſtulit. Vera ſunt hæc omnia: omnia hæc loca non indigna ſunt Chriſto: nihilominus inter vbera potius, ſeu in corde, quod eſt inter vbera, quam alibi, ſe locaturã dicebat; quia Chriſtum nouerat nullibi, quàm vbi ferueat, amor libentiùs immorari: Talis

lis locus eſt cor, quod ſanctus ignis inhabitans, dignius, & honorabilius illi præparat habitaculum. En D. Bernardum.

D. Bern. ſer. 2. in Cœn. Domin.

*Non eſt prætereundum, quod dicitur, inter vbera mea commorabitur: ibi enim eſt cor, & vbi eſt cor, ibi dilectio, & vbi dilectio, ibi Dilecti manſio.*

3 Super thronos ſedentem aſpexit in cœlo Dominũ Daniel.

Dan. 7. 9.

*Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* Super thronum eum vidit quoque Ioannes. Et paſſim non, niſi thronos, viſus eſt equitare. Quid autẽ ſint throni, in quibus Deus ſedere legitur, explicat Bonauentura.

D. Bon. de Eccl. Hyerarc. cap. de Thron.

*Throni Angeli ſunt cõpacti, ideſt conuenienter aptati, & coniuncti: quia mutuæ charitatis iuncturam relaxãte iniuria non deſerunt; ſed ſecundum naturæ ſuæ, & gratiæ capacitatem Deũ ſemper aduenientem aptiſſimè recipiunt, & receptum de ſe vlterius non expellunt.* Audis cur ſuper thronos Deus ꝑpetuo ſedeat? Quia ij Angeli ſunt charitatis vinculo agglutinati. Vbi charitas, ibi Deus: vnde abeſt charitas, abeſt Deus.

Hugo de S. Vic. de Laud. Charit.

*Sic familiaris eſt Deo charitas, vt ipſe manſionem habere nolit, vbi charitas non fuerit. Si quis, inquit, diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, ait Hugo. Si non calet charitate cor tuum; ſi Deũ non diligis, non amas, non deperis, abſtine ab Euchariſtia. In eos recipitur Dominus, quos eius præuenerit amor.

4 Magnum, ac memorabile ferculum, ſeu geſtatorium, quod ſibi Chriſtus Rex noſter verus Salomõ fabrefecit, charitatem oſtentabat in medio. *Media charitate conſtrauit.*

Cãt. 3. 9.

Siue ſub ſymbolo pretioſi lapidis, adamantis ſcilicet, aut carbunculi; ſiue, vt alijs placet, duarum columbarum, ſe ſe oſculantium, amoréque mutuum oſculis innuẽtium. Rogas: Cum Chriſtus non minus in humilitatem, caſtitatem, fidem, ſpem, cæteraſque virtutes, quàm in charitatem afficiatur amore; vt cæteris prętermiſſis, ſolam charitatem ſuo quæſiuit in ferculo? Quia, inquam, in eius medio ſedere ſtatuerat, neq; vllibi ſedet, niſi vbi fulgeat, vbi niteat, vbi ferueat charitas. Abeſt Dominus, vnde charitas abeſt, tametſi præſto ſit virtutum reliquarum conuentus. *Media charitate conſtrauit*, ait Richardus;

Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 10.

*ideſt ad inſidendum parauit, ſicut equus ſternitur, cùm in eo ſedes paratur: quia non, niſi in charitate manet, reſidet, aut quieſcit.* Diſce charitate fulgere, vt ferculũ, ſeu geſtamen Domini fias in Euchariſtia illum ab altari ſuſcipiens.

5 Quod

5 Quod nec ſolũ prę ſignatum habemus in ferculo; ſed & in cortinis circundantibus, & operientibus ferculum. Vbi legit Vulgatus, *Aſcenſum purpureum*, transfert Rabbinus Selomon, *Operimentũ eius purpureum*. Quod elucidans ſeq-tur: *Purpura enim ſuſpenſa inequitabat perticas è columna in columnam*. Erat ergo ferculum domus inſtar aulęis ditatatæ purpureis. Quid verò per purpuram, niſi charitas, deſignatur? Ex purpureis ergo ferculi cortinis Deũ ibi ſedere monemur, vbi amor ſedem exornat.

*Cât. ibid.*

*Rabb. Solim. ibid.*

6 Audi quæ cõmunicaturum doceat Damianus. *Hunc theſaurum, Chriſtum videlicet Deum, in exedra tui pectoris diligenti cura reconde*. In exedra inquit, non in cubiculo, nõ in domo, nõ in hoſpitio. Quare in exedra? Quidnã eſt exedra, quę Deo dignum exhibet habitaculum? *Apud veteres locus erat in porticibus patens, & ſoli peruius*. Scribit Calepinus. Cubicula, hoſpitia, & domus, ob tecta, tecta ſolis æſtui, minimè calent; æſtuant exedrę, quia ſolis radijs exponuntur, & patent. Ideo exedra, non domus, cubiculum, aut aliud quidpiam, ſit Dei ſedes oportet, qui feruida, & æſtuantia quærit, charitate nimirum ardentia. Exedra ſit cor tuum, in quod Chriſtũ vadis excipere. *In exedra tui pectoris diligenti cura reconde.*

*Petr. Dami. opuſ. 12. c. 8.*

*Calep. in Dict. ver. Exedra.*

7 Recolendum puto, quod Dominus Ieruſalẽ regio more ingreſſurus, non prius ſuper iumentum inſedit, quàm ſua ſuper illud Apoſtoli ſternerẽt veſtimenta. *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt*. Vnde eſt pręcor, quod non nudo, ſed operto veſtimentis, inſedit? Ratio, nì fallor, eſt, quia dum nudum eſſet, algebat, feruebat autem opertum. Chriſtus verò minimè iumentum equitat, quod non præuenerit feruor. Placet Hieronymo per pullum, & aſinam deſignari Gentiles, qui ante Chriſti aduentum, multis, varijſq; Dijs inſeruiẽtes, algebãt: extẽſus in multos. n. amor frigeſcit tãdem, & deficit. Eos ergo tales Creator inueniens, eis inſidere non potuit, ni prius Apoſtolorum veſtibus tegerentur, purgatoque veteri algore, caleſcerent. Hæc ſunt verba S. Doctoris. *Pullus iſte, & aſina ante aduentum Saluatoris nudi erant, multiſque ſibi in eos dominatum vendicantibus, abſque operimento frigebant: poſtquam verò ſuſcepere apoſtolicas veſtes, Dominum habuere ſeſſorem:*

*Mat. 21. 7.*

*D. Hiero. ibid.*

8 Propheta regius Dominum

num dicentem audiens, *Pauperes eius ſaturabo panibus*, ad mẽſam altaris ſolos pauperes aduocat. *Edant pauperes, & ſaturabuntur*. Toties quæſitum eſt, cur cum pauperibus ad ſacram menſam non admittantur & diuites: reſponſumque prout rei ratio poſtulabat. Hic verò dicendum. Quia dum communicamus Chriſtum in corda noſtra pariter & in corpora habitatorem excipimus; quare oportet illa feruoris flãma ſuccendi. Feruent, æſtuant pauperes; frigent, algent diuites: nudi enim illi, hi multis incedunt veſtibus onerati. Sane frigentiũ eſt ſub tot pannis latere; æſtuantium verò nudos incedere. *Si eſſemus benè feruentes*, ait Doctor Seraphicus, *nudi nudum Chriſtum ſequeremur: nam homines, cùm magnum æſtũ habent, conſueuerunt ſe nudare, & expoliare*. Aeſtuabãt profectò Apoſtoli rebus omnibus renuntiãtes, nudumque nudi Dominum proſequentes. Aeſtuabat Lucia, quam hodie, cum hæc ſcribimus, colimus, dum & dotem, & quæ præter dotem affluebant, pro Chriſti amore pauperibus erogauit. Aeſtuabat Ludouicus, cùm ſe vltrò, vtroq; regno nudaret. Aeſtuabant cæteri, qui mũdanas diuitias contemnentes, amplexi ſunt nuditatem. *Edant* ergò *pauperes & ſaturabuntur*, cum caleant, ferueant, igneſcant.

*D. Bonau. de Perf. Vit. c. 3.*

9 Dominum non, niſi in cœlo, manere nouimus: nam dum hic manet in templo, nõ recedit è cœlo. *Dominus in tẽplo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius*. ait Dauid. In hominis redemptionem deſcenſurus in terram, nè in terra manens, cœlum dimitteret, *Inclinauit cœlos, & deſcendit*. Cœli ergo manſionẽ ſummopere diligit. Sed vnde tanta dilectio? Ex eo, quod auro ſternitur, & ornatur. *Ipſa ciuitas aurum mundum*. ait Ioannes. Sed quid per aurum quo cœlum refulget, intelligendũ? Charitas. ait Hugo. *Auro ciuitas illa ſternitur, quia puritate dilectionis vndique veſtitur*. Sanè ſolum ibi Deus aſſolet immorari, vbi charitatis aulæum ſternitur. Omnis locus, in quo non nitet aurum, non ſplendet charitas, non ardet amor, non flagrat dilectio, indignus eſt Deo.

*Pſal. 10. 4.*
*Pſal. 17. 10.*
*Apoc. 21. 18.*
*Hugo de S. Vict. de Clauſt. Anim. c. 27.*

10 Quare loca Deo dicata, in quibus nobiſcum Dominus creditur immorari, dicuntur templa? Quoniam lata ſunt, & ampla. Dicitur templum. *Quaſi tectum amplum*. ait Richardus. Lata, & ampla diligit Deus loca, odit anguſta. Quia ſanctis nihil eſt anguſtũ, ſed omnia lata, templum Dei dicuntur. *Templum Dei eſtis*, &

*Rich. à S. Laur. de Laud. B. Mar. lib. 10.*
*1. Corint. 3. 16.*

*& Spiritus Dei habitat in vobis.* Vbi mens peccatoris pro ſe tantum angitur, iuſti dilatatur in proximos, vt omnibus benefaciat, ſuppetias ferat. Vbi peccatoris manus proprio nō dilatatur ab ore, iuſti in lōgas regiones extenditur, egenos, peregrinos cibās, reficiēs, & recreās. Vbi illius pedes abs re ſua pro proximo nec greſsū impedīūt; hic rerū ſuarum oblitus peregrinatur pro fratribus. Demū vbi peccatoris domus vix ſuos excipit, domus iuſti diuerſoriū pauperum eſt, peregrinorum hoſpitium, ægrotātium xenodochium. Ratio huius diſcriminis phyſica eſt: quia frigidi condenſare, & reſtringere, calidi rarefacere eſt, & dilatare. frigidus eſt peccator, calet iuſtus: ille ob defectum, hic ex affluentia charitatis. *Benigni ſiquidem ſunt.* ait de his Bernardus, *atque extenti in charitate, pertingentes vſque ad nos.* Iure igitur Sancti charitate, & dilectione præſtantes, Dei templa dicuntur, qui non niſi calida diligit habitacula. (*D. Bern. ſer. 27. in Cant.*)

11 Hoc adeo verum eſt, quod ſi vbi Deus adeſt, charitatem contingat extingui, recedat inde, abeat, corque algidum derelinquat. Quid eſt, quod Iob Chriſtum agens, abortiuo ſe confert, *Sicut abortiuum abſcōditum?* (*Iob. 3. 16*) Medici, quia mulieres plerunque ex nimio gaudio ſunt abortæ, quærunt. cur nimium gaudiū faciat abortiuum. Reſpondentque. *Quia tempore gaudij matrix depauperatur calore, & per conſequens abortiuus efficitur.* (*Auct. Floſc. Ariſt. in Probl.*) Quod & in ſtomacho experti ſumus, poſtquam friguerit, cibos præhabitos euomente. Abortiuus ergo dicitur Chriſtus; quia vbi cor noſtrum præexiſtentem amiſerit charitatem, mox diſcedit ab eo, noſque fugiens derelinquit.

12 Concludamus itaque, Deo cum Doctiſſimo Idiota dicentes. *Qui diligit te Domine, habet te.* (*Idiota li. 1. de Diu. amor.*) Vt te homines ſecum habeant in ſuis cordibus commorantem, vt te ab altari non indignè ſuſcipiant, te diligant, neceſſe eſt. Pyralis es, vbi nō ardet ignis, ipſe minimè habitas. Da ergo nobis te ardenter diligere, feruēter amare, ignita charitate proſequi; vt te ex ſacro altari dignè ſuſcipiamus, teq; iugiter noſtris habeamus in cordibus.

## THEOREMA V.

### Calix meus.

*Ex amoris vena Chriſti ſanguis ebullit.*

CAlix, vt dictum eſt, à calendo deducitur, ex eo quod

quod veteres, quibus calido vti potu conſuetum erat, in calice propinabant. Et vas Euchariſticum calicis vocabulo exprimitur, quia Chriſti ſanguinem continet, ex vena feruentis amoris ebulliẽtem.

1 Suauitas ſanguinis Chriſti explicari nequit exemplo. Quæcunque afferantur, in eorum comparatione vileſcent. Quia verò corporeos exempla corpora mouent, Pſalmiſta in amaritudinibus huius mundi nil melle dulcius videns; vt diceret: Sanguine ſuo ſaturauit eos, *De petra melle, ait, ſaturauit eos. Mel de petra*, ait Doctor Angelicus, *ſignificat dulcẽ ſanguinem Chriſti, quem ſugunt fideles de corpore Chriſti.* D. Philippum Nerium tam magnã dulcedinem expertũ in Chriſti ſanguine recolunt, quod cũ ſacrũ cruorem aſſumeret, *Labia ſibi audiſſimè lambebat, iterum, ac ſæpius calicem ori admouere obſeruabatur: ac in ea parte calicis, ex qua ſanguinem hauriebat, indicia dentium erãt, aurumque ipſum, quod ibi circum erat, quamquã recens, breui obſcurabatur*. Verum vndenam tanta dulcedo, tantus ſapor, tanta ſuauitas ſanguini Ieſu Chriſti? Ex analogia ad aquarum Nili dulcedinem coniectandum. Aquas Nili dulciſſimas eſſe perhibent, quod, teſte Diodoro noſtro, accidit, quia per loca combuſta, & torrida erumpunt, & tranſeunt. *Nili præcipua dulcedo, quia per loca ſole aduſta decurrat: quod cauſam præbet, vt dulcedine cætera exuperet flumina, tamquam caloris natura eum ſaporem flumini præſtante*. Idem aſſerendum de sãguine Ieſu Chriſti, dicendumque, idcircò tantam præferre dulcedinẽ; quia per ſanctiſſimum corpus nimio amoris igne combuſtum in ſacrum calicem effluat.

Pſ. 80.17

D. Thom. opuſ. 58. cap. 32.

*Ant. Gallon. i vit. S. Philip. Nerij an.* 1551.

*Diod. Sicul. lib.* 1. *par.* 1. *c.* 4.

2 Offert ſe modo nobis Aurei oris examinanda ſentẽtia, quam primo intuitu minimè (vt arbitror) apꝓbabis. *Quod eſt in calice, id eſt, quod à latere fluxit; & illius ſumus participes.* Nam cum vas ſacri altaris totum Chriſti cruorem, nemine dubitante, contineat, & qui è capite, manibus, pedibus, totoque corpore prodijt, & qui manauit è latere; quamobrem ait Chryſoſtomus, in eo tantum illum, qui è latere exiuit, includi? Et quidem totus Chriſti cruor in calice, qui è toto corpore fluxit; voluit autem Chryſoſtomus, eum tantummodo ibi adeſſe, qui manauit è latere, denuntiare: vt Chriſti ſanguinem, quem adoramus in calice, ex ardentiſſima amoris vena proceſſiſſe doceret. Sic enim toto proceſſit è corpore, ac ſi tantum ex latere proceſſiſſet, vbi amoris

*D. Chryſoſt. in c.* 10. 1. *Corinth.*

ris flamma viget, dilectionis incẽdiũ ardet, charitatis ignis ebullit.

Laur. Canon. Anteurp. Cõci. 29.

3 Memorię prodiderũt, calicem, in quo Chriſtus vinum conſecrauit in ſanguinẽ, agatheum fuiſſe, qui nunc Valentiæ honorificè admodum aſſeruatur. Quorſum autem non elegit aureum, argenteum, cryſtallinum, ſed agatheum? Vt contenti naturam ex continente perciperes. Sicut enim Sacrarũ Hoſtiarũ capſæ quandoque fiũt ex ebore, quandoque ex argento, quodoque ex auro, ac cryſtallo, *Quæ ſecundum ſuas varias proprietates ipſius corporis Chriſti exprimunt dignitates*: ità & calices ſecundum varias eorũ conditiones, conditiones exprimũt pretioſi cruoris. Agathen ex Alberto gemma eſt fuſci, & nigri coloris quem ex nimia combuſtione ſortitur: nam, vt idem aſſerit, *Niger color in lapidibus frequentiſſimè cauſatur ex terreſtri combuſto*. Agatheus ergò fuit calix Domini, vt ſignificaret, quem abſcondit, pretioſiſſimum ſãguinẽ, ex Chriſti corpore, amoris flamma combuſto, in Eccleſiæ vaſa decurrere.

Durand. Rat. Diu. lib. 1. c. 3 num. 25.

Alber. de Reb. Metall. lib. 1. c. 2

4 Iamdudũ diximus, charitatem, quam ferculum Salomonis oſtendebat in medio, vel gemmam fuiſſe, vel duas columbas ſeſe inuicem oſculantes. Nunc verò altiori, ac diuiniori ſenſu ditati, imaginem Chriſti crucifixi; qui vera eſt, & perfecta charitas, fuiſſe, aſſerendum. *Pater cæleſtis*, ait Cyprianus Monacus, *inter cætera dilectionis ſigna illud medium poſuit maioris dilectionis, & charitatis indicium, Chriſtum ſcilicet filium vnicum ſublimi in ſtipite pendẽtem: qua charitate, ac dilectione nulla vnquam poßet eſſe maior.* Quia verò pro eo, quod legit Vulgatus *media charitate conſtrauit*, *Medium eius accenſum, ſiue combuſtum.* trãsfert Rabbinus Innominatus; perſpicuũ eſt, Chriſtum, dum in cruce penderet, dum ſanguinem in calicem Eccleſię mitteret, cõbuſtum, & accenſum fuiſſe: ſacrumque cruorem ex feruẽtiſſima amoris vena ꝓdijſſe.

Cypr. Monac. inc. 3. Cant.

Rabb. Innomin.

5 Sacroſancta Euchariſtia rectè pluuia nũcupatur à Dauide, *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Nam quemadmodum pluuia, teſte Iſidoro, *Dicitur ex eo, ꝙ fluat, quaſi fluuia*, ſic Euchariſtia quaſi fluuius perẽni curſu fluit è cœli fonte, vt nullus ſit dies, nulla hora, nullum inſtans, in quo ſacra non ditet altaria. Quapropter dum eã Deus mittit in terram, ab eodem Propheta pluere dicitur. *Et pluit illis manna ad manducandum, & panẽ cœli dedit eis.*

Pſ. 67. 10

D. Iſid. etym. lib. 13. c. 10.

Pſ. 77. 22

Sed & ſi hæc metaphora quadrat ſacro corpori, cuius carnes, vt idem ibidem aſſerit, Deus pluit. *Pluit ſuper eos ſicut puluerẽ carnes*, aptiùs tñ côuenit sãguini, qui manifeſtiorẽ habet cum pluuia conferentiam. Non nè inſtar pluuiæ pretioſus liquor effluxit, dum *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram?*

*Luc. 22. 44.*

Cæterùm hac pluuia nequaquã inter naturales, & aſſuetas; ſed inter prodigioſas, raroque aduenientes, eſt computanda. Rara, & prodigioſa eſt ſanguinis pluuia. M. Acilio, & Caio Portio Conſulibus pluiſſe ſanguine; tradunt Romanorum hyſtoriæ, vt videre eſt in Plinio. Si verò portentoſæ huius ſanguinis pluuiæ flagitas rationem, Bercorius ſic reſpondet: *Propter nimiam aduſtionem pluuia efficitur rubea, & ſanguinea.* Quod, & de ſanguine Ieſu Chriſti aſſerendum eſt pariter, dum nobis proponitur ſub metaphora pluuiæ: dicendumque, ob nimiam cordis eius aduſtionem fluxiſſe, perque ſingulos dies effluere. Eſt.n. illud sãcti amoris hoſpitium, cuius arma flãmæ, cuius actus accendere.

*Plin. lib. 2. c. 56.*

*Bercor. Reduct. Mor. uer. Chriſti Paſſio.*

6 Sacrum inſuper Chriſti ſanguinem muſtum in ſacris litteris nũcupatum inuenies. Quod ait Sponſa, ſacrũ cruorem ſubindicans, *Botrus Cypri Dilectus meus mihi*, ſic exponit Pſellius; *Sic agnoui ſororis meæ filium, ſcilicet ſponſum, ſicut botrum, qui nobis diſtillauit muſtũ æternitatis.* Prætereo à Chriſto etiam, dum in nouum hominem, & minimè inueteratũ, ſuum ſanguinem mandat immitti, ſub hocmetipſo typo proponi. *Neque*, inquit, *mittunt vinum nouum in vtres veteres.* Sed quare ſanguis Chriſti non dicitur vinum, ſed vinum nouum, & muſtum? Quia calidum eſt. *Nouum, quia calidus eſt per charitatem*, inquit Hugo. Effluit enim è venis nimio amoris igne combuſtis.

*Cãt. 1. 13*

*Pſell. ibi.*

*Matt. 9. 17.*

*Hugo Card. ibi.*

7 A Domino, cœli limina, hoſte, morte, tartaro ſubiugatis, ingrediente, *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* ſuſcitati ſunt Angeli. Quibus ille: *Torcular calcaui ſolus.* Peto autem: Cur Angeli non, quare ſanguineum, ſed, quare rubrũ eſt indumentum tuum, petierunt à Chriſto? Scio iàm, non ſanguinis effuſionem, ſed effuſionis cauſam, amoris nimirum immenſitatem, admirati, ſcrutantur. Vocant enim ſanguinem Saluatoris rubrum, vt ignitum oſtendant, nam color rubrus ignem ſignificat. *Color rubeus*, inquit Chaſſanæus, *figurat ignem, qui eſt ſuper omnia alia elementa, & nobilius elementum eſt; & propter nobilitatẽ nulli liceat portare veſtes*

*Iſa. 63. 2.*

*Chaff. in Catal. p. 11. Cõſid. 61.*

com-

*comptas, ſeu tinctas, eius colore.* Cœlorum ergo ciues, rubore ſanguinis Chriſti ſtupentes, ignem in corde latentem, vnde ſanguis exiuit, manifeſtiſſimè inſinuant, ſtupent, admirantur.

8 Sacrum Chriſti cruorem, quem è calice haurimus, è Chriſti latere ſugimus: dicēte Chryſoſtomo *Reputate ſalutarem ſanguinem, quaſi è diuino, & impolluto latere effluere, & ità approximantes labijs puris accipite.* Sed ſcias eum non ex vulnere pectoris, quod vulnerauit miles; ſed ex vulnere cordis, quod vulnerauerat amor, effluere. Idcircò enim à Longino pectoris apertum eſt vulnus, vt per hoc vulnus cordis, amoris opus, inſpiceremus. *Propterea vulneratus eſt, vt per vulnus viſibile vulnus inuiſibile amoris videamus.* Scribit Bernardus. Cum igitur certum ſit, ſacratiſsimum ſanguinem, quem in Euchariſtia bibimus, à Chriſti corde fluxiſſe, vbi amor, ſua velut in ſede, ignem magnum accenderat, & in quo idem Bernardus, vt accenderetur expetebat abſcondi, dum caneret:

*D. Chryſ. Serm. de Euch. & Encam. to. 3.*

*D. Bern. de Paſſ. Dom. c. 3*

*D. Bern.*

*In hac foſſa me reconde*
*Infer meum cor profunde*
*Vbi latens incaleſcat.* dicendū nobis, ex accenſis, & ardentibus amoris venis effuſum, noſtroq; inde potui præparatū.

9 Mox, vt Chriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituit, ſeque ipſum cibauit, amicis ſuis, ſanctis nimirum Apoſtolis, *Comedi,* inquit, *fauum meū cum melle meo. bibi vinum cum lacte meo: comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Vbi, vt vides, ſanguinem ſuum, non vinum tātum dicit, ſed & lac: quod magnum faceſſit negotium. Nam cū pretioſiſſimus ſanguis propinetur ſub ſpecie vini, minimè verò ſub ſpecie lactis, quo pacto dicitur lac? Nō incongruè dicitur lac: nā & ſi non detur ſub ſpecie lactis, gerit tamē ſpecimē lactis, lactis callet proprietates. In primis, quemadmodum lac ex eo, quod candet, dealbat; ſic & ſanguis Chriſti dealbat animas noſtras. *Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Item, ſicut lac non per vim, vt ſanguis è venis, ſed vltrò à mā mis emittitur; ſic & ſanguis Chriſti nequaquam tormentorum acerbitate, & plagarum vi, ſed ſua ſponte manauit. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Demum, quemadmodum lac ſanguis eſt, ſed biſcoctus, per maiorem ignem pertrāſiens, quàm ſimplex ſanguis: ſic ſanguis Chriſti, priuſquam ad nos perueniret; per ardentiſſimas amoris venas, ignitiſſimoſque canales ebulliuit, & tranſijt.

*Cant. 5. 1*

*Apoc. 7. 14.*

*Iſa. 53. 7.*

Quod

10 Quod Citharœdus Vates ſeptimo, & ſeptuageſimo Pſalmo decantat, *Tranſtulit Auſtrum de cęlo, & induxit in virtute ſua Africum:* ſic interpretatur Cardinalis Hugo. *Miſit Angelum, qui ambulat ſuper pennas ventorum, & induxit in virtute ſua Africum, ideſt Corpus Chriſti.* Nam, vt corpus ſanctiſsimum honorabilius, ſanctius, & puriùs excipiatur in terra, præmittuntur Angeli ad ſacrum altare. Aduerte autem quod ſacra Euchariſtia dicitur Africus, qui ventus eſt meridionalis: eſt enim Chriſtus, qui dicitur vẽtus. *Et benè ventus,* iuquit Gilbertus, *quia ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.* Meridionalis autem, quia per meridiem, vt placet Auguſtino, charitatis feruor innuitur, & ſacra Euchariſtia, Chriſti corpus, & ſanguis ex magno charitatis igne, ex magno incendij fonte, exq; venis nimio amoris exuſtis igne, perpetim emanat.

*Pſ. 77. 26* — *Hugo Cardin. ibi.* — *Gilib. Abb. ſer. 15. i Cãt.* — *D. Aug. de Ciuit. lib. 17. c. 32.*

11 Huic illud etiam ſpectat eiuſdem, *Percuſſit petrã, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Torrentes, ait, non flumina: quoniam inundationem ſanguinis Chriſti ſatagebat innuere, qui, vt habet Apoſtolus, ſub typo petrę percuſſus, pretioſum cruorem emiſit, quo per ſingulos dies altaris vaſa replentur. Quoniam autem fluẽta ſanguinis Chriſti, a corpore nimio amoris æſtu torrido, & combuſto eruperant, non dicuntur flumina, ſed torrentes. *Et torrentes inundauerunt.* Torrens latine à torreo dicitur, quod eius alueus ęſtate torreat, vt autumat Iſidorus.

*Pſ. 77. 20.* — *D. Iſid. etym. lib. 13. c. 21.*

12 Demum, vt huic rei ex hoc eodem typo ſummam coronidem imponamus, aduertendum, quod petra, de qua loquimur, à Moyſe non dicitur petra, ſed ſilex. *Percutiẽs virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Silex ignem habet abſconditum, vnde *Silex* dicitur, quaſi ſilẽtem ignẽ in ſe contineat. Corpus Chriſti ſanctiſſimum ſilex eſt, imò potiùs AEthna, diuino igne repletus, è venis accenſis ſacrum cruorem effundens, quo corda ſanctorum inebriantur.

*Num. 20. 11.*

## THEOREMA VI.

### Calix meus.

*Morborum animæ ſaluberrimum pharmacum ſacra Euchariſtia.*

DEmum idcircò vas, in quo Chriſti myſteria aſſeruantur, dicitur Calix, quia ſacra continet pharma-

ca,

ca, ad ſalutem noſtram inuenta. Vaſa quæ medicamenta tuentur olim calices dicebantur. *Athenienſes pixidem medicinis aptam, calicem vocant.* ait Athenæus. Huius ergò vocabuli occaſione videndum quo ſacra Euchariſtia modo morborum animæ ſit ſaluberrimum pharmacum.

*Athen. lib. 11.*

1 Verba Pſalmi decimi octaui primo loco expendamus, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſpōſus procedens de thalamo ſuo.* Quod idem eſt, ac ſi diceret. Antequam ſponſus Dominus ex Eccleſiæ Sponſæ thalamo ſe contuliſſet in cœlum, ſuum corpus in ſole reliquit. Vbi per ſolem capias Euchariſtiā: nam ſicut *Tabernaculum dicitur Corpus Domini*, vt placet Chryſoſtomo, ſic etiam Euchariſtia dicitur ſol, quoniam ſolis inſtar, mūdum replet lumine, vitam præſtat hominibus, igneque ſacro corda accendit algentia. Refert Sixtus Senenſis, à Serapione Originē accuſari, quod cum Manichęis ſenſerit, aſſerens à Chriſto in aſcenſu cœli corpus ſuum in ſolis globo relictum. Verum ſi Adamantius ſolis nomine, non qui lucet in cœlo, ſed Euchariſtiam, quæ fulget in mūdo, ſignificaſſet, à nemine accuſari poſſet, irrepræhēſibilia protuliſſet. Dices autem: Cū

*Pſ. 18. 5.*

*D. Chryſ. in Pſ. 14.*

*Sixtus Senenſ. Bibliot. an. 160.*

planetæ ſint ſeptem, qui ſub lunaria regunt, cur ſacra Euchariſtia non dicitur Luna, Mercurius, Venus, Mars, Iuppiter, aut Saturnus, ſed Sol? Quia Deus, inquam, ea, velut magno medicamine, noſtram vtitur ad ſalutem. Sol, vt teſtatur Macobrius, *Calore temperato mortalium vitam iuuat;* vnde ex eodem à Græcis *Ieius* dicitur à ſanando. Inde etiam Deus, qui, vt docent Philoſophi, cōtulit cœlorum orbibus intelligentiam non errantem, ſphęræ ſolis tradidit Raphaelem, vt placet Trithemio, & Abrahamo Rabbino apud Chaſſanæum. Quod factum eſt, vt cum ſolem videris in manu miniſtri medicinæ Dei, medicinam eſſe conijcias. Hoc autem totum Euchariſtiæ eſt applicandum, quam idem etiam Raphael ad ſalutem noſtram miniſtrat. Nam, vt placet Bernardino, fel piſcis, quo Raphael Tobiæ cęcitatem ſanauit, ſacram Euchariſtiam repræſentat. *Meritò hoc Sacramentum in felle myſticè demonſtratur, cum in eo paſſionis amaritudo rememoretur. Piſcis autem, in quo extitit hoc fel, eſt ipſe filius Dei Chriſtus, qui in mari magno, & ſpecioſo amaritudinum, & dolorum ab exordio ſuæ conceptionis minorans, vſque ad littus paterni ſinus per acerbiſſimam mortē iactatus eſt* Hęc ille.

*Macrob. lib. 1. Saturn. c. 17.*

*Chaſſan. Catal. p. 12. Conſid. 8.*

*D. Bern. to. 1. ſer. 54. ar. 1. c. 2.*

Quam

2 Quàm aptè D. Vincentius ſacram Euchariſtiam ſalutis noſtræ pilulam nuncupauit. *Caro Chriſti eſt pilula noſtræ ſalutis.* Verè pilula eſt, orbiculata, & rotunda, ſenſibilibuſque panis obducta, nè horrorem afferat manducanti: ſicut & pilula auro, argento, melle, & ſaccharo obliuitur, & tegitur à pharmacopola; ne faſtidium afferat ægrotanti. Cæterum, quemadmodum pilulam ad purgationem humorum peccantium adhibemus, ità & Euchariſtiã; ad expurgãdas enim animæ ſordes ſaluberrimum eſt medicamen. Nã propterea à Domino eſt adinutẽa, *Qui*, vt ait Bernardus, *purgationem facturus delictorum, & ſentinam noſtram purgaturus, aduenit.*

D. Vinc. ſer. 1. Corpor. Dom.

D. Bern. Ser. 1. de Epiph.

3 Quod Pſaltes Deũ agẽs, *In Idumæam*, inquit, *extendam calceamentum meum*, rei noſtræ quadrabit, ſi, vbi habent Septuaginta calceamentum, leges cum Hinmanuele Rabbino. *Chirotecam.* Nam cum Verbum Dei ſit manus Dei, vtpote per quod omnia, velut per manum, facta ſunt à Deo, vbi Verbum caro factum eſt, Dei manus non modo *Chirotheca carnis tecta fuit*; ſed & panis, & vini; horum enim ſpecies in altari, velut alia chirotheca, obtegũt Verbum Dei. Deus verò, vt ſcias ſe hic loqui de Euchariſtia, hanc manum, inquit, tali chirotheca velatam, extendendam in Idumæam. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, ideſt in ſacrum altare, quod, quia olim victimarum cruore rubebat, exprimitur per Idumæam, quæ latinè *ruffa*, vel *rubra*, ſiue *ſanguinea*, interpretatur. Chriſtum ergo in altari manum Dei nuncupatum habes. Sed cum poſſet dici etiã facies, oculus, cor, & mens Dei, vt paſſim dicitur, vnde potius dicitur manus Dei? Vt ſcias, eum ibi eſſe maximũ, & efficaciſſimum pharmacũ languorum noſtrorum. Conſueuere medici magnum, & efficaciſſimum medicamentum ſub *manus Dei* vocabulo nuncupare. Philo medicus nobilis, & excellens, cum medicamina quædam aptiſſima cõcinnaret, velut adagio quodam *Manus Dei* vocitabat, vt videre eſt apud Cœlium.

Pſ. 59. 10

D. Bonau. ſer. 1. Dominic. 1. Aduen.

Cæl. li. 28 c. 1.

4 Cæterum, quod ſacrum altare, in quo mediator noſter per ſingulos dies offertur, nuncupetur menſa, ſcio à te ex eo deduci, quia in eo Chriſtus non immolatur ſolummodo, ſed & ſub panis, & vini ſenſibilibus comeditur, & potatur. Conſentanea ratio. Cui aliam adde, inſtituto noſtro quam aptam. Quia in eo Deus Sacrum euchariſticum ſer-

ſeruat; languorum noſtrorum magnum, & efficaciſſimum medicamẽ, quo languẽtibus, & ægrotantibus nobis occurrit. Menſa à medendo dicitur, quod medeatur: quia temperantiæ cupidi, tamquam ad medicamina famis, & ſitis, quę quidam dolores ſunt, trahebantur ad menſam. *Famis, & ſitis*, ait Auguſtinus, *quidam dolores ſunt, vrunt, & ſicut febris necant, niſi alimenti medicina ſuccurrat.* Cum ergo ſacrum altare diuinum pharmacum habeat, languoribus noſtris efficaciſſimum, iure optimo dicitur menſa.

*Farneſ. apud Calepin.*

*D. Aug. Confeſſ. lib. 10. c. 31.*

5 Mirum quidem, & ſtupendum eſt, quod Simon leproſus, Chriſtum domi ſuæ recipiens, verum medicum, imò, vt dicitur à Chryſoſtomo *Archiatrem*, hoc eſt medicorũ Principem, à lepra non conualuerit, & leproſus adhuc nominetur. Quare infelix tanto fretus medico, ſanitatis expers remanſit? Quia, & ſi habuit medicum, vti tamen noluit pharmaco, quod medicus afferebat. Aduerte, quod eũ Dominus his redarguens, *Intraui in domum tuam, oſculum mihi non dediſti*, per oſculum, vt pluries probatum eſt, ſui corporis comeſtionem, cruoriſque potum, intelligit. Sanè ſi hunc ſibi oſculum applicaſſet vt Magdalena, ſuo conualuiſſet à morbo, vt à ſuo illa conualuit. *Qui omnibus*, ait Nyſſenus, *ſcatere fecit vitam, & vult omnes eſſe ſaluos, neminem vult eorum, qui ſalui ſiunt, eſſe expertes huius oſculi. Eſt enim eius oſculum purgamentum cuiuſcunque ſordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobaſſe Simoni leproſo, Oſculum mihi non dediſti. Reuera enim fuiſſet emendatus ab ægritudine, ſi ore attaxiſſet puritatem.* Conualuiſſet vtique; nam ſi Romualdus; *Cuiuſdam intolerabilem capitis dolorem ſolo ſanauit anhelitu; & alterius non dolorem, ſed inſaniam, vno pepulit oſculo*, vt refert Petrarca: quid faciet oſculum Chriſti? Aduerte hic quam benignum, & dulcem medicum habeamus, tam lenia medicamina, dulcoriſque plena, afferentem. Suo nobis medetur oſculo; ſuauiſſima nempe, ac dulciſſima carne ſacri corporis ſui.

*D. Chryſ. Hom. 6. in Mar.*

*Luc. 7. 45.*

*D. Greg. Nyſſ. Homil. 1. in Cant.*

*Petrar. de vita ſolit. lib. 2. tr. 3. c. 16.*

6 Urioſè quis dubitabit. Quare non dedit Deus homini ſui corporis ſacrum condito iàm mundo, dum herbas, & terrę fructus conceſsit edẽdos? Vel etiam mundo aquis aboleto, dum animalium carnes exhibuit? Sed ægro iam, & ſeneſcente, propeque interitum conſtituto? Hoc quidẽ factum eſt, vt cognoſceret mundus cibum carnis ſuę noſtrarum ægritudinum efficaciſ-

cacíſſimũ medicamen eſſe, vtpote quod datum eſt, cum maior ſæuiret infirmitas, cum æger, extremis deuexatus lãguoribus, prope interitum eſſet; nihilque reperiretur in terra, quod ſymptomatibus tantis oppreſſum adiuuare hominem potuiſſet. Paulus de Palacio. *In prima mundi conſtitutione datur homini herba in eſcam; mundo poſt diluuium deſtructo, nouoque ſuccedente, dat Dominus carnes in cibum: mundo verò terreno per Chriſtum velut abolito, & nouo ſpirituali renaſcenti, iàm non herbæ, nec pecudes dantur in cibum, ſed ipſemet Deus. Videlicet, quanto magis mundus procedit, infirmior eſt, & ideo maiora requirit alimenta, fortiora exigit fulchra, periculoſior infirmitas pretioſiora requirit medicamina.* (*Paul. de Palac. in cap. 26. Matt.*)

7 Vbi nos hoſtiæ, quam conſecrandam conficimus, Crucifixi formam exprimimus, veteres Chriſtiani nomẽ Ieſu imprimebant. *In principio Eccleſiæ*, ait Bernardinus *ab vno latere hoſtiæ ponebatur ſolum nomen Ieſu*. (*D. Bern. to. 4. ſer. 45.*) Lubet hic quærere. Cum Chriſtus tot habeat nomina, quare ſolus Ieſus exprimebatur in hoſtia? Quare non Chriſtus? aut Verbum Dei? ſiue Vnigenitus Dei? aut ſaltem Emmanuel; ideſt nobiſcum Deus, ex eo, quod nobiſcum eſt Deus in hoſtia? Quia *Medicina eſt nomen Ieſu*, ait Bernardus. (*D. Bern. ſer. 15. in Cant.*) Tali ergo vocabulo, ceu pharmacopolæ pixides, hoſtiam inſcribebant, ad denotandum eam vaſculum eſſe, maximum medicamen aſſeruans, curæ languorum noſtrorum aptiſſimum.

8 Vbi legit Hieronymus, *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi*, (*Gen. 2. 9.*) alij pro ligno vitæ. *Lignum vitarum* ſcripſerunt. Ideo, vt opinor, vt fructus arboris vitę præſtantiam commendarent, vtpote cuius comeſtio non Adami, vxoris, & filiorũ eius ſolummodo conſeruare, & prorogare poterat vitam, ſed & cunctorum hominum, ſi eo illis datum fuiſſet veſci. *Dicitur vitarum*, ait Oleaſter, *quia multorum, ſcilicet omnium comedentium, vitam conſeruare poterat*. (*Oleaſt. ib.*) Quia vero per arborem vitę fructus euchariſticus ſignabatur, *Lignum vitæ eſt his, qui appræhenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus*. (*Prou. 3. 18.*) figurabatur hic tam magnum, & efficax medicamentum eſſe ad noſtram vitam tuendam, & prorogandam, vt nullius non conferret ſaluti: nullum morbum, nullum languorem non profligaret. Exiſtimo idcircò, Euchariſtiam malię ſyl

ueſtri conferendam, de qua hæc inter cætera Chaſſanæus: *Si quis quotidie ſucci eius cyathi dimidium ſorbeat, omnibus morbis cariturũ; ideo herba hæc omnimorbia dicitur.* Omnimorbia eſt Euchariſtia, Lignũ vitarũ.

Chaſſan. Catal. p. 12. conſid. 9.

9 Cum ſit catholica fide credendum, Euchariſtiam nõ panem, ſed verum, & reale Chriſti corpus eſſe ſub ſenſibilibus panis; quare panis in ſacris paginis paſſim dicitur? Memini me idipſum quæſiſſe aliàs, ac reſponſum pro rei opportunitate dediſſe. Cæterum id ex eo inquam aduenire, quod panis, vt videre eſt in Plinio, innumeras pœnè contineat medicinas, nullus in corpore humano graſſatur morbus, nulla lues, nullus lãguor, cui panis nõ medeatur. Ex quo concors eſt peritorũ medicorum ſententia, paremiam illam, *Panis repletio peſſima*, à guloſo quopiam fuiſſe primò cantatam, & à guloſis itidem perperam approbatã; medicamentum omnium optimum condemnantibus, vt ægro palato ſuauioribus obſonijs ſatisfacerent. Sancta itaque Euchariſtia panis dicitur; quia panis inſtar innumeras continet medicinas, cũctis medetur ægrotis, omnimorbia eſt.

Plin. lib. 22. c. 25.

10 Calix de quo Pſaltes, *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto*, Eccleſiæ calix eſt, quo Dei ſui ſanguinem fidelibus adminiſtrat. Plenum hũc mero dixit, & miſto: quia ex eo non Dei ſolius ſanguinem hauris, ſed Chriſti, quẽ Deũ, & hominem confitemur. Quia verò ſubiungit: *Bibent omnes peccatores terræ*, terræ verbum nõ parum affert difficultatis. Quod peccatores dixerit, iure dictum arbitror; peccatorum poculum, peccatorum pharmacum eſt, *in remiſſionem peccatorum* effuſum. Quorſum autem addiderit *terre*, prorſus ignoro. Sunt ne alij peccatores, quibus non propinetur? Ità ſanè, ſunt peccatores cęli, nimirum Dæmones, è cœlo, quod in cœlo peccauerint, ad tartara relegati. Gaudentius. *Et miſtum perhibet vinum, & ipſum merum teſtatur eſſe: vt eundem credamus Deum, & hominem conſiteamur. Hunc verò calicem biberãt peccatores terræ. Quia peccatores cœli, ex Angelis Dæmones facti, ſalutare poculum bibere non merentur.* Medicamen eſt Euchariſtia, viuis, non mortuis, exhibenda: ijs modo, quibus non deſperatur, ſed ſperatur ſalus, terrę, qui cõualeſcere poſſunt, non cœli, quibus ſpes nulla ſalutis, præſtanda eſt peccatoribus. Quicunq; terræ peccator ſacro paſcetur edulio, inebriabitur poculo, ſalute inco-

Pſ. 74. 9.

Matt. 26. 28.

D. Gaud. ſer. 19.

in columitate potietur, & vita: vita inquam ſed æterna. *Bibent omnes peccatores terræ.*

11 Tradit in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius, fœminã, quæ vt Chriſti fimbriam tetigit, ab incurabili ſanguinis fluxu conualuit, in Paneade, quæ eſt Cæſarea Philippi, vnde oriunda erat, inſignes ſtatuiſſe triumphos, in memoriam beneficij, ſibi à Saluatore collati. Videbatur ſuper altã baſim ad limina domus eius æneum fœminæ ſimulachrum, genibus flexis, iũctiſque manibus deprecantis: aliud ex oppoſito venerabilis viri amictum diploide, manũ mulierem verſus extendens:

Euſeb. in Eccl. Hiſtor. li. 7. c. 14. *Ante cuius pedes ſuper ipſam baſim alienæ ſpeciei plantæ orta, quæ vſque ad æneę diploidis oras pertingens, medicina omnium paſſionum eſſe ferebatur.* Scio Paſchaſium, hanc mulierem videntem, ſolo fimbriæ Saluatoris contactu ſanitati redditam, efficaciſſimã, & diuiniſſimã eucharistici pharmaci vim

Paſch. in c. 9. Mat. cõcludere. *Audiat Chriſtianus quilibet corpus Chriſti de altari participans, quantam de eo poſſit ſumere medicinam, quando mulier tantam rapuit de ſolà Chriſti fimbria ſanitatem.* At ego id à multò potiori concludam; hãc audiens herbam ex æo tantũ, quod æs, Chriſti fimbriam prçferens, attingeret, omnimorbiam fuiſſe. Certè æs vim, tali plantæ transfuſam ex fimbria, quam repręſentabat, habebat, fimbria à corpore, cui adhærebat. Ea igitur planta ex Chriſti corpore omnimorbia fuit. Quale ergo pharmacum erit corpus ſanctiſſimũ? quem non adiuuabit ægrotũ? quem non profligabit morbũ? quam non afferet ſanitatem? *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ariſt. li. 1. Poſt. Fons ſanitatis eſt Euchariſtia, morborum omnium medicina, cunctis vtilis, ſalubris. Vnde ait Cyrillus: *Studioſè ſanctèque viuas, vt Benedictionẽ participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum, verum & morbos omnes depellit.* D. Cyrill. Alex. li. 4. c. 17. in Ioan.

12 Præcipuè verò aduertẽdum, ſacram Euchariſtiam non quodcunque plagarum noſtrarum pharmacum eſſe; ſed ſupremum, & vltimum. quod ſi, vt ſæpè accidit, ægrotum non adiuuat, hic, quia ab alio adiuuari non poterit, pro mortuo reputandus. Iſaiæ quinto Luget Dominus, clamatque ſe nil eorum prætermiſiſſe, quæ ſaluti noſtræ cõferrent; ſed in caſſũ omnia. *Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* Iſa. 5. Sed mi Domine, admodum diminutè de tua omnipotentia loqueris. Quamquam magna, & innumerabilia pro ſalute

no-

noſtra adhibueris predicamina; tuæ tamen potentiæ, & ſapientiæ noua ſemper, maiora, & efficaciora ſuperſunt: vnde igitur ais, nil aliud poſſe vltrà quod olim feceris? Rectiſſimè loquitur Altiſſimus. Euchariſtiam inſinuat, qua non proferunt cœli aromata ſalubrius quid, & præſtantius. Eā igitur nil noſtris morbis ſuppetias ferentem aſpiciens, nil vltra poſſe teſtatur. En Bernardinum. *O quam ſapidus, quam amabilis eſt cibus iſte, qui hominem facit Deum; & nos è vita noſtra, quæ verè eſt mors, funditus eradicando occidit? Verè nobis poteſt dicere Ieſus: Quid vltrà tibi anima mea potui facere, & non feci? Scilicet, quod tui cordis duritiam emolliret? quaſi dicat: nihil.*

D. Bernardin. tom. 2. ſer. 54. ar. 3. c. 1.

13 Quærunt Doctores: Cū Dominus probe cognoſceret Iudā infandis inquinatū ſceleribus, proditionis præſertim, quam & corde decreuerat, & mente machinabatur, quare corpus, & ſanguinis ſui fecit Sacramento participem? Ad quod hæc reſpondet Victor Antiochenus: *Dominus, licèt omniū conſiliorū Iudæ ignarus non eſſet, attamen à Sacramenti ſui acceſſu illum non prohibuit, vt hinc diſceret; nihil eorum prætermiſiſſe, quæ eum ad ſanam mentem reducere quodā modo poterant.* Sciebat ſanè Dominus quot, qualiaue patrauerat, ſciebat pariter quod patrare decreuerat: nihiloſeius quia mitiſſimus, quia piētiſſimus, nunquam tentare deſtitit, ſceleſtū à lethali morbo curare, phreneticum ad ſanam mentem reducere. Cui cū iam varia, & magna, fruſtra tamen, medicamenta adhibuiſſet, Euchariſtiam tandem adhibuit, à qua nil prorſus adiutus, cognoſceret iniquiſſimus, nil à cœleſte medico, quod ſuæ phreneſi conſentaneum eſſet, prætermiſſum, ſeque mortuū reputaret. Quos non viuificat panis vitæ, vita functos exiſtima; inſanabiles, quos non ſanat.

Vit. Antioch. apud Gloſſ. in cap. 14 Mar.

## THEOREMA VII.

### Inebrians quam præclarus eſt.

*Chriſtus comeſtus comedentes Chriſtos effingit.*

Bernardinus Senenſis hūc textum explanans ait, Chriſti calicem dici præclarū, quoniā homines in Deos trāsfert epotus. *Quam præclarus eſt, ideſt illuminans intellectum, & inflammans affectum. talis enim ſumptio Sacramenti valet ad translationem de humanis in diuinos.* Quod & verbum *inebrians* non obſcurè ſignificat.

Bernardī. to. 2. ſer. 55. ar. 2. cap. 2.

Nam

Nam, vt habet Bonauentura, *Ebrietas Dei eſt, quando quis oblitus eſt terrenorum, & mente raptus ad ſuperna, quæ dicitur Apotheoſis, ideſt Deificatio.* Ex quo patet, homines ab Euchariſtia Deos effingi, quod eſt Chriſtos fieri, cum Chriſtus ſit Deus, & homo.

*D. Bonau. in Pſal. 22.*

1 Pluries, dum Sacro aſſiſtis, Euchariſtiam ab Eccleſia diuinam participationem audies nuncupari, cum pro ſuis præſertim orat pſecutoribus. *Quæſumus Domine Deus noſter, vt quos diuina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubiacere periculis.* Prout enim diceret. Quos gaudere tribuis participatione corporis, & ſanguinis tui, Diuina, inquit, participatione gaudere. Cur diuinam potius participationem, quàm corporis, & ſãguinis Chriſti participationem, vocat Chriſti corpus, & ſanguinem? Sanè, vel vt oſtendat carnem, & ſanguinẽ Chriſti, vtpote à diuino Verbo aſſumpta, eſſe diuina; Diuinitati enim vnita, Diuinitatem participant. Vel, vt ob talem comeſtionem, & potũ, doceat nos Chriſtos effingi. Ait nãq; Pamphilus. *Chriſtus verus vnus eſt, qui participatione ſui multos facit Chriſtos.* Quamquam certum ex fide ſit (ac ſi diceret) Chriſtũm verum vnicum eſſe, ſunt tamen plures Chriſti, quos Chriſtus efficit. Quot quot enim dignos inuenit ſui corporis participatione, Chriſtos effingit.

*Pamph. i. Apol. pro Orig.*

2 Illud Eccleſiaſtici. *Qui reddit gratiã* diligenter eſt expendendum. Nam, cum multæ, ac infinitæ propemodum ſint Dei gratiæ, de quanam hic loquitur gratia? Sed non multum eſt laborandum. De Euchariſtia loquitur. Gratiã ſonat Euchariſtię nomen. Quã non dandam, ſed reddendam ait. quia ex ea nobis Dei imago confertur, quam nobis debet retributionis nomine voluntaria promiſſione compulſus. Reuera Deus factus homo noſtra omnia ſibi, vt ſua nobis conferret, aſſumpſit. Quemadmodum ergò reddidit pro lacrymis gaudium, pro paupertate diuitias, ſaturitatem pro fame; pro terra cœlum, pro morte vitam; operæpretium fuit, ſuam etiam pro noſtra nobis imaginem reſtituere, vt quibus Deus factus eſt vniformis, fieremus Deiformes: Hinc myſticam cœnam inſtituit, in qua, dum ſe nobis præbet edendum, diuinam, quam debuerat, nobis reddat effigiẽ. *Chriſt⁹ factus eſt nobis vniformis; & in hoc Sacramẽto datur nobis, vt homo fieret Deiformis. Ideo hunc cibũ manducantes transformamur in Chriſtum.* Hæc Bernardinus.

*Eccleſ. 3. 4.*

*D. Bernardin. to. 2. ſerm. 54. ar. 1. c. 1.*

3 Vis Deum propitium, & in tuos non animaduertẽtem exceſſus: Chriſtum indue, fer Chriſti formam, Chriſtus fias. Vbi Deus Vnigenitum ſuum hominem vidit, veteris indignationis oblitus, pacem inijt cum hominibus, fuitq; ab An-
*Luc. 2. 14* gelis decantatum. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Recõciliabitur tibi pariter Chriſti
*Nicol. Cabaſ. de expoſit. Miſſ. c. 43.* formam induto. *Quid enim eſt,* ſcribit Nicolaus Cabaſila, *quod humanæ naturæ Deum reconciliauit? omninò quod hominem vidit filium ſuum dilectum. Ità, & cuique homini reconciliabitur, ſi quis gerat formam, & illius ferat corpus.* Aduertis in hac ſententia, quod dum homo Chriſti corpus è ſacro altari (de quo hic loquitur) tulit, Chriſti formam gerat, velut non amplius homo, qui iàm acceſſerat, ſed ex eo, qui erat, Chriſtꝰ factus abſcedat.

4 Statuit Eccleſia, & in Concilio Florentino præcipitur, aquam vino conſecrando adeo modicæ quantitatis addendam, vt vix tres, aut quatuor guttas exuperet. Quęris: Cur tam modicum aquæ? Vt, inquam, abſorberi poſsit à vi-
*Alb. Mag. in cõp. Theol. lib. 6. c. 12.* no, & in vinum conuerti. Albertus. *Tam modicum aquæ debet admiſceri vino, quod abſorberi poſſit ab illo; alioquin impeditur conſecratio, ſi vinum ab aqua vincitur.* Per vinum Chriſtum, nos per aquam intellige, qui in Chriſtum ſui corporis, & ſanguinis participatione tranſimus. Ait enim
Idem. *Iſtud enim deſignat, quia non Chriſtus in nos, ſed nos in ipſum mutamur.* & Durãdus pariter. *Eſt autem plus de vino, quam aqua ponendum, & hoc in ſignum, quod Eccleſia debet incorporari Chriſto, non Chriſtus Eccleſiæ. Vnde dictum eſt Auguſtino. Non tu mutabis me in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed mutaberis in me.* Adde his illuminatum Doctorem, noſtri Ordinis ſplendidiſſimum iubar, Raymundum Lullum. *Ipſe Chriſtus non mutatur, ſed mutat, & trãsformat in ſeipſum.* Sacri ergo myſterij facti participes in Chriſtum trãſeunt, nec amplius homines, ſed Chriſti vocantur. Sanè ſi *temperatum, & ſi plus inſit aquæ, vinum tamen appellamus,* vt ait Plutarchus, cur Chriſti dicendi non ſumus, in Chriſtum abſorpti.

*Idem ibi.*

*Dur. Rat. Diu. li. 4. c. 30. nu. 21.*

*Raym. Lull. p. 3. de Sacrã.*

*Plutar. de Præcep. Connub. 21.*

5 Hæc Chriſtus Sponſus Eccleſiæ Sponſæ aiebat. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuũ.* Cum mea, me ſuſceptura, ſcãdis ſacra altaria, ſuper cor tuum, ac ſigillum quoddam in molli, cereaque materia, poni deſidero. Quid ex hoc accidet Sponſæ? Prioris abolitio formæ, nouaque ſponſi nimi-

*Cant. 8. 6*

nimirũ impreſſio. Sanè ſicut, dum ceræ accedit ſigillum, cera & quam præferebat, formam amittit, quamque ſigillum incudit, oſtendit: ſic dum viuifica accipimus Sacra, quæ nobis inerat, aboletur, nouaque, nempe Chriſti, confertur effigies. *Tamquam ſuper cerã,* ſcribit Bernardinus, *liquidam, puram, & mollem, aptam ſuſcipere imaginem impreſſam Ieſu Chriſti ponẽdum eſt Dominicum Sacramentum.* Et D. Thomas. *Corpus Chriſti ſuper cor vt ſigillum ponitur, non vt ipſum, quod immutabile eſt, in nos mutetur; ſed nos in imaginem bonitatis eius transformemur.*

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 55. ar. 3. c. 3.*

*D. Thom. Opuſc. 58 cap. 20.*

6 Chriſtum ſub panis, & vini ſenſibilibus latitantem, medicinam vocat Mediolanẽſium Præſul. *Medicina eſt cæleſte, & admirabile Sacramentum.* Sanè medicina eſt corpus Chriſti, & lãguoribus noſtris, vt probatũ eſt, pharmacũ ſaluberrimũ. Sed cum ſit etiã cibus, quare non pariter cibũ, ſed tantum medicinam appellat? Vt quod Auguſtino dictum fuit, confirmet. *Cibus eſt illud,* ait Auerroes, *quod patitur à corpore; medicina verò eſt illud, à quo patitur corpus.* Nos verò cõmunicãtes nequaquã in Chriſtum, ceu corpus in cibum, agimus; ſed in nos Chriſtus vt medicina. Et vbi cibus, quia in viuentis ſubſtantiam tranſit, non panis, piſcis, oleiſue amplius, ſed viuẽtis nomine nuncupatur; ita nos quia tranſimus in Chriſtum, nõ amplius, vt olim, homines; ſed Chriſti dicendi ſumus.

*D. Amb. lib. 5. c. vlt. de Sacram.*

*Auer. 5. collig. c. 2*

7 Quod Sponſa, dum oſculum dilecti requirit. *Oſculetur me oſculo oris ſui,* ſacram Synaxim concupiſcat, tantoties dictum eſt, & probatum, vt nouo non egeat argumento. Quorſum autem hoc aſſeratur accuratius, ſtudioſiuſque indagandum. Si meæ ſtandũ ſententiæ, idcirco autumo ſub oſculi nomine Sponſam ſacrã Communionem ſubindicaſſe; quia per eam in Chriſtum ſe commutari, & transformari ſciebat. Sciebat enim amantẽ in amatum per oſculum trãsformari. *Os in homine,* Cyprianus Monachus habet, *præcipuum eſt animi veſtibulum, ac feneſtra, per quam ſolet animus ſeipſum inſinuare, & quodammodo in rem amatam transfundere. Nomine itaque oſculi oris commutationem iſtam, & transformationem dicimus.* Oſculũ eſt Sacra Communio: per eam anima noſtra commutatur in Chriſtum dilectum. Cuique dignè communicanti, quod de ſe Paulus aiebat, proclamare licet. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Mortuus enim homo non amplius, vt olim, homo, ſed

*Cant. 1. 1.*

*Cyprian. Mon. ibi.*

*Galat. 2, 20.*

Chriſti formæ ſuperuenientis vocabulo nuncupandus. *Denominatio fit à termino ad quem non à termino à quo.*

*Ariſt. 5. phyſ. tex. 48.*

8 Huc pariter, quæ Deo Vates Habacuc decantat, expendenda duco. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem pro Chriſto tuo.* Vbi pro eo, quod habet Hieronymus *In ſalutem pro Chriſto tuo*, trāsfert Theodoretus. *Vt ſaluares Chriſtos tuos.* Quam magna eſt, ac ſi diceret, pietas tua Deus, qui vt Chriſtos tuos ſaluares è cœli aula egrederis, præcingeris, dimicas. Qui nam ſunt Chriſti pro quorum ſalute Deus dimicat, præcingitur, è cœlo egreditur? Nos, vt idem ait, quos Chriſtus Chriſtos fecit participatione ſanguinis ſui. *Vt ſaluares Chriſtos tuos; hoc eſt nos, quos proprio ſanguine ſuo perunxit, quos etiam diuinæ naturæ fecit participes, & coniunxit per ipſum Deo.* Quam excellenter pingit ſanguis Ieſu Chriſti? Ipſe genas Agnetis eleganter ornauit. *Sanguis eius ornauit genas meas.* Ipſe Chriſtum in nobis propinatus effingit. *Hic ſanguis facit, vt imago in nobis regia floreat.* Chryſoſtomus habet.

*Habac. 3. 13.*

*Theodor. ibi.*

*D. Chryſ. Hom. 45. in Ioan.*

9 Ex Xenocrate, Polemoneque Philoſophis, habet Clemens Alexandrinus, *Inutile eſſe quod fit per carnes nutrimētum, iam confectum, & aſſimilatum animis beſtiarum.* Homines ex beſtiarum carnibus nō modo beſtijs aſſimilari, ſed & beſtias fieri exiſtimabāt: ideo tamquam inutiles, imò perniciosas carnes earum damnabant. certè non tantum inutile, ſed & pernicioſum eſt homini belluam ex homine fieri. Ex quo elicere liceat, hominem in nutrimētum ſuū tranſire, idque eſſe, quo veſcitur. Quid ergo de homine inquā, cuius cibus eſt Chriſtus, niſi quod in Chriſtū abeat? quod Chriſtus ſit? Audi philoſophantem Nyſſenum. *Natura expertis rationis proprium nutrimentum eſt fœnum: homo autem, cum ſit particeps rationis, vero nutritur Verbo. Quod ſi huiuſmodi fœno fuerit ſaturatus, ipſe quoq; fit fœnum.* Adde Raymundum. *Chriſtus eſt nutrimentum, & alimentum ſpirituale, & ſic recipiens mutatur, & conuertitur in Chriſtum.*

*Clem. Alex. lib. 7 Strom.*

*D. Greg. Nyſſ. Hō. 5. in Cāt.*

*Raym. Lull. p. 3. de Sacrā.*

10 Age, hoc ipſum ex altioribus principijs deducamus. Docuit Ariſtoteles, eſcarum diuerſitatem animalium vitas ſecernere, vt alia hominis, alia ferę, alia iumēti ſit vita. *Diuerſitas alimentorum diuerſas fecerunt animalium vitas.* Ex quo philoſophari poſſumus, quod, ſi hominum eſcę differrent, vitæ etiam hominū diſcreparent, atq; aliam hic, ille aliam viueret vitam. Neque

*Ariſt. 1. Polit. c. 5*

que hæc deeſt diuerſitas: nam vbi Gentiles Deum ignorãtes carne, ac terreno pane; Chriſtiani Deum colentes, Chriſto veſcuntur. Vita ergò illorum alia, noſtrum alia cenſenda eſt: ſcilicet creaturæ illos, nos verò Dei creatoris, vitam habere. *Quemadmodum*, ait Cyrillus, *Iſraelitæ quodammodo ipſius agni mactati vitam vixerunt, ſic & nos non amplius propriam vitam viuimus, ſed illius, qui pro nobis mortuus eſt, Chriſti.* Ideſt ſicut Hebræos agnũ mactantes, & comedentes nõ amplius eos, ſed agnum in eis vixiſſe cenſendum: ſic & nos Criſtum edentes non amplius nos, ſed in nobis Chriſtum viuere autumandum. Quare ſi in nobis per Sacram Communionem Chriſtus viuit, non nos, non homines nempè, ſed Chriſti ſumus.

*D. Cyrill. Alex. li. 3. de Petr. percuſ.*

11 Res hæc attenditur pariter ex Oſæa, dum ait: *Conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico.* Per ſedentes in vmbra ſacri altaris conuiuas intellige, quibus cœleſte triticum, amoto naturali lumine, velut ſub vmbra proponitur. De quibus nota, quod ait *Conuertentur ſedentes.* In quamnam rem conuertuntur? Conuertuntur in triticum, ideſt in Chriſtum ſub tritici formis appoſitum. Ita hunc locum Bernardinus Senenſis explanat. *Conuertentur ſedentes in vmbra eius in tritico, ideſt in Dominici corporis Sacramento. Quod quidem Sacramentum vmbra denominatur quia ſe præbet Dominus in ſecreto myſterio ſub accidentium velamine occultatus: in quò ſedentibus, quaſi ad menſam proponitur triticum cæleſtis panis, & ipſi cibati conuertuntur in cibũ, hoc eſt in Chriſtum fit autem talis vnio per ſaporoſitatẽ amoris.*

*Oſæ. 14. 8.*

*D. Bern. to. 2. ſer. 58. ar. 3. c. 2.*

12 Ad Vatem modo veniã Euangelicum talia diſcribentem. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui.* Obſtupeſcant, ac ſi dicat, cœli obſtupeſcat, & terra: ſuo Deus filios enutriens corpore, & ſanguine, humi preſſos mira deduxit altitudine. Quali nam altitudine? Tam magna, tam mira, tam noua, vt pęnè ſit ineffabilis. Hoc quidem cibo Deus hominem efficit Deum. Eo enim in Chriſtum, qui Deus eſt, conuertitur. Quiſnam vnquã hanc altitudinem, mente ſaltem, attingere potuit? Hæc habeas ex noſtro Raymundo. *Per iſtud Sacramentum Chriſtiani exaltantur, & dignificantur, tanta exaltatione, & dignitate, qua excogitari non poteſt maior in hoc mundo. Quoniam efficiuntur diuini, & deificantur, & conuertuntur in Chriſtum.*

*Iſa. 1. 2.*

*Raym. Lull. de Sacram. p. 3. li. 6.*

13 Audi quid de ſe ipſo, dum, vt Apoſtolus fieret, vocatus eſt a Chriſto, ſcribit Matthæus. *Cum pertranſiret indè Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Expẽde illud, *hominem*. Equidem ſcio ſuperfluum videri poſſe, nam cum cunctis innoteſceret, non equum, non ouẽ, non leonem, ſed hominem fuiſſe Matthæum; hominem nuncupari ſuperuacuum videtur. Verum ſi ſacri Scriptoris mentem introſpicies; per quam clarè videbis neceſſariò poſitum; nam cum ſe hominem vocat, haud ſe vnum ex hominibus, ſed qui ſe filiũ hominis tãtoties vocat, Chriſtum nempè, dicit. Nam dum Chriſtus tranſiens proſpexit in Matthæum, ex eo, qui iam erat, transformauit in Chriſtum; vt poſt ſacrum aſpectũ dici debuit homo, ideſt Chriſtus filius hominis. Nec mea hęc te fallit interpretatio, mecum enim habeo Rupertum, ita philoſophantem. *Vidit inquit hominem ſedentem in telonio: vbi ergo vidit Ieſus, vbi eum vidit ſalus, & ſol verus, reſplẽduit ex aſpectu eius, & quia vidit eum talis filius hominis formata eſt in ipſo facies hominis.* Mira vis Chriſti obtutus cum ex homine hominem transferat in filium hominis, Chriſtumque effingat. Quæſo ſi Chriſti viſus, videndo Chriſtos effingit: quare Chriſti coctio, Chriſtos edentes non faciet? Si Chriſtus non vnitus homini, fingit hominem Chriſtum; cur talem vnitus non finget? Perinde Chriſtũ edentes, Chriſto nos vnimur vt ipſe ſit in nobis, noſque in ipſo. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.*

*Matt. 9. 9.*

*Ruper. li. 3. in Mat.*

*Ioa. 6.*

14 Non me fugit, nos huic mundo ſuperſtites pluribus poſſe vijs in Chriſtum abire. Inprimis pauperiem amplectendo: nam vt oſtenſum eſt Petro Telonario, pauper Chriſtus fit. Preterea paſsionis eius exceſſum ſtudioſius meditando, & compatiendo, quod Patriarchæ Seraphico præſtitum legimus, qui dum Seraphicis deſideriorum ardoribus furſum ageretur in Chriſtũ crucifixum, compaſſiua quadam teneritudine in Chriſtum trãsformatus deſcendit, Crucifixi effigiem in ſemetipſo circunferẽs. Rurſus medulliter Chriſtum amando: nam vt ait Bernardinus, *Anima efficitur illud, quod amat.* Alias apud alios lege. Verum enim verò nihil ad hanc transformationem diuina Cõmunione validius. *Nihil eſt tam conforme in præſenti vita ad transformandum ſe in Chriſtum, quantum hoc Sacramentum.* Idẽ Doctor affirmat.

*D. Bern. to. 4. ſer. 16.*

*Idem ibi. ſer. 43.*

Eo

Eo ſæpè viuidiùs, clariùs, ac naturaliùs Chriſti in nobis figuratur imago, vt non nos, ſed Chriſti ſimus, nominemur, & cenſeamur.

15 Scriptum legimus ab
2. *Corint.* 3. 18. Apoſtolo. *Nos verò omnes reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes in eandẽ imaginẽ transformamur.* Hoc eſt, Deum intuitiuè vidẽtes ex nobis cõmutamur, aliaq; in nobis conſurgit imago ab ea, qua antè diuinã inſigniebamur intuitum. Quænam erat hæc noua imago? Dei, quem intuebatur.
*Gilib. Abb. ſer.* 15. *in Cant.* *In eandem imaginem transformamur, hoc eſt, in eandem, quam intuemur, transformamur.* ait Gilibertus. Vides quo pacto Dei viſio faciat Deum? Quidnì Chriſti comeſtio faciet Chriſtum? Chriſtum ſanè faciet, dum in animam comeſtus ingreditur, & in ſuam, veteri obliterata, transformabit imaginem, vt nõ amplius homo, ſed Chriſtus, Chriſto incorporatus, exiſtimetur.

16 Quod prædicet Apoſtolus. *Non eſt diſtinctio Iudæi,*
*Rom.* 10. 12. *& Græci.* primo obtutu difficulter admittitur. Nam inter Iudæum, & Græcum tanta eſt diſtinctio, & diuerſitas, vt nemo ſit, qui alterum non ſecernat ab altero: Si inter Iudæũ, & Iudæum, inter Græcum, & Græcum ob vultuum, morũque diuerſitatem, non parum intereſt, quantum inter Iudæum, & Græcum interſerit, loca longè diuerſa colentes, longinqua adeo climata inhabitãtes? Quia verò Paulus de Græcis, & Iudæis Chriſtum confitentibus loquitur, rectè ait, inter vtrumque nullũ inueniri diſcrimen. Sanè cum Chriſti fideles ſiue Iudæi, ſiue etiã Græci, Chriſtum induant, Chriſtum ferant, ac repræſentent, qualem inter vtrumque diuerſitatẽ inuenies, cũ Chriſtus à Chriſto nõ differat? *Tolle Chriſtum veſtem*, ait Oleaſter, *Oleaſt. in cap.* 28. *Exod.* *& iam Iudæos à Gentibus diſcriminatos proſpicies. Sed ſi eos conſideres Chriſtum indutos, idem non erit, quo Barbarum à Iudæo, ſeu Græco diſtinguas.* Rogas; Quo nam modo Chriſticolæ Chriſtũ induant, vt Chriſti appareant? Per Euchariſtiam inquam. *Qui huius ſanguinis ſunt participes*, perhibet *D. Chryſoſt. Homi.* 45. *in Ioan.* Chryſoſtomus, *cum Angelis, & Archãgelis, & ſupernis virtutibus commorantur: ipſam regiam Chriſti ſtolam induti, imò ipſum induti ſunt Regem.*

17 Demum cũ propè moriturus Dominus, Paſcha cum diſcipulis manducaret, magnæ traditionis facinus, quod Iudas machinabatur, aperuit. *Mar.* 14. 18. *Recumbentibus illis, & manducantibus, ait Ieſus: Amen dico vobis, quod vnus ex vobis me tradet.* Hunc locũ Victor Antio-

*Vict. Antioch. ibi.* tiochenus exponens, *Inſinuat hic*, inquit, *Iudam, tametſi diuinorum myſteriorum participē effectum, hoc eſt, tremendæ illius menſæ cibo refectum, nihil prorſus mutatum*. Et Chryſoſtomus. *O cæcitatem proditoris, qui cum ineffabilibus myſteriis communicaſſet, idem permāſit, & diuina menſa ſuſceptus cōmutari noluit*. Sanè mutatus foret Iudas, ſi non indignè cōmunicaſſet. Porrò in quem mutatus? Nonnè compertum habes ex dictis? In Chriſtum. Tali quidem vi Sacramentum hoc pollet, vt in Chriſtum comedentes vertat, & Chriſtos efficiat: cuius commutationis Iudas ob tāti criminis obicem particeps eſſe nō potuit.

*D. Chryſoſt. Homi. 83. in Matt.*

# THEOREMATA MORALIA

## EX VERSV OCTAVO PS. 22 DECERPTA,

## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Exeo, quod Saluator noſter ait: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, Dei amoris nimietatem, immenſitatemque elicit Chryſoſtomus. *Quæ verba, eius ſunt verba, & vehementioris præferunt animæ affectum, & amoris non mediocre indicium, cum eos, quos amat, habere circa ſe concupiſcit.* Quam magna, quā admirāda eſt Dei Charitas, qui, vt nobiſcum ſit, cœlorum ſedem, quam ſide-

*Matt. 18. 20.*

*D. Chryſoſt. ſerm. de Laud. Dei to. 5.*

ra exornant, Angeli condecorant, honeſtant Sácti, dimittit; ceu pluris noſtram quàm cœlicam faciat manſionem. Hinc ſacram Euchariſtiam adinuenit, quæ illum nobiſcum perpetim detineret. Idque ex hoc Verſu eliciendũ. Sed vbi prius quantas, qualeſque opes communicanti cõmunicet. quod ad eius etiam amorẽ pertinet, cuius comes indiuiduus liberalitas.

## THEOREMA I.

### Et miſericordia tua.

*Nemo ditior Chriſti conuiua.*

Miſericordiæ meminit. *Et miſericordia tua ſubſequetur me*, quoniam miſericordiæ opus eſt Euchariſtia. *Eſca eſt panis qui de cœlo deſcẽdit, quem nullus meruit, ſed miſericordia dedit*. ſcribit Auguſtinus. Audi verò, quæ miſericordia proferat ex Guilielmo. *Ipſe Dei filius eleemoſyna mea eſt, quam ego in vna parua eleemoſynaria, ſed tamen pulcherrima, & pretioſiſſima, videlicet B. Virgine Genitrice ipſius, ipſo die Annuntiationis ipſius impoſui. Et ipſo die Natalis ipſius ipſam inde abſtraxi ad multiplices neceſſitates pauperum meorum.* Hinc in eius vitæ periodo panem noſtrum effecit, vt pauperes ſuos, non modo reficeret, ſed & locupletaret. Sacræ enim menſæ particeps tot bonis affluit, tot abundat diuitijs, lætatur opibus, vt eo nemo ditior.

*D. Aug. apud Gloſſ. in Pſal. 110.*

*Gulielm. Pariſ. de Morib. cap. 5.*

1 Hæc concinebat Rex Vates, vt hominem ad virtutem aſſequendam alliceret. *Spera in Deo, & fac bonitatem, inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius*. Hoc eſt. Vt te Deus ſuam admittat ad mẽsã, opus eſt tibi bonitatem amplecti, virtuteſque ſequi, quæ fidelem hominem decẽt: nec enim aliter dignè diuitias eius edere iudicaberis; *Paſceris in diuitijs eius*. Quare autem *Paſceris* inquit, cum neminem diuitiæ paſcant? Si diuitiæ paſcerent, Mida nequaquã perijſſet ex fame; cum ei aurum, in quod cuncta, quæ tangebat, transformabantur, potuiſſet occurrere. Sæpè de ijs diuitijs loquitur, quæ cibus ſunt, & diuitiæ, quæ nutriunt pariter, & locupletant, inopiam, famemque adimunt, quales ſunt Chriſti corpus, & ſanguis. *Per diuitias, quibus nos paſcere debemus in præſenti, intelligitur Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei abſconditi. Nam ipſe nobis proponitur ſub forma cibi,*

*Pſal. 36. 3.*

*Ior. Card. ibid.*

*cibi, & potus in Sacramento altaris.* ait Iorgius Cardinalis. Diuitiæ dicitur ineffabile Sacrum, ditat dum paſcit, locupletat dum ſatiat, à paupertate ſubleuat, dum fami medetur: tantiſque opibus implet edentem, quantas imaginari nec poſſumus.

2 Quanto ſtudio, & diligentia cuſtodierint Corpus Chriſti Iudæi, patet ex Mat-
*Matt.* 27. thæo, dicente: *Munierunt ſe-*
66. *pulchrum, ſignantes lapidem cũ cuſtodibus.* Non modo vectibus, & ſeris occludere, annuloque Præſidis obſignare, ſed munire etiam multis militibus, & cuſtodibus ſategerunt. Quid porrò monumentum illud interius abnõdebat, quod tanta debuit diligentia cuſtodiri? Magnum planè theſaurum. Nam ſcio veteres, magnum auri pondus, gemmas, pretioſaque monilia in tumulis conſueuiſſe recõdere, quos deinde miris, inauditiſq; clau
*Ioſeph. li.* debant inuentis. Quod Io-
16. *c.* 11. ſephus de ſepulcro Dauid Regis commemorat, ex quo Hircanus tria millia talentorum argenti extulit, multaq; plura ſuperfuerunt, quæ quantũ-
*Herod.* uis magnis ſumptibus ſufficere
*lib.* 1. potuiſſent. Eundem mo-
*Paul. de* rem apud Babylonios viguiſ-
*Palac. in* ſe tradit Herodotus. *Thunſæi*
*cap.* 27. *igitur,* infert Palacius, *dũ Chri-*
*Matt.* *ſti ſepulcrum tam attentè cõcludunt, attentis animis apertè ſignificant, grandes theſauros in Chriſti monumento ſeruari: neq; enim nimis cuſtodiũtur, niſi quæ ſunt nimis pretioſa.* Sed quid nam ſunt theſauri in ſepulcro Chriſti recõditi, niſi eius pretioſiſſimum corpus, quod ip-
ſemet ex Paſchaſio *theſauro* *Matt.* 23.
*abſcondito in agro* contulerat? 44.
Tanti theſauri particeps ſis in *Paſch.*
altari, vt reficiaris pariter, & diteris.

3 Salomonis ferculum, à Sponſa deſcriptũ, Chriſti præfiguraſſe præſepe, autumat Gilibertus. Scio quidem prima facie incongruam comparationem cenſeri, in eo præſer-
tim quod ferculo *reclinatoriũ* *Cant.* 3.
*aureum,* præſepi verò, in quod 20.
Dei Genitrix infantulum reclinauit, fænum. *Fœno iacere pertulit.* Quid enim auro, & fœno? Pretioſum eſt aurum, vile & abiectum eſt fœnum. Aurũ in regijs capitibus adoratur, fœnum viliorum etiam pede calcatur. Auro diteſcũt homines, fœno vix ſuſtentantur. Verum ſi rem ſtudioſiùs conſideres, non incongruam comparationem inuenies. Nõ quod fœnum fuerit aurum, ſed quod factum fuerit aurum, vbi Regem infantulum
recipere meruit. *Caput tuum* *Gilib.*
*aurum optimum reclinatorium* *Abb. ſer.*
*aureum non inuenit, ſed reddi-* 18. *in*
*dit, vbi ſe reclinauit.* Hæc ille. *Cant.*

Eâ Chriſti caro prædita eſt virtute, vt in aurum, quæcunque tangit, immutet. Quæ de Mida cecinerunt Poetæ, fabuloſi, & ſomnia reputa. Chriſto dũtaxat hoc datũ eſt à Patre. Tetigit Virginis vterũ, & factum eſt aureum, vnde *Domus aurea* dicitur ab Eccleſia. Cæcorum oculos tetigit, aureoque lumine impleuit. Tetigit lignum Crucis, & fulgentiorẽ reddidit cunctis aſtris, aureoque ſplendidiorem, vt ait B. Andreas. Quidnã ſi tetigit fœnum, & tranſmutauit in aurum? Hoc magnum, & admirabile corpus, quod quidquid tangit in aurum conuertitur, excipis ex altari. Crede mihi: ſi dignus accipies, perinde ditaberis, vt omnia ſibi fiãt ex auro.

Obſerua præterea, quam aptum verbum in rei noſtræ cõfirmationem vſurpauit Eccleſia. Vbi Septuaginta trãſferunt in Canticis *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum*, legit vulgatus Interpres *Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Hinc ſe procul dubio ad ſacra altaria fatetur ingreſſam. Vocat enim ea cubiculũ. Ibi enim Chriſtus paſcit, vbi cubat: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Et præterea vocat cellaria, quod eum cælent, quem celant & cœli: *A cœlando cœlum, & cella nomen habere videntur, & quod cœlatur in cœlis, hoc & in cellis*, ait Bernardus. Expende verò, quod nunc, non vt aliàs aſſolet, vocat Chriſtum dilectum, fratrem, Sponſum, nepotemque, ſed Regem. *Introduxit me Rex*, &c. Quare Regem? Quia innumerabiles, & ineffabiles opes, quas in ſacris cellarijs acquirebat, ſatagebat innuere. En Adamantium. *Non mihi autem vacuũ videtur, quod cum potuiſſet dicere: Introduxit me Sponſus meus, aut frater meus, aut aliquid huiuſmodi, vt ei moris eſt: nunc, quia cubiculum dictura erat, Regis dixerit cubiculum, vtpote regium, & multis, ac immenſis opibus repletum.* Regum opes exhibet Euchariſtia. conuiuæ eius immodicè locupletantur.

Cant. 1. 3

Transl. Septuag.

Cant. 1. 7

D. Bern. ad fratres de Mõte.

Orig. Homil. 2. in Cant.

5 Dum Paulum dicentem audio: *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. ignoro planè nũ ſuam prædicet, an euacuet paupertatem. Prædicare videtur, dum ſe nihil habere; euacuare verò, dum omnia poſſidere, multoſque locupletare ſe iactat. Sanè vtrumque agit. Nam reuera Chriſtianorum paupertas ſummæ ſunt, & inexhauſtæ diuitiæ, quæ ſic ditant fideles, vt largè alios valeat locupletare. Quodque maioris eſt ponderis, nihil ſit in

2. Corint. 6. 10.

in mundo, quod non abundè poſſideat. *Omnia poſſidentes.* Vnde verò tantæ diuitiæ pauperibus Chriſtianis, vt cuncta, quæ ſunt, poſſideant? Ex eo, quod Chriſtum poſſident omnia poſſidentē. Ità Guerricus, cuius verba ſubſcribo. *Beati, qui proiectis vilibus, ſed grauibus ſarcinulis huiuſmodi, nolunt diuites fieri, niſi de Creatore mundi: propter ipſum tamquam nihil habentes, & per ipſum omnia poſſidentes. An non poſſident omnia, qui poſſident continentem, & diſponentem omnia?* Vnde eſt illud Auguſtini. *Diues eſt Chriſtiana Religio, quæ in omnium poſſeſſore omnia poſſidet.* Vide igitur, dū è ſacra menſa, vbi Chriſtus, vt eum poſſideas; exhibetur in cibum, abſcedis, ſi ditior eſſe poteris.

*Guer. Abb. ſer. 1. Omn. Sanct.*

*D. Aug. apud Hugo. Card. in cap. 5. Luc.*

6 Quid Iudam maximum proditorē mouit, vt qua Chriſtum vendiderat, illico pecuniam redderet? *Videns Iudas qui eum tradidit, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus;* ſi habet Matthæus. Stupor in quem inciderat. Nā ſi dum aiunt iura, *Corpus liberum nō capit extimationem*. intellexit infelix, nullā extimationem capere potuiſſe, quod vendiderat Corpus magiſtri ſui, Redemptoris ſui, Creatoris ſui, Dei ſui; cuius vna modo guttula ſanguinis cœli, terræque theſauros eminēter excelleret. Tanti itaque ſceleris ſtupore apprehenſus, acceptos reddidit nummos. *Cum enim Iudas*, ait Ferrarienſis, *vendidiſſet magiſtrum ſuum, Redemptorem ſuum, Creatorē ſuū, ſtupore occupatus, iuit ad Principes Sacerdotum, dicens, Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* O qualibus, o quantis locuples es diuitijs, qualibus bonis, qualibus theſauris; dum ſacro genuflexus altari, Chriſti corpus excipis? Opes habes ineſtimabiles, incomparabiles, ineffabiles, nullo cōmutandæ theſauro.

*Matt. 27. 3.*

*Barthol. Ferrar. de Chriſt. Abſcōd. lib. 3.*

7 Hinc illud Hieronymi. *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinemque portat in vitro.* Cur nō ait, Qui corpus Domini gemmeo, ſeu aureo, aut ſaltem argēteo portat in vaſculo, ſed, caniſtro portat vimineo? Quis nam vnquam vidit pretioſiſſimum corpus tam vili, ac rudi ſeruatum in capſa. Pretioſioribus pretioſiora vaſa conueniunt. Quia pretioſum eſt aurum à Latino Poeta eburneis dicatur loculis. de quibus:

*D. Hieron. c. 4. ad Ruſt.*

*Hos, niſi de flaua loculos implere moneta*
*Non decet, argentum vilia ligna ferant.*

*Mart. l. 13.*

Et ſi pretioſiſſimū Chriſti corpus

pus pretioſum loculũ deceat, Sãctus tamen Doctor portari, ait in caniſtro uiminco, vt illius opes magnificaret, exaggeraret, cui tale bonum contingit: ac ſi diceret. Quamuis adeo pauper ſit homo, vt ei aurea, gemmea, aut alia huiuſmodi pretioſa ſuppellectilis deſit, ac vaſculis figulinis, vimineiſque caniſtris, vtatur, vbi tamen particeps erit Sanctæ Synaxis, nihil eo in hoc mundo ditius, nil opulentius, cũ Cræſo certare poterit, palmamque referre.

8 Nec te prætereat quod dum Chriſtus ait: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*, de Euchariſtia loquatur, in qua ſolummodo vitam acquirimus. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.* Ibi etiam cum vita ſalutem hauris *Haurit ſalutem à Domino.* Quare verò, hauriet, ait, cũ percommodè potuiſſet etiam dicere ſumet, acquiret, accipiet? Vt inexhauſtas, ac ineffabiles opes, quibus ditatur, qui pro meritis ſacro ferculo reficiuntur, innueret. Tales, tãtæque ſunt Chriſto diuitiæ, deliciæque, cum quibus, vt nos beet, & ditet, deſcendit in Sacramentũ, vt inſtar altiſtiſſimi putei tantis donis expleti, nobis ſeipſum inſinuat. *Hauriet ſalutem à Domino, quaſi à puteo pleno delicijs, ac diuitijs:* ait Hugo.

*Prou. 8. 35.*

*Ioan. 6.*

*Hug. Car. ibid.*

9 Poteſt nè vſpiam in cœlo, & in terra, Chriſto, quem ſuſcipis in Sacramento, ditius, & pretioſius quidpiam inueniri? Haud quidem. Si aliter cenſes, magnum incurris errorem. *Quid oro pretioſior Chriſto*, clamat Beatus Laurẽtius, *in quo omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei noſcuntur eſſe abſconditi? Porrò ſi illi æquiparaueris argentum, ſi aurum, ſi gẽmas, ſi mundum, ſi ea, quæ in mundo ſunt, ſi cœlum, ſiue ea, quæ ſupra cœlos ſunt, prorſus omnia nihil æſtimabis in comparatione ipſius.* Regem Regum Deum ſeruus ille rogabat, cui decem millia talentorum debebat, aiebatque ſuppliciter; *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sed vnde nã tibi, Iro pauperiori, decem talentorum millia, ſi te etiam, tuoſque, vendideris? Nihil es, vermis es, & ſi peccator, pluſquam nihil es: vnde ergo tanta tanti debiti ſoluendi fiducia? Partes huius agit Palacius, reſpondetque *Adeo confidenter promittebat iſte ſatisfactionem operum, quia nouit per pœnitentiam applicare ſanguinẽ Chriſti, qui cum infiniti valoris ſit, profectò omnia talenta valet.* Quia ipſe ſibi pollicebatur Redemptoris ſanguinis parti-

*B. Laur. Iuſtin. c. 4. de contẽp. mundi.*

*Matt. 18. 26.*

*Paul. de Palac. ibid.*

cipem fieri, & ſi pauperrimè degeret, ſe tamen decies mille talenta redditurum, confidenter aiebat. Qui hunc pretioſiſſimum cruorē hauſerit, tot abundabit diuitijs, ditabitur bonis, locupletabitur opibus, quod pluſquam decem talentorum millia alieni æris valebit exoluere: vtpote eo potitus, qui pluſquā cuncta talēta valet, imò pluſquā totus mundus. *Sanguis Chriſti verè eſt ſanguis Dei*, inquit D. Thomas, *ideo tam pretioſus, quod vna gutta plus valet, quàm totus mundus*.

D. Thom. opuſ. 58. cap. 27.

10 Audi Citharœdum vatem hæc concinentem. *Quid mihi eſt in coelo, & à te quid volui ſuper terram?* Eorum, ac ſi diceret, quæ ſunt in terra, quæq; ſupereminent terram, in cœlo repoſita, nil prorſus quæro, nil concupiſco, nil volo. Tam diues euaſerat Dauid, vt quæ ſunt in mundo, ſic paruipenderet? Nonnè regno ſuo alia regna terræ; mari, alia maria; auro, aliud aurū; opibus, alias opes ſuperaddere poterat? Nonnè eorum, quæ ſuper nos ſunt, aeris nimirū, ignis, ſyderum, cœlorum, & Angelorum captare poterat principatum? Poterat profectò, ſed ei nihil hæc omnia. Nam, & ſi anima cuncta, quæ facta ſunt, fierique poſſunt, poſſideat, ſe pauperrimam cenſet, niſi Dominum habeat, cuius diuitiæ in illius poſſeſſione conſiſtunt. *Anima non cōtentaretur*, ait Bernardinus, *ſi eſſet Domina totius terræ, totius aquæ, aeris, & ignis, ſolis, lunæ, & omnium planetarum, omnium coelorum cryſtallini, & ſtellati: nec ſatiaretur, ſi poſſideret omnes Angelos: quia nūquam quieſcit, ſi non poſſidet, & fruitur ipſo Deo, in quo ſolo reperit ſuam quietem, & felicitatem*. Vileſcit dominatio quælibet Dei poſſeſſioni collata. Propterea Dauid ſolum Deū, vt funditus diteſceret, exoptabat; cætera, vtpote quæ locupletare non poſſunt, paruipendebat. Quæſo te quidnā tibi ex altari ſub eſibilibus formis porrigitur, & præſtatur? terra forſan? aqua? aer? ignis? ſtellæ? cœlum? Angeli? Nil horum quidem, ſed Deus, eorum omnium Dominus. Vides quā diues ob ſacram Communionem efficieris. Tecum ergò cogita, ſi Princeps, Rex, Imperator, ſiue alius in hoc mundo diues, tibi ſit tam locupleti, comparandus.

Pſal. 72. 25.

D. Bernardin. tom. 2. par. 1. ſerm. 48.

11 Hinc Dominus, vbi ſacram Euchariſtiam fecit ſuis, eam dedit Apoſtolis. *Coenantibus autem eis, accipit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis*. Si dum dediſſe audiens cur potius dedit, quàm vendidit, quæras. Quia,

Matt. 26. 26.

Quia, reſpondebo, res erat impretiabilis. Perpendens Richardus illud Dauidis de fructu ligni vitæ. *Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo,* (Pſ. 1. 3.) ideſt Euchariſtiam (*fructum ſalutiferum,*) *Nota*, inquit, *dabit, non vendet; contrà eos, qui vendunt paruo pretio, quod eſt impretiabile.* (Rich. à S. Laur. de Laud. B. M. li. 12.) Quænam, quæſo res in terra pariter, & in cœlo tam chara, tam pretioſa, pro diuino corpore, vt vẽdi poſſit, poterit permutari. Si quæ mare, terraque profe-runt, proferas; aurum, argentum, regna terræ; inſuper ſi cœli ciuitatem, Principes Paradiſi, in eius comperatione, nil quidem dederis, eſt res impretiabilis, nullis conferenda diuitijs; dantur verò, non venduntur, quæcumque appretiari nõ poſſunt. *Dare opera ſua inſtituit,* ſcribit de Zeuſi Plinius, (Plin. lib. 35. c. 9.) *quod ea nullo ſatis digno pretio permutari poſſe diceret.* Ex quo habes, te adeo diuitem, cùm tibi Chriſtus corpus ſuum impertit, vt nemo te ditior, habes, te habere id, quod mundi diuites vniuerſi, imò etiam cœli, impoſſibile ſit, ſuis diuitijs comparare.

## THEOREMA II.

### Subſequetur me.

*Magna venuſtas animæ, cuius conſortium Deus cælorum ſedi præponit.*

PEr miſericordiã nos ſubſequentẽ Maximus Confeſſor, Deum intelligit. *Eius miſericordia ipſum Deum ſignificat: ille enim per incarnationẽ ſuam per ſingulos dies nos inſectatur.* (D. Maximi Conf. cent. 3. 2.) Quidnam quærit à nobis Amiſſimus, dum nos tam ardenter ſubſequitur? Noſtri cordis hoſpitium, noſtrum cõſortium: ſtat enim ad oſtium noſtrum laborans, & pulſans, vt nobiſcũ cœnet, & maneat. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* (Apoc. 3. 20.) Nonnè verò cœlum habet pulcherrimũ, digniſſimumque palacium, quod noſtra quærit tuguria? Habet quidem, ſed in nos affectus eſt adeo, vt noſtri cordis ſedem affectans, cœlum negligere videatur. Propterea, vt puto, inſtituit Euchariſtiam, vt ſcilicet per eam corda noſtra frequẽter inuiſeret, ibique, pluſquam in throno cœli ſuas nobiſcum captaret delicias. Hoc probãdum proponimus, vbi magnam viuentis animæ pulchritudinem exploratam habebis.

1. Anima iuſti hominis tãta venuſtate refulget, vt cęlũ, imò cęlo pulchrior ſit cenſenda.

Cant. 1. 4 da. *Nigra ſum*, ait ipſa, *ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula cedar, ſicut pelles Salomonis.* Dum ſe nigram explicat, cedar ſe tabernaculis cõfert; dum ſe pulchram prædicat, pellibus Salomonis. Inſurget aliquis: Quæ ſunt Salomonis pelles, è quibus tantæ pulchritudinis elicitur cõparatio? Si per Salomonem, ait Bernardus, terrenum accipies, pro loci huius interpretatione, parum, vel nihil habebis: ſi verò cęleſtem, qui de

Matth. 12. 42. ſeipſo ait. *Ecce pluſquam Salamon hic*, myſterium comparationis elicies; cœlum enim habet Chriſtus quod, vt ait Pſaltes, *ſicut pellem* extendit.

D. Bern. ſer. 27. in Cant. *Apud iſtum Salomonem*, ait Mellifluus, *non dubito poſſe inueneri, quod decori ſponſæ omninò comparare poſſe non dubito. Et præſertim de pullibus eius aduerte in Pſal. extendens, ait, cælum ſicut pellem. Pulcherrima pellis, quæ in modum cuiuſdam magni tentorij, vniuerſam operiens faciem terræ, ſolis, lunæ, ac ſtellarum varietate tam ſpectabili humanos oblectat aſpectus.* Dum ſe igitur anima pellibus comparat Salomonis, cœlo ſe comparat. Aduerte autem, quod Pſaltes cœlum pellem appellat in ſingulari, ſe verò anima pellibus in plurali, non vni tantum ſed pluribus cœlis ſe conferens. Velut ſi eius decor, & pulchritudo cęli decorem, & pulchritudinem poſthaberet, atque ità non vnum eius comparationi ſufficeret, ſed pluries requirerentur. *Sicut pelles Salomonis.*

2 Quali venuſtate, & decore cœlum exornetur empyreum, non poteſt facilè, ab inexpertis præſertim, ſignificari. *Si eſſet poſſibile*, ait Bernardinus, *quod oculus corporis humani poſſet videre vnum modicum illius cœli, non poſſet imaginari, quod ne dum anima, ſed nec Angeli, nec ipſe Deus poſſet eſſe pulchrior.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Nec lingua explicare, nec mens valet cõcipere, quanta ſit Paradiſi venuſtas. Si daretur homini modicum eius inſpicere, nec animam, nec Angelos, nec Deum ipſum, ſpecioſiorem cenſeret: ſed hoc arbitratus (velut ſi adnecteret) longè deciperetur, quia non modo Deus, & Angeli, ſed & animæ pulchriores ſunt cęlo. Vide, quam affabrè S. Doctor animę pulchritudinem cęli pulchritudini præferat?

D. Bernardin. to. 2. Ser. 48. p. 1.

3 Tritum eſt illud apud Philoſophos axioma. Res omnes quò terræ ſuperſunt, eo pulchriores ſunt, & ſpectabiliores. Pulchrior, & ſpectabilior eſt terra aer, aere ignis, igne cęlum, cęlo Paradiſus. Anima autem vtpote ſpiritua

lis,

lis, pulchrior Paradiſo. Audi
non me, ſed eundem S. Docto-
Idem ibi. ſer. 40. rem. *Cœlum cryſtallinum eſt de-*
*cies pulchrius quam ſit cœlum*
*ſtellatum, cęlum empyreum eſt*
*decies pulchrius quam cœlum*
*cryſtallinum, & anima eſt decies*
*pulchrior quam ſit cœlum empy-*
*reum. Conſidera qualis, ac quam*
*pulchra eſt anima, & quantæ*
*excellentiæ, & dignitatis.* Idq;
ex eo confirmat, quod Crea-
tor Deus fecit hominē, nimi-
rum hominis animam, ad ſuā
ſimilitudinem, & imaginem,
minimè verò cęlum. Quod ſi
non cœlum, ſed anima Deo
pulcherrimo, formoſiſſimoq;
confertur, credendum eſt, ſi
tot cælos, quot cęlo ſtellas,
procreaſſet Deus, impoſſibile
penitus fore, eos, qua anima
pulchritudine decorari.
Idem ib. *Creauit Deus hominem ad imaginem,*
*& ſimilitudinē ſuam, nota quod*
*dicit ſuam, ad denotandum, quod*
*ſi Deus crearet plures mundos*
*quot ſunt ſtellæ in cælo continen-*
*tes ſingulos omnia contenta in*
*iſto mūdo, non eſſent ità pulchra,*
*ſicut eſt anima. Audeo dicere,*
*quod ſi eſſet poſſibile, quod homo*
*incarnatus poſſet videre animā*
*in abſtracto glorificatam, ipſe nō*
*crederet Deum fore pulchriorē.*
Hæc Bernardinus.

4 Pretioſiſſimi lapides,
quorum fulgore tota cęli ci-
uitas lætatur, & nitet, Am-
broſio teſte, Sanctorū animas
innuunt. Iaſpis ſimplices viros,
qui ſola fide ſaluantur, Sap-
phirus ſeculares quoſdam, ſe-
cularia cęleſtibus poſtponen-
tes: Smaragdus prædicatores,
Sardonius pęnitentes; Sar-
dius Martyres, Beryllus Ana-
choretas, Topacius cōtēpla-
tiuos, Margarita Virgines:
Ametyſtus Apoſtolos. Cęlum
itaque capſa quædam cenſen-
dum ad recondendas Sancto-
rum animas fabrefacta. Ex
quo liquidò infertur, animam
cęlo pulchriorem, nobilioremq;
Sanè contentum pretioſius, &
nobilius eſt continente, vt
gemma pretioſior capſa. Iiſ-
dem ferè verbis tranſcurrit
hoc Chaſſanæus. *Anima di-* Chaſſ. in
*gnior eſt cęlo empyreo, in quo eſt* Catal. p.
*collocanda: nam plerumque cō-* 12. cōſid.
*tentum dignius eſt continente,* 5.
*ſicut lapis pretioſus ſuam capſam*
*valore tranſcendit.* Quod Oui-
dium, quamuis Ethnicum, nō
latuit, cum dixit.

*Cœloque animus præſtantior* Ouid. 2.
*omni.* Metam.

5 Præterea certum eſt,
quidquid totus habet mun-
dus, ſiue cęlos, ſiue Angelos,
ſiue ſtellas, quodque in ſinu
ſuo cęli, terraque continent,
ob animam fabrefactum, eius
enim ſunt cuncta, velut ſum-
mi Regis Sponſæ iocalia.
*Fecit Deus humanam naturam* Hugo de S.Vict. de
*vt ſponſam ſuam, & vt videret* barrá ani-
*ipſa, quantum diligeretur à Spō-* mę.
*ſo,*

*ſo, miſit ſibi forſerium plenum iocalibus. Forſerium eſt vniuerſum, iocalia ſunt Angeli, cęli, planta, & cætera.* inquit Hugo. Hac ratione Deus tãta ſpecie decorauit Angelos, pinxit cęlos, ornauit aſtra, & reliqua mundi huius formoſa: dona enim erant, illi, quam Deus ſuper omnia diligebat, præſtanda. Propterea ab aliquibus cęlum, vt ait, Ambroſius, non abs re. *Ornamentum nuncupatum, eo quod ſit ſtellarũ monile pretioſum.* monile pretioſum animæ Dei Sponſæ? Cum igitur mundi pulchritudo ſit propter pulchritudinẽ animę, & ex Philoſopho. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, credendum eſt, animam rebus omnibus, cęloque ipſo ſpecioſiorem, pulchrioremque.

*D. Amb. Exam. li. 4. c. 2.*

*Ariſt. 1 poſt.*

6 Vt ad morum probitatem, amoremq: virtutis Apoſtolus ſuos Corinthios prouocaret, citat illud Leuitici. *Dicit Dominus quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* quod magni momenti eſt, magnamque ponderationem efflagitat. Quid mehercle eſt anima hominis, vt in ea Deus non habitaturum dumtaxat, ſed & deambulaturũ, ſe afferat? Si Deum præ immenſitate nec cęlum capit, cur capi ab anima tã ſpacioſè valebit, vt per eam inambulet? Mirum non ſit, inquit Hieronymus, adeo capax eſt anima, vt cęlum excedat, vbi cęlum Deum capere nequit, anima non tantum capit, ſed capit inambulantem. *Vide, anima ſancta quam grandis ſit. Chriſtum capit, quem cęlum non capit, ſi fieri poteſt, vt aliquis anguſtè inhabitet, Deambulabo, inquit, in eis. Vbicunique deambulat, vtique lata domus eſt.* Habes ex dictis, probi hominis animam non ſolum pulchriorem, ſed & ſpacioſiorem cęlo. Quid ergò mirum, ſi Dominus ſic eius conſortio delectatur, vt cęlũ negligat? Quod & aliunde probãdum.

*1. Corint. 6. 16.*

*D. Hier. in Pſ. 133*

7 De ſe, ſuoque dilecto dum loquitur ſponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, oppido quam diminutè loquitur, & obſcurè; eius enim ſermo verbo ſatiſcit, quod orationis eſt ſpiritus, ſine quo nil certum affertur. Quidnam tibi Dilectus tuus, tuque Dilecto ſanctiſſima Sponſa? Nunc me ſententiæ Bernardi ſubſcribo, barbaram eſſe linguã amoris. *Quomodo græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non eſt, & ita de cæteris. Sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara eſt, ſicut æs ſonãs, & cymbalum tinniens.* Conſulendus ergò aliquis Dei amator, taliſque linguæ compos,

*Cant.*

*D. Bern. Ser. 79. in Cant.*

qui

qui nobis inſcijs verba interpretetur amoris. En Antoninum Præſulem Hetruſcorum, tanto amoris igne in Deum accenſum, quod interdum ad imaginem Crucifixi raptus viſus ſit, & ſublimis. Excellens hic, & peritus amator in amoris idiomate non mediocriter eruditus, ſic verba Spōſę interpretatur. *Dilectus meus mihi eſt totum quod amo, quod cupio, quod quæro. Et ego illi, ſcilicet totum quod amat, quod cupit, quod quærit.* His ità ſtantibus, anima videtur dicere. Sicut nihil in mūdo eſt, quod præter Deum amem, cupiam, quæram: ſic nihil eſt in eodē, quod præter me Deus amet, cupiat, quærat. Ideſt tali me Deus amore proſequitur, quali nec Angelorū ſpiritus: tali ſtudio me cupit, & quęrit, quali nec cęlos cupit, aut quęrit: manſionem enim meam, cęlorum manſionis præponit.

*Aloyſ. Lippom. 2. Maij.*

*D. Antonin. p. 1. tit. 16. c. 2. §. 11.*

8 Hoc ni fallor cōtemplabatur regius Vates, cum præter conſuetudinem quæreret admirabundus à Deo: *Quid eſt homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Ac ſi clariùs peteret. Quæſo te Domine, quidnam magni eſt homo, cuique rei cōferendus, quod eum tāto ſtudio, tanta recordatione proſequeris, vt rerum aliarū, cęli præſertim, videaris oblitus, quod, cum viſitaturus, frequenter omittis? Quid dicendum Prophetæ, niſi quod ait Auctor Imperfectus? *Apud Deum viſibilium nihil homini par: nam & cælum, & terra, & mare propter eum fecit, & in eo magis, quàm in cælo, delectatur inhabitans.* Animæ parem exquirere ſuperuacaneum: nihil eſt, quod illi conferri valeat. Quid ſit ergo homo, per ſimilitudinem habere non potes. Rebus omnibus ſupereminet, pulchriori, ac nobiliori, quam cęlum ipſum, donatus eſt ſpecie. Propterea Deus *in eo magis, quam in cęlo delectatur inhabitans.*

*Pſ. 8. 5.*

*Imperſ. Hom. 89.*

9 Quod nec Chriſtus ſubticuit, cum inquit. *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Adeo cū hominibus delector, & gaudeo, vt in eis mihi maiores deliciæ, quibus beatiſſimè viuo, repoſitæ videantur. Fortè ſi ipſum rogas. Domine, cum Angelos habeas, quorum nobilitate, ac pulchritudine mundus, velut maiori quodam ornamēto, refulget; cur potius cum filijs hominum in terra, quàm in cęlo cum filijs Dei, ſcilicet cum Angelis, tuas ais eſſe delicias? *Potius,* reſpondet Hugo, *ſunt ei deliciæ cum filijs hominum, quàm cum Angelis:* propterea earū tantum meminit voluptatum, quas ex hominum capit con-

*Prou. 8. 31.*

*Hugo Card. ibi.*

ſortio, velut ſi delicias, quas ex Angelorũ ſumit obſequio, ijs collatas pro nihilo reputaret. Hinc animarum noſtrarum potiùs, quàm Angelorum, cupit, quæritque habitacula.

10. Ineffabilis dignatio? immenſa charitas? infinita pietas? Tantæ maieſtatis Deum, tantæ pulchritudinis, & potentiæ Dominum, cuius cuncta ſunt, quæ ſunt pulchra, & præcipua, perinde animarum noſtrarum hoſpitium quærere, vt cælum negligere cenſeatur. Obſtupeſce, ò anima, ait Bonauentura, dum hęc audis, & experiris. *Rex, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirãtur, & terra reueretur: de cuius ſapientia cęleſtium ſpirituum agmina illuminantur: de cuius clementia omnium bonorum collegia ſatiantur; talis tuã, ò anima, deſiderat hoſpitium, & pluſquam cęleſte palatium, appetit, & exoptat.* D. Bonau. i Soliloq.

# THEOREMATA
# MORALIA
## EX VERSV NONO PS. 22. DECERPTA,
## DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

### Vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

EVchariſticum Pſalmum regius Vates eleganter cõcludit. *Vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* Finem fine coronat, fine inquam: equidẽ inhabitatio domus Dei noſtrarum finis eſt animarum. In ea omnis ſedatur eſuries, ſitis omnis ex-

tin-

tinguitur, vniuerſus deſinit mæror, conticiſcit luctus, abſtergitur lacryma. Ibi Deum, quem modo ſub velo panis aſpicimus, ijs inuolucris abiectis, reuelato, claroque vultu, videbimus.

## THEOREMA VNICVM.

### Vt inhabitem in domo Domini.

*Neminem Deus excipit in cælum, à quo exceptus non fuerit ex altari.*

EAtenus Euchariſtiæ Pſaltes æternam habitationem adiungit (cum præmiſiſſet *Miſericordia tua*, ſeu Euchariſtia, vt dixi, *ſubſequetur me* confeſtim adnectit, *Vt inhabitem in domo Domini*,) quatenus non ignoret, ſe non, niſi ob ſacrum edulium, cœli ianuas ingreſſurum. Rectè quidem, nam neminē Chriſtus in cœlum excipiet, à quo ex ſacro altari receptus antea non fuerit.

1 Exeo, quod vbi Sacerdos rem ſacram perfecit, plebemque ſacro parit libamine, *Ite*, inquit, *Miſſa eſt*, quærunt plerique, quid per *Miſſæ*, vocabulum intelligi debeat: Lyturgia fortè, quæ & vulgo Miſſa vocatur? quaſi tali voce peractam enuntiet, fideleſque è ſacro templo dimittat? an occultius aliud, diuiniuſque myſterium? Poſſet quidem tale quid ſignificare: ſed Hugo de S. Victore per miſſam Hoſtiam ſacram intelligit, quam miniſter, plebe iam refecta, in cœli penetralia, Deique Patris ad dexteram, enūtiate miſſam, erudiēs poſt ſacram refectionem ad cęleſtem requiem feſtinare. *Dicit ite miſſa eſt, quaſi dicat: Hoſtia à uobis ad Patrem remiſſa eſt; ideo ite; ideſt feſtinate, ſicut dicit Apoſtolus. Feſtinemus ingredi in illam requiem.* Hugo de S. Vict. Canon. Miſſ. c. 1. Quia ſacro depaſti ferculo, Dominum ad Patrem, vnde nobis aduenerat, miſimus, feſtinemus in cœlum, properemus ad patriam, curramus in odorem vnguentorum ſuorum: ianitoribus cęli dicamus. *Attollite portas principes veſtras*, Dei domum ingredi ſatagemus. Pſ. 23. 7. Quo merito? qua ſpe? qua fiducia? Quia Chriſtum excepimus. Nulli ſane Chriſtus cęli requiem negat, in quo requiem inuenit in terra. *Negare ſiquidem, cęli requiem non poterit, qui ſibi in hac vita requiem præparauit*, ait Bonauentura. D. Bona. in Solil.

2 Huc illud pertinet Auguſtini. *Beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriam meruerunt.* Hoc eſt. Quibus ſui cordis in domum datum eſt Chriſtum excipere, beatos reputo. Cur beatos, cum huic mundo ſuperſtites mortalis vitæ deuexentur ærũnis? detineantur iniurijs? ſubiaceant malis? miſeri potius ſunt cenſendi, quàm beati, & felices. Ità quidem. Sed Doctor eximius tales non in hac vita, ſed in alia beatificat. Hic certum eſt, neminem beari poſſe, vbi nullus tantis oneratur bonis; vt eum nulla premat anguſtia. In cœlo tantum vera eſt expectanda felicitas. Ibi *abſterget Deus, omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iã non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed, neque vllus dolor, quoniam priora abierunt.* Notandum verò ab Auguſtino Chriſti hoſpitem beatificari, *Beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriã meruerunt;* qualesſunt, qui dignè communicant, hos beatos cēſet, & in albo beatorum conſcriptos: fieri namque non poteſt, æterna non potiri felicitate. Negabit ei Dominus cœlicam manſionem, cuius tantoties vſus eſt diuerſorio?

*D. Aug. ſer. 26. de verb. Dñ.*

*Apoc. 21 4.*

3 Verbum Dei Chriſtus hamo à Bernardino confertur. *Verbum Dei hamo ſimilis eſt.* Pulchra collatio. Hamus eſt Chriſtus: nam hami inſtar mortalium corda capit, rapit, effert benignitate, clementia, ſpecie. Rurſum hamus ferrum eſt eſca circumuolutum, clauſumque: Chriſtus itidem *hamum ferreum habet in eſca, ideſt verbum Deum in carne vera*, ait Rupertus. Demum, nè latum vnguem à Bernardino diſcedam, idcirco Dominus hamo confertur, *Quia, niſi capiatur, non capit.* Niſi enim Chriſtum capias ex altari, minimè te ipſe capiet in cęlum: capi quærit, vt capiat. Hamus eſt.

*D. Bernardin. to. 2. ſer. 9. ar. 2. c. 3.*

*Rup. de Diu. Off. li. 4. c. 19.*

*D. Bernardin. ibid.*

4 Ante ſedem Summi Iudicis toto mundo coacto, vt iuſtis meritorum præmia, reprobis pęnæ, vt dignum eſt, decernantur: ſicut illos lætabundus Dominus cęli aduocabit ad aulam. *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum a vobis regnum:* ſic illos indignabundus ad antra depellet inferni. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Rationem huius rei potiſſimam aſſignabit iuſtis. *Hoſpes eram et collegiſtis me:* reprobis: *Hoſpes eram, & non collegiſtis me.* Sed quando nam terræ Dominus hoſpes fuit in terra? Dum reſidet in altari, vbi, vt inquit Hugo, hoſpes

*Matt. 25 34.*

*Matt. ibi.*

hoſpes eſt, & peregrinus, noſtri cordis quærens hoſpitiū. *Verè enim hoſpes eſt ſub ſpeciebus iſtis, quaſi ſub veſte peregrina.* Talem hoſpitem recipiūt iuſti, dum dignè, & deuotè communicant, quem Communionis oſores à ſe longè repellunt. Iure igitur optimo, vbi iuſtos in cœlum excipiet, malos in ignem deijciet. Neminem enim in cęlum excipit, à quo è ſacro altari non fuerit antea receptus. Hinc illud Auguſtini. *Hoſpes in terra eſſe voluit Dominus cœli; peregrinus in mundo, per quem factus eſt mundus. Hoſpes eſſe dignatus eſt, vt tu haberes ſuſcipiendo benedictionem.* Nimirum eam, qua gaudebunt ſancti olim in nouiſſimo die; qui, quoniam Chriſtum hoſpitem exceperunt, à Chriſto in incolatum cęlorum excipiētur.

*Hugo Cardin. in c. 6. Ioan.*

*D. Aug. ſer. 146. de temp.*

5 Recenſet Gregorius, teneræ ætatis monachum ſuos plus licito diligentem, furtim, ac ſine benedictione è monaſterio exiſſe: eodemque die defunctum. Qui cum ſepulturæ à parentibus traderetur, poſtridie proiectus à terra, atque inhumatus, inuentus eſt. Iterumque ſepultus, iterum etiam mirabiliter proiectus. Res tandem delata ad D. Benedictum, Chriſti corpus deferentibus præſtitit. *Ite,* dicens, *atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus eius cum magna reuerentia ponite: & ſic ſepulturæ cum tradite. Quod dum factum fuiſſet,* ſequitur Gregorius, *ſuſceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit.* Vides quo pacto terra repellere non potuit corpus, quod ſacram Synaxim acceperat? Sanè nec cœlum animam, ſacro eodem pane refectam, æterna repellet è requie.

*D. Greg. li. 2. c. 24 Dial.*

6 Neque te latet Eliam, vt ad Dei montem accederet, pane ſubcinericio paſtum, quem ei de cœlo Angelus, vt roboraretur, attulerat: eoque mox confortatum, fultum, roboratum, feliciter perueniſſe. *Et ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei.* Per ſubcinericium panem Euchariſtiam accipe. *Panis ſubcinericius Chriſtus eſt ſub ſacramento in memoriam paſſionis oblatus,* ait Bonauentura. Hic panis ſubcinericius cœli viam peragrantibus tantæ neceſſitatis eſt, vt niſi eo roboratus, nemo cęli ſedes attingat. Tria ex hoc mundo ad cœlum volantibus imminent diſcrimina. In limine primum, vbi eum, vt rapiant, dracones inferorum expectāt: quos ſacro iam aſſumpto longè, lateque fugiunt. *Tunc Dæmo-*

*3. Reg. 19. 8.*

*D. Bonauen. ſer. 2. Ciner.*

*mo-*

D. Vinc. ſer. Oct. Corp. Chriſti. *mones*, ait Vincentius, *ſentiẽtes Chriſti præſentiam fugiunt.* Alterum in aere, vbi iter ſuũ magna horribilium Dęmoniorum acies obſidet: à quibus, ſi deuotè, dignèque communicauerit, detineri non poterit. *Dæmones fugiunt ex Chriſti præſentia, & tranſit.* ait idem. Poſtremũ in cęli ianua, à qua, nè repellatur, oportet communicaſſe. Chriſtus enim ibi vigilanter aſsiſtit, vt quos ſui corporis Sacro nutritos inuenerit, in gaudium æternum admittat, ieiunos verò repellat. Hæc ex eodem dicens. *Quia non recepiſti me, nec ego recipiam te: amen dico tibi, non intrabis huc.* Excipe ergò illum è ſacro altari, vt ab eo poſtmodum recipiaris in cęlũ.

7 Vulgare eſt illud Auguſtini. *Venale habeo regnum cęlorum.* (D. Aug.) Vulgare, inquam, ſed forſitan inſuaue. Quis, oro, Mida, Cręſoque ditior tam magnum regnum emere, ſibique valebit acquirere? Nec ſi totum aurum, quod vbique gentium habetur, & terra occludit, attuleris, tanta poſſeſſione potieris. Vnde igitur nobis tantæ rei pretium omne pretium excedentis? Tametſi mundo tale prætium deſit, nõ deeſt Eccleſiæ Dei. Habet enim in menſa altaris nummũ pretioſiſſimum, quo non vnũ, ſed plures, ſi plures cęli forẽt, ſibi poteſt acquirere. Habet, inquam Euchariſtiam, quam ideo, vt toties repetitum eſt, nummi præfert imaginem. Hanc ſi nequam anima è mũdo egrediens ſecum non tulerit, repelletur à regno Dei. Stat Chriſtus præ foribus tale regni ſui pretium exigens, vt accedentes eius poſſeſſione ditentur. *Cum autem anima peccatoris coram Domino præſentatur, confuſione plena, voce terribili, interrogat eam dicens: Quod eſt illud pretium, quod tecum attuliſti:* Scribit Bernardinus. (D. Bernardin. ſer. 14. ar. 3. cap. 1.) Operæpretium eſt igitur, te ex hoc mundo Chriſtũ nummum excipere, vt tibi Chriſtus regnum vendat cęlorum, teque eius poſſeſſorem conſtituat.

8 Demum velim te meminiſſe, diuinam Euchariſtiam cęli pignus vocari. *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, & cęleſtis gloriæ nobis pignus datur.* clamat S. Mater Eccleſia. (In Offic. Corp. Criſti.) Cur cęli pignus? Vt liquido aduertas nequaquam ei fores cęli dehiſcere, qui ſecum eam non tulerit ex hoc mundo. *Pignus eſt, quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, ſtatim pignus aufertur.* habet Iſidorus. (D. Iſid. Etym. li. 5. c. 25.) Cui cœleſtis gloriæ promiſſum eſt regnum, vt dum in mundo eſt, talis poſ-

poſſeſſionis certam ſpem habeat, ceu quoddam pignus porrigitur Euchariſtia, quam Chriſtus in cœli limine, vt cęlum præſtet, efflagitat. Eam ergò ſi non exceperis, quonã pacto te Chriſtus excipiet? Prius reddendum eſt pignus, quàm res, cuius pignus erat retribuatur.

*B. Theod. in fine expoſ. Pſal.*

9 Ego autem, vt dicam cum Theodoreto, libri huius Lectores obſecro, vt ſi benè, & concinnè compoſitus fuerit, vtilitatem ex his rebus percipiant. Si verò arcana Sancti Spiritus myſteria aſſecuti non ſumus, ne nobis ſuccenſeant. Quæ enim inuenire potuimus, omnibus abunde propoſuimus: & quę à Patribus noſtris didicimus, ſtuduimus afferre. Quem nos quidem laborem ſuſcepimus, vt ſine labore cæteris fructum afferamus. Quos precor, & obteſtor, vt ſuis precibus noſtrum laborem compenſent, illiſq; adiuti verbis opera adiungamus, ac veram fęlicitatem, ex vtriſq; compoſitam, reportemus: qui enim fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Hæc mea deniq; meliori Doctiorum iudicio, ac ſanctæ præſertim Romanæ Eccleſiæ correctioni, quam libentiſſimè emendanda ſubijcio.

*SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.*

# INDEX

## LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN hoc Opere fuſius explicantur, & illuſtrantur.

*Primus numerus paginam, ſecundus verò columnam indicat.*

### Geneſis.


*CAp.1. Verſu 26. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, pag.127. colum. 2.*

*Cap.2.ver.9. Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi.587.2.*

*16.Ex omni ligno Paradiſi comede.513.1.*

*Cap.3.verſ.8.Cum audiſſet vocem Domini Dei, deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem.569.2.*

*19. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 504.2.*

*15. Ipſa conteret caput tuum.441.1.*

*24.Collocauit Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, & verſatilem, ad cuſtodiendum viam ligni vitæ. 461.1.*

*Cap.6.ver.3. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. 326.1.*

*Cap.17. ver.17. Dixit Dominus Abrahæ. Dabo tibi filium, cui benedicturus ſum: cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit.530.2.*

*Cap.25.ver. 8. Deficiens mortuus eſt. 341.2.*

*Cap.28.ver.12, Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius cælum tangẽs. 72.2.*

*Cap.32.ver.26. Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. 501.2.*

*Cap.39.ver.20. Tradidit Ioſeph in carcerem: 417.2.*

*Cap.41.ver.5.Septem ſpicæ pululabant in culmo vno, plenæ, atq; formoſæ.95.2.*

*Cap.44.1.Præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens. Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere.15.1*

*Cap.49.20.Pinguis eſt panis e.us, & præbebit delicias Regibus.115.2.2.126.1. 498.2.*


### Exodi.


*Cap.3.ver.5.Ne appropries huc; ſolue calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.528.1.*

*2.Videbant quod rubus arderet. 422.2.*

*7.Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum. 489.1.*

*Cap.12.2.Menſis iſte vobis principium mẽſium, primus erit in menſibus anni, &c. 281.2.*

*8.Edant carnes nocte illa aſſas igne.235.1.*

*11.Comedetis feſtinanter. 510.1.*

*46.Os non comminuetis ex eo.146.1.*

*Cap.16.ver.4.Ecce ego pluam vobis panem de cælo: egrediantur populus, & colligant quæ ſufficiunt. 281.1.505.1.*

*7.Mane videbitis gloriam Domini.38.1.*

*12. Veſpere comedetis carnes, & mane ſatu-*

ſaturabimini panibus.282.1.
13. Mane ros iacuit per circuitu caſtrorum, & c.556.1.
14. Apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo contuſum. 470. 1.
33. Dixit Dominus ad Aaron: Sume tibi vas vnũ, & mitte ibi man, & c.279.2.
Cap.17.2: Vbi non erat aqua ad bibendum populo.245. 2.
Cap.18.12. Venerunt Aaron, & Seniores Iſrael, vt comederent panem cum eo coram Deo.136.1.
Cap. 19. 6. Et uos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. 222.2.
18. Totus mons fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.310.1.
Cap.23.14. Non apparebis in cõſpectu meo vacuus. 429.2.
Cap. 24. 6. Tulit itaq; Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras. 136.1.
Cap.25.8. Fac mihi in ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.206.2.
17. Facies propitiatorium ex auro mundiſſimo. 378.1.
18. Duos quoq; Cherubim aureos, & ductiles facies ex vtraq; parte oraculi.227. 1.
25. Facies menſam de lignis Setim, facieſq; illi labrum aureum, & ipſi labio coronam interraſilem, altam quatuor digitis. 494. 2.
30. Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. 82. 1. 428.2.
31. Facies candelabrũ ductile de auro mundiſſimo. 448.1.
Cap.26. 35. Menſa ſtabit in parte aquilonis. 240. 2.
Cap.28. 21. Poneſq; in eo quatuor ordines lapidum, habebuntq; nomina filiorum Iſrael, duodecim nominibus cælabuntur. 311.2.
22. Facies in rationali catenas, ſibi inuicem coherentes, ex auro puriſſimo.418. 1.
Cap. 30. 1. Facies altare ad adolendum thimiama de lignis ſetim, veſtieſq; illud auro puriſſimo. 327. 2.
10. Et expiabit Aaron ſuper cornua eius ſemel in anno.331.2.
18. Facies & labium æneum cum baſi ſua ad lauandum, & c.328.2.
Cap.33.11. Loquebatur Deus ad Moyſen facie ad faciem. 66. 1.
13. Si inueni gratiam in oculis tuis oſtende mihi faciem tuam. ibid.
20. Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.192.2.
Cap. 34. 35. Ipſe operiebat faciem ſuam ſi quando loquebatur ad eos.378. 1.

## Leuitici.

Cap.1.ver.24. Homo, qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus, ponat manum ſuper caput hoſtiæ.356.1.
Cap.2.Ver. 1. Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio, fundetq; ſuper eam oleum. 19. 1.114.1.
Cap.6. Ver. 29. Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur carnibus eius. 544.1.
Cap.10. Ver. 14. Pectuſculum, quod oblatum eſt, edetis in loco mundiſſimo. 5.1.
Cap.14. ver.36. Efferant vniuerſa de domo, priuſquam ſacerdos ingrediatur in eam. 329.2.

Numerorum.

Cap.8 2. *Candelabrum in auſtrali parte erigatur, vt lucernæ contra boream è regione reſpicerent ad menſam panum propoſitionis.* 488. 1.
Cap. 10. ver. 10. *Si quãdo habebitis epulũ, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis.* 535. 1.
Cap. 11. 7. *Erat autem man quaſi ſemen coriandri albus coloris bdellij.* 61. 1. 104. 1. 191. 1. 194. 1. 336. 1. 449. 2. 466. 1. 74. 1. 346. 1.
8 *Circuibat populus, & colligens illud frangebat mola, ſiue terebat in mortario; coquens in olla, & faciens ex eo tortulas quaſi panis oleati.* 138. 1. 57. 2.
Cap. 17. 8. *Turgentibus gemmis exuperant flores, qui, folijs dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.* 522. 2.
Cap. 20. 21. *Cumq; eleuaſſet Moyſes manũ, percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* 472. 2.
Cap. 21. 5. *Cur eduxiſti nos de Egypto, vt moreremur in ſolitudine, deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* 485. 1.
Cap. 23. 3. *Sta paulisper iuxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi forte occurrat mihi Dominus.* 520. 2.
21. *Non eſt Idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael.* 384. 1.

Deuteronomij.

Cap. 4. ver. 20. *Eduxit vos de fornace ferrea Aegypti.* 279. 2.
Cap. 24. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* 570. 1.
Cap. 11. ver. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* 459. 1.
Cap. 32. ver. 10. *Non arabis cum boue ſimul & aſino.* 303. 1.
13. *Oleumq; de ſaxo duriſſimo.* 561. 1.
Cap. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia; & in dextera eius ignea lex.* 380. 2.
17. *Quaſi pulchritudo tauri pulchritudo eius.* 107. 2.
19. *Populos vocabunt ad montes, ibi immolabunt victimas iuſtitiæ, qui inundationes maris quaſi lac ſugent.* 282. 2.

Primi Regum.

Cap. 6. ver. 7. *Accipite, & facite clauſtrũ nouum, tolletiſq; Arcam Dei, & ponetis in clauſtro.* 559. 2.
Cap. 18. ver. 12. *Timuit Saul Dauid, eo quod Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet.* 389. 2.
Cap. 31. 1. *Fugerunt filij Iſrael ante faciem Philiſtijm.* 391. 2.

Secundi Regum.

Cap. 22. ver. 5. *Deus fortis meus ſperabo in eum, & ſcutum meum, & Cornu ſalutis meæ.* 120. 2.
Cap. 24. ver. 15. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael vſq; ad tempus conſtitutum.* 351. 2. 239. 1.

Tertij Regum.

Cap. 1. ver. 1. *Cumq; operiretur veſtibus, non caleſiebat.* 18. 1.
Cap. 6. ver. 21. *Nihil erat in templo, quod*

auro

auro non tegeretur. 317. 1.
Cap. 8. ver. 12. *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* 123. 1.
Cap. 10. ver. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem.* 169. 2.
Cap. 18. ver. 38. *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulueremq; quoq;* 406. 1.
Cap. 19. ver. 8. *Et ambulauit in fortitudine cibi illius vſq; ad montem Dei* 613. 2.

Quarti Regum.

Cap. 4. ver. 41. *Afferte farinam; cumq; attuliſſent, ait. Infunde turbæ, vt comedãt. & non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* 386. 2.

Primi Paralipomenon.

Cap. 28. ver. 18. *Aurum puriſſimum dedit, vt ex eo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim.* 525. 1.

Iob.

Cap. 3. ver. 24. *Antequam comedo ſuſpiro.* 507. 1.
Cap. 7. ver. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* 316. 2.
Cap. 20. ver. 15. *Diuitias, quas deuorauit, emouet, & de ventre eius extrahet eas Deus.* 301. 2.
12. *Vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi.* 283. 2.

Pſalmorum.

Pſal. 1. ver. 3. *Erit tãquã lignũ, quod plãtatũ eſt ſecus decurſus aquarũ, ꝙ fructum ſuũ dabit in tẽpore ſuo.* 56. 1 213. 2. 334. 1.
Pſal. 2. ver. 12. *Apprehendite diſciplinam.* 77. 2.
Pſal. 4. ver. 3. *Filij hominum, vſquequo graui corde, vt quid diligitis iniquitatẽ, & quæritis mendacium.* 132. 2.
8. *A fructu frumenti vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* 162. 2.
9. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Ibid. 396. 2.
Pſal. 5. verſ. 11. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.* 486, 1.
Pſal. 8. ver. 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* 36. 1.
4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* 49. 1.
5. *Quid eſt homo, quod memor es eius; aut filius hominis, quoniã viſitas eũ.* 609. 1.
6. *Gloria, & honore coronaſti eum Domine.* 40. 1.
Pſal. 9. ver. 9. *Parauit in iudicio thronum ſuum.* 464. 1.
Pſal. 10. ver. 3. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* 402. 1.
4. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius.* 426. 1. 276 2. 577. 2.
Pſal. 13. ver. 14. *Deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.* 517. 1.
Pſal. 16. ver. 13. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* 79. 1.
Pſal. 17. ver. 10. *Inclinauit Cælos, & deſcendit.* 222. 1.
Pſal, 18. ver. 5. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* 138. 2. 179. 1. 584. 1. 241. 1. 277. 1. 313. 1. 438. 1. 527. 1.
Pſal. 19. ver. 4. *Et holocauſtum tuum pingue fiat.* 378. 2. 416. 2.
Pſal. 21. ver. 15. *Sicut aqua effuſus ſum.* 255. 1.

17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* 469.1.

27. *Edant pauperes, & ſaturabuntur; laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.* 60.2.68.1.140.1.165.1.383.1.577.1.510.1.

Pſal. 22. ver. 1. *Dominus regit me, nihil mihi deerit.* 334.2.122.1.

6. *Paraſti in conſpectu meo menſam.* 387.2.

7. *Calix meus inebrians quam præclarus eſt.* 187.2.532.2.427.2.

9. *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* 383.1.

Pſal. 25. ver. 8. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* 38.2.

Pſal. 26. ver. 2. *Appropiant ſuper me peccatores, vt edant carnes meas.* 145.1.

Pſal. 27. ver. 7. *Defloruit caro mea.* 217.2.

Pſal. 28. ver. 12. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meam.* 217.2.

Pſal. 29. ver. 12. *Conciſiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* 430.2.

Pſal. 30. ver. 3. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum.* 353.2.

13. *Factus ſum tamquam vas perditum.* 33.1.

Pſal. 31. ver. 9. *Nolite fieri ſicut equus.* 405.1.

Pſal. 32. ver. 5. *Diligit miſericordiam, & iudicium* 446.1.

Pſal. 33. ver. 8. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum.* 452.1.

9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* 516.1.220.1.192.1.

11. *Diuites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* 31.1.

13. *Vt ſugeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo.* 514.2.

Pſal. 36. ver. 3. *Spera in Deo, & fac bonitatem, & paſceris in diuitiis eius.* 599.2.

Pſal. 37. ver. 7. *Miſer factus ſum, & curuatus vſq; in finem.* 208.1.

10. *Domine ante te omne deſiderium meũ, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* 356.2.

Pſal. 41. ver. 8. *Abyſſus abyſſum inuocat.* 40.2.

Pſal. 42. ver. 4. *Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* 268.2.

Pſal. 44. Titul. *Pro dilecto.* 55.2.

9. *Myrrha, gutta, & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis.* 379.2.323.2.

10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* 147.1.2.

Pſal. 45. ver. 7. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* 534.1.

Pſal. 46. ver 9. *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.* 526.1.

Pſal. 51. ver. 13. *Narrate in turribus eius.* 283.1.

Pſal. 54. ver. 7. *Ecce elongaui, & manſi in ſolitudine.* 265.2.

Pſal. 55. ver. 4. *Ab altitudine diei timebo.* 309.1.

Pſal. 59. ver. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* 585.1.414.1.

Pſal. 61. ver. 5. *Precium meum cogitauerũt repellere.* 200.1.

9. *Effundite coram illo corda veſtra.* 464.2.

Pſal. 64. ver. 13. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur.* 285.2.

Pſal. 65. ver. 15. *Holocauſta medullata offeram tibi.* 146.2.

Pſal. 67. ver. 9. *Deus in loco ſancto ſuo.* 322.

322.2.323. 1.
10. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* 52. 1. 580 2.
Pſal.68.ver.10. *Zelus Domus tuæ comedit me.*333.2.
23. *Fiat mēſa eorum coram ipſis in laqueū.* 553.2.109. 2.
27. *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* 549.2.304.1.
Pſal. 71.16. *Et erit firmamentum in terra, ſuperextolletur ſuper libanum fructus eius.*56.2.161.1 269.1.224.2.
25. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram.*104 2.604.1.
Pſal.73. ver. 12. *Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ.* 519.1.
14. *Tu confregiſti capita Draconis, dediſti eum eſcam populis Ethiopum.* 59.1.
Pſal.74.ver.9. *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto.* 588. 1.
Pſal.76. ver.3. *In die tribulationis Deum exquiſiui manibus meis, & non ſum deceptus.* 33.2.
Pſal.77.ver.14. *Deduxit eos in nube diei.* 437.2.
16. *Et eduxit aquam de petra, & deduxit velut flumina aquam.* 14.1.308. 1.
20. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* 583.1.
23. *Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit.*360.1.
24. *Et pluit illis manna ad manducandum.* 534.1.
25. *Panem Angelorum manducauit homo.* 52.2 116.1.151.1.199.1.252.2.377. 2.524.1.546.1.270. 1.
26. *Tranſtulit Auſtrum de cælo, & induxit in virtute tua Africum.*583. 1.
27. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.*228 1.450.2.
30. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorū, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* 551. 2. 310.1.
Pſal.80.ver.11. *Dilata os tuum, & implebo illud.*131.2.426.2.
17. *Cibauit eos ex adipe frumenti.*115 2. *Et de petra melle ſaturauit eos.* 579. 1. 508.1.
Pſal.88.ver.29. *Et thronus eius ſicut dies cæli.* 409.1.
38. *Thronus eius ſicut luna perfecta in æternum.*409.2.
Pſal.89.ver.8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.*331.1.
Pſal. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet.* 506.1.
Pſal. 98. 1. *Dominus regnauit iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubim.* 526.1.
4. *Honor Regis iudicium diligit.* 445. 2.
5. *Adorate ſcabellum pedum eius,* 395. 1. 284.1.
Pſal.100.ver.2. *Pſallam, & intelligam in via immaculata quando venies ad me?* 502.1.
Pſal. 101.ver.5. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* 128. 2.67.1.
Pſal.102.ver. 5. *Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquila iuuentus tua.*265.1
Pſal.103.ver.2. *Confeſſionem, & decorem induiſti.*175.1.
3. *Extendens cælum ſicut pellem.*222.1.
4. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.*58.1.
24. *Impleta eſt terra poſſeſſione tua.* 128.1.
Pſal. 104. ver. 37. *Non erat in tribubus*

eorum

*eorum infirmus.* 363. 2.

40 *Pane cæli ſaturauit eos.* 363.2.

*Pſal.* 106. *ver.* 18. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* 496.1.

*Pſal.* 108. *ver.* 24. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* 288. 1.

*Pſal.* 109. *ver.* 3. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* 206.1.

*Pſal.* 110. *ver.* 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorũ miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe.* 21.2. 26.1 291.2.309.2.571.1.

*Pſal.* 113. 4. *Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium.* 523. 1.

16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* 396.1.

*Pſal.* 117. *ver.* 12. *Circumdederunt me ſicut apes.* 213.2.217.2.

22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* 255.2.

*Pſal.* 118. *ver.* 131. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* 114.2.308.2.

*Pſal.* 124. 2. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* 451.1.

*Pſal.* 127. *ver.* 4. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* 268. 1. 547.1.174.1.

*Pſal.* 130. *ver.* 1. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* 137.1.

4. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Ibidem.*

*Pſal.* 131. *ver.* 3. *Si introiero in tabernaculũ domus meæ.* 163. 2.

7. *Introibimus in tabernaculum eius. Ibid.*

15. *Pauperes eius ſaturabo panibus.* 577. 1.505.2.

*Pſal.* 145. *ver.* 7. *Dat eſcam eſurientibus.* 478. 1.

8. *Dominus ſoluit compeditos. Ibid.*

*Pſal.* 146. 9. *Qui dat eſcam iumentis ipſorũ, & pullis coruorum inuocantibus eum.* 257.1.

*Pſal.* 147. *ver.* 3. *Adipe frumenti ſatiat te.* 115.2.


Prouerbiorum.


*Cap.* 4. *ver.* 23. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* 404.1.

31. *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum.* 334.1.609.2.

*Cap.* 8. *ver.* 35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* 603.1.

*Cap.* 9. *ver.* 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* 277. 2.

*Ibid. Excidit columnas ſeptẽ.* 37. 1.435.1.

2. *Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinũ, & propoſuit menſam ſuam.* 27. 2. 468. 1.539.1.

3. *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mænia ciuitatis.* 118. 2. 160. 2. 465.1.515.1. 541.1.

4. *Si quis eſt paruulus veniat ad me.* 372.2.

*Cap.* 17. *ver.* 1. *Melior eſt buccella ſicca cũ gaudio, quam domus plena victimis, & iurgijs.* 472.1.

*Cap.* 20. 13. *Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.* 306.2.

*Cap.* 24. *ver.* 13. *Comede fili mi mel, quia bonum eſt: & fauum dulciſſimum gutturi tuo.* 481.2.

*Cap.* 27. *ver.* 7. *Anima ſaturata calcabit fauum.* 189.1.383.2.

*Cap.* 31. *ver.* 1. *Verba Lamuelis Regis.* 372.2.

5. *Deditq; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* 21. 2.


27. *Conſi-*

27. Conſiderauit ſemitas domus ſuæ.467.1.

## Eccleſiaſtis.

Cap.3. ver. 2. Tempus naſcendi, & tempus moriendi.233. 1.

## Canticorum.

Cap.1.ver.2. Oſculetur me oſculo oris ſui. 65.1.78.2.98.2.411.2.593.2.
3. Meliora ſunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis.7.1.216.1.
Ibid. Curremus in odorem vnguentorũ tuorum.505.1.159.2.
4. Introduxit me Rex in cellaria ſua.601.1
5. Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.561.2.
7. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubas in meridie.380.1.
8. Si ignoras te, o pulcherrima mulierum. 175.2.
12. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. 13.1.417.1. 478.2.
13. Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 94. 2.573.4.574.2.236.1.406.2.181.2.
14 Botrus Cypri Dilectus meus mihi. 182. 2.282.1.517.1.572.1.573.1.581.1.
15. Ecce tu pulchra es amica mea 437.1.
16. Ecce pulcher es Dilecte mi, & decurus. 502.1.
Ibid. Lectulus noſter floridus.396.2.163.1. 168.1.153.2.157.1.
17. Tigna domorum noſtrarum cedryna, laquearia noſtra cypreſſina.408.2.
Cap.2.1. Ego flos campi, & lilium conuallium.9.2.317.2.70.2.538.1.167. 1.159.2.264.2.279.2.
Ibid. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.151.2.
3. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. 483.1.509.2.366.2.
4. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.23.2.29.2. 188.2.224.2.564.1.241.2.
5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.346.2.66.1.111. 2.188.2.
8. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis eſt Dilectus meus capreæ.419.2.424.1.
9. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciẽs per feneſtras, proſpiciens per cancellos.30.2.336.2.
14. Veni columba mea.341.1.
Ibid. Oſtende mihi faciem tuam.564.1.
Ibid. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.85.2.
16. Dilectus meus mihi, & ego illi.608.2.
Ibid. Qui paſcitur inter lilia.43.2.527.2. 320.2.
Cap.3.ver.1. In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.66.2.
3. Num quem diligit anima mea vidiſtis? 193.2.
4. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam; donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ.419.2.
9.10. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatoriũ aureũ, aſcenſũ purpureũ, media charitate cõſtrauit.26.1.73. 1.600.2.184.1.575.2.580.2.239.1.
11. Egredimini, & videte, filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis

illius, & in die lætitiæ cordis eius. 76. 2.368.1.
Cap. 4. ver. 4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 119.1.2.454.1.
9. Vulneraſti cor meum ſoror mea, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum. 183.1.195.2.412.7.
10. Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea Sponſa; pulchriora ſunt ubera tua vino. 563.1.
11. Mel, & lac ſub lingua tua. 568.1.211.1.
12. Hortus conclusus ſoror mea ſponſa. 218. 2.276.1.
13. Emiſſiones tuæ Paradiſus. 304.2.
Cap. 5. ver. 1. Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo: comedite amici, & inebriamini cariſſimi. 61.2.211. 1.212. 1.299.2. 582.2.234.1.185.1.202.1.
10. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. 19.2.53.2.25.2.
11. Caput eius aurum optimum. 381. 2.
14. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. 42.1.531.2.
Ibid. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris. 379.2.232.1.
15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. 176.1.
Cap. 6. ver. 3. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 345.2. 231.1.
8. Vna eſt columba mea. 160.2.
9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 440.1.342.2.278.1.
Cap. 7. ver. 2. Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. 217.1.359.2. 394.2. 454.2.471.1.
4. Collum tuum ſicut turris eburnea. 153.2.
6. Quam pulchra es, & quam decora cariſſima in deliciis. 562.2.
7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris. 444. 1.
8. Aſcendam ad palmam, & apprehendam fructus eius. 473.1.494.1.
13. Mandragoræ dederunt odorem. 385.2.
Cap. 8. ver. 5. Sub arbore malo ſuſcitaui te. 469.1.
2. Dabo tibi poculum ex vino condito. 244.2.
6. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. 592.2.
Ibid. Fortis eſt ut mons dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. 338.1.
8. Soror noſtra parua, & ubera non habet. 246.1.
14. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum ſuper montes aromatum. 400.1.424. 1.

## Sapientiæ.

Cap. 4. uer. 19. Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum. 455. 2.
Cap. 7. ver. 26. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. 103.2.
Cap. 16. uer. 20. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælis præſtitiſti illis. 126.1.291.2.452. 2.485.2.
21. Subſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas. 394.1.

Cap.19. ver. 20. Sicut glacies bonam eſcam.267.1.

## Eccleſiaſtici.

Cap.3.ver.34.Qui reddit gratiam. 591. 2.
Cap.21.ver.17.Cor fatui quaſi vas confractum.255.1.
Cap. 24. ver. 18. Quaſi cypreſſus in monte Sion, & quaſi palma exaltata ſum in cades.482.2.291.1.
Ibid.Quaſi plantatio roſæ in Ierico. 264. 2. 315.1.
23.Ego quaſi vitis fructificaui.443. 2.
Ibid. Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.320.2.149.1.
24.Ego mater pulchræ dilectionis.366.1.
Cap.40.ver.17. Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus.219.1.
Cap.43.2.Vas admirabile opus excelſi. 217 2.

## Iſaiæ.

Cap.1. uer.2. Audite cæli q̃ loquor, percipe terra:filios enutriui, & exaltaui.595.2.
Cap.2. uer.7. Non eſt finis theſaurorum eius.14.2.
Cap.3. uer. 7. Non ſum medicus. & in domo mea non eſt panis.362.2.
Cap.5.ver.4.Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?589.2.
Ibid. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. 142. 1.
Cap. 6.uer. 1.Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. 58. 2.159. 1.252. 1.464.1.
2. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni,& ſex alæ alteri: duabus velabãt faciem eius, & duabus velabũt pedes eius; & duabus velabant.34.1.154.2.229. 2.377.1.
6. Volauit ad me vnus de Saraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.34.2.381.2.438.2.154.2
Cap. 9. uer. 2. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.397.1.
6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.207.2.
Cap. 11. 1. Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet.359.1.
7.Vitulus,& vrſus paſcentur ſimul.359.1.
10.In die illa erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum,ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.318.1.
Cap. 25. uer. 6. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium,conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.246.2.344.1.
Cap. 28. uer. 20. Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat.163.1.
Ibid. Pallium breue, vtrumq; operire non poteſt. 162. 1.
Cap. 30. uer.20. Dabit vobis Dominus panem arctum,& aquam breuem; & non faciet auolare à te vltra Doctorem tuũ. 163.1.186.2.420. 2.
Cap.35.uer.1. Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.265.2.
Cap.38.uer.14. Sicut pullus hirundinis,ſic clamabo.254.2.
Cap.43. uer. 24. Seruire me feciſti in peccatis tuis,præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. 519. 2.
Cap.45. uer. 15. Verè tu es Deus abſconditus,Deus Iſrael Saluator.116.1.
Cap.46. uer. 7. Confertis aurum de ſacculo,& argentum ſtatera ponderatis: conducentes aurificem,vt faciat Deum,&c. 207.2.

Cap. 55. ver. 1. *Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum emite, comedite.* 247. 1.
Cap. 57. ver. 8. *Iuxta me te diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum.* 404. 2.
Cap. 59. ver. 17. *Opertus eſt quaſi pallio zeli.* 337. 1.
Cap. 60. ver. 4. *Filij tui de longè veniēt, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* 148. 1. 173. 1.
Cap. 63. 1. *Formoſus in ſtola ſua.* 63. 1.
2. *Quare rubrum eſt indumentum tuum.* 581. 2.
Cap. 66. 1. *Cælum ſedes mea.* 274. 2.

Ieremiæ.

Cap. 24. ver. 3. *Ficus bonas, bonas valdè.* 163. 2.

Threnorum.

Cap. 1. ver. 11. *Omnis populus eius gemēs, & quærens panem; dederunt pretioſa quæq; pro cibo.* 164. 2.
Cap. 3. ver. 16. *Fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinerè.* 547. 1.
24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* 187. 1.
Cap. 5. ver. 10. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.* 349. 2.

Baruch.

Cap. 3. ver. 14. *Diſce vbi ſit longitudo vitæ, & victus, & vbi ſit lumen oculorum, & pax.* 392. 1.

Ezechielis.

Cap. 1. ver. 26. *Et ſuper firmamentum quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.* 321. 1.
17. *Et vidi quaſi ſpeciē electri à lumbis eius, & deſuper: & à lumbis eius vſq; deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis.* 571.
Cap. 9. ver. 2. *Et ecce ſex viri, & vnuſquiſq; vas interitus in manu eius, ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare.* 550. 2.
Cap. 16. ver. 13. *Veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus: ſimilam, & mel, & oleum comediſti.* 133. 2.
Ibid. *Decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum.* 566. 1.
Cap. 17. ver. 5. *Poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radices ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud, &c.* 253. 1.
Cap. 23. ver. 41. *Sediſti in loco pulcherrimo, & menſa parata eſt tibi.* 319. 1.
Cap. 28. ver. 13. *In delitijs Paradiſi Dei fuiſti.* 220. 2.

Danielis.

Cap. 3. ver. 92. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulātes in medio ignis, & ſpeties quarti ſimilis filio Dei.* 74. 2. 320. 1. 400. 2.
Cap. 7. ver. 9. *Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* 575. 1.
Cap. 14. ver. 36. *Tolle prandium, quod miſit tibi Deus.* 349. 1.

Oſeæ.

Cap. 3. ver. 5. *Et pauebunt ad Dominum,*

& ad

& ad bonum eius in nouiſſimo dierum. 307.2.
Cap. 9. ver. 12. Sed væ eis, caro mea ex eis. Trans. Sept. 490.2.
Cap. 13. ver. 14. Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, o inferne. 476.1.
Cap. 14. ver. 8. Conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico. 595.1.

Ioelis.

Cap. 2. ver. 23. Filij Sion exultate, & lætamini in Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. 260.2. 93.2.
Cap. 3. ver. 14. Iuxta eſt dies Domini in valle conciſionis: ſol, & luna obtenebrati ſunt. 365.2.

Ionæ.

Cap. 1. ver. 15. Tulerunt Ionam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare à feruore ſuo. 536.2.

Habacuc.

Cap. 3. ver. 3. Deus ab auſtro veniet. 240. 2.
4. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. 52. 2.
13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem pro Chriſto tuo. 594. 1.

Sophoniæ.

Cap. 1. ver. 12. Et erit in tempore illo ſcrutabor Ieruſalem in lucernis. 447.2.
14. Vox diei Domini amara. 499. 1.
Cap. 2. ver. 11. Horribilis Dominus ſuper eos. 399. 1.

Zachariæ.

Cap. 1. ver. 8. Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, 322. 1. 425. 1.
Cap. 4. ver. 10. Et lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel. 491.2.
Cap. 5. ver. 1. Leuaui oculos meos; & vidi, & ecce volumen volans. 358. 1.
Cap. 9. ver. 17. Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentũ electorum, & uinum germinans Virgines? 203. 1. 379. 2. 548. 1. 564. 2.

Malachiæ.

Cap. 2. uer. 7. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius exquirent, quia Angelus Domini eſt. 203. 1.
Cap. 3. uer. 4. Placebit Deo ſacrificium Iuda, & Ieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. 201. 1.

Matthæi.

Cap. 2. uer. 6. Et tu Betheleem terra Iuda, nequaquam minima es, & c. 83.1.
Cap. 4 uer. 11. Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt. 191. 2.
Cap. 5. uer. 14. Vos eſtis lux mundi. 380. 1.
Cap. 6. uer. 6. Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora ad Patrem tuum. 407. 1.
25. Nonne anima plus eſt qua eſca? 291. 2.
Cap. 8. uer. 3. Extendens Ieſus manum tetigit eum dicens: uolo, mundare, & confeſtim

feſtim mundata eſt lepra eius. 433. 2. 239. 1. 457. 1.
6. Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. 92. 1.
7. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectū meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. 424. 2. 549. 1.
24. Aſcēdente eo nauiculam ſecuti ſunt eū Diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. 425. 2. 533. 2.
Cap. 9. uer. 9. Cum tranſiret indè Ieſus, uidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. 596. 1.
17. Neq; mittunt vinum nouum in vtres veteres. 584. 2.
Cap. 10. uer. 19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. 370. 2.
Cap. 11. uer. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. 295. 1.
Cap. 12. uer. 40. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ. 271. 1.
Cap. 13. uer. 31. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. 239. 2.
Cap. 14. uer. 19. Cum iuſſiſſet turbas diſcumbere ſuper fænum, &c. 152. 2.
22. Statim iuſſit Ieſus Diſcipulus ſuos deſcendere in nauiculam, &c. 390. 2.
28. Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. 158. 1.
32. Et cum aſcendiſſet nauiculam, ceſſauit ventus. 489. 2.
Cap. 15. uer. 26. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. 412. 1.
24. Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. 460.
Cap. 16. uer. 8. Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? 361. 1.
13. Quem dicunt homines, eſſe filium hominis? 111. 2.
Cap. 17. uer. 2. Reſplenduit facies eius ſicut ſol. 397. 2.
26. Vade ad mare, & mitte hamum 287. 2.
Cap. 18. 3. Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. 166. 1.
Ibid. Qui ſuſceperit vnum paruulum in nomine meo, me ſuſcipit. Ibid.
26. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 365. 1. 603. 2.
Cap. 20. uer. 12. Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus. 488. 2.
Cap. 21. uer. 8. Plurima turba poſuerunt veſtimenta ſua in via; alij autem, &c. 503. 1.
7. Et adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. 172. 2. 576. 2.
12. Menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. 518. 2.
Cap. 22. ver. 2. Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. 513. 2. 27. 1.
4. Dicite inuitatis: Ecce prādium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. 496. 2.
11. Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali 296. 1. 536. 2.
12. Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? 495. 1.

Cap.23. uer. 9. *Patrem nolite uocare vobis ſuper terram,* 150.2.

37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina,&c.* 71.1.

Cap.24. uer. 1. *Egreſſus Ieſus de templo, &c.* 123.2.

28. *Vbicumq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* 269.2.317.1.329.1.453.1.

Cap. 25 uer. 34. *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* 612.2.

36. *In carcere erã, & veniſtis ad me.* 418.2

39. *Domine, quando te uidimus in carcere, & venimus ad te?* Ibid.

Cap.26. ver. 23. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* 497.1.521.2.

26. *Cœnantibus autem illis, accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis.* 604.2.250.2.278.2.541.2

28. *Hic ſanguis noui teſtamenti, qui pro vobis, &c.* 6.2.247.2.

29. *Dico autem uobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vſquè in diem illum, cum illum bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* 280.1.

Cap. 27. uer. 3. *Videns Iudas, qui eum tradidit, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos.* 602. 1.

34. *Cum guſtaßet noluit bibere.* 351.1.

51. *Terra mota eſt.* 534. 1.

59. *Et accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo nouo.* 266.1.

66. *Munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* 600.

Cap.28. 2. *Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* 452.1.

Marci.

Cap.6. uer. 8. *Præcepit eis, ne quid tollerẽt in via niſi, virgam tantum, non perã, nõ panem, neq; in zona æs.* 512.2.

Cap. 7. uer. 24. *Inde ſurgens Ieſus, abijt in partes Tyri, & Sidonis; & ingreſſus domum, neminem ſcire voluit, & non potuit latere.* 457. 2.

29. *Propter hunc ſermonem, vade, exiuit Dæmon à filia tua.* 460. 1.

Cap.8. uer. 23. *Et apprehenſa manu cæci, eduxit eũ extra vicũ, & expuens in oculis eius, impoſitis, &c.* 330.2.456 1.

Cap. 9. uer. 5. *Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moyſi vnum, & Eliæ unum.* 408. 1.

Cap.11. uer. 2. *Quem nemo adhuc hominũ ſedit.* 83.2.

Cap.14. uer. 3. *Et fracto alabaſtro effudit ſuper caput eius, &c.* 403. 1.

18. *Diſcumbentibus illis, & manducantibus, ait Ieſus. Amen dico uobis, unus ex uobis me tradet.* 597. 2.

35. *Et cum proceſſißet paululum, procidit ſuper terram, & orabat.* 284. 2.

Lucæ.

Cap.1. uer. 29. *Turbata eſt in ſermone eius.* 449.2.

30. *Ne timeas Maria.* 308. 1.

39. *Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione.* 285. 1.

41. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans ĩ vtero eius.* 490.1

44. *Ecce enim ut facta eſt uox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.* 80.2.

Cap.2. uer. 7. *Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eũ in præſepio.* 198.1.374.2.440.2.537.2.487.1, 96. 1.

22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, & c.* 257. 2.
25. *Ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, & Spiritus Sãctus erat in eo.* 557. 1.
28. *Et ipſe accepit eum in vlnas ſuas.* 263. 1.
49. *Fili, quid feciſti nobis ſic? pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* 178. 2.
Cap. 3. ver. 16. *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum.* 422. 2.
Cap. 4. ver. 38. *Surgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* 574. 1.
Cap. 7. ver. 45. *Intraui in domum tuam, oſculum mihi non dediſti.* 99. 1.
Cap. 10. ver. 38. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.* 415. 1.
40. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.* 499. 2.
Cap. 11. ver. 3. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* 102. 1. 393. 1.
5. *Amice accomoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me.* 21. 1. 272. 1.
Cap. 14. ver. 10. *Cum inuitatus fueris ad nuptias, vade & recumbe in nouiſſimo loco.* 223. 2. 309. 1.
16. *Homo quidam fecit cænam magnam.* 227. 2. 547. 2.
21. *Exi in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, & debiles, & cæcos introduc huc.* 548. 2. 204. 2.
Cap. 15. ver. 5. *Imponit in humeros ſuos.* 122. 2.
21. *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* 430. 2.
Cap. 16. ver. 8. *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt* 410. 1.
Cap. 19. ver. 35. *Iactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Ieſum.* 260. 1.
Cap. 22. uer. 12. *Ecce introeuntibus vobis ciuitatem, & c. ipſe oſtendit vobis cænaculum.* 112. 2.
15. *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* 200. 2.
17. *Et accepto calice, gratias egit, & dixit. Accipite, & diuidite inter uos.* 539. 1.
19. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis.* 232. 2.
42. *Transfer calicem iſtum à me.* 350. 2.
Cap. 23. uer. 46. *Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum.* 335. 1. 346. 2.
Cap. 24. uer. 30. *Factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum.* 372. 1.

Ioannis.

Cap. 1. uer. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 392. 2. 111. 1.
20. *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? & confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus.* 297. 2.
51. *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei, aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis.* 10. 2.
Cap. 2. uer. 1. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi, vocatus eſt autem Ieſus cum Diſcipulis ſuis.* 535. 2.
15. *Nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.* 300. 2.
48. *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in ijs, quæ Patris mei ſunt* opor-

*oportet me eſſe?* 157. 2.

Cap. 3. uer. 14. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.* 288. 2.

14. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis.* 401. 1.

Cap. 6. uer. 1. *Abijt Ieſus trans mare Galilææ, & ſequebatur eum multitudo magna.* 179. 2.

5. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* 473. 2.

7. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.* 129. 2.

9. *Eſt puer vnus hic, qui habet quinq; panes ordeaceos, & duos piſces ſed quid inter tantos?* 129. 2.

10. *Erat autẽ fænum multũ in loco.* 167. 2.

Ibid. *Diſcubuerunt ergo viri quaſi quinq; millia.* 545. 1.

27. *Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* 504. 1.

32. *Pater meus dat vobis panem de cęlo verum.* 126. 1.

48. *Ego ſum panis vitæ.* 246. 2.

53. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 205. 1. 516. 2.

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã.* 12. 1.

56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* 108. 2. 143. 2. 367. 1.

58. *Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt.* 347. 2.

68. *Domine ad quem ibimus?* 205. 1.

Cap. 7. uer. 37. *Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat.* 185. 2.

Cap. 8. uer. 56. *Abraham Pater ueſter exultauit vt uideret diem meum, uidit, & gauiſus eſt.* 530. 1.

Cap. 10. uer. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* 413. 1.

Cap. 11. uer. 32. *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* 352. 2.

Cap. 12. uer. 2. *Lazarus uero vnus erat de diſcumbentibus cum eo.* 141. 1.

Cap. 13. ver. 1. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mũdo, in finem dilexit eos.* 14. 1. 48. 2.

26. *Cum intinxiſſet panem dedit eum Iudæ Simoni Iſchariotæ, & poſt buccellam introiuit in eo Satanas.* 552. 1.

30. *Cum ergo accepiſſet buccellam, continuò exiuit.* 369. 2. 373. 2.

Cap. 14. uer. 8. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* 129. 2.

23. *Si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 560. 2.

Cap. 15. 1. *Ego ſum uitis uera.* 525. 1.

Cap. 19. uer. 34. *Continuò exiuit ſanguis, & aqua.* 565. 2.

36. *Os non comminuetis ex eo.* 146. 1.

Cap. 20. uer. 1. *Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & uidit lapidem ſublatum, &c.* 381. 1.

2. *Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum.* 407. 2.

11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* 60. 1.

Ibid. *Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* 227. 1.

14. *Concurſa eſt retrorſum, & uidit Ieſum ſtantem, & neſciebat quin Ieſus eſt.* 398. 1.

17. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum. 78.1.559.1.
27. Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, &c. Ibid.
Cap. 21. uer. 23. Exijt ſermo inter fratres quod Diſcipulus ille non moritur. 388. 1.

Actorum.

Cap. 1. uer. 10. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? 68. 2.
18. Crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera eius. 332. 1. 409. 2.
Cap. 4. uer. 27. Cõuenerunt in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum tuum puerum Ieſum. 262. 1.
Cap. 5. uer. 18. Iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. 420. 1.
Cap. 28. uer. 6. Conuertentes, ſe dicebant eũ eſſe Deum. 108. 1. 178. 1.

Ad Romanos.

Cap. 10. uer. 12. Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. 597. 1.
Cap. 14. uer. 2. Alius credit ſe manducare omnia, qui autem infirmus eſt olus manducet. 573. 1.

Primæ ad Corinthios.

Cap. 3. uer. 17. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 138. 2.
Cap. 9. uer. 24. Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. 160. 1.
Cap. 10. uer. 4. Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus. 20. 1. 255. 2. 484. 1.
Cap. 11. uer. 23. In qua nocte tradebatur. 422.

Secundæ ad Corinthios.

Cap. 1. uer. 1. Paulus Apoſtolus, & Timoteus fratrer, Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis. 287. 1.
Cap. 2. uer. 6. Os meum patet ad uos, o Corinthi, dilatamini, & vos. 503. 2.
Cap. 3. uer. 18. Nos uero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculates in eandem imaginem transformamur. 397. 1. 597. 1.
Cap. 6. uer. 10. Sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habẽtes, & omnia poſſidentes. 601. 2.

Ad Epheſios.

Cap. 5. uer. 27. Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. 268. 2. 564. 2.
32. Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem ego in Chriſto, & Eccleſia. 558. 1.

Ad Philippenſes.

Cap. 4. uer. 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. 534. 1.

Ad Coloſſenſes.

Cap. 3. uer. 1. Conſurrexiſtis cum Chriſto. 280. 1.
4. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. 354. 2.

Ad Hebræos.

Cap. 2. uer. 9. Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum; vt pro omnibus guſtaret mortem. 429. 2.

Cap. 9. ver. 4. Poſt velamentum autē erat tabernaculum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti; in qua erat vrna aurea, habens manna. 290. 2. 448. 2.

Cap. 12. ver. 24. Melius loquentem, quam ſanguis Abel. 248. 2.

### Primæ Petri.

Cap. 1. ver. 12. In quem deſiderant Angeli proſpicere. 226. 2.

### Iacobi.

Cap. 1. ver. 2. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. 491. 2.

### Apocalypſis.

Cap. 1. ver. 14. Præcinctum ad mammillas zona aurea. 328. 1.

Cap. 2. ver. 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. 44. 2. 223. 1.

17. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum. 307. 1.

Cap. 3. ver. 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum. 238. 1.

20. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, vt ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo. 6. 1.

Cap. 4. ver. 6. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile chryſtallo. 32. 2. 348. 1. 465. 2.

Cap. 6. ver. 8. Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum. 357. 2.

Cap. 8. ver. 1. Cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cælo. 41. 1.

Cap. 10. ver. 2. Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. 345. 1.

9. Accipe librum, & deuora illum. 507. 2.

Cap. 12. ver. 1. Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius. 315. 2. 148. 2.

Cap. 14. ver. 4. Vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem candidam ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream. 96. 2. 39. 2.

13 Beati mortui, qui in Domino moriuntur. 350. 1.

Cap. 19. ver. 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. 386. 1.

17. Vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus: venite, & congregamini ad cœnam magni Dei. 251. 1. 509. 1.

Cap. 20. ver. 11. Vidi thronum magnum, & ſedentem ſuper eum, a cuius conſpectu fugit terra, & cælum, & locus non eſt inuentus eis. 423. 2.

Cap. 21. ver. 2. Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam. 277. 1.

6. Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ. 286. 1.

11. Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi iaſpidis. 355. 2.

18. Ipſa vero ciuitas aurum mundum. 556. 1.

Cap. 22. 1. Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, procedentem de ſede Dei, & agni: & in medio plateæ eius ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ: afferens fructus duodecim: per ſingulos menſes reddens fructum ſuum. 7. 2. 101. 1.

F I N I S.

# INDEX

## RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC Opere continentur.

*Primus numerus paginam, poſterior columnam indicat.*


# A

CVr Chriſtus in præſepi clamabat. A. pag. 272. col. 2.

*Abraham.*

Cur Abrahæ potius propoſitus eſt Euchariſticus typus. 258. 1. Cur dicitur quinquennis defunctus. 259. 1. Cur dum obijt, tentorizauit. 241. 1. 242. 1.

*Abyſſus.*

Deum, atq; animam denotat. 40. 2. Cur abyſſus inuocet abyſſum. 131. 1. Quam aptè D. Thom. Abyſſus. Ibid.

*Adam.*

Dum ederet, concinebant aues. 44. 2. Cur ſe abſcondit. 175. 1. Vultus ſpendor, & maieſtas. 198. 2. Cur ei Deus poſt meridiem apparuit. 569. 2. 570. 1. Tamquam Regi mundus apparatus. 500. 2.

*Aegyptij.*

Cur domi conderent primogenitorum corpora. 195. 1.

*Adamas.*

Chriſti typus. 61. 1. Ferruginei coloris. Ibid. Indomita vis. 86. 2. Adamantina improborum corda. Ibid. Euchariſtiæ typus. 307. 1. Cur hebraicè Samir. Ibid.

*Adultera.*

Cur offerebat farinam hordeaceam. 324. 1.

*Africum.*

Corporis Chriſti typus. 583. 1.

*Agathes.*

Qualis coloris. 580. 1. Calix, quo Chriſtus conſecrauit, agatheus. Ibid.

*D. Agnes.*

Signum quo ornabatur, quale. 340. 1.

*Agnus.*

Agnum inter vbera gerens apparuit Patriarca Seraphicus. 262. 2. In ſigura Crucis aſſabatur. 468. 2. Cur nocte comedebatur. 235. 1. Cur feſtinè eden-

edendus. 510. 2. Cur in menſe Aprilis comeſtus. 281. 2.

*Alexander.*

Toto orbe non exſaturatus. 126. 2.

*Album.*

Cur miniſtri altaris albis vtuntur ſtolis. 319. 1. Quid inter album, & candidũ intereſt. 74. 1. Cur Chriſtus in Euchariſtia albus. Ibid. Albũ natura, candidũ cura facit. 97. 1. lilia cur alba. 199. 2. Solum ſincerum. 521. 2. 522. 2. Hoſtia cur alba. 387. 1. Cur panis niſi albus, non conſecratur. 505. 1.

*Alleluia.*

Iubilum magis quam canticum. 45. 2. Angelorum vox. Ibid.

*Alphonſus Aragoniæ Rex.*

Quid egerit de reliquis S. Ludouici. 305. 1. Dictum de diuina cuſtodia. 124. 2. Item de quodam hypocrita. 520. 1.

*Altare.*

Habet quod Paradiſus. 3. 2. Chriſti præſepis vicem gerit. 46. 2. Carbunculis plenum. 55. 1. Clementiæ, non iuſtitiæ tribunal. 116. 2. Cur Eccleſiæ collum. 119. 2. Eccleſiam defendit. Ibid. Cur per gradus aſcenditur. 135. 1. Cur ſolium, & non cathedra. 159. 1. Aether cenſendum. 202. 2. Ardet, ſuoque accendit accedentes ardore. 237. 1. per totum. Cur veſtiebatur auro. 327. 2. 328. 1. Cur thurificatur. 329. 1. Cur linteamina abluuntur. 330. 1. Cur ſemel in anno expiatum. 331. 2. Cur in mundiſſimo loco erigendum. 332. 1. Cur Saturni ara luminibus colorentur. 374. 1. Per Idumæam ſignificatum. 414. 1. Verbum æternum ſignificat. 414. 2. Cur nummulariorum menſa. 518. 2. 519. 1. Thabor. 569. 1. Eliæ cur ab igne conſumptum. 406. 1. Aromatum mons. 400. 1. Aeque Deus in eo, quam ſedens in cælo, pertimeſcendus. 422. per totum. Chriſtus non modo in Cruce, ſed & in altari immolatur. 429. 1. Iudicij faciem præſefert. 445. 2. per totum. Cur menſa. 585. 2. 586. 1.

*Ambroſia.*

Mellitus cibus. 189. 1. Mellis monocuplæ dulcedinis. 213. 1. Euchariſtiam innuit. 267. 1. Immortalitatem conciliat. Ibid. Cur ambroſia Achillis corpus inunctum. Ibid.

*Amen.*

Ab Angelis reſpondetur in miſſa. 47. 1. 2.

*Amor Amicus.*

Domicilium quale. 14. 2. Dum benefacit, nil ſatis. 15. 2. Cur Chriſti manus forauit. 18. 1. Chriſti frigefieri non poteſt. Ibid. 2. Amoris triumphus Euchariſtia. 20. 2. per totum. Vnde nomen amici. 21. 1. Vis pro extorquenda Euchariſtia. 22. 1. Chriſtum alligauit altari. Ibid. 2. Solus Chriſtum ligauit. 23. 1. Vexillum ſuum eleuat in altari. Ibid. 2. Denotatur per ferrum, quo conficitur hoſtia. 25. 1. Ferro, & igne armatus, Dum compulit in Sacramento. Ibid. Pudeat Dei amori reſiſtere. 28. 2. Delicta non

potuit conficere. 53. 1. Cur purpureus.
63. 1. Amantium eſca Euchariſtia. 55. 2.
per totum. Amicus, qui amat, & qui
amatur. 62. 1. Amor amorum Euchari-
ſtia. Ibid. 2. Palleſcere facit amantes.
65. 1. Ex euchariſtico fonte nemo bibit,
& non amauit. 64. 1.

Quid intereſt inter amare, & dilige-
re. Ibid. 2. Maior Dei, quam vulgaris a-
moris vis. 67. 1. Famis, quam praui a-
moris vires, validiores. Ibid. 2. Bene cõ-
uenit cum maieſtate in Euchariſtia 80.
1. Dignitatis neſcius. Ibid. In pulchris
Deus amatur. 171. 1. 2. Cur trahit res
adamata. 181. 2. Excitatur adoramẽtis.
182. 1. Cur in medio euchariſtici fercu-
li. 184. 1. Euchariſtia amor. Ibid. Menſa
amicorum creatrix. 202. 1. Quales amo-
ris manus. 211. 2. Chriſtus crucifixus a-
moris ſimbolum. 239. 1. Id es quod a-
mas. 284. 2. Cur ad Euchariſtiam con-
gregãtur amici. 300. 1. Amicus alter ip-
ſe. Ibid. Immẽſi amoris opus Euch. 333.
1. Euchar. ꝓſtita vt Deũ amemus. 334. 2.

Quomodo cognoſces ab vxore amari.
364. 1. Dilectio, quia duos ligat. 366. 1.
Chriſtus ĩ Euchar. nexibus ligatur amo-
ris. 417. 1. ſeq. Niſi in aula, amoris aulæ
is ornata, nõ manet Chriſtus. 574. 1. per
totum. Dei ſedem ſternit. 575. 1. Cælũ
exornat. 577. 2. Vbi amor extinguitur,
inde Deus recedit. 578. 1. 2. Ex amoris
vena Chriſti ſanguis ebullit. 578. 2. per
totum. Sanguinẽ Chriſti dulcorat. 579.
2. Incarnationis extẽſio Euchariſtia, ab
amore inuẽta. 411. 1. per totũ. Deũ, ve-
lut in carcere, occluſit in Sacramẽto. 416
1. Chriſtum amando, Chriſtus efficeris.
596. 2. Lingua amoris barbara. 608. 2.

*Amygdala.*

Euchariſtiæ typus. 522. 2. Vulpibus
venenum. 523. 1.

*Angeli.*

Eodem quo nos veſcuntur edulio. 3.
1. per potum. Eccleſia ob Euchariſtiam
Angelorum ſocia. 9. 1. Aſcendunt in cæ-
lum, & deſcendunt ad altare, vt Chriſto
miniſtrent. 11. 1. Angelorum ſymphonia
perſtrepant ſacra altaria. 41. 2. per to-
tum. Sacerdotis manus Angelis plenæ.
42. 2. Dei muſici, & Diaconi. 43. 1. Ia-
cynthi 42. 2. Aues Dei. 43. 2. Cur nõ au-
diuntur canentes circum altare. 46. 2.
Moriretur homo, ſi eorum cantus audi-
ret. 47. 2. In miſſa reſpondent Amen.
Ibid. 1. varijs inſtrumentis concinunt
ad altare. Ibid. 2. Angelorum panis Eu-
chariſtia. 57. 2. Lãpades. 58. 1. Cur Eu-
chariſtia ſolis Angelis detur. 58. 1. Pul-
chritudo quam magna. 130. 2. In altari
opportunius à Deo exaudiuntur. 117. 2.
Eccleſiæ clypei. 120. 1.

Ob Euchar. circa nos magis ſolliciti.
120. 1. Animã non ſatiant. 130. 2. Corpus
Chriſti peccatoribus ſubtrahere, carbo-
neſq; porrigere viti. 145. 1. Cũ Angelis
cõmeratur Euchar. particeps. 148. 2.
Chriſtiani ob Euch. Angeli. 150. 1. Deus
pluſquã Angelos diligit Sacerdotes. 157
1. Maiori reuerentia quã Angeli proſe-
quẽdi ſunt Sacerdotes. Ibid. Tremũt ob
Sacra Myſteria. 157 1. Si poſſent inuide-
re, Sacerdoti inuiderẽt. Ibid. 2. Angelo-
rũ pulchritudo Chriſtũ recreabat. 191. 2
Per Euchariſtiã homo fit Angelus. 196.
2. Sole ſplẽdidiores. 198. 2. Cur dies cæ-
li, & anni antiqui. 201. 2. Animæ digni-
tas comedentis in menſa, cuius Angeli
ſunt miniſtri. 225. 2. per totum. Per
aquas deſcripti. 226. 1.

Quo habitu Chriſto aſſiſtunt. 229. 1.
Cur dũ Chriſtũ proſpiciũt, deſiderãt ꝓ-

ſpi-

ſpicere.226.2.Volatilia pēnata. 228.1. 450.2.Euchariſtiā deferūt. Ibid.Manibus Sacerdotis celebrātis manus adiungūt. 229.1. Nudibus pedibus Euchariſtiæ aſſiſtūt.230.2.Cōmunicantes adiuuāt,& corroborant.230.2. Examinant. Ibid.Dignos reuerēter excipiūt.Ibid.In medio Angelorū panem manducamus. 235.2. Euchariſtiā auferūt ab impio defuncto.301.1.Angelos præferunt altaris miniſtri.319.2.Caſtitatē ſeruās, Angelus.320.1.Iſraelitarū percurſor, bonus, an malus.332.1.Cur dextrū pedē poſuit ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terrā. 345. 1.Angelis coſtipatur in morte Euchariſtiæ particeps.346.1 Ob veri panis inediam facti ſunt Diaboli.352.2. Lugent ſacro cibo ieiunos. 358.2.

Ne interirēt, ſignabāt cōmunicātes. 364. Angelorū obtutus hebetat Euch. 377.2.Niſi Dei bonitas obſiſteret, indignè cōmunicāti nō percerēt.Ibid.336.1 Cur Euchar.Angelorū eſca 546.1.452. 2.Cur aquilæ,dū aſſiſtūt altari. 433.2. Cæli flores.454.1. Euchar. nonniſi Angelos paſcit.523.2. per totū. Homines puri Angeli fiūt.525.1.Pauperes cur Angeli.505.2.Sedes Dei. 526.1. Angelorū fortitudo.546. 1.Cur ad plectēdū indignè cōmunicātē mittitur Angelorū exercitus.553.1.2.Throni Angeli ampacti. 575.1.Cur Angeli alati, Duos abſq; alis.420.2.Sacro pane depaſtus magno Angelorū agmine cōſtipatur.450.2.per totū.Mōtes.451.1.2.A cōmunicāte nūquā recedūt.Ibid.2.Cur lilia. 454.2.Stipatorū more cōmunicātem in cælū perducūt.456.1.Noſtrā euitāt familiaritatem.501.2.

*Anima.*

Solus Deus ſat eſt animæ. 10.1. Cur abyſſus.132.2.Nulla re, q̄ Deus non ſit, pōt adimpleri.40.2.125.2.Immēſæ capacitatis Deū q̄rit in cibum.127.2.Cur ad imaginem Dei creata.128.1.Creatis omnibus occupari pōt, nō adimpleri. Ibid.Animā ſaturare nō poteſt Angelus. 130.2.Buccæ nulla menſura. 133.1.Per Euch. aurea.147.2. Pulcheſcere debet, vt Euch.ſumat. 174.2. Niſi pulchra ad Deū nō accedat.175.2. Iuſti Paradiſus. 221.1. Magnæ dignitatis comedens in mēſa,cuius miniſtri ſūt Angeli. 225.2. per totū.Pulchritudinē ſuā langueſcere nō ſinit Euch.267.1.Animā,nō corpus, reficit Euch.269.2.per totū. Per aquilā ſignificata.Ibid. Homo verius animā dicit.270.2.Cæleſtis,vel cælū.275.1.276. 2. Sol ſit Deo digna. 277.2.Sibi à Chriſto præfertur.292.1.

Aurea ſit pro excipiēda Euch.311.1. Iuſti in Paradiſo eſt.314.1.Sole amicta, &c.315.2.Cur ſignū.Ibid. Paradiſū abſcōdit.Ibid.In cælū trāslata, ſignificat per aquilā.317.1.Eius zelū Deū trahit, & detinet in altari.333.1.p totū.Euch. particeps Angelis ſtipatur ī morte.346. 1.Ab Euch. ſeruatur ne pereat. 354.1. Animę, & corporis ſalutē imprit Euch. 358.2.p totū.Nōniſi ab Euch.pōt adimpleri.472.1. Ros animarū æſtuātium in Purgatorio Euch.474.1. per totū. Morborū animę Pharmacū Euch.583.2.p totum.Totius terræ, & cæli nō ſatiaretur dominio.604.1. Efficitur id quod amat.596.2. Mira pulchritudo 605.2. ſequitur, Cælo pulchrior. Ibid. Decies venuſtior, quam Cælum Empyreum. 607.1. Sanctorum gemmæ. Ibid. 2. Mundus ſorſerium iocalium eius. Ibid. 608.1.

Cęlo amplior.Ibid.2.Cęlo præpoſita. Ibid.

Ibid. 2. ſequit. Tria pericula migrantis ex hoc mundo. 613. 2. 614. 1. Animam quærebat Chriſtus vagiens in præcepi. 272. 2.

*Animal.*

Inſtar facis lumen emittentis. 382. 1. Carbunculum habet in fronte. Ibid. Vide. *Brutum. Beſtia.*

*Antogliphus.*

Lapis, Deorum matrem habens impreſſam. 51. 1. Euchariſtiæ typus. Ibid. Nullius rei capitur admiratione eius poſſeſſor. Ibid.

*Apes.*

In ore Platonis, Pindariq; mellificãtes. 289. 1.

*Apoſtoli.*

Quomodo à Chriſto honorati. 153. 1. Magno honore digni ob Euchariſtiã. Ibid. 2. Cur in aſcenſione Domini excordes. 178. 1. Amor in Chriſtum. 181. 2. Spiritales per Euchariſtiam. 201. 1. Communicati, ardebant. 243. 1. Cur in vaſe ligneo celebrabant. 348. 1. Cur lux mundi. 380. 1. Apoſtolorum procella, Dæmonum arte commota. 425. 2. Cur cuncta reliquerunt. 103. 1. Omnia habebant in Chriſto. Ibid. Dij, non homines. 11 1. 2. Cur inuiti receſſerunt à Domino. 390. 1.

*Aprilis.*

Cur in eo comedebatur agnus. 281. 2. Ab aperiendo aprilis. 462. 2.

*Aqua.*

Aquarum Nili ſuauitas vnde. 579. 1. 2. Cur vino miſcetur in calice. 99. 2. Iumentorum potus. Ibid. Aurea apud Perſas. 298. 2. Chriſti, quanto ſapore præſtat. 186. 1. Citerij fontis proprietas. Ibid. Alis. Ibid. Cur aqua breuis Euchariſtia. 186. 2. Plebem ſignificat. 197. 1. Euchariſtica pinguefacit. 243. 2. Aqua, quæ frangitur euchariſtia. 247. 1. Cur Chriſtus in Cana aquam conuertit in vinum. 333. 1. 2. Aquam vino non miſcens, cur peccat Sacerdos. 338. 1. 2. Euchariſtia cur aqua, & mel. 508. 1. Deferueſcere facit aquam topazius. 480. 2. Cur ex latere Chriſti cum ſanguine exiuit aqua. 565. 2. Aquarum Paradiſi ſuauitas. 477. 1. Quam mira aqua fontis Aegyptij, quam puer Ieſus eduxit. 484. 2. Aquæ vitæ fons. 286. 2. Cur aquam miſcendam in Calice Sacerdos benedicit. 436. 1. Cur tam modicum aquæ immittitur in calicem. 592. 1. Euchariſtica ſitim cupiditatis extinguit. 210. 2. Viridarios facit. 218. 2.

*Aquila.*

Cur etitem ponat in nido. 58. 2. Cur paratur aquilis Euchariſtia. 139. 1. Cur ſolis. 269. 2. Diuina cenſetur. Ibid. 2. Animæ typus. Ibid. Cur dicta Baieth ab Aegyptijs. 270. 1. Amethyſtum habet in nido. 249. 2. Ab acumine viſus dicitur aquila. 250. 1. Solem aſpicit in rota. Ibid. Animas in cælum translatas innuit. 317. 1. Aquilarum, nõ gracu-

culorum menſa euchariſtica eſt. 105.2. Nidi opes. 106.1.

*Arbor.*

Vnde dicitur. 56. Homo arbor inuerſa. 90. 1. Perpetim fructificans. 101.2. Fluminis Paradiſi. 101.1. Chriſtus arbor ſecus decurſus aquarum. 213.2. Amarioris radicis, fructus dulcioris. 214.1. Baxana, Indiæ arbor, Euchariſtiæ typus. 218.1.

*Arbor Vitæ.*

Cur duo occupet loca. 8.1. Cur in medio Paradiſi. 263.1. Cetera ligna viridia conſeruabat. 286.1. Vim ex Euchariſtia habebat. 475.2. Cur ex vtraque parte fluminis. Ibid. Cur lignum vitarum. 587.2. Miraculis inſignis. 589.1.

*Aromata.*

Altaria aromatum montes. 400.1.

*Argentum.*

Ardens gentem. 177.2. Euchariſtiam ſignificat. Ibid.

*Aſinus.*

Vnde dicitur. 32.1. Cur pullum, & non aſinam Chriſtus equitauit. 260.2. 172. Pulchrioris formæ tenellus. Ibid. Nos ſumus aſellus. Ibid. 260.2. Nefas eſt copulari cum boue. 303.1 Ne in quẽ Chriſtus ſedebat terram nudam calcaret, quid fecerint hebræi. 503.1. Chriſtum gerens nihil mali timere debuit. 390.1.

*Aues.*

Cur ſolæ ad Euchariſtiam vocatæ 251.2.509.1. Contemplatiuos innuunt. Ibid. Poſt cibum cantant. Ibid. Angeli aues Dei. 43.2. Aues ab auiditate. 509.2.

*Aureola.*

Qua ob Euchariſtiam decorantur cælites. 567.1.

*Aurora.*

Quaſi auium hora. 43.2. Cur Dei Parentis typus. 440.1.

*Aurum.*

Pallet, quia multos habet inſidiatores. 97.1. 311.2. Nobiles innuit. 147.1. Chriſtianos ſignat. Ibid. Aureos reddit homines Euchariſtia. Ibid. 2. Deus nonniſi in auro deambulat. 166.1. Omne quod pulchrum eſt, aureum dicitur. 176.1. Corporis Domini typus. 238.1. Chriſtus auri naturam refert. Ibid. 2. Aqua aurea apud Perſas. 298.2. Aurea redditur anima ob communionem. 299 1. Aurea debet eſſe anima pro ſancta Communione. 311.1. Aula in campo Martio aurea, cum Rege, Rigina, & ſatellitibus aureis. 327.1. Cur altare veſtiebatur auro. 327.2. 328.1. Niſi in auro, non regnat Chriſtus. 556.1. Spiritus Sanctus aureos reddit homines. Ibid. 2. Cur cælum aureum. 577.2. Aurum comedimus, dum communicamus. 381.1. Quo templum tegebatur, illuſtra-

ſtrabat ingredientes. 381. 2. Aurum ab aura. ſ. à ſplendore 328. 1. Cur arcæ Cherubim aurei. Ibid. 2. Præſepis fęnũ cur aurum. 600. 2. Quod a Chriſto tangitur, in aurum tranſit. Ibid. 601. 1. Aurea catena vincitur Chriſtus in Sacramento. 418. 1.

# B

*Baſiliſcus.*

Qualiter fabrefactus, & adoratus ab Aegyptijs. 401. 2.

*Baxana.*

Indiæ arbor, Euchariſtiam ſignat. 218. 1. Ex venenoſa radice fructus ſaluberrimus. Ibid.

*Beatitudo. Beatus.*

Euchariſtia refectus, moriens beatus. 350. 1. 2. Aeternæ beatitudinis experimentum Euchariſtia. 394. 1. Noſtri iuris eſt ob Euchariſtiam. 393. 1. Beatitudinis inueſtitura Euchariſtia. 395. 1. Beatitudinis moras facilè perferebat Beata Virgo, Euchariſtia refecta. 443. 1. Septies ſole clarius corpus glorioſũ. 566. 2. Aureola quædam ob ſacram cõmunionem. 567. 1. Cur communicantes Beati. 622. 1.

*Belluæ. Bruta.*

Cibi communione cicurantur. 84. 2. Liparæ aſpectu capiuntur. 87. 1. Humano ſanguine illectæ incurrunt in mortem. 180. 2. Quod ex homine homo non tranſeat in brutum, ſacræ debet Synaxi. 88. 1. per totum. Euchariſtiam non comedunt bruta. 270. 1. Adultera Brutum. 324. 1.

*Bethleem.*

Cur non domus furoris, ſed panis. 83. 1.

*Biſcoctus.*

Cur Euchariſtia biſcoctus. 468. 1.

*Bos.*

Nefas eſt copulari cum aſino. 303. 1. Regale animal. Ibid.

*Buccella.*

Buccella ſicca Euchariſtia. 472. 1. Quia buccam implet buccella. Ibid.

# C

*Calix.*

Eccleſiæ gemmatus. 55. 1. Omni bono Deum exuit. Ibid. Quid olim in eo pingebatur. 122. 2. Dulciſſimus. 148. 1. Calix ſaturus Euchariſtia. 187. 2. A calendo dicitur. 574. 1. Cur calix Chriſti agatheus. 580. 1. Cur Chriſto præclarus. 427. 2. A Colon, nempè a ligno, deducitur. 428. 1. Cur tertia pars hoſtiæ dimittitur in calicem. 477. 2.

*Camaleon.*

Timidum animal. 306. 2. Numquam viſus oculis clauſis. Ibid.

Can-

Cap. 9. ver. 4. *Poſt velamentum autē erat tabernaculum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti; in qua erat vrna aurea, habens manna*. 290. 2. 448. 2.
Cap. 12. ver. 24. *Melius loquentem, quam ſanguis Abel*. 248. 2.

Primæ Petri.

Cap. 1. ver. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. 226. 2.

Iacobi.

Cap. 1. ver. 2. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. 491. 2.

Apocalypſis.

Cap. 1. ver. 14. *Præcinctum ad mammillas zona aurea*. 328. 1.
Cap. 2. ver. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. 44. 2. 223. 1.
17. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum*. 307. 1.
Cap. 3. ver. 18. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum*. 238. 1.
20. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, vt ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi iannam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo*. 6. 1.
Cap. 4. ver. 6. *Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile chryſtallo*. 32. 2. 348. 1. 465. 2.
Cap. 6. ver. 8. *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum*. 357. 2.
Cap. 8. ver. 1. *Cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cælo*. 41. 1.
Cap. 10. ver. 2. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*. 345. 1.
9. *Accipe librum, & deuora illum*. 507. 2.
Cap. 12. ver. 1. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius*. 315. 2. 148. 2.
Cap. 14. ver. 4. *Vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem candidam ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream*. 96. 2. 39. 2.
13 *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. 350. 1.
Cap. 19. ver. 9. *Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt*. 386. 1.
17. *Vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus: venite, & congregamini ad cænam magni Dei*. 251. 1. 509. 1.
Cap. 20. ver. 11. *Vidi thronum magnum, & ſedentem ſuper eum, a cuius conſpectu fugit terra, & cælum, & locus non eſt inuentus eis*. 423. 2.
Cap. 21. ver. 2. *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam*. 277. 1.
6. *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ*. 286. 1.
11. *Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi iaſpidis*. 355. 2.
18. *Ipſa vero ciuitas aurum mundum*. 556. 1.
Cap. 22. 1. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, procedentem de ſede Dei, & agni: & in medio plateæ eius ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ: afferens fructus duodecim: per ſingulos menſes reddens fructum ſuum*. 7. 2. 101. 1.

*F I N I S.*

# INDEX

## RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC Opere continentur.

*Primus numerus paginam, poſterior columnam indicat.*

# A


CVr Chriſtus in præſepi clamabat A. pag. 271. col. 2.

*Abraham.*

Cur Abrahæ potius propoſitus eſt Euchariſticus typus. 258. 1. Cur dicitur quinquennis defunctus. 259. 1. Cur dum obijt, tentorizauit. 241. 2. 242. 1.

*Abyſſus.*

Deum, atq; animam denotat. 40. 2. Cur abyſſus inuocet abyſſum. 131. 1. Quam aptè D. Thom. Abyſſus. Ibid.

*Adam.*

Dum ederet, concinebant aues. 41. 2. Cur ſe abſcondit. 175. 1. Vultus ſpendor, & maieſtas. 198. 2. Cur ei Deus poſt meridiem apparuit. 569. 2. 570. 1. Tamquam Regi mundus apparatus. 500. 2.

*Aegyptij.*

Cur domi conderent primogenitorum corpora. 195. 1.

*Adamas.*

Chriſti typus. 61. 1. Ferruginei coloris. Ibid. Indomita vis. 86. 2. Adamantina improborum corda. Ibid. Euchariſtiæ typus. 307. 1. Cur hebraicè Samir. Ibid.

*Adultera.*

Cur offerebat farinam hordeaceam. 324. 1.

*Africum.*

Corporis Chriſti typus. 583. 1.

*Agathes.*

Qualis coloris. 580. 1. Calix, quo Chriſtus conſecrauit, agatheus. Ibid.

*D. Agnes.*

Signum quo ornabatur, quale. 340. 1.

*Agnus.*

Agnum inter vbera gerens apparuit Patriarca Seraphicus. 362. 2. In figura Crucis aſſabatur. 468. 2. Cur nocte comedebatur. 235. 1. Cur feſtinè eden-

edendus. 510. 2. Cur in menſe Aprilis comeſtus. 281. 2.

*Alexander.*

Toto orbe non exſaturatus. 126. 2.

*Album.*

Cur miniſtri altaris albis vtuntur ſtolis. 319. 1. Quid inter album, & candidũ intereſt. 74. 1. Cur Chriſtus in Euchariſtia albus. Ibid. Albũ natura, candidũ cura facit. 97. 1. lilia cur alba. 199. 2. Solum ſincerum. 521. 2. 522. 2. Hoſtia cur alba. 387. 1. Cur panis niſi albus, non conſecratur. 505. 1.

*Alleluia.*

Iubilum magis quam canticum. 45. 2. Angelorum vox. Ibid.

*Alphonſus Aragoniæ Rex.*

Quid egerit de reliquiis S. Ludouici. 305. 1. Dictum de diuina cuſtodia. 124. 2. Item de quodam hypocrita. 520. 1.

*Altare.*

Habet quod Paradiſus. 3. 2. Chriſti præſepis vicem gerit. 46. 2. Carbunculis plenum. 55. 1. Clementiæ, non iuſtitiæ tribunal. 116. 2. Cur Eccleſiæ columna. 119. 2. Eccleſiam defendit. Ibid. Cur per gradus aſcenditur. 135. 1. Cur ſolium, & non cathedra. 159. 1. Aether cenſendum. 202. 2. Ardet, ſuoque accendit accedentes ardore. 237. 1. per totum. Cur veſtiebatur auro. 327. 2. 328. 1. Cur thurificatur. 329. 1. Cur linteamina abluuntur. 330. 1. Cur ſemel in anno expiatum. 331. 1. Cur in mundiſſimo loco erigendum. 332. 1. Cur Saturni ara luminibus colorentur. 374. 1. Per Idumæam ſignificatum. 414. 1. Verbum æternum ſignificat. 414. 2. Cur nummulariorum menſa. 518. 2. 519. 1. Thabor. 565. 1. Eliæ cur ab igne conſumptum. 406. 1. Aromatum mons. 400. 1. Aequè Deus in eo, quam ſedens in cælo, pertimeſcendus. 422. per totum. Chriſtus non modo in Cruce, ſed & in altari immolatur. 429. 1. Iudicij faciem præſefert. 445. 2. per totum. Cur menſa. 585. 2. 586. 1.

*Ambroſia.*

Mellitus cibus. 189. 1. Mellis moncuplæ dulcedinis. 213. 1. Euchariſtiam innuit. 267. 1. Immortalitatem conciliat. Ibid. Cur ambroſia Achillis corpus inunctum. Ibid.

*Amen.*

Ab Angelis reſpondetur in miſſa. 47. 1. 2.

*Amor Amicus.*

Domicilium quale. 14. 2. Dum benefacit, nil ſatis. 15. 2. Cur Chriſti manus forauit. 18. 1. Chriſti frigeſieri non poteſt. Ibid. 2. Amoris triumphus Euchariſtia. 20. 2. per totum. Vnde nomen amici. 21. 1. Vis pro extorquenda Euchariſtia. 22. 1. Chriſtum alligauit altari. Ibid. 2. Solus Chriſtum ligauit. 23. 1. Vexillum ſuum eleuat in altari. Ibid. 2. Denotatur per ferrum, quo conficitur hoſtia. 25. 1. Ferro, & igne armatus. Dum compulit in Sacramento. Ibid. Pudeat Dei amori reſiſtere. 28. 2. Delicta non vi-

potuit conficere. 53. 1. Cur purpureus. 63. 1. Amantium eſca Euchariſtia. 55. 2. per totum. Amicus, qui amat, & qui amatur. 62. 1. Amor amorum Euchariſtia. Ibid. 2. Palleſcere facit amantes. 65. 1. Ex euchariſtico fonte nemo bibit, & non amauit. 64. 1.

Quid intereſt inter amare, & diligere. Ibid. 2. Maior Dei, quam vulgaris amoris vis. 67. 1. Famis, quam praui amoris vires, validiores. Ibid. 2. Bene cõuenit cum maieſtate in Euchariſtia. 80. 1. Dignitatis neſcius. Ibid. In pulchris Deus amatur. 171. 1. 2. Cur trahit res adamata. 181. 2. Excitatur adoramẽtis. 182. 1. Cur in medio euchariſtici ferculi. 184. 1. Euchariſtia amor. Ibid. Menſa amicorum creatrix. 202. 1. Quales amoris manus. 211. 2. Chriſtus crucifixus amoris ſimbolum. 239. 1. Id es quod amas. 284. 2. Cur ad Euchariſtiam congregãtur amici. 300. 1. Amicus alter ipſe. Ibid. Immẽſi amoris opus Euch. 333. 1. Euchar. ꝓſtita vt Deũ amemus. 334. 2.

Quomodo cognoſces ab vxore amari. 364. 1. Dilectio, quia duos ligat. 366. 1. Chriſtus ĩ Euchar. nexibus ligatur amoris. 417. 1. ſeq. Niſi in aula, amoris aulæ is ornata, nõ manet Chriſtus. 574. 1. per totum. Dei ſedem ſternit. 575. 2. Cælũ exornat. 577. 2. Vbi amor extinguitur, inde Deus recedit. 578. 1. 2. Ex amoris vena Chriſti ſanguis ebullit. 578. 2. per totum. Sanguinẽ Chriſti dulcorat. 579. 2. Incarnationis extẽſio Euchariſtia, ab amore inuẽta. 411. 1. per totũ. Deũ, velut in carcere, occluſit in Sacramẽto. 416. 1. Chriſtum amando, Chriſtus efficeris. 596. 2. Lingua amoris barbara. 608. 2.

*Amygdala.*

Euchariſtiæ typus. 522. 2. Vulpibus venenum. 523. 1.

*Angeli.*

Eodem quo nos veſcuntur edulio. 3. 1. per potum. Eccleſia ob Euchariſtiam Angelorum ſocia. 9. 1. Aſcendunt in cælum, & deſcendunt ad altare, vt Chriſto miniſtrent. 11. 1. Angelorum ſymphonia perſtrepant ſacra altaria. 41. 2. per totum. Sacerdotis manus Angelis plenæ. 42. 2. Dei muſici, & Diaconi. 43. 1. Iacynthi 42. 2. Aues Dei. 43. 2. Cur nõ audiuntur canentes circum altare. 46. 2. Moriretur homo, ſi eorum cantus audiret. 47. 2. In miſſa reſpondent Amen. Ibid. 1. varijs inſtrumentis concinunt ad altare. Ibid. 2. Angelorum panis Euchariſtia. 57. 2. Lãpades. 58. 1. Cur Euchariſtia ſolis Angelis detur. 58. 1. Pulchritudo quam magna. 130. 2. In altari opportunius à Deo exaudiuntur. 117. 2. Eccleſiæ clypei. 120. 1.

Ob Euchar. circa nos magis ſolliciti. 120. 1. Animã non ſatiant. 130. 2. Corpus Chriſti peccatoribus ſubtrahere, carboneſq; porrigere viti. 145. 1. Cũ Angelis cõmoratur Euchar. particeps. 148. 2. Chriſtiani ob Euch. Angeli, 150. 1. Deus pluſquã Angelos diligit Sacerdotes. 157. 1. Maiori reuerentia quã Angeli proſequẽdi ſunt Sacerdotes. Ibid. Tremũt ob Sacra Myſteria. 157. 1. Si poſſent inuidere, Sacerdoti inuiderẽt. Ibid. 2. Angelorũ pulchritudo Chriſtũ recreabat. 191. 2. Per Euchariſtiã homo fit Angelus. 196. 2. Sole ſplẽdidiores. 198. 2. Cur dies cæli, & anni antiqui. 201. 2. Animæ dignitas comedentis in menſa, cuius Angeli ſunt miniſtri. 225. 2. per totum. Per aquas deſcripti. 226. 1.

Quo habitu Chriſto aſſiſtunt. 229. 1. Cur dũ Chriſtũ proſpiciũt, deſiderãt ꝓ-

ſpi-

ſpicere.226.2.Volatilia pẽnata. 228.1. 450.2. Euchariſtiã deferũt. Ibid.Manibus Sacerdotis celebrãtis manus adiũngũt. 229. 1. Nudibus pedibus Euchariſtiæ aſſiſtũt. 230.2. Cõmunicantes adiuuãt,& corroborant. 230.2. Examinant. Ibid.Dignos reuerẽter excipiũt. Ibid.In medio Angelorũ panem manducamus. 235.2. Euchariſtiã auferũt ab impio defuncto. 301.1.Angelos præferunt altaris miniſtri. 319.2.Caſtitatẽ ſeruãs, Angelus. 320.1. Iſraelitarũ percurſor, bonus, an malus. 332.1. Cur dextrũ pedẽ poſuit ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terrã. 345. 1. Angelis coſtipatur in morte Euchariſtiæ particeps. 346.1 Ob veri panis inediam facti ſunt Diaboli. 352. 2. Lugent ſacro cibo ieiunos. 358. 2.

Ne interirẽt, ſignabãt cõmunicãtes. 364. Angelorũ obtutus hebetat Euch. 377.2. Niſi Dei bonitas obſiſteret, indignè cõmunicãti nõ pcercerẽt. Ibid. 336. 1 Cur Euchar. Angelorũ eſca. 546. 1. 452. 2. Cur aquilæ, dũ aſſiſtũt altari. 433. 2. Cæli flores. 454. 1. Euchar. nonniſi Angelos paſcit. 523. 2. per totũ. Homines pari Angeli fiũt. 525 1. Pauperes cur Angeli. 505. 2. Sedes Dei. 526. 1. Angelorũ fortitudo 546. 1. Cur ad plectẽdũ indignè cõmunicãtẽ mittitur Angelorũ exercitus. 553. 1. 2. Throni Angeli ampacti. 575. 1. Cur Angeli alati, Deus abſq; alis. 420. 2. Sacro pane depaſtus magno Angelorũ agmine cõſtipatur. 450. 2. per totũ. Mõtes. 451. 1. 2. A cõmunicãte nũquã recedũt. Ibid. 2. Cur lilia. 454. 2. Sti patorũ more cõmunicãtem in cælũ perducũt. 456. 1. Noſtrã enitãt familiaritatem. 501. 2.

*Anima.*

Solus Deus ſat eſt animæ. 10. 1. Cur abyſſus. 132. 2. Nuſquam, q̃ Deus non ſit, põt adimpleri. 40. 2. 125. 2. Immẽſæ capacitatis Deũ qrit in cibum. 127. 2. Cur ad imaginem Dei creata. 128. 1. Creatis omnibus occupari põt, nõ adimpleri. Ibid. Animã ſaturare nõ poteſt Angelus. 130. 2. Buccæ nulla menſura. 133. 1. Per Euch. aurea. 147. 2. Pulcheſcere debet, vt Euch. ſumat. 174. 2. Niſi pulchra ad Deũ nõ accedat. 175. 2. Iuſti Paradiſus. 221. 1. Magnæ dignitatis comedens in mẽſa, cuius miniſtri ſũt Angeli. 225. 2. per totũ. Pulchritudinẽ ſuã langueſcere nõ ſinit Euch. 267. 1. Animã, nõ corpus, reficit Euch. 269. 2. per totũ. Per aquilã ſignificata. Ibid. Homo verius animã dicit. 270. 2. Cæleſtis, vel cælũ. 275. 1 276. 2. Sol ſit Deo digna. 277. 2. Sibi à Chriſto præfertur. 292. 1.

Aurea ſit pro excipiẽda Euch. 311. 1. Iuſti in Paradiſo eſt. 314. 1. Sole amicta, &c. 315. 2. Cur ſignũ. Ibid. Paradisũ abſcõdit. Ibid. In cælũ trãslata, ſignificat per aquilã. 317. 1. Eius zelũ Deũ trahit, & detinet in altari. 333. 1. p totũ. Euch. particeps Angelis ſtipatur ĩ morte. 346. 1. Ab Euch. ſeruatur ne pereat. 354. 1. Animę, & corporis ſalutẽ impẽrit Euch. 358. 2. p totũ. Nõniſi ab Euch. põt adimpleri. 472. 1. Ros animarũ æſtuãtium in Purgatorio Euch. 474. 1. per totũ. Morborũ animę Pharmacũ Euch. 583. 2. p totum. Totius terræ, & cæli nõ ſatiaretur dominio, 604. 1. Efficitur id quod amat. 596. 2. Mira pulchritudo 605. 2. ſequitur. Cælo pulchrior. Ibid. Decies venuſtior, quam Cælum Empyreum. 607. 1. Sanctorum gemmæ. Ibid. 2. Mundus forſerium iocalium eius. Ibid. 608. 1.

Cęlo amplior. Ibid. 2. Cęlo præpoſita. Ibid.

Ibid. 2. ſequit. Tria pericula migrantis ex hoc mundo. 613. 2. 614. 1. Animam quærebat Chriſtus vagiens in præcepi. 271. 2.

*Animal.*

Inſtar facis lumen emittentis. 382. 1. Carbunculum habet in fronte. Ibid. Vide, *Brutum. Beſtia.*

*Antogliphus.*

Lapis, Deorum matrem habens impreſſam. 51. 1. Euchariſtiæ typus. Ibid. Nullius rei capitur admiratione eius poſſeſſor. Ibid.

*Apes.*

In ore Platonis, Pindariq; mellificãtes. 289. 1.

*Apoſtoli.*

Quomodo à Chriſto honorati. 153. 1. Magno honore digni ob Euchariſtiã. Ibid. 2. Cur in aſcenſione Domini excordes. 178. 1. Amor in Chriſtum. 181. 2. Spiritales per Euchariſtiam. 201. 1. Communicati, ardebant. 243. 1. Cur in vaſe ligneo celebrabant. 348. 1. Cur lux mundi. 380. 1. Apoſtolorum procella, Dæmonum arte commota. 425. 2. Cur cuncta reliquerunt. 103. 1. Omnia habebant in Chriſto. Ibid. Dij, non homines. 11 1. 2. Cur inuiti receſſerunt à Domino. 390. 1.

*Aprilis.*

Cur in eo comedebatur agnus. 281. 2. Ab aperiendo aprilis. 462. 2.

*Aqua.*

Aquarum Nili ſuauitas vnde. 579. 1. 2. Cur vino miſcetur in calice. 99. 2. Iumentorum potus. Ibid. Aurea apud Perſas. 298. 2. Chriſti, quanto ſapore præſtat. 186. 1. Cliterij fontis proprietas. Ibid. Alis. Ibid. Cur aqua breuis Euchariſtia. 186. 2. Plebem ſignificat. 197. 1. Euchariſtica pinguefacit. 243. 2. Aqua, quæ frangitur euchariſtia. 247. 1. Cur Chriſtus in Cana aquam conuertit in vinum. 333. 1. 2. Aquam vino non miſcens, cur peccat Sacerdos. 338. 1. 2. Euchariſtia cur aqua, & mel. 508. 1. Deferueſcere facit aquam topazius. 480. 2. Cur ex latere Chriſti cum ſanguine exiuit aqua. 565. 2. Aquarum Paradiſi ſuauitas. 477. 1. Quam mira aqua fontis Aegyptij, quam puer Ieſus eduxit. 484. 2. Aquæ vitæ fons. 286. 2. Cur aquam miſcendam in Calice Sacerdos benedicit. 436. 1. Cur tam modicum aquæ immittitur in calicem. 592. 1. Euchariſtica ſitim cupiditatis extinguit. 210. 2. Viridarios facit. 218. 2.

*Aquila.*

Cur etitem ponat in nido. 58. 2. Cur paratur aquilis Euchariſtia. 139. 1. Cur ſolis. 269. 2. Diuina cenſetur. Ibid. 2. Animæ typus. Ibid. Cur dicta Baieth ab Aegyptijs. 270. 1. Amethyſtum habet in nido. 249. 2. Ab acumine viſus dicitur aquila. 250. 1. Solem aſpicit in rota. Ibid. Animas in cælum translatas innuit. 317. 1. Aquilarum, nõ gra-

cu-

culorum menſa euchariſtica eſt. 105.2. Nidi opes. 106.1.

*Arbor.*

Vnde dicitur. 56. Homo arbor inuerſa. 90. 1. Perpetim fructificans. 101.2. Fluminis Paradiſi. 101.1. Chriſtus arbor ſecus decurſus aquarum. 213.2. Amarioris radicis, fructus dulcioris. 214.1. Baxana, Indiæ arbor, Euchariſtiæ typus. 218.1.

*Arbor Vitæ.*

Cur duo occupet loca. 8.1. Cur in medio Paradiſi. 263.1. Cetera ligna viridia conſeruabat. 286.1. Vim ex Euchariſtia habebat. 475.2. Cur ex vtraque parte fluminis. Ibid. Cur lignum vitarum. 587.2. Miraculis inſignis. 589.1.

*Aromata.*

Altaria aromatum montes. 400.1.

*Argentum.*

Ardens gentem. 177.2. Euchariſtiam ſignificat. Ibid.

*Aſinus.*

Vnde dicitur. 32.1. Cur pullum, & non aſinam Chriſtus equitauit. 260.2. 172. Pulchrioris formæ aſellus. Ibid. Nos ſumus aſellus. Ibid. 260.2. Nefas eſt copulari cum boue. 383.1 Ne in quē Chriſtus ſedebat terram nudam calcaret, quid fecerint hebræi. 503.1. Chriſtum gerens nihil mali timere debuit. 390.1.

*Aues.*

Cur ſolæ ad Euchariſtiam vocatæ 251.2.509.1. Contemplatiuos innuunt. Ibid. Poſt cibum cantant. Ibid. Angeli aues Dei. 43.2. Aues ab auiditate. 509.2.

*Aureola.*

Qua ob Euchariſtiam decorantur cælites. 567.1.

*Aurora.*

Quaſi auium hora. 43.2. Cur Dei Parentis typus. 440.1.

*Aurum.*

Pallet, quia multos habet inſidiatores. 97.1.311.2. Nobiles innuit. 147.1. Chriſtianos ſignat. Ibid. Aureos reddit homines Euchariſtia. Ibid. 2. Deus nonniſi in auro deambulat. 166.1. Omne quod pulchrum eſt, aureum dicitur. 176.1. Corporis Domini typus. 238.1. Chriſtus auri naturam refert. Ibid. 1. Aqua aurea apud Perſas. 298.2. Aurea redditur anima ob communionem. 299 1. Aurea debet eſſe anima pro ſancta Communione. 311.1. Aula in campo Martio aurea, cum Rege, Rigina, & ſatellitibus aureis. 327.1. Cur altare veſtiebatur auro. 327.2.328.1. Niſi in auro, non regnat Chriſtus. 556.1. Spiritus Sanctus aureos reddit homines. Ibid. 2. Cur cælum aureum. 577.2. Aurum comedimus, dum communicamus. 381.1. Quo templum tegebatur, illuſtra-

ſtrabat ingredientes. 381. 2. Aurum ab aura, ſ. à ſplendore 328. 1. Cur arcæ Cherubim aurei. Ibid. 2. Præſepis fœnũ cur aurum. 600. 2. Quod a Chriſto tangitur, in aurum tranſit. Ibid. 601. 1. Aurea catena vincitur Chriſtus in Sacramento. 418. 1.

# B

*Baſiliſcus.*

QValiter fabrefactus, & adoratus ab Aegyptijs. 401. 2.

*Baxana.*

Indiæ arbor, Euchariſtiam ſignat. 218. 1. Ex venenoſa radice fructus ſaluberrimus. Ibid.

*Beatitudo. Beatus.*

Euchariſtia refectus, moriens beatus. 350. 1. 2. Aeternæ beatitudinis experimentum Euchariſtia. 394. 1. Noſtri iuris eſt ob Euchariſtiam. 393. 1. Beatitudinis inueſtitura Euchariſtia. 395. 1. Beatitudinis moras facilè perferebat Beata Virgo, Euchariſtia refecta. 443. 1. Septies ſole clarius corpus glorioſũ. 566. 2. Aureola quædam ob ſacram cõmunionem. 567. 1. Cur communicantes Beati. 622. 1.

*Belluæ. Bruta.*

Cibi communione cicurantur. 84. 2. Liparcæ aſpectu capiuntur. 87. 1. Humano ſanguine illectæ incurrunt in mortem. 180. 2. Quod ex homine homo non tranſeat in brutum, ſacræ debet Synaxi. 88. 1. per totum. Euchariſtiam non comedunt bruta. 270. 1. Adultera Brutum. 324. 1.

*Bethleem.*

Cur non domus furoris, ſed panis. 83. 1.

*Biſcoctus.*

Cur Euchariſtia biſcoctus. 468. 1.

*Bos.*

Nefas eſt copulari cum aſino. 303. 1. Regale animal. Ibid.

*Buccella.*

Buccella ſicca Euchariſtia. 472. 1. Quia buccam implet buccella. Ibid.

# C

*Calix.*

ECcleſiæ gemmatus. 55. 1. Omni bono Deum exuit. Ibid. Quid olim in eo pingebatur. 122. 2. Dulciſſimus. 148. 1. Calix ſaturus Euchariſtia. 187. 2. A calendo dicitur. 574. 1. Cur calix Chriſti agatheus. 580. 1. Cur Chriſto præclarus. 427. 2. A Colon, nempè a ligno, deducitur. 428. 1. Cur tertia pars hoſtiæ dimittitur in calicem. 477. 2.

*Camaleon.*

Timidum animal. 306. 2. Numquam viſus oculis clauſis. Ibid.

Can-

*Candidus.*

Quid intereſt inter album, & candidum.74.1. Album naturale, candidum artificiale.97.1.

*Cantus. Canere.*

Canunt Angeli circum altare. 41. 2. per totum. Auium cantus dum diſcumberet Adam.44.2. Angelorum cantus ſi audirentur, quid eueniret. 47.2. Alleluia potius iubilum, quam canticum. 45. 2. Dum effertur, hoſtia Angeli canũt. 42 2. Vbi Deus, ibi cantus. 45. 2.

*Capanna.*

Quia vnum tãtum capit.158.2. Corporis Chriſti typus. Ibid.

*Caprea.*

Chriſtus, quia facile capitur. 419.2.

*Carbunculus.*

Lucet in tenebris. 34.2. Eduenſis Carbunculus. 35. 1. Chriſti corporis typus. 229. 2. Naſcitur in fronte cuiuſdam animalis. 382.1. Altare carbũculis plenum. 55.1.

*Caſtitas.*

Aequè Deus in communicante caſtitatem diligit, ac odit incontinentiam. 319 1. per totum.

Altaris miniſtro quam neceſſaria. 320.1. Angelos facit. Ibid. A Sapphiro adamata. 322. 1. Chriſti locus. Ibid. 2.

*Catoblepa.*

Intuitu necat. 399.2.

*Carcer.*

Carcer eſt Sacramentum, in quo ſe Deus occluſit, ne quos amat relinquat. 416.1. per totum. Olim rotundus. 417.2.

*Cariſſimus.*

Vnde deriuatur.62. 1.

*Caro.*

Hoſtis noſter. 272. 1. Ob Euchariſtiam reſurget. 364. 1. 2. Carnis mortificatio per myrtum deſcripta.322.2. Nõ ſolum cordis, ſed & carnis mundiciam quærit Euchariſtia.328.2. Panis in carnem conuerſus. 353. 1. Carnis vitam prorogat, mortemq; eliminat Euchariſtia.358.2. per totum. Carnis incorruptionem conciliat Euchariſtia. 368. 2. Cur Chriſtus caro tenera. 262. 1.

*Caſula.*

Sacerdotis veſtis, cæli typus. 314.2.

*D. Catarina Senenſis.*

Euchariſtiã recipiens, aut vidẽs, qualiter exultaret. 178. 1. 525. 1. Sacramento frui erat ei viuere. 179. 1. Poſt communionem cuncta arbitrabatur vt

ſtercora.189.1. Sola Euchariſtia refecta, diu vixit incolumis. 361.2.

*Cella*.

Vnde denominatur. 225.1. Cur Euchariſtiæ locus. Ibid. Cella vinaria Eccleſia. 242.1.

*Centurio*.

Diuinitatis pręſētia pterritus. 424.2

*Ceres*.

Cur inter Deos relata. 156.1. Cur ſic dicta. Ibid. frumenti docuit vſum. Ibid.

*Cherubim*.

Flabellis ſignificantur. 72.1. Seruili habitu Chriſto aſtantes. 227.2. In propitiatorio puerorum præferebant effigiem. 259.1. Ex hominibus fiunt Cherubim. 526.1.2. Immaculata pictura. Ibid. Cur aurei. 378.2.

*CHRISTVS*.

Animarum noſtrarũ finis. 4.1. Se ipſo paſcitur. 6.1. Cur duo habeat ubera. 7.1.2. Amoris vehementia ad efficiendum ſanguinem. 14.2. per totum. Arbor in cœlo plantata, & in terra. 8.1. Flos, & fructus. 10.2. Cur Topazius. 16.2. Cur Crucifixum oſtendit Eccleſia. 17.2. Pro effundendo ſanguine liberalitas. 19.1. per totum. Flauus, & rubicũdus. 19.2. Caſtra Eccleſiæ proſequitur. 20.1. Cur amicus. 21.1. Vinctus in altari. Ibid.

Victus ab amore fertur in Euchariſtia. 26.2. Inquirendus, non quærendus in Euchariſtia. 30.1.2. Cur ſuper aſinam ſedit. 32.1. Chriſti manus Sacerdotis manus. 42.2. Iacens in præſepi concinebant Angeli. 46.1. Dum Euchariſtiam faceret, maiori, qua potuit, flagrauit charitate. 48.2. Suis ſe manibus tulit. 52.2. Cur pallidus, cum ſit pulcherrimus. 54.1. Tapeto confertur. Ibid. 2. Acu pictus. Ibid. Dilectus, ſiue amantiſſimus. 56.1. Viſio corporis ſui Dei amorem accendit. 60.1. Ab adamante ſignatus. 61.1. Perindè eſuritur a Sãctis, vt inſaniāt, & pereant. 61.1. per totũ. Cur in Euchariſtia formoſus. 63.2. Per Sacramentũ nos exoſculatur. 65.1.

Cur dum habetur, quæritur. 66.2. Copia ciborum imminente fame. 67.2. Sanctorum rapit corda. 68.2. languet in Euchariſtia. 69.1. per totum. Cur equitauerit. 69.2. Præſignatus à ſole. 70.1. A viola, roſa, & lilio. Ibid. 2. Cur gallinæ ſe contulit. 71.1. Cur fulcimento opus habet in Euchariſtia. 73.1. Cur fertur in ferculo. Ibid. Pallet in Euchariſtia. 74.1. Manipulus ſpicarum. Ibid. 2. Aureus in Euchariſtia. 75.1. Dũ ſedet ĩ throno altaris, dulceſcit eius maieſtas. 76.1. per totum. Paſcit dum regit. Ibid. 2. Cur adoratur, & oſculatur. 77.2. Procul ab altari oſculatur à nemine. 79.1. Cur in Euchariſtia abſconditur. Ibid. 2. Iacet in altari quaſi in vtero matris. 80.2. Cur puer in Euchariſtia. 81.2. Qui Chriſtum excipiunt ciccurantur. 83.1. Cur equitauit in domitũ iumentum. 83.2.

Ignitus globus in hoſtia. 85.1. Cur ficus. Ibid. 2. Vt ſol ſurſum leuat. 92.2. Spicarum culmus. 95.2. Cur poſitus in præſepi. 96.1. Iumentorum fænũ. Ibid. Cur magis ſuper nubem candidã, quam albam, ſedeat. 95.2. Cur multiplicauit

pa-

panes hordeaceos. 97. 2. Ouis Sanctis, ædus pænitentibus. 98. 2. Pænitentes oſculatur. 99. 1. Lignũ vitæ afferens fructus ſuos per ſingulos mẽſes. 101. 1. Rerum omnium vicem ſupplet. Ibid. 2. In eo omnem ſufficientiam habemus. 103. 1. Omnia eſt omnibus. Ibid. 2. Nihil eo precioſius. 105. 1. In comparatione eius non æſtimantur diuitiæ. Ibid. Cur taurus dum immolatur. 107. 2. Comeſtus pulchritudinem ſuam impertit. 108. 1. Sua nos carne enutrit. 110. 1.

Nihil negat in Euchariſtia precatus. 112. 2. Quo volueris plicatur. 114. 2. Cur oleo inunctus. Ibid. Cur ſpiritus in Euchariſtia. Ibid. Precibus noſtris attrahitur. 115. 2. Frumentũ adipatũ. Ibid. Sanguinis copia. Ibid. Cur nobiſcum manet velato vultu. 116. 2. In hoſtia poſitus eſt ad audientiam. 117. 1. Cur in Euchariſtia non loquitur. Ibid. Poſſeſſio Dei. 128. 2. Cur paſcit inter lilia. 135. 2. Indigne Chriſtum manducans, non manducat Chriſtum. 139. 2. per totum. Quaſi à Dæmone aſſumitur a peccatore. 142. 1. Chriſtum induimus dum communicamus. 148. 2.

Cur fructus honoris. 149. 2. Brauium. 159. 2. Flos campi, & nõ horti. Ibid. Cur qui paruulum ſuſcipit, Chriſtum ſuſcipit. 166. 1. In humilibus inuenitur. Ibid. 167. 1. Cur lilium conuallium. Ibid. Procul eſt a ſuperbis. 170. 1. Rerum omniũ pulcherrimum, locus decet pulcherrimus. 170. 1. per totum. Cur non equitauit ſuper aſinam, ſed ſuper pullum. 172. 2. Non niſi aurum calcat. 176. 1. Raptor cordium in altari. 177. 1. per totum. Apoſtolorũ corda aſſumpſit in cælum. 178. 1. Magni doloris abſentia. Ibid. 2. Quantæ pulchritudinis, & eloquentiæ. Ibid. 2. 180. 1. Cur in cælum aſcendit. 181. 2. Vice muſci gerebatur a Sponſa. 182. 1. Amorem excitat. Ibid. Cur botrus Cypri. 182. 2. Oculus Eccleſiæ. 183. 2.

Dioniſium communicat. 187. 1. Non modo eſus, ſed & viſus recreat. 190. 2. per totum. Omnium in ſe oculos conuertebat. 191. 2. Mira pulchritudo. 192. 1. Vt Chriſtum videret mortem nõ timebet Auguſtinus. Ibid. 2. Cur Bethleem natus. 193. 1. Oculos ſaturabat. 193. 2. Aequè viſus, ac comeſtus beatos efficit. 194. 1. per totum. Viſus ad vitã reuocat. 196. 1. Theomata profert in altari. Ibid. Cur poſitus in præſepi. 198. 1. Euchariſtico cibo Angelos facit. 199. 2. Nullum præter eum refugium habemus. 205. 1. 2. Cur dominatur in medio ſuorum inimicorum. 206. 1. Ne laboremus nobiſcum eſt. 207. 1. Laborum noſtrorum finis. 208. 1.

Vbi ſibi paſſionis ſuæ prælegit amara, nobis dulcia ſeruauit. 210. 2. per totum. Manus habet amoris. 211. 2. Nulla ex eius corde exijt amaritudo. 212. 1. Arbor ſecus decurſus aquarum. 213. 2. Pretioſa margarita. 215. 1. Qualia habet vbera. 216. 1. Mater, & pater. Ibid. Nutrix noſtra. Ibid. Quomodo nobis medetur. Ibid. 2. Amaritudinis plenus, dulcedinem emittit. 217. 2. Aranea. Ibid. Paradiſo fruimur dũ Chriſtũ habemus. 221. 1. Cælum eius ſtabulũ. Ibid. 2. Quod Chriſtum excipit, in cælum transmutatur. Ibid. Cælum in terram adduxit. 222. 1. Propitiatorium. 227. 1. Cur manna pluit in eius mométo. 234. 2.

Cur myrrha faſciſculis inuoluta. 236.

236. 1. Cur mors mortem timuit in Chriſto. Ibid. 2. Auri refert naturam. 238. 2. Cur crucifixus in medio ferculi Salomonis. 239. 1. Iaculatur amoris ſaggittas. Ibid. 2. Comparatur cælorum regno. 239. 2. Cur Sinapis. Ibid. Speculum parabolicum. 242. 2. Mammilla Patris. 246. 1. Eccleſiæ uber. Ibid. Cur non cibus, ſed panis vitæ. 246. 2. Niſi in excelſis locis non reſidet. 252. 1. 2. Paradiſi fons. 236. 2. Magis comedit comedentes dum comeditur. 258. 1.

Cur in Euchariſtia puer. 259. 2. Cum ſolis pueris concordat. 260. 1. Per Euchariſtiam cibat, & docet. 261. 1. Cur puer dum obijt. 262. 1. Cur caro tenera. Ibid. Simeonis abſtulit ſenectutẽ. 263. 1. Cur roſmarinum. 264. 2. Gentiles florere fecit. 265. 2. Vbi pedem figit, omnia floreſcunt. 266. 1. Quæ tangit munda fiunt. Ibid. 2. Lignum vitæ in medio Paradiſi. 267. 2. Mentis, non ventris, cibus. 269. 2. per totum. In limbo comeſtus. 271. 1. Cur Ionas in ventre, Chriſtus in corde. Ibid. 2. Animam vagiens vocabat in præſepi. 272. 2. Noua quærit loca. 275. 2. per totum. Cur flos campi. 279. 2. Cur procidit ſuper terram. 284. 2. Cur ſolem repræſentat in argentea sfæra. 285. 2. Cur ſol. 286. 1. Cur fons vitæ. 286. 1. Cur hamus. 287. 2.

Cur ſolus aſcendit in cælum. 288. 2. Magnum humilitatis exemplar in Euchariſtia. 290. 1. per totum. Cur in arca repoſitus. Ibid. 2. Cur mannæ vermiculus. 291. 1. Palmam præſefert. Ibid. 2. ſeq. In cælo eſt, & in terra. Ibid. Cur ſibi animam præferat. 292. 1. Quantæ magnitudinis. Ibid. 2. Quantæ paruitatis in conceptione. Ibid. 1. Cur tectus in Euchariſtia. 293. 1. Cur pulchra abſcondit, vilia oſtendit. Ibid. 2. Cor Dei. 294. 2. Vt digne Chriſtum accipias, Chriſtus fias. 295. 1. per totum. Cur Ioannes Chriſtus putatus. 297. 2. Multi Chriſti, multæ Chriſtiparæ. 298. 2. Opifex Chriſtorum. 299. 1. Cur ſemetipſum manducauit, & bibit. Ibid. 2. Cur nummos effudit. 300. 2.

Cur non habitet cum nummis. 302. 2. Solus, ſine conſortibus habitat. Ibid. Cur non horruit Virginis vterum. 305. 1. 2. Peccatores horret in communione. 305. 2. Cur non in horto, ſed in cænaculo traditus. 312. 2. Cur flos campi. 317. 2. Manet cum laborantibus. Ibid. Puerorum caminum vertit in Paradiſum. 320. 2. In virginibus ſedem habet. 321. 1. Cur ſedeat in ſaphiro. 322. 1. Cur ſtet inter myrteta. ibid. 2. Ob abominabile ſcelus ferè deſijt incarnari. 326. 1. Chriſti oculus cur elitropium. 330. 1. Cur expuit in oculos cæci. Ibid. 2. Cur in Cana aquam conuertit in vinum. 333. 1. 2. Cur Euchariſtiam ante mortem inſtituit. 335. 1. Cur crucifixus in hoſtia. 335. 2.

Cur velatur in Sacramento. 337. 1. Cur deſcendit ad inferos. Ibid. 2. Cur aſcendit in cælum poſt 40 dies. 337. 2. Non poteſt eſſe ſine nobis. 338. 2. Cur in manibus Patris ſpiritum commendauit. 347. 1. Mortem eneruat præſens. 353. 1. Quibus armis mortem occidit. 354. 2. Tota vita noſtra. 355. 1. Vt nos ſeruaret à morte, mortuus. 356. 1. Cur hordeum, & triticum. 359. 2. Chriſtum habentibus non cogitandum

tandum

tandum de pane. 361. 1. Præſens ne peccemus efficit. 365. 2. Cur dilectio. 366. 1. Inſpectus culpas effugat. 367. 2. Cur albus in cruce. 387. 1. Paſſio antidotum ſpiritale. 387. 2.

Abſente naufragium patimur. 391. 2. Omnia cum Chriſto donauit nobis Deus. 393. 1. Lux magna. 397. 2. Cur vt ſol reſplenduit. Ibid. Turpius eijcitur, quam non admittitur. 406. 2. Cur dies cæli. 409. 1. Chriſtus fias, vt Chriſti pane ſis dignus. Ibid. Chriſtum præſefert Eccleſia. 412. 2. Multiplicatur in altari. 413. 1. 2. Cur leo. Ibid. Amoris nexibus ligatus in Euchariſtia. 417. 1. Aurea catena vinctus in altari. 418. 1. Rationale Iudicij. Ibid. 2. Caprea, quia facile capitur. 419. 2. Eius caro Deum gerens verecundatur. 425. 1.

Tali affectus eſt dulcitudine dum pateretur pro nobis, quod vt ea perpetim frueretur ſacrum altaris inſtituit. 427. 1. per totum. Cur tam crebra mortis ſuæ repræſentatio. 429. 1. Paſſione ſua oblectatur in Euchariſtia. 428. 2. Mortis dulcore, in cruce guſtato, adimpletur in Euchariſtia. 429. 2. Gaudet cum nos comedentes videt. 430. 1. De paſſione eius lætatur Pater. Ibid. 2. Saccus miſericordia plenus. Ibid.

Gaudet dum immolatur. 431. 1. Cur in ſacro codice ante Canonem Crucifixi præmittitur imago. 432. 1. Virga. 432. 2. Nonniſi munda tangit. 433. 2. Vbi fuerit inter reſurrectionem, & aſcenſionem. 435. 2.

Non operatur miracula ſine fide. 456. 1. ſequit. Cur folia quærat. 464. 1. Cur manus foſſæ. 469. 1. Natus videtur è cruce. 469. 2. Ob mortem ſuam Euchariſtia fruimur. 472. 2. Cur deſcendit ad inferos. 476. 2.

Tygris fluuius Paradiſi. 476. 2. 477. 1. Topazius. 480. 2. Cur botrus cypri. 482. 1. Laborantium refectio. 487. 1. Caro eius noſtrũ propugnaculũ. 490. 2. Lapis ſtanneus. 491. 2. Ob Chriſti præſentiam fælix noſtrum exilium. 492. 1. 2. Cur vſus paropſide. 497. 2. Studioſo excipiendus apparatu. 499. per totum. Cur tot operculis clauſus. 508. 2.

Indignus eſt veſci Chriſto, qui non eſurit, nec ſitit Chriſtum. 504. 2. per totum. Cur non mane, ſed veſpere Euchariſtiam inſtituit. 506. 2. Liber ſcriptus. 507. 2. Cur eius præſepe rude. 512. 1. 2. Solus ſufficit voluptatibus, & neceſſitatibus. 512. 2. 513. 1.

In eo omnia bona. 513. 1. 2. Vir in quo omnia. 517. 1. Cur ſub accidentibus panis ſine pane. 529. 2. Cur vitis. 535. 1. Cur præſens in nuptijs. Ibid. 2. Omnibus communis. 537. 2. per totum. Cur flos campi. 538. 1. Cur non vendidit, ſed dedit Euhariſtiam. 542. 1.

Quos Spiritus Sanctus non præparat Filius Dei non inhabitat. 555. 1. per totum. Niſi in auro non regnat. 556. 1. Non ſolum non denigrat, ſed ornat aſpectu. 561. 2. 562. 1. Speculum in quo deformes pulchræ, pulchriores pulchræ fiunt. 562. 1. 2. Qualis ad Chriſtum acceſſerit, talis ad te Chriſtus accedet. 567. 1. per totum. Cur tot Chriſti nomina. 567. 2. Alius perfectis, & imperfectis. 568. 1.

Ru-

Rubet in martyribus, albeſcit in Confeſſoribus. Ibid. 2. Alius Petro, alius Ioanni. 569. 2. Corallus. 570. 2.

Niſi in aula amoris aulæis ornata, non manet. 574. 1. per totum. Crucifixus in medio ſalamonici ferculi. 580. 2. Oſculo nos ſanat. Ibid. 2. Communicãtes Chriſtos effingit. 590. 2. per totum. Corpus cur torrens. 583. 1. 2. Cur ſilex. 183. 2. Archiater. ideſt Princeps medicorum. 186. 1. Participatione ſui multos Chriſtos facit. 591. 1. Oculus Chriſti Chriſtos facit. 596. 1. Pluribus vijs fieri poſſumus Chriſti. 596. 1. Cuncta reddit aurea. 600. 2. Cur in Euchariſtia Rex. 601. 2. Corpus impreciabile. 602. 1. Puteus diuitijs plenus. 603. 1. 2. Hamo ſimilis. 612. 2. Niſi capiatur, non capit. Ibid. Hoſpes in Sacramento. Ibid. Vide. *Sanguis Chriſti*.

*Chriſtiani.*

Cur diues chriſtiana Religio. 103. 1. Cur ſpecillis vtantur. 32. 2. Inquirunt, non quærunt Chriſtum. 31. 1. Cur teſtacei. 33. 1. Cæci ſunt in altari. 29. 1. per totum. Nobilitas ex Euchariſtia. 146. 1. per totum. Hebræis nobiliores. Ibid. 2. Per aurum ſignificati. 147. 1. Ob Euchariſtiam cæteris præferuntur gentibus. 148. 1. Per Euchariſtiam Reges. 149. 1. Angeli. 150. 1. 524. 1. Cur patrẽ vocare non debent ſuper terram. 151. 1. Ab Euchariſtia exaltati. 595. 2. Diuitiæ quam magnæ. 601. 2. 603. 2. Chriſti imaginem habent. 597. 2. Sine Euchariſtia porcorum grex. 336. 2. Ob Euchariſtiam victoriis potiuntur. 392. 1.

*Chryſtallus.*

Cur capſæ Euchariſtiæ chryſtallinæ. 545. 1. Vndè fiat. Ibid. Prodigioſa in Luſitania. 572. 1.

*Cibus.*

Alius ſuperioribus, quam inferioribus conferendus. 149. 2. Corruptum reſtaurat. 150. 1.

*Ciuitas.*

Quaſi ciuium vnitas. 161. 1. Eccleſiæ typus. Ibid. Cur non in oppido, ſed in ciuitate Euchariſtia inſtituta. 515. 1.

*D. Clara.*

Non minus Deum formidabat in Sacramento, quam mundum regentem. 456. 2.

*Cælum.*

Maius non habet eo quod habemus in altari. 3. 2. per totum. Cur opus digitorum Dei. 49. 2. Super cælum extollitur Eccleſia ob Euchariſtiam. 198. 2. 149. 1. Empyrei cur tanta pulchritudo. 170. 2. Domus Dei. 171. 1. In cælo eſt, qui cæli menſæ recumbit. 218. 1. Cur Chriſti ſtabulum cælum. 221. 2. Quando fuit in terra. 224. 2. Vnde duo cæli. 225. 2. Cælorum regnum Chriſtus. 239. 2. Sidera paſcit. 273. 1. Anima cælum. 276. 2. In cælum extollit Euchariſtia. 282. 2. per totum.

Chri-

Chriſtus in cælo eſt; & in altari. 291. 2. Significatum per caſulam. 314. 2. Cur Deus cæli manſionem habeat. 577. 2. Ab amore ornatũ. Ibid. Cur aureum. Ibid. Anima cælo pulchrior. 606. 1. ſequit. Empyrei pulchritudo. Ibid. Anima decies, quã cælum pulchrior. 607. 1. Animarum ſanctarum capſa. 607. 2. Monile precioſum. 608. 1. Cælo amplior anima. Ibid. 2. Neminem Deus recipit in cælum, à quo receptus non fuerit in altari. 611. 1. per totum. Communicanti negari non poteſt. Ibid. Euchariſtico nummo venale. 614. 1. 2.

Cur ſibi Deus cælum, & non terram elegit. 396. 1. Quomodo dicitur, cælos Deum capere non poſſunt. 421. 1. Vt cæli viuat incola, cæli panem eſurus. 312. 1. per totum. Iuſtus magis eſt in cælo, quam in terra. 313. 1. 2. A templo repræſentatum. 314. 1. In corde iuſti. Ibid. Abſconditur in animis ſanctorum. 315. 2. Non modo in terra, ſed & in cælo viuit homo 316. 2. Cæli incola virgo. 321. 2. Deum ne pereamus cælat. 386. 2. Cur cataractæ cereæ. 306. 1.

*Cæna. Cænaculum.*

Cur cæna Euchariſtia. 506. 2. 507. 1. Cur cæna magna Euchariſtia. 204. 1. 227. 2. 542. 2. Sic dicta, quia a laboribus ſuperſedere faciat. 386. 1. Cænacula olim erant oratoria. 113. 1. Cur Chriſti in monte Sion. Ibid. 2. Cælum præſeferebat. 312. 2.

*Columnæ.*

Cur exornent ſacrum ſympoſium. 37. 1. Cur erigebantur. Ibid. Cur erectæ in domo Sapientiæ. 435. 1.

*Columba.*

Pullus matre melior. 258. 2. Auis libidinoſa. Ibid. Euchariſtia in columba aurea repoſita. 160. 1. Nulla ſic proximum diligit. Ibid. 2. Sola oſculum nouit. Ibid. Euchariſtiam affert. 373. 1. Arbor Aſiæ columbis aptiſsima. 341. 1.

*Collum.*

Altare Eccleſiæ. 119. 2.

*Communio.*

Chriſti, & animæ nuptiæ. 77. 1. Non viuit, qui ſemel in anno non communicat. 89. 1. Oſculum Chriſti. 65. 1. Cum culpa communicans, in eadem ſemper perſeuerat. 109. 1. Nullo non tempore communione egemus. 123. 1. Per eam diuinis portamur humeris. 122. 2. Soli Sancti ad eam vocati. 134. 2. Ex ea Chriſtiani nobilitas. 146. 1. per totum. Chriſto, dum communicamus, induimur. 148. 2. Cur nulla ſit dies in qua non communicamus. 209. 2. Inter virentia ſumus, dũ communicamus. 191. 1.

Communicantes cum reuerentia excipiuntur ab Angelis. 230. 2. Cur vas cõmunionis eburneus. 232. 1. Cogitandum de morte in Communione. 235. 1. In medio Angelorum communicamus. 235. 2. Nonniſi Sacerdotibus ſub vtraq; ſpetie concedenda. 246. 1. Quam horrenda hypocritæ. 517. 2. Nulli non com-

munis.

munis. 537. 1. per totum. Poſt eam pugnandum. 546. 1. Indignæ communionis grauitas. 550. 1. 304. 1. Chriſtos efficit. 590. 2. per totum. Chriſti ſepulchrum communicans. 451. 2.

*Confeſſio.*

Cur integritate carens, remiſſionis eſt expers. 16. 1. Cur ante Communionem confitenda ſcelera. 175. 1. Pulchras reddit animas. Ibid. 463. 2. Niſi poſt confeſſionem à peccatore non communicandum. 461. 2. per totum. Porta fontis. 465. 2. Veræ reddimur formæ. 463. 2. Quendam confert ornatum. 175. 2.

*Contemplatio. Contemplatiuus.*

Euchariſtia contemplantium eſca. 249. 1. per totum. Aquila contemplatiui ſymbolum. 250. 1. Hirundo. 254. 2. Cur ſomnus. 150. 2. Veri homines contemplatiui. 253. 1.

*Cor.*

Ore cordis comeditur Euchariſtia. 140. 1. Peccator cor non habet Ibid. 2. Per ſolem intelligitur. 169. 2. Ex corde Chriſti nulla amaritudo. 212. 1 Peccatoris vas confractum. 255. 1. Amicum noſtrum. 272. 1. Cor Dei Chriſtus. 294. 2. Cur in medio corporis. 303. 2. Cur Chriſtus in corde locandus. 574. 2. Altare. 433. 1. Cur rotundum. Ibid. Cur quæſitum à Chriſto. Ibid. Dilatandum vt Chriſtum recipiat. 503. 2. Quæritur ab Euchariſtia. 303. 2. Rex eſt in corpore. Ibid. Thronus diuinitatis. Ibid. Cor Iuſti Paradiſus. 404. 1.

*Corallus.*

Chriſti typus. 570. 2. Cur in fæminis pallet, rubet in viris. Ibid.

*Coriandrum.*

Semen inſtar exercitus. 346. Euchariſtiæ typus. Ibid.

*Corporale.*

Cur lineum, non laneum, neq; ſericum. 418. 1. 2. 431. 2. 467. 1.

*Corpus.*

Ad ſimilitudinem beſtiarum effectũ. 128. 1. Animam, non corpus reficit Euchariſtia. 269. 2. per totum. Corporum pulchritudo in reſurrectione ex Euchariſtia. 379. 1. Semel Deo ſacratum humano vſui non accomodandum. 404. 1.

*Corona.*

Quid innuat in capitibus Regum. 96. 2. Chriſtianorum corona Euchariſtia. 149. 1.

*Coruus.*

Cur non coruis, ſed pullis coruorum præſtatur Euchariſtia. 257. 2.

*Crux. Crucifixus.*

Ex cruce ſaggittas amoris iaculatur

Chriſtus. 239. 2. Chriſtus cruci affixus amoris ſymbolum. Ibid. Cur lectus floridus. 264. 1. Cur ſe Chriſtus in hoſtia oſtendit crucifixum. 280. 2. 335. 2. Crucifixus in medio Salamonici ferculi. 580. 2. Dulcedo Chriſti in cruce. 427. 1. ſequit. Cur ante Canonem miſſæ Crucifixi præit imago. 432. 1. Crucis fructu fruimur in altari. 467. 2. per totum. Clibanus Euchariſtiæ. 468. 1. Agnus in Crucis forma aſſatus. Ibid. 2. Cur arbor mali. 469. 2. Amor Chriſti in crucem. Ibid. 1. Crucis lignum tranſuerſatile ex palma. 473. 1. Per Euchariſtiam fideles cum Chriſto erant in cruce. 335. 1. Cur ſepeliendos præcedat. 343. 1.

# D

*Dæmon.*

Vt cruciaretur, Euchariſtia inſtituta. 112. 1. Ceu à tot dæmonijs aſſumitur Chriſtus à peccatoribus. 142. 1. Peccator Dæmon. Ibid. Dæmonis quanta deformitas. 172. 1. 192. 1. Dæmonem in corde habere, & Chriſtum ore ſuſcipere, facinus execrandū. 301. 1. per totū. Cor hominis quærit. 303. 2. Ob Euchariſtiā Eccleſia terribilis Dæmonibus. 342. 2. Mortuus, quia vitæ panem noluit manducare. 557. 2. Cur diabolus ex Angelo. Ibid. Non regnabit per peccatum Diabolus, vbi regnat per Euchariſtiam Dominus. 364. 2. per totum. Sæuire non poteſt tempore communionis. 369. 2.

Communicantes fugit 370. 1. Vim Euchariſtiæ timuit in Iuda. 373. 2. Deū præſentem ferre nō poteſt. 425. 2. Vltor facinoris Iudæ. 447. 1. Pellitur ab Euchariſtia. 453. 1. Hypocryta Dæmonem quærit in Euchariſtia. 521. 1. Cur poſt Euchariſtiam in Iudam ingreſſus. 552. 1. 2. Indignè communicantes Dæmones præſeferunt. 554. 2. Eadem in ſede, vbi Chriſtus eſt, Dæmonem hoſpitari, quam horrendum facinus. 403. 1. per totum. Peccator Cæli, non terræ. 588. 2. Nihil ei proficit Euchariſtia. Ibid.

*Dauid.*

Quid interpretatur. 1. 2. 55. 2. Quātæ ſuauitatis cithara. 48. 1. Dei typus omnipotentis. 48. 2. Idem ac vultu deſiderabilis. 62. 2. Cur præter Deum nil voluit. 104. 2.

*Deformitas.*

Dæmonis quanta. 172. 1. Ob deformitatem Dæmon in inferis collocatus. Ibid. Deformitatis oſor Deus. 175. 1.

*Deliciæ.*

Cur non ſatiant animam. 129. 1. Dum Euchariſticas deguſtaueris dapes, cuncta oblectamenta trades obliuioni. 184. 1. per totum. Dipſades. 185. Chriſti ſanguinem bibentibus amareſcunt. 186. 1. Sumpta Euchariſtia faſtidiuntur. 188. 1. Non tantum neceſſaria, ſed & iucunda præbet Euchariſtia. 516. 2.

*Denarius.*

Cur Euchariſtia ſub forma denarii. 474. 1. 2. 614. 2. Cur a Chriſto in tem-

plo effuſi. 300. 2. Vide *Nummus.*

*Deſiderium.*

Indignus eſt veſci Chriſto, qui non eſurit, nec ſitit Chriſtum. 504. 2. per totum. Manna niſi deſiderantibus non præſtitum. 506. 1. Sedis Dei præparatio. Ibid. Euchariſtia deuoranda. 507. 2. Chriſti dulcedo ſolis patet deſiderātibus. 509. 2. Cur dum habetur deſideratur Euchariſtia. 515. 2. Quali deſiderio ferantur Sancti ad Euchariſtiam. 63. 1. per totum.

*Deus.*

Seipſo paſcitur. 6. 1. Dat in Euchariſtia, quod dabit in cælo. 6. 2. Solus ſat eſt animæ. 10. 1. Cur ignis. 18. 1. Fide inueniendus. 33. 2. Abyſſus. 40. 2. Solus animam implet. Ibid. Niſi vbi pſallitur non inuenitur. 45. 2. Maieſtas dulceſcit in Euchariſtia. 76. 1. per totum. Ad Euchariſtiam faciendam manum fortem adhibuit. 48. 2. Ob Euchariſtiā depauperatus. 53. 2. ſequit. Cur Dei ſerui ſtant. 92. 1. Vt deificaretur homo, Deus factus eſt cibus hominis. 106. 2. per totum. Nullius eget. Ibid. Diues a diuo, quaſi Deus. 107. 1. Solus mori nō poteſt. 108. 1.

Filios Dei facit Euchariſtia. 111. 1. Maius eſt Deum comedere, quam intelligere Ibid. 2. Cur Deus abſconditus. 116. 2. Ne nos peccantes puniret, abſconditur. Ibid. Propugnaculum ciuitatum. 124. 1. Nihil ſine Deo munitū. Ibid. 2. Solus placat famem. 126. 1. Seddai, quia ſolus ſufficit. 130. 1. Nihil, quod Deus non ſit, explet animæ ventrem. 125. 2. Diuinæ præſentiæ neceſſitas. 207. 2. Inexplicabilis dulcitudo. 220. 1. Iuxta Deum nihil frigidum. 240. 1. 2. Noua quærit habitacula 275. 2. per totum.

Cur tegitur, dum benefacit. 293. 2. Deū præferre debet Euchariſtia dignus. 196. 2. Cur deſcēdit ī ſpecie ignis. 310. 1. 2. Cum Deo res eſt nobis cum igne. Ibid. Semper in luce. 330. 2. Cur Dominus exercituum. 344. 2. Cur pulcher. 379. 2. Præſentia labores abijcit. 384. 1. 2. Per Deum amara dulceſcunt. 387. 1. Abſentia timorem incutit. 391. 2. 389. 2. Cur Deus homo. 395. 2. 396. 1. Perijſſet mundus, ſi nuda adueniſſet diuinitate. Ibid. Per Euchariſtiam Deum Patrem habemus. 151. 1. Cur peccatores filios vocat. 151. 2. Pluſquam Angelos Sacerdotes diligit. 157. 1. Deum omniū pulcherrimum decet locus pulcherrimus. 170. 1. per totum. Omne pulchrum à Deo. 171. 1.

Quærit pulchra in hominibus 174. 1. Deum guſtanti cuncta amareſcunt. 189. 2. Cur nobiſcum habitare decreuit. 206. 2. Ne laboremus curat. 207. 1. Seraphim obſequia cur Deo gratiora. 240. 1. Diuinitatis ſplendor citrà mortis periculum videri non poteſt. 396. 1. 2. Oculos claudit, ne uideat, & iudicet. 402. 1. Per Euchariſtiam, filii Dei, imo Dij ſumus. 412. 1. Cur Angeli alati, Deus ſine alis. 420. 2. Inſpectu intolerabilis. 422. 2. Cur nuda non apparuit diuinitate. 423. 1. Deum præſentem ferre non poſſumus. 423. 2. 425. 2. Dum nos edentes videt, gaudet. 430 1. Lætatur de monte filii. 430. 2. Præſentia

tia lætificat. 536. 2.

A peccatoribus inamaricatur. 486. 1. Cur tot cælatus operculis. 502. 1. Pulchritudo noſtra ex Deo. 563. 2. Cur ſedet in thronis. 575. 1. In exedra locandus. 576. 1. Vnde amor extinguitur, abſcedit. 578. 1. 2. Cur Euchariſtia manus Dei. 545. 2. Euchariſtia facit hominem Deum. 590. 1. Magis, quam cæli, animæ delectatur hoſpitio. 609. 2. 610. 1.

*Diadema.*

Quaſi duo demens. 368. Chriſti humanitas. Ibid.

*Diligere.*

Quid intereſt inter amare, & diligere. 64. 2.

*D. Dionyſius.*

A Chriſto Viaticum accipit. 187. 1.

*Diuites. Diuitiæ.*

Cur Euchariſtiam nõ comedunt. 60. 2. Nullæ, Chriſto comparatæ. 105. 1. 603. 1. Noſtræ, Euchariſtia. 301. 2. Cur qui cõmunicant diuites nuncupentur. 107. 1. Diues à diuo, quaſi Deus. Ibid. Reuerentia ex diuitijs. 155. 1. Diuitis pictura. Ibid. 2. Nemo ſacerdote ditior. Ibid. Cur ad Euchariſtiam non aduocantur. 165. 1. 2. Ditat Euchariſtia. 343. 1. Chriſtianorum magnæ. 459. 1. 601. 2. Nemo ditior Chriſti conuiua. 599. 1. per totum. Chriſtus diuitiarum puteus. 603. 1. 2.

*D. Dominicus.*

Dum celebrat, eleuatur in cælum. 288. 1.

*Donum.*

Quid intereſt inter donum, & datum. 4. 2.

# E

*Ebrietas.*

Effectus. 532. 2. Pro gaudio ſumitur. Ibid.

*Ebur.*

Cõmunicantis venter eburneus. 232. 1. Per gradus eburneos accedendum ad Euchariſtiam. 323. 2. Continentiæ typus. Ibid.

*Eccleſia.*

Eccleſiæ pulchritudo Deum ligauit in hoſtia. 22. 2. Eodem, quo Angeli, veſcitur edulio. 3. 2. per totum. Paradiſus. 44. 2. Cur feria quinta maioris hebdomadæ pænitentes admittat. 97. 1. Cur Chriſtus in nocte, Eccleſia dũ dies eſt, Euchariſtiam facit. 200. 1. 2. Si Deus eam cæli pabulo non reficeret, deficeret. 118. 2. per totum. Collum altare. 119. 2. Deliquiũ patitur procul ab Euchariſtia. 122. 1. Non ſacrificat, dum trucidant Hebræi. 123. 1. Cur lunam calcat. 130. 1. Paſcuæ locus. 146. 1. Cur in veſtitu deaurato. 147. 1. Ob Euchari-

ſtiam aſtat diuino lateri. 147. 2. 148. 1. Chriſtum, dum cõmunicat, induit. 148. 2. Ob Euchariſtiam extollitur. 148. 2. 149. 1. Collum Sacerdotes. 153. 2. Ciuitas. 161. 1. Oculus eius Chriſtus. 183. 2.

Chriſtum præſefert. 195. 2. Cur cella vinaria. 242. 1. Cur non habet ubera. 246. 1. Per Euchariſtiam numquam ſeneſcit. 269. 2. Cur ſine ruga, & macula. Ibid. Sponſi radijs coruſcat. 278. 1. Niſi noua, Chriſto non nubit. 278. 2. Chriſti abſentia adulterã faceret. 339. 1. 2. 340. 1. 2. Ob Euchariſtiam hoſtibus terribilis. 342. 2. Item amicta ſole. 378. 2. Chriſti faciẽ pręſefert. 412. 2. Chriſtũ in Sacramento ligatum habet. 416. 1. ſequit. Aurora in morte, luna in purgatorio, ſol in cælo. 480. 1. Pictura. 531. 1. Cur coronata in altari. 532. 1. Cur tam pulchra. 562. 2. Pulchritudo eius ab Euchariſtia. 564. 2.

*Eleemoſyna.*

Euchariſtia grandis eleemoſyna. 510. 1. Miſericordiæ eleemoſyna Euchariſtia. 599. 1.

*Elias.*

Euchariſtiam faciens, viſus. 47. 1. Pallium Euchariſtiæ typus. 195. 1. 71. 2. Miſſam celebraſſe refertur. 157. 1.

*Eliotropium.*

Græcè oculus Chriſti. 330. 1. Solis amantiſſimus. Ibid.

*Æquinoctium.*

Cur circa vernale æquinoctium inſtituta Euchariſtia. 371. 2.

*Equus.*

Solis equi. 70. 1. Equorum ſagacitas. 405. 1. Quia æquabantur, equi. 425. 1. Mulier ex equa in propriam formam reſtituta ex frequẽtatione Euchariſtię. 93. 1.

*Ethyops.*

Cur ſolis æthyopibus præſtatur Euchariſtia. 59. 2.

*Eua.*

Sine aſpiratione ſerpens. 572. 2.

*EVCHARISTIA.*

Pertractatur in Pſal. Vigeſimo ſecundo. 1. 1. Tam magnum bonum eſt, quod neq; in cælis eſt maius. 3. 2. per totum. Cur donum, & datum. 4. 2. Pectuſculum. 5. 1. Vbera. 7. 1. Arrha. 12. 1. Arbor vitæ. 8. 1. 2. Lilium. 10. 1. Lac. Ibid. 36. 1. Denarium. 11. 2. Cur poſt conſecrationem eleuetur. 12. 2. Cur in denarij formam. 11. 2. Ob eam Deus incarnatus. 24. 1. Deum vinctum habet. 21. 1. Cur præda. Ibid. 2. Cella vinaria. 23. 2. Trophæum farinorum Dei. 26. 1. Salomonis ferculum. Ibid. Triumphale conuiuium. 27. 1. Cur victimæ, & non victima. 27. 2.

Paries. 30. 2. Chriſtus in ea inquirendus, non quærendus. 31. 1. 2. Carbun-

culus nocte lucens. 34. 1. Cæcorũ theatrum. 28. 2. per totum. Si eam Deus nõ inſtituiſſet, penè inglorius eſſet. 35. 2. per totum. Angelorum cibus lacteſcẽs. 36. 1. Cur exornatur colũnis. 37. 1. Gloria Dei. 38. 1. Auferetur ab Antichriſto. 41. 1. Ob eam Chriſti meminimus. Ibid. 2. Cur niſi poſt auroram conficitur. 43. 1. Inter Angelos paſcimur. 44. 2. Dum cõmunicamus ſumus in Paradiſo. Ibid. Iubilationis tempus, in quo conficitur. 45. 2. Diuinæ omnipotentiæ opus maximum, admirandum, ſupremum. 48. 1. per totum. Summo amore exhibita. Ibid. 2. Opus manuum Dei. 50. 1. Nil ea melius. Ibid. Obolum. Ibid. 2. Cur ſibi conſepeliebant fideles. Ibid.

Omnipotentiæ oſtentatio. 50. 2. Deorum mater. 51. 1. Qui eam habet, nullius rei capitur admiratione. Ibid. Cur extollitur à Sacerdote. Ibid. 2. Opus ſummi amoris. 52. 1. Pluuia voluntaria. Ibid. Præcipuum operum Dei. Ibid. Vt eam conficeret, Deus cuncta ſua cribrauit. Ibid. Diuinæ Omnipotentiæ meta. 53. 1. Dum eam Deus confecit, incidit in latrones. Ibid. 2. Deum depauperauit. Ibid. ſequit. Rapina. Ibid. Deum ſe ipſo expoliauit. Ibid. Aulæum Eccleſiæ. 54. 2. Deus parare non poteſt ſimile. Ibid. Amantium eſca. 55. 2. per totum.

Cur lignum, & non arbor. 56. 1. Cur ſuper libanum extollenda. 57. 1. Thuribulum aureum. Ibid. Cur oleata. Ibid. 2. Cur Angelorum panis. 57. 1. Cur ſolis præbetur Angelis. 58. 1. Aquilarum menſa. Ibid. Etiti cõfertur lapidi. Ibid. 2. Itẽ Carbunculo. 59. 1. Cur Seraphinorũ eſca. Ibid. Cur ſolis præbetur Ethyopibus. Ibid. 2. Diuinum amorem accendit. 60. 1. Cur ad eam ſoli congregantur pauperes. Ibid. 2. Ab adamante ſignatur. 61. 1. Item à ferro. ibid. Caliſſima expetit corda. Ibid. 2. A cariſſimis dignè comeditur. Ibid. 2. Perinde eam ſancti eſuriunt, vt præ eſurie numquam non langueant, non inſaniant, non pereant. 62. 1. per totum. Amor amorum. Ibid. 2.

Palleſcere facit conuiuas. 63. 1. Excitat amoris ignem. Ibid. 2. Ignis plena. 64. 1. Fons de quo nemo bibit, & non amauit. Ibid. Panis clibanita. Ibid. 2. Numquã comedentem exatiat. 65. 1.

Cur in eam Angeli deſiderant inſpicere. 65. 1. Chriſti oſculum. Ibid. 98. 2. Sat non eſt Sanctis eam ſemel, vel bis, excipere. 65. 2. Quotidie communicandum. Ibid. Quo plus fuerit comeſta, plus eſuritur. 66. 1. Qui ea fruuntur, frui deſiderant. Ibid. 2. Sanctorum rapit corda. 68. 2. Magno Deus amore accenſus languet in altari. 69. 1. per totum. Dum eam Chriſtus conficeret lilio comparatur. 71. 1. Eliæ palliũ. Ibid. 2. Cur ferculum. 73. 2. Pallet Chriſtus in ea. 74. 1. In ea Chriſtus ſpicarum manipulus. Ibid. 2. Thuribulũ aureum. 75. 1. Prunis plena. Ibid. 2.

In ea Dei maieſtas dulceſcit. 76. 1. per totum. Amor, & Maieſtas conueniunt in Euchariſtia. 79. 2. Iacet Chriſtus in ſacra mẽſa, quaſi in vtero matris. 80. 2. Cur dum ſe Chriſtus detegit in Euchariſtia, puer apparet. 81. 2. Hominem manſuefacit. 82. 1. per totum. Cur facierum panis. Ibid. Refecti alia facie diſcedunt. Ibid. Cur corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis obtectum. 84. 1. 88. 2.

Ignitus globus. 85.1. Quid contulerit Turcæ cuidam. Ibid. Ficus dulciſſima. Ibid. 2. Liparea gemma. 87.1. Quod ex homine homo non tranſeat in brutum ſacræ debet Sinaxi. 88. 1. per totum. Eius ſubtractio vitæ eſt extinctio. Ibid. 2. Qui ſemel in anno non communicat, non viuit. 89.1. Proprium animæ nutrimentum. 88.2. Grex porcorum ſine ea plebs Chriſtiana. 91.1. Ob eius defectũ Hebræi ſtolidi. Ibid. 2. Hominem ſtantem ſeruat. 92. 1. Cur in argentea ſphæra, ſolem præſeferente. Ibid. 2. Surſum leuat homines. Ibid.

Mulierem ex equa in veram formã reſtituit. 93.1. Sanctitatis pabulũ. Ibid. Sanctitatem ſeruat. Ibid. 2. Non ſolum innocentibus, ſed pænitentibus data. 94.1. per totum. Cur amaro nuncupatur vocabulo. 95. 1. Cur paleas apponat. Ibid. 2. Cur Angelorum panis poſitus in præſepio. 96. 1. Hordeaceus panis. 98.1. Cur in nocte à Chriſto inſtituta. 100.1. Cui non deeſt, nil quippiam deeſt. 100. 2. per totum. Nullus eſt defectus, quem non ſubleuet. 101.2. Rerum omnium vicem habet. 102. 2. Per eam cæli opes transferuntur. 103. 2. Cuncta pro ea dimittenda. 104. 1.

Pretioſa margarita. Ibid. Sola ſufficit. Ibid. Nihil ea precioſius. 105. 1. Nubes Hebræos præcedẽs. Ibid. Aquilarum, non graculorum, menſa. Ibid. Vt deificaretur homo inſtituta. 106. 2. per totum. Cur ea refecti diuites dicuntur. 107.1. Quia mortem adimit, Deos efficit. 108.1. Verum manna, quod Deos efficit. Ibid. 2. In eodem ſcelere perſeuerat homo, in quo communicat. 109.2. Non poteſt eſſe felicior dignè communicans. Ibid. Filios Dei efficit. 111.1. Maius eſt Deum comedere, quam intelligere. Ibid. 2. Vt cruciaretur Dæmon inſtituta. 112. 1.

Gratiarum tribunal. Ibid. 2. per totum. Nil negat in Euchariſtia Deus. Ibid. Nullibi, quam ante eam fructioſius oratur. 113. 2. Simila oleo inuncta. 114. 1. Chriſtus in ea ſpiritus. Ibid. 2. Cur frumentum adipatum. 115. Omnis rigoris expertẽ Chriſtum habet. 116. 1.

Cur in ea Deus abſconditus. 116. 2. Cur Chriſtus in ea non loquitur. 117. 1. Si Deus Eccleſiam pane ſuo non reficeret, deficeret. 118. 2. per totum. Cur Euchariſtica menſa arx. 119. 1. Ob eam magis adiuuamur ab Angelis. 120. 1. Cur inſtar ſcuti. Ibid. 2. Ea deſtitutus pro perdito habendus. 121. 2. Laurentium roborauit. Ibid. Ob eam nos Deus protegit, & ſuſtinet. 122. 2. Deliquium patitur Eccleſia, cum ab ea elongatur. Ibid. Ciuitatum propugnaculum. 124. 1. Cur non fiat in Paraſceue. Ibid. 2. Nullum eſt tempus, in quo ea non egemus. 125. 1.

Cum non ſit panis, quare dicitur panis. 126. 1. Verus hominis panis. 128. 2. Sola hominem ſatiat. 132. 2. Panis plenitudinum. Ibid. Omnibus numeris abſolutus eius ſit conuiua. 133. 2. per totum. Nuptiæ. 134. 1. Senum, non puerorum menſa. 137. 1. Cur in crateras recipienda. 136. 1. Cibat, & medetur. 138. 1. Oleatus panis. Ibid. Cuncta mirabilia excellit. Ibid. Luminis pabulũ. Ibid. Templa ſancta quærit. 139. 1. Cur præbeatur aquilis. 139. 1. Diuinus ſit, dignus Euchariſtia. 139. 2. Indignè Chriſtum manducans, non manducat Chriſtum.

ſtum. 139.2.per totum.Ore cordis, non corporis editur. 140. 1. Cur panis ſignatus. 144.2.

Videtur manducari, ſed non manducatur à peccatoribus. 144. 2. Peccator nõ comedit, ſed dilaniat corpus Domini.145.1. Chriſtiana nobilitas ex Euchariſtia.146.1.per totum. Holocauſta medullata.146. 2. Communicãtes reddit aureos. 147.2.

Supra cæleſtia locatur Eccleſia ob Euchariſtiam.148.2.149.1. Chriſtianorum corona. Ibid. Cur fructus honoris. Ibid. 2. Chriſtiani ob eam Angeli. 150. 1. Item filii Dei. 151. 1. Vnum recipit, duos reijcit. 158.2. per totum. Tugurium ſiuè capanna. Ibid. Solium eſt, non cathedra. 159. 1. 2. Cur non ſupra arenam, ſed ſupra terram ponenda. 161. 2. Pacis Sacramentum. 158. 2. ſequit. Columbas admittit. 160. 2. Pallium, ſed breue. 162. Sanctorum lectulus. Ibid. Cur locus in quo ſeruatur dicitur Tabernaculum. 163. 1. Solus puer dignè capit. 164. 1. per totum. Humilitate acquiritur. Ibid.

Cur non lectum, ſed lectulum, quærat. 168. 2. Cur in domo ignobilis inſtituta. 169. 1. Cur ſedem quærat ex ebore. 170. 1. Cur fieri non poteſt in communi domo. 173. 1. Nonniſi in auro ponenda. 176. 1. Raptrix cordium. 177. 1. per totum. Cur diſcus argenteus. 177. 2. Catarinæ Senenſis dum communicat gaudium. 178. Amorem habet in medio. 144. 1. Dum euchariſticas deguſtaueris dapes, cuncta oblectamenta trades obliuioni. 184.2. per totum. Panis, qui bibitur, & inebriat. 185.1.2. Cur panis arctus, & aqua breuis. Ibid. 2.

Sapiẽtiæ Dei index, Ibid. Cur pars noſtra. 182. 1. Mundi voluptates excludit. Ibid. 2. Cur calix ſaturus. Ibid. Qualem inducat ebrietatem. 188. 1. Cur morbum inducat, cum ſit pharmacum. Ibid. 2. Cuncta poſtponuntur eius dulcedini. 189. 1. Cur loto confertur. 189.2. Mortuus eſt, qui ea non reficitur. 190.2.

Non modo Chriſtus eſus, ſed & viſus, recreat. 190.2. per totum. Manna oculis plenum. 191.1. Viſu guſtatur. 192. 2. æque beatos efficit viſa, ac comeſta. 194. 1. Cur coloris ſmaragdini. 194. 2. Theomata, quia oculos paſcit. 196. 1. Vterus, in quo homo regeneratur in Angelum. Ibid. 2. Cur terrenis inuoluitur ſpeciebus. 199. 2. Quod ſacerdos eleuat, non deponit. 200. 1. Cur dicitur eleuatio noſtra. Ibid. Alium efficit hominem. Ibid. 2. Cur ſacrificium Iuda, & Ieruſalem. 201. 1. Amicorum procreatrix. 202.1. Virgines procreat. 203.1. Laborantis animæ iucundiſſimum hoſpitium. 204. 1. per totum. Cur cæna magna. Ibid.

Cur ad eam compellimur. Ibid. 2. Ne laboremus, nobiſcum eſt. 207.1. Niſi per eam Sancti tot mala non pertuliſſent. 209. 1. Cur nulla die non cõficitur. 209.2. Sitim cupiditatis extinguit. Ibid. 2. Suauitatis ratio. 211. 1. Aqua eſt, ſed mel ſapit. Ibid. Nullã habet amaritudinẽ. Ibid. 2. Saccharum. 212. 1. Item mel. Ibid. 2. Cur ficus. 214. 2. Pretioſa margarita. 215. 1. Antitodum ſpiritale, ex ſputo, &c. 216. 2. In cælo eſt, qui cæli menſæ recumbit. 218. 1. Fontem emittit. 219. 1. In cælo eſt, dum eſt in terra. 219. 2.

In

Inexplicabilis dulcitudinis. 220. 1. Gratia in benedictionibus. 219. 1. Cur Paradiſus. Ibid. Scala Iacob. 219. 1. Nuptiæ. 223. 2. Cur eius locus cella. 225. 1. Lætitiam excitat. Ibid. 2. Cur Cæna magna. 228. 1. Angelorum manibus defertur. Ibid. 2.

Nudo pede aſſiſtunt ei Angeli. 230. 2. Mors mundo viuis, mortuis vita. 231. 1. Mortuos ſuſcitat. 232. 2. Ex ea egreditur Tygris. 233. 2. Myrrha panniculis inuoluta. 236. 1. Accedentes accendit. 237. 1. per totum. Cur auro ſimilis. 238. 2. Sinapis. 239. 2. A ſole innuitur. 241. 1. Speculum parabolicũ. 242. 1. Vt ad ignẽ accedendum. 237. 1. ſequit. Mirum cõuiuium, panem apponens, qui cibum, & potum; vinum fundens, quod potum, & cibum exhibet conuiuantibus. 243. per totũ. Aqua pinguefaciens. Ibid. 2.

Eccleſiæ robur. 246. 1. Curarum induit obliuionem. Ibid. Cur lac. Ibid. 2. Cur aqua, quæ frangitur. 247. 1. Cur in phiala poſita. 248. 1. Contemplantium eſca. 249. 1. per totũ. Ametyſtus. Ibid. 2. Cur in cæna inſtituta. 250. 2. Cur veſpere comedẽda. 251. 1. Cur ad eã aues aduocatæ. Ibid. 2. Niſi in locis excelſioribus, non reſidet. 252. 2. Cur panis ſolius hominis. 253. 1. Cur in ſalice poſita. 253. 1. Refugit cor confractum. 255. 2. Puerorum tantum eſt. 256. 2. per totum. Phiſon. Ibid. Non coruis, ſed pullis coruorum, pręſtatur. 257. 2. Cur Chriſtus in ea puer viſus. 259. 2. Cur caro tenera. 262. 2. Iuueneſcunt ſenes, iuueneſq; ſeruantur à ſenio. Ibid. per totum.

Ficus. 263. 2. Roſmarinum. 264. 2. Mundantur quæ tangit. 266. 2. Animæ pulchritudinem langueſcere non ſinit. 267. 1. Eſca ambroſiana. Ibid. Conuiuæ eius oliuæ. 268. 1. Eccleſiæ pulchritudinem ſeruat. 268. 2. Nõ corroditur à beſtijs. 270. 2. Cur hominũ cibus. Ibid. Immortalitatis pharmacum. 273. 2. Comeſtio delicatiſſima. 274. 1. Corpus non nutrit. 275. 2. Noua quærit habitacula. 275. 2. per totum. Palma. 276. 1. Cur tabernaculum. 277. 1. Cur in ſole. Ibid. Cur ieiunis præſtatur. 278. 2. Cur mane comedenda. 281. 1.

Quos reficit, è terra erigit, & in cælum extollit. ibid. 2. per totum. Inſtar catenæ Homeri. 284. 1. Cur ſcabellum. Ibid. Cur aquæ vitæ fons. 286. 2. Ob eam homines ſancti. 287. 1. Cur ſub ſenſibilibus vini. Ibid. 2. Iacent, qui nõ communicant. 288. 1. Per eam in cælum aſcendimus. Ibid. 2. Magnum humilitatis exemplar Chriſtus in Euchariſtia. 290. 1. per totum. Cur in arca repoſita. Ibid. 2. Cur in ea Chriſtus velatur 293. 2. Cur Deus in Euchariſtia quæ ſunt vilia exponit, abſcondit pulchra. Ibid. Cur Chriſtus in Euchariſtia oſtenditur crucifixus. 294. 1. Vt dignè Chriſtum accipias, Chriſtus fias. 295. 1. per totum. Cur repellat hominem. 296. 1. Cur aqua aurea. 299. 1. Auream reddit animam. Ibid.

Cur Chriſtus ſemetipſum manducauit. 299. 2. Cur fratres vocet ad altare. Ibid. Item cur amicos. 300. 1. Deum præferre debet dignus Euchariſtia. Ibid. 2. Dæmonium in corde habere, & Chriſtum ore ſuſcipere, facinus execrandum. 301. 1. per totum. Cur Iudã Chriſtus cõmunicare non permiſit Ibid. 2. Remanere non vult in ſemina Diaboli. 302. 1. Horrendo pane paſcendus,

pa-

paueat Chriſtianus. 306.1. per totum. Cur apertis oculis edenda. Ibid. 2. Speculata ſuperficie comedentibus occurrit. Ibid. Adamas. 307. 1. Cur cũ ſit bonum, pauendum. Ibid. 2. Cur, cum ob eam cælum exultat, terra tremere debet. 308.1. Cur eſca. 309.2. Timenda ob hamum. 310. 1. Menſa igne plena. 311. 1. Vt cæli viuas incola, cæli panem eſurus. 312. 1. per totum. Cur tabernaculum. 313.2. Cur in ſole poſita. Ibid. 1. Cur in luna. 315. 1. Cur accipitur in templo. 313.2. Sanctorum eſca. 315. 1. Pacis Sacramentum. 316.2. Aquilarum menſa. 317.2.

Militiæ noſtræ vexillum. 318. 2. Sepelitur, dum accipitur. Ibid. Aequè in conuiua caſtitatem diligit, quam odit incontinentiam. 319. 1. per totum. Lectum quærit pulcherrimum. Ibid. 2. Cur inter myrteta. 322. 2. Cur per grados eburneos aſcendenda. 323. 2. Cur magis luxuriam abhorreat. 324. 2. Omnem concubitum horret. 325. 2. Procul ab ea ſint immundiciæ. 326. 2. per totum.

Non ſolum cordis, ſed & carnis mundicias quærit. 328. 2. Immorari nõ potuit cum ſtercoribus auaritiæ Iudæ. 332. 2. Zelotis Dei opus. 333. 1. per totum. Cur data in tempore ſuo. 334. 1. Cur cuncta habeat bona. 334. 2. Vt Deũ amemus præſtita. Ibid. Cur oculis plena. 336. 1. 2. Cur panis, & vini ſpecies cãcelli. Ibid. Sine ea Eccleſia porcorum grex. 338. 2. Signum D. Agnetis. 340. 1. Paſcit, & protegit. 341. 1. In agone mortis certantibus dat robur, fert auxilium aduerſus hoſtes. Ibid. per totũ. Per eam mors facilis. 343. 1.

Hoſtium cuneos facit penetrare ſecurum. Ibid. Aduerſus hoſtiles exercitus inſtituta. 344.2. Nebula. Ibid. Coriandrum. 346.1. Hominem moriturum comitatur in cælum. 347. 2. Quid differat a manna. Ibid. Nauis, qua in cælum ferimur. 348.2. Clypeum, qua pugnantes tuemur. 349.1. Cur prandium. Ibid. 2. Expers mortis eſt; cui cibus eſt vitæ. 351.1. per totum. Prandium mortem eneruans. 352. 1. Anima ab ea ſeruatur. 354. 1. Vitam morte habet amictam. Ibid. 2. Sine ea mortui ſumus. 355. 1. Iaſpis. Ibid. 2. Ieiuni pro mortuis plorãdi. 357. 1.

Vitã carnis prorogat, mortemq; eliminat. 358. 2. per totum. Cur vt plueret cataractæ cæli factæ ſunt cereæ. 360. 1. Non regnabit per peccatum diabolus, vbi per Euchariſtiam regnat Dominus. 364.2. per totum.

Ab ea ſeiungi, eſt in infernum dãnari. 366.1. Cur vmbra. Ibid. 2. A peccato præſeruat. 367.1. Etiam inſpecta culpas effugat. Ibid. 2. Cur non comederit Iudas. 369. 2. Sapientiæ ſatur, ſapientiſſimus. 370.2. per totum. Per eam Martyres ſapientiſſimi. 371.1. Cur in vernali æquinoctio inſtituta. Ibid. 2. Cur in Emaus commendata. 372.1. Cur aduocantur pueri. Ibid. 2. Affertur a columba. 373. 1. Cur nullibi ſine lumine. 374. 1. Cur inſtituta luna decimaquarta. Ibid. 2. Totum illuminat hominem. Ibid.

Ex brutis conuertit in homines. 375. 1. Cæna lucis. Ibid. Peccatores intellectu priuat. Ibid. 2. Splendet ex ea potatus. 376.1. per totum. lumen ex ea manans. Ibid. 2. Cur holocauſtum. 379. 1. Aurum, dum communicamus, comedimus.

dimus. 381. 2. Dulcitudine eius dulceſcunt huius vitæ labores. 382.1. per totum. Iucunditatem generat. 383.1. Qui eam edunt, eſuriunt. Ibid. 2. Mandragora. 385.2. Cur cæna. 386. 1. Nullum timeat malum, nullum non ſperet bonum eius particeps. 389.1. per totum. Dum ſacrificatur, iræ Dei gladius abſconditur. Ibid. 2. Ob communionem naufragus eripitur ab interitu. 391. 2. Vincunt Chriſtiani. 392. 1. Tota ſpes noſtra. Ibid. 2. Beatitudinis ſpes certa. 393. 1. Cum ea omnia noſtra. Ibid. Priuilegium noſtrum. 394. 1. Regni Dei inueſtitura. 395. 1.

Noſtræ Deus conſulit infirmitati, dum obuelatus reſidet in Sacramento. 395. 2. per totum. Aromata ſapit. 400. 2. Cur corpus honoratum. 407. 1. Cur tabernacula nequeat. 408. 2. Incarnationis quædam extenſio. 411. 1. per totum. Cur tamquam leones receſſimus ab altari. 413. 2. Carcer eſt, in quo ſe Deus occluſit, ne quos amat, relinquat. 416. 1. per totum. Aeque Deus in ea, quam in cælo timendus. 422. 1. per totum. Vt Chriſtus, quam guſtauit in cruce, dulcitudine frueretur, inſtituta. 427. 1. per totum.

Puriſſimum, ac ſanctiſſimum exquirit habitaculum. 432. 2. per totum. Nubes diei. 437. 2. Deiparæ debetur Virgini. 439. 2. per totum. Smaragdus. 450. 1. Chriſti pane depaſtus Angelorũ agmine conſtipatur. Ibid. 2. per totum. Cur Angelorum eſca. 453. 1. Niſi per pœnitentiæ fores peccatori non patet aditus. 461. 2. per totum. Cur edenda in aprili. 462. 1. 2. Pulchros quærit. 463. 2. Cur biſcoctus. 468. 1. Pretioſa margarita. 470. 2. Cur buccella ſicca. 472. 1. Sola animam implet Ibid. Ob Chriſti mortẽ ea fruimur. Ibid. 2. 473. 1. Cur denarium. 474. 1. Dulciſſimus animarum ros æſtuãtium in Purgatorio. Ibid. per totum. Sic paſcit viuos, vt reficiat defunctos. 475. 2. 479. 1. Influit in mare mortuum. 477. 1. Compeditos ſoluit. 478. 1. 2. Vnus, idemq; panis dulceſcit iuſtis, & amareſcit iniuſtis. 481. 1. per totum. Cur botrus Cypri. 482. 1. Peccatoribus amara. 486. 1. 2.

Cur Angelorum eſca. 486. 2. Ad ſolamen exilij noſtri parata. 487. 1. per totum. Laborantium refectio. Ibid. 2. Cur lapis ſtanneus. 491. 2. Solis regibus patet. 491. 2. per totum. Cur omnis eſca. 496. 1. Studioſo excipienda apparatu. 499. 1. per totum. Cur tot operculis clauſa. 502. 1. Cur operatur a nobis. 504. 1. Indignus, qui eam non deſiderat. Ibid. 2. per totum. Cur ſeruatur in pixide. 505. 2. Cur deuoranda. 507. 2. Cur auium cibus. 509. 1. 2. Grandis eleemoſyna. 510. 1.

Spiritualium deliciarum cornucopia. 511. 2. per totum. Cur panis facierum. 512. 1. Cur non in oppido, ſed in ciuitate inſtituta. 515. 1. Dum habetur, deſideratur. Ibid. Suauitati eius nihil poteſt comparari. 516. 1. Vitæ neceſſaria, & iucunda affert. Ibid. 2. Cur Gemmæ. Ibid. In cibo potum habet. 517. 2. Cæli, & terræ confinium. 519. 1. Scala Iacob. Ibid. Amigdala. 523. 1. Cur in vitro locanda. 523. 1. Nonniſi Angelos paſcit. 523. 2. per totum.

Cur nouiſſimo tempore præſtita. Ibid. Cur Deus in formis panis ſine pane. 529. 2. Cibus mentis, non ventris. Ibid.

Ibid. Summum terræ gaudium. 530. 1. per totum. Inebriat, nempè lætificat. 532. 2. 533. 1. Nulli non communis. 537. 1. per totum. Flos, quia è cælo fluit. 538. 1. Sumentibus, & non ſumentibus prodeſt. Ibid. 2. Cur cratera. 539. 2.

Cur non ſub ſenſibilibus gemmarum. 539. 2. Vnde tot nomina. 540. 1. Cur pluuia. 541. 2. Prodeſt damnatis, licet per accidens. 542. 1. 2. Viris parata, non effæminatis. Ibid. per totum. Chriſtianorum corona. 543. 2. Item pugilum. Ibid. Cur luna decimaquarta inſtituta. 544. 1. Cur non filiarum, ſed filiorum cibus. 547. 1. Cur cæna magna. Ibid. 2. Iuuenum cibus. 548. 1. 2. Magnitudo culpæ, ac penæ, indigne communicantium. 549. 1. per totum. Speculum. 562. 1. 2. Sine macula, & ruga Eccleſiam ſeruat. 564. 2.

Corporum beatorum decor ex cõmunione. 566. 2. 567. 1. Finalis iudicij imago. 571. 1. Peccatores amaricat, iuſtos inebriat. 573. 2. In exedra pectoris ponenda. 576. 1. Cur Africum. 583. 1. Morborum animæ pharmacum. 583. 2. per totum. Cur in ſole poſita. 584. 1. Pilula noſtræ ſalutis. 585. 1. Cur obducta. Ibid. Chiroteca panis. Ibid. Cur manus Dei. Ibid. 2. Cur in nouiſſimis diebus præſtita. 587. 1. Cur olim in hoſtia Ieſus inſcribebatur. Ibid.

Cur lignum vitarum. Ibid. 2. Hominem Deum facit. 590. 1. Communicantes Chriſtos effingit. Ibid. 2. per totum. Cur diuina participatio. 591. 2. Cur medicina. 593. 1. Eleemoſyna miſericordiæ. 599. 1. Nemo ditior Chriſti conuiua. Ibid. per totum. Cur in caniſtro vimineo. 602. 2. Cur data, non vendita. 605. 1. Cæleſtis gloriæ pignus. 614. 1. Vide. *Sanguis Chriſti*.

# F

*Facies*.

Dei omne bonum profert. 512. 1. Cur Euchariſtia panis facierum. 82. 1. 2.

*Familiaritas*.

Cauetur ab Angelis. 501. 2. Contemptum parit. Ibid. Ioannes Baptiſta cur nulli familiaris. 502. 1.

*Fames*.

Validiores vires, quam praui amoris. 67. 1. Deus cibat, vt eſurire faciat. 383. 2

*Farina*.

An naturaliter dulcoret amara. 386. 2. Ex farre, quia frangitur. Ibid. Cur Euchariſtię typus. 471. 2. Triticum mola occiſum. 472. 1.

*Ferculum*.

Ferebatur in triumphis. 26. 2. Quibus eſt opus. 73. 2. Quid ſignificet. Ibid. Quid ſit. 184. 1. In medio Salamonici ferculi Chriſtus crucifixus. 239. 1. 580. 2

*Ferrum*.

Quid ſignat, quod conficit hoſtiam. 294. 1.

*Feſtum.*

Cur feſtum Corporis Domini celebretur poſt Pentecoſten. 558.2.
Diem feſtum agit terra Chriſti ſanguine aſperſa. 534.1.

*Ficus.*

Tauros manſuefacit. 85. 2. Euchariſtiæ typus. 214.2. 263.2. Cur, cum ſit radicis amaræ, dulces fructus affert. Ibid. 2. Senectam renouat. 263. 2.

*Fides.*

Oculos obuelat, vt dignè Chriſtum manduces. 29.2. ſeq. Videt, & non videt. 30. 1. Lynceis oculis. Ibid. 2. Vitrũ. 32. 2. Animam reddit ſeraphicam. 34. 1. Sine ea nec cæli munera, nec munerum largitorem poſſumus promereri. 456.1. per totum. Nihil non extorquet à Deo. 457.2. Nihil ei Deus negare poteſt. 458.1.2. Mirè ditat Fidelem. 459. 1. Nihil abſq; ea impetratur. Ibid. 2. Illius carentia Deum facit illiberalem. 460.2. Fidei obtemperat verſatilis gladius. 461.2.

*Filius. Filiæ.*

Filios Dei efficit Euchariſtia. 111. 1. 151. 2. Parẽtibus ſimiles. 111.1. Cur nõ filiis, ſed filiabus datur Euchariſtia. 173. 2. Pulchriores filijs. Ibid. Cur filijs, & non filiabus datur Euchariſtia. 547.1

*Finis.*

Chriſtus noſter finis. 4. 1.

*Flabellum.*

Cur olim in miſſa flabellis vtebantur. 72.2. Cherubinorum typus. Ibid.

*Flos.*

Non lecti, ſed campi Chriſtus. 159.2. Cur campi. 279. 2. Euchariſtiæ typus. 538.1. Flos, & fructus virginitas. 321. 1. Spei hieroglyphicum. 394. 2.

*Fænum.*

Euchariſtia pænitentibus fænum. 95. 2. 96.1. Gloriæ mundi typus. 167.2.

*Fons.*

Fons de quo nemo bibit, & non amauit, Euchariſtia. 64. 1. Fons Vitæ Chriſtus. 286.2. Aegypti, quẽ puer Ieſus eduxit. 484. 2. Fõs pulchritudinis noſtræ Euchariſtia. 561.1. per totum. Clitorij proprietas. 186. 1. Item Alis. Ibid. Epyri. 231.1. Vnde dicitur. 266. 2. Terram floridam reddit. 267. 1. Porta fontis Ieroſolymæ. 465. 2.

*Formoſus.*

Vnde deriuatur. 63. 2. Amoris excitat ignem. Ibid.

*D. Franciſcus.*

Quali reuerentia Sacerdotes proſequebatur. 157.1. Crucifixi imago. 241. Diuinum excitat amorem. Ibid. Agnũ inter vbera gerit. 362. 2. In laboribus ala-

alacritas. 388. 2. Anima ſtellæ inſtar viſa. 273. 1.

*Fratres.*

Cur ad Euchariſtiā inuitātur à Chriſto. 299. 2. Quaſi ferè alter. Ibid.

*Fructus.*

Cur honoris Euchariſtia. 149. 2. Amaræ radicis, fructus dulcior. 214. 1. Flos, & fructus Virginitas 321. 1.

*Frumentum.*

Adipatum Chriſtus in Euchariſtia. 115. 2.

# G

*Gallina.*

Cur gallinæ, quam alteri aui, ſe Chriſtus comparat. 71. 1.

*Gaudium.*

Summum terræ gaudiū Euchariſtia. 530. 1. per totum. Dei præſentia inſenſibilia gaudent. 523. 1. 2. Mare præſertim. 533. 2. Gaudet terra Chriſti reſperſa cruore. 534. 1. Cur dum contriſtari oportet, gaudendum. Ibid. 2. Vt nuptias lætificaret, in nuptijs ad fuit Chriſtus. 535. 2.

*D. Geltruda.*

Chriſtum languentem videt in Euchariſtia. 73. 2.

*Gemma.*

Cur gemmarum vocabulis vocatur Euchariſtia. 516. 2. Cur gemmarum formis non operitur. 539. 2.

*Gentiles.*

Per æs ſignificati. 147. 1. Cur fingebant Idola. 207. 2. Florere, fecit Chriſtus. 265. 2.

*Gigas.*

Ex gigantum ſanguine vites ortæ. 375. 2.

*Gloria.*

Euchariſtia magna gloria Dei. 36. ſequit.

*Gratia.*

Bona gratia gratiarum tribunal. 112. 2. Timorem excludit. 308. 2. Per Euhariſtiam Deus reddit gratiam. 591. 1.

*Grues.*

Cur ad Pygmeos ſine rectore non aduolant. 343. 2.

# H

*Hamus.*

Euchariſtia timenda ob hamum. 310. 1. Ni capiatur, non capit. 610. 2. Diuinitatis typus. Ibid.

He-

*Hebræi.*

Euchariſtia manſuefacti. 86. 1. Cur tãta ſtoliditate laborãt. 91. 2. Cur prohibita medulla agni. 146. 2. Chriſtiani ignobiliores. Ibid. Per argentũ ſignificati. 147. 1. Ob manna præſeruati incolumes. 363. 2. Cur timebant ab alienigenis. 391. 2. Cur in ſerpente Chriſtum videbant. 401. 2. Cur manna, nos Euchariſtia veſcimur. 524. 1. 2. Mos quærentium fermentatum. 558. 2.

*Heliogabalus.*

Quo pacto paraſitos ludificabat. 133. 1. Phænicem promiſit edendam. 149. 2. Folles menſæ ſuæ ſedes. 167. 2. Nullam vnquam veſtem iterauit. 279. 1.

*Hercules.*

Poculo, tamquam nauigio, mare pertranſiuit. 348. 2. Immortalitatem conſecutum fingunt. 199. 1. Simulachrum aurea Catena vinctum. 418. 1.

*Hirundo.*

Volando cibum colligit. 255. 1.

*Homo.*

Puri, Angeli fiunt. 525. 1. Facti ſunt Cherubim. 526. 2. Quanti Deus hominem facit. 13. 2. per totum. Cur rectus, cetera prona. 89. 2. Cęleſtis planta. Ibid. Cur arbor inuerſa. 90. 1. Euchariſtiam non quærens, brutum. Ibid. Terra eſt. 128. 1. Diem habet, & noctem: ſolem, & lunam. 200. 2. Vt deificaretur homo Euchariſtia inuenta. 106. 2. Rectum præſeruat Euchariſtia. 92. 1. Nihil ei præter Deum ſufficit. 129. 2. 130. 1. Quod ex homine in brutum non tranſeat, Euchariſtiæ debet. 88. 1. per totum. Carnis, & ſanguinis quanta ſuauitas. 180. 1. 2. Per Euchariſtiam regeneratur in Angelum. 196. 2.

Piſtrina hominis figura. 198. 1. Alius per Euchariſtiam efficitur. 200. 2. Cur antopros. 253. 1. Solius hominis panis Euchariſtia. 270. 1. 324. 1. 253. 1. Anima homo verus. 270. 1. Niſi nouus a Deo non poteſt inhabitari. 275. 2. per totum. In cælum ab Euchariſtia erigitur. 282. 2. per totum. Trahitur. 284. 1. Vt dignè Chriſtum accipiat, Chriſtus fiat. 205. 1. 409. 1. per totum. Cur hominem repellit Euchariſtia. 296. 1. 2. Aſſumitur à Verbo in Communione. 414. 2. Cuiuſdam hominis corpus illuſtrabat Euchariſtia. 379. 1. Cur Deus homo. 395. 2. 396. 1. In terra viuit, & in cælo. 316. 2.

Totum hominem illuminat Euchariſtia. 374. 2. Cur nouiſſimè creatus. 500. 2. Tamquam Principi, mundi paratur aula. Ibid. Deus ob Euchariſtiam. 590. 1. Mirè exaltatus ab Euchariſtia. 595. 2. Inter viſibilia maius. 609. 1. 2. Deus magis delectatur homine, quam Angelo. Ibid. Chriſtiani per Euchariſtiam non homines. 150. 1.

*Honeſtas.*

Lectus pulcherrimus. 319. 2.

*Honor.*

Cur corpus Chriſti honoratum. 407. 1. 446.

1.446. i. Cur fructus honoris Euchariſtia. 149. 1. In melioribus cibis conſiſtit. Ibid. 2. Honorandi ſunt Sacerdotes. 152.1. per totum. Diuitiæ honorantur. 155. 1. Quid inter honorem, & reuerentiam intereſt. 156.1.

*Hordeum.*

Non tantum per frumentum, ſed per hordeum ſignificatur Euchariſtia. 98.1. Cur oblatio adulteræ farina hordeacea. 324. 1. Cur Chriſtus hordeum, & triticum. 359. 2. Chriſtum crucifixum ſignificat. Ibid.

*Hoſtia.*

Cur poſt conſecrationem eleuatur. 12.2. Quid ferrum, quo conficitur, denotet. 25.1. In corporali mirabiliter picta. 248. 2. Cur alba. 387. 1. Cur Chriſtum crucifixum oſtendat. 535. 2. Cur inſtar ſcuti. 348.2. Conſecrata, Virgo eſt grauida. 419. 1. Cur Chriſtus in hoſtia non eſt rotundus vt hoſtia. 446. 1. Cur in tres partes diuiditur. 477. 1. Diſcus argẽteus. 177.2.

*Hugo à Sancto Victore.*

Chriſtum præcurſorem habuit in cælum. 344. 1.

*Humilitas. Humilis.*

Sola dignè capit, quem totus orbis non capit. 164. 2. per totum. Pauper idẽ ac humilis. 165. 2. In humilibus Chriſtus. 166. 1. Pluſquam alia virtus diligitur à Deo. 167. 1. Sedes euchariſticæ menſę. Ibid. 2. Anguſta ſibi, ampla Deo. 168. 2. Angelorum humilitas. 225. 1. D. Bonauenturæ. 229. 1. Magnum humilitatis exemplar Chriſtus in Euchariſtia. 290. 1. per totum. Dei humilitas in incarnatione. 292. 2. Cur ſe tantopere exinaniuit. Ibid. Deo præſente cuncta humiliantur. 432. 2. 424. 1.

*Hypocrita.*

Horrendum ſcelus dũ, vt lateat, communicat. 517. 2. per totum. Oculum attendit, non Deum. Ibid. Vtitur Deo tamquam nummo. 518. 2. Item tamquam ſcelerum ſuorum mediatore. 520. 1. Vnde vocabulum hypocriſis. Ibidem. Deum, dum communicat, in fæces immittit. Ibid. 2. Dæmonem quærit in Euchariſtia. 521. 1. Iudæ ſcelus admittit. Ibid. 2. Mulus. 522. Vulpis. Ibid.

# I

*Iacob.*

Euchariſtia ſcala Iacob. 219. 2. 519. 1. 2.

*Ianus.*

Cur bifrons. 82. 1.

*Iaſpis.*

Euchariſtiæ typus. 355. 2. 466. 1. Quid denotet in Regum coronis. 40. 1.

*Idolum.*

Cur fabrefactum. 207. 2.

*Ieiunus.*

Cur ieiunis datur Euchariſtia. 279. 1.

*Ieruſalem.*

Porta fontis 465. 2. Pulchritudo, mũdicies. Ibid.

*Ieſus.*

Cur olim inſcriptum in hoſtia. 587. 1.

*Ignis.*

Cur Deus ignis. 18. 1. Igne plena Euchariſtia. 337. 1. Ignis ſacrificij Abel. Ibid. 2. Vt ad ignem accedẽdum ad Euchariſtiam. 240. 2. ſequit. Cum Deo, res eſt nobis cum igne. 310. 1. 2. Dei typus. Ibid. Magnus amicus, magnus hoſtis. 311. 1. Ignem in rorem Chriſtus cõmutauit. 320. 2. Legis tabulæ vnde ignitæ. 380. 2. Cur Deum præcedat. 506. 2. Ignis ſunt ſacra myſteria. 570. 1. Chriſtus ignis ignitis. Ibid. 2. Item igneus in Euchariſtia. 571. 2.

*Incarnatio.*

Quædam incarnationis extentio Euchariſtia. 411. 1.

Oſculum Dei. Ibid. 2. Vt faceret Euchariſtiam Deus incarnatus. 414. 2. Sanctæ communionis Idæa. 415. 1.

*Infernus.*

Euchariſtia, licet per accidens, prodeſt damnatis. 542. 1. 2. Aptior eſſet pro Euchariſtia, ſi careret culpis, quam peccatrix anima. 549. 2. Petro non reſiſtit. 479. 2. Cur peccator communicans Chriſtum in infernum proijciat. 304. 2.

*Ioanna de Cruce.*

Euchariſtiam habuit, elatam ab Angelo. 302. 1.

*Ioannes Baptiſta.*

Exultatio in vtero matris. 490. 1. Cur vixerit in deſerto. 502. 1. Cur Chriſtus putatus. 297. 2. Cur ſanctificatus in vtero. 298. 2.

*Ioannes Euangeliſta.*

Poteſt dici non mortuus. 388. 1. Ad eum Chriſtus dum moreretur deſcendit. Ibid. Simul cum Petro ad cænaculum miſſus. 113. 2.

*Iob.*

Amicorum Iob prodigioſa viſio de Euchariſtia. 353. 1. 2.

*Iſacar.*

Cur ſculptus in praſino. 312. 1. Laborantis typus. Ibid.

*Iudas.*

Cur Euchariſtiam non ſumpſerit. 301. 1. 2. Cur ſuſpenſus periit. 332. 1. Cur crepuit medius. Ibid. 2. Vt Euchariſtiã mon-

monſtraret Iudæis, non comedit. 369. 2. Ne ex Communione acciperet adiumẽtum, Dæmonis ſuaſu, non comedit. 370. 1. Cur tam cito exiuit è cænaculo. 373. 2. Dæmon timuit in Iuda Euchariſtiæ vim. Ibid. Non vt pæniteret, ſed vt lateret, communicauit. 521. 2. Cur poſt buccellam introiuit in eo Satanas. 552. 1. 2. Cur ſceleſtiſſimum Chriſtus communicauit. 590. 1. 2. Ob Euchariſtiam nihil mutatus. 598. 1. 2. Cur non ob alabaſtri, ſed vnguenti iacturam, indignatus. 403. 2. Cur crepuit medius. 410. 1. Iuda peior indignè communicans. 304. 2.

*Iudex. Iudicium.*

Iudicis imago. 402. 2. Horrendam iudicij imaginem præferunt altaria. 445. 2. per totum.

*Iuppiter. Iouis.*

Homeri fabella de Ioue. 421. 1. Cur in die Iouis inſtituta eſt Euchariſtia. 45. 1. Vnde deriuatur. Ibid. Cur eo die maioris hebdomadæ Eccleſia portas aperit pænitentibus. 97. 2.

*Iuuenis. Iuuentus.*

Euchariſtico pharmaco ſeruatur à ſenio. 262. 2. per totum. Iuuenum cibus Euchariſtia. 548. 1. 2. Iuuentam ſenex optare non poteſt. 265. 1.

# L

*Lac.*

Euchariſtiæ typus. 36. 1. Ad effingendum hominis ingenium admirabile. 110. 1. Iunonis, vt fingunt, immortalitatem Herculi conciliauit. 199. 1. Euchariſtia mel, & lac. 568. 1. Cur Chriſti ſanguis lac. 582. 2. Mel, & lac habet Sacerdos in lingua. 211. 2. Potus, & cibus. 246. 1. 2.

*D. Laurentius.*

Euchariſtia roboratus, mira pertulit. 121. 1. Cur craticulam lectum putabat. 208. 2.

*Lectus, Lectulus.*

Euchariſtiæ typus. 163. 1. Chriſtus non in lectum, ſed in lectulum venit. 168. 2. Cur ſponſæ vmbroſus. 396. 2. Cur lectus floridus. 164. 1. Pulcherrimus caſtitas. 319. 2.

*Leo.*

Cur tamquam leones recedimus ex altari. 413. 2. Cæleſtis, & terreſtris naturæ. Ibid.

*Lex.*

Diuina hominem in Angelum commutat. 203. 1. Tabulæ vnde ignitæ. 380. 2.

*Liberalitas.*

Chriſti ad effundendum ſanguinem mira. 13. 2. per totum. Dei in ſacro altari. 335. 2.

*Lignum.*

Vnde dicitur. 56. 2. Euchariſtiæ typus. Ibid.

*Lilium.*

Angeli typus. 44. 1. Tintinnabulum argenteum. Ibid. Chriſtum innuit morientem. 70. 2. Non ſufficit capitis oneri. 71. 1. Cur non in lilio, ſed inter lilia, paſcimur. 135. 2. Pulchritudinis ſymbolum.

lum.176.2.Cur album.199.2. Cur inter lilia, non inter roſas paſcimur. 394.2. Spei hieroglyphicum. Ibid.

*Lingua.*

Cur tot cuſtodijs ſeruata.434.1.Precioſa.Ibid.

*Liparea.*

Gemma miri effectus.87. 1. Admirabilis pulchritudinis. Ibid.

*Linum.*

Cur conſacramus in lino.418.1.Chriſti paſſi typus. 431.2. Item puritatis. 522.1.Cur corporale lineum.Ibid.

*Lynx.*

Quales oculi.30.2. Fidei lyncei ſunt oculi. Ibid.

*Locus.*

Pulchriorem exigit Euchariſtia. 170. 1.per totum.Cuncta ſuo loco ſeruantur. 353.2.Animæ Deus. 354. 1.

*Lotus.*

Obliuionem affert. 190.1. Deum ſub pueri forma oſtendebat Aegyptijs.189. 2.

*Lumen. Lux.*

Cur ſine lumine non celebrat Eccleſia.103.2.261.2.447.2.Pabulũ luminis Euchariſtia. 138. 1.Signũ generationis. 202.2. Quid innuit lumen altaris. Ibid. Angelorum typus. Ibid. Cur Euchariſtia nullibi ſine lumine. 374. 1. Puritatẽ ſignificat.261.2.Fons lucis Euchariſtia. 376. 1. per totum. Lumen ex Euchariſtia manans. 376. 2. Solis lumen excellit lux Euchariſtica. Ibid. Lumen diuinum mannæ incorporatum.377.2. Cur lux mundi Apoſtoli. 380. 1. Animal e fronte lumen emittens.382.1.Diuinitatis lumen citrà mortem inuiſibile. 396. 1. 2. Sancti lux, ſed non magna. 397.2.

*Luna.*

Homo lunam habet, & ſolem.200.1. Cur lunam calcat Eccleſia. 148. 1. Eccleſiæ typus.278.1. Cur Euchariſtiam ſuſtinet.315.1.480.1. Terra nebula obſcurata. 438. 1. Eccleſiam in purgatorio ſignificat. 480. 1. Cur Euchariſtia luna decimaquarta inſtituta. 544. 1.

*Luxuria. Luxurioſus.*

Aequè Deus in communicante caſtitatem diligit, ac odit incontinentiam. 319. 1. per totum. Luxurioſus Diabolus. 320. 1. Nemo luxurioſo periculoſius communicat. 324. 2. 335. 1. Omnẽ concubitum horret Euchariſtia. Ibid.2. Ob luxuriam Deus ferè deſijt incarnari. 326. 1.

# M

*Mæander.*

Cur depictus in menſa Propoſitionis. 426.2.

*Malachias.*

Cur interpretatur Angelus. 203.2.

*Maieſtas.*

Dulceſcit in Euchariſtia. 76. 1. per totum. Item Humiliatur. 77. 1. Quam benè in Euchariſtia conuenit cum amore.79.2. Animæ dũ communicat.228.1.

*Malua.*

Silueſtris omnimorbia. 588. 1.

*Mandragora.*

Euchariſtiæ typus.385.2.Soporiferæ vis. Ibid.

*Manna.*

Lumen diuinum habuit incorporatũ. 377.2. Cur ſeruatum in arca.290.2. Cur mannæ vermiculus Chriſtus.291. 2. Cur oculis plenum.336.1.191.1. Hebræos ſeruabat incolumes. 363. 2. Cur gloria Dei. 38.1. Cur oleati ſaporis.57. 1. Adamantini coloris.61.1. Smaragdini. 194.2. Margaritæ.215.2. Exhibebat cibum, & potum. 245.2. Cur poſitum in phiala.248. 1. Cur plueret in ſepulchrũ Chriſti,234.1. Cur decorticatum. 470. 1. Cur deſipiebat Hebræis. 485. 1. Deſiderabile afferebat. 486. 1. Cur poſt famem, præſtitum. 505.2. Inſtar mannæ Chriſtus varius. 569. 1. Vt plueret, cataractæ cæli factæ ſunt cereæ. 360.1. Iuuentutem ſeruabat. 267.1. Cur Angelorum panis. Ibid. Pluebat è nube. 105.1. Deos efficiebat 108. 2.

*Manus.*

Amoris quales.211.2. Cur Dei manus Euchariſtia.585.2. Cur non digitos, ſed manus applicuit Deus Euchariſtiæ. 50. 1. Sacerdotis, latrones.53.2. Suis ſe manibus ferebat Chriſtus, vbi fecit Euchariſtiam.52. 2.

*Mare.*

Cur ad Euchariſtiam per mare peruenitur. 466. 1. Deo præſente gaudet. 533. 2. Pacatur poſtquam Ionam habet. 536. 2.

*Margarita.*

Cur pro vna pretioſa cuncta vendidit Negotiator. 104. 1. Margaritæ colorem præſeferebat manna. Ibid. Euchariſtiæ typus. Ibid. 215. 1. Chriſti. Ibid. 470.2. Comeſtibilis.471.1. Quo loco inuenitur. Ibid.

*MARIA VIRGO.*

Cur mater pulchræ dilectionis. 366. 1. Cur vterus diſtrictus ſapphiris.380.1. Chriſtum gerentis fulgor. Ibid. Cur à Spiritu Sancto obumbrata. 397. 1. Ei, qui communicant, aſſimilantur.415. 1. 2. Hoſtia conſecrata, Virgo Maria grauida. 419. 1. Cur tantocies prædicatur pulchra.437. 1. Frumẽtum electorum, & vinum germinans Virgines, Virgini debetur Deiparæ. 439. 2. per totum. Cur aurora. 440. 1. Deum maſticauit. Ibid. 2. Cur puerulum pannis inuoluit. 441.1. Cur ſuus Euchariſticus panis. Ibid. 2. Cur eius vterus arca. 442.1. Arbor ſalutiferi fructus. Ibid. 2.

Ob eam Euchariſtia inſtituta. 443. 2. Quãtum placuit Deo Virginalis vterus. Ibid. Euchariſtia refecta, Beatitudinis moras æquius tolerabat. Ibid. Euchariſtiam petijt in nuptijs.443.2. Cur fructificauit vt vitis. Ibid. Cur eius vbera botri.444. 1. Terra Heuilat. Ibid. 2. Pincerna Purgatorij.445. 1. Cur turbata eſt in ſermone Angeli. 449.2. Quantũ ſanguinis Deus ex ea accepit.292.2. Iacet Chriſtus in altari, tamquam in vtero matris. Ibid. Chriſtipara, an Deipara.297.2. Cur antequam nata, ſanctificata. 298. 2. Cur eius vterum non horruit Deus. 305.1.2. Cur flores ſui fructus.321.1.

Vterus eius vallatur Angelis. 359. 2. Co-

2. Corona regia, topazio decorata. 16. 2. Poſtponitur Sacerdoti. 158. 1. Quid timebat filio deperdito. 178. 2. A nullo inſpecta, & turpiter adamara. 184. 2. Raptrix cordium. Ibid. Angelicam expauit pulchritudinem. 192. 1. Cur hortus. 218. 2. Cur pullos columbæ, non columbas, obtulit. 258. 1. Roſa campi. 264. 2. Cur aſcendit in montana. 285. 1. Peccatoribus cypreſſus, ſanctis palma. 482. 2. 483. 1. Fons à Filio in ſolatium eius eductum. 484. 2. Cur Ieſum locauit inter bouem, & aſinum. 485. 1. 2. Item cur in diuerſorio. 537. 2. Dei eleemoſynaria. 599. 1.

*D. Maria Magdalena.*

Quid, dum tenebræ eſſent, videre potuit in ſepulchro. 381. 1. Cur Ieſum non cognouit. 398. 1. Cur fregit alabaſtrũ. 403. 1. Vnde nouit Chriſtum è monumento ſublatum. 407. 2. Cur ſtabat ad monumentum. 60. 1. Cur conſolata non eſt Angelorum aſpectu. 130. 2.

*D. Maria Egiaicenſis.*

Mellis guſtum, odoremq; aromatum, ſentiebat in Euchariſtia. 400. 2. Euchariſtici luminis particeps. 376. 1. 378. 1.

*Martyres.*

Cur tanta ſapientia præditi. 370. 2. 371. 1. Cur in Canone Martyrum, & non confeſſorum, meminimus. 431. 1.

*Medicus. Medicina.*

Cur medico neceſſarius panis. 362. 2. Sine Euchariſtia rectè nõ medetur. 363. 1. Non minus religionis, quam medendi peritia calleat. Ibid. Medicina morborum animæ Euchariſtia. 583. 2. per totum. Cur Euchariſtia medicina. 593. 1. Quomodo differat a cibo. Ibid.

*Medulla.*

Cur Hebræis prohibita. 146. 2. Euchariſtiæ typus. Ibid.

*Mel.*

Euchariſtiæ typus. 360. 1. 481. 1. 2. Vitam prorogat. Ibid. Cirnii melle longæui. Ibid. Dulcior ex amaris. 212. 2. Neq; mel, neq; apes, adagium. 213. 1. Pro florum qualitate dulce, & amarum. 481. 1. 2. Cur nec ſal, nec mel in Euchariſtia miſcendum. 514. 1. 2.

*Menſa.*

Cur in parte aquilonari. 240. 2. 488. 1. Propoſitionis Mæandrum proferebat. 426. 1. Regum circumdabatur imaginibus. 494. 2. Ferocia manſuefacit. 84. 1. Euchariſtica arx. 119. 1. Amicorum procreatrix. 202. 1. Quæcumq; terra producit, Regum habent menſæ. 496. 2. Idem, ac lætitia. 530. 2. Menſa, quia in medio. 537. 1. Rotunda. 242. 2. A medendo dicitur menſa. 586. 1. Cur altare dicitur menſa. 585. 2. 586. 1.

*Miſericordia.*

Miſericordiæ eleemoſyna Euchariſtia. 599. 1. Miſerorum corda. 283. 2. Miſericorditer Chriſtus velatur in Euchariſtia.

riſtia.402.2. Chriſtus ſaccus plenus miſericordia.430.2.

*Miſſa.*

Cur numquam fit ſine lumine.103.2. 447.2. Cur olim dum fieret, flabellis vtebantur.72.1. Quam plena myſterijs. 477.2. Cur Ite miſſa eſt.611.2.

*D. Monica.*

Poſt communionem volare ſatagebat in cælum.287.2.

*Mors. Mortuus.*

In agone mortis certantibus dat robur Euchariſtia.341.1. per totum. Cur Crux tumulandos præcedit.343.1. Poſt Chriſtum facilis. Ibid. Euchariſtiæ particeps, Angelis ſtipatur in morte.346. 2. Hominem moriturum comitatur in Cælum Euchariſtia.347.2. Chriſto refectus, moriens beatus.350.2. Expers mortis eſt, cui cibus eſt vitæ.351.1. per totum. Cur prandium mortem exarmauit.351.2. Chriſti præſentia mors eneruatur.553.1. Vitam, morte amictam, habet Euchariſtia.354.1. Sine Euchariſtia mortui ſumus.355.1. Proque mortuis plorandi.357.1. Cur falce depingitur.358.1. Carnis mortem eliminat Euchariſtia. Ibid.2. per totum.

Solus Deus mori nō poteſt.108.1. Excepta morte, ſimilis Deo ſapiens. Ibid. Euchariſtia deſtitutus, mortuus.121.1. Euchariſtiæ ſuauitatē nō ſentiens, mortuus.190.2. Vt Chriſtum videant, mortem non timent Sancti.192.2. Panis vitæ mors mundo viuis, mortuis vita.231.1. per totum. Ad Euchariſtiam mortui debemus accedere. Ibid.2. Mortuos reſuſcitat Euchariſtia.232.2. Cur primo moriendum, mox naſcendum.233.1. Cur mors mortē in vita timuit.236.2. Mors locus nouiſſimus.309.1. Sanctorum honorata.455.2. Sic paſcit Euchariſtia viuos, vt reficiat mortuos.475.2. Tria animæ pericula ex hac uita migrātis.614.1

*Moyſes.*

Cur facies enitebat.378.1. Subſtantia Dei paſtus. Ibid. Cur quadraginta diebus ieiunus permanſerit.360.1. Cur quo magis Deum vidiſſet, videre cupiebat.66.1. Cur percuſſit petram.472.2. Cur iuſſus in loco ſancto calceamenta deponere.528.1.2.

*Mulier.*

Mariti abſentia adulterā facit.339. 1. Viri vitam quærens, eum ad Communionem impellit.364.1. Cur duo vbera habeat.7.2. Ex equa per Communionē in propriam formam reuerſa.93.1. Peruerſus mulierum mos ad Euchariſtiam ſumendam.168.1. Cur oleant muſco. 182.1. Cur non viris, ſed mulieribus præbetur Euchariſtia.173.2. Cur prægnantes terram, carbones, cinerem, appetunt. 483.2. Virorum, non mulierum menſa eſt Euchariſtia.569.1. Serpentem inuenit pro Euchariſtia.572.2. Radijs maritorum coruſcat.278.1.

*Mundus.*

Forſcrium iocaliū animæ.607.2.608. 1. Faſtiditur ab Euchariſtiā.384.1.188. Paruus bolus ad cordis vētrē.40.2.125 2.127.1. Per lunam intelligendus.130 1

Pal-

Pulchritudo.170.2. Ad Euchariſtiam compellit.204.2.

*Muſcus.*

Cur portatur à fœminis.182. 1.

*Muſica.*

Cur vtimur muſica, dum adoramus Euchariſtiam.253.2. Mentem ad Deum erigit.254.1. Quid operabatur in D. Elzeario. Ibid. Vbi canitur, Deus adeſt. 45. 2. Angelorum cantu perſtrepebat Chriſti præſepe. 46.1. Item perſtrepant ſacra altaria.41.2. per totum. Anima ſolueretur è corpore, ſi Angelorum cantus audiret.47.2. 48. 1.

# N

*Nauis.*

Puteolano puluere oppleta. 410. 2. Nauis, qua ad Chriſtum peruenitur, Euchariſtia.348.1.2.

*Nectar.*

Quid ſit, quidue ſignificat.245. Potū dixerunt, & cibum Ibid. Chriſti ſanguinis typus. Ibid. Deos ſomniabant efficere. 108.2.

*Nero.*

Pretioſum Neronis tapetum. 54. 1. Nullam veſtem bis induit. 279. 1. Cur Chryſtallum fregerit.405. 1.

*Nobilitas.*

Chriſtiani nobilitas ex Euchariſtia. 146. 1. per totum. Nobilius quod eſt propinquius optimo. 148.1. Chriſtiani gentilibus nobiliores. Ibid. Cur non nobiles, ſed ignobiles quærat Deus.169. 1.

*Nomen.*

Vnde tot nomina Euchariſtiæ. 540.1.

*Nouus.*

Noua Deus quærit loca. 275. 2. per totum. Nero noua ſemper induit.279.1. Nouos efficit tribulatio. 279. 2. Vetera renouat Spiritus Sanctus.560. 1.

*Nubes.*

Omnia erat Hebræis.105. 1. Pluebat manna. Ibid. Euchariſtiæ typus. 123. 1. Ima petit, cum ſerenitas eſt, ſumma cum nubilum.123.1. Euchariſtia nubes diei. 437.2.

*Nuptiæ.*

Euchariſtiæ typus.134.1.223.2.224. 1. Mos apud Coios, & Romanos.223.2. 224.2. Cur Chriſtus nuptijs adfuit. 535. 1. Nuptialis veſtis Charitas.495.1. Cur Euchariſtia Regis nuptiæ.514.1.

*Nummus.*

Chriſtus cum nummis non habitat. 302. 2. Vtitur Deo tamquam nummo hypocrita. 518.2. Vide. *Denarius.*

# O

*Obolus.*

Euchariſtiam ſignat. 50. 2. Obeliſcū habet excuſſum. Ibid.

*Oculus.*

Eccleſiæ Chriſtus. 183.2. Vnde dicitur. Ibid.2. Sancti Eccleſiæ oculi. 183. 2. Cur manna oculis plenum.191. 1. Omnium in ſe oculos Chriſtus cōuertebat. 91.2. Oculis guſtatur Euchariſtia.192. 2. Recreantur à ſmaragdo. 194.1. Apertis

tis oculis edenda Euchariſtia. 306. 2. Cur clytroprium græce oculus Chriſti. 330. 1. Cur Chriſtus expuit in oculos cæci. 330. 2. Oculi Dei iniquitate indignantur. 331. 1. Zelotypia oculis circũdata. 336. 1. 2. Catoblepæ oculorum uis. 399. 2. Oculos Deus claudit, ne iudicet. 402. 2. Chriſti, Chriſtos facit. 596. 1.

*Oleum.*

Olei naturam ſapit Euchariſtia. 138. 1. Quid innuat in manibus ſacerdotum. 295. 2. Cum calidis, calidum; cum frigidis, frigidum. 567. 2.

*Oliua.*

Arboribus alijs pulchrior. 174. 2. Cur Euchariſtiã participantes oliuæ. 268. 1.

*Oratio.*

Coram Euchariſtia efficacior. 395. 1. Cur clauſo hoſtio orandũ. 407. 1. Chriſtum attrahit. 115. 1. Dei magnes. Ibid. Angelorum preces opportunius audiũtur in altari. 117. 2. Ante Euchariſtiam non potes non exaudiri. 118. 1.

*Os.*

Os Animæ niſi Deo impleri non poteſt. 131. 2. Oris animæ nulla menſura. 133. 1. Ore cordis, nõ corporis comeditur Euchariſtia. 140. 1. Cur dum oſcitamur, os ſigno crucis munimus. 252. 2. 553. 1.

*Oſculum.*

Euchariſtiæ typus. 65. 1. Oſculum Chriſti ſuſcipimus per Communionem. 78. 2. Extra altare Chriſtus non oſculatur. 79. 1. Sola columba inter aues oſculum nouit. 160. 2. Animarum transformationem ſignificat. 593. 2.

# P

*Præda.*

Vnde dicitur. 2. 2.

*Præſepe.*

Chriſti, cur rude, & ſine ornamentis. 512. 1. 2. Cur fænum habuit aureum. 600. 2.

*Pallium.*

Dictum quia pallet. 72. 1. Pallium breue. 162. 1.

*Palma.*

Vnde dicta. 276. 1. Euchariſtiæ typus Ibid. 494. 1. Chriſti typus. 291. 2. Crucis lignum tranſuerſatile ex palma. 473. 1. Palmæ aſcenſus quid. 494. 1.

*Panis.*

Euchariſtia panis clibanita. 65. 1. Cur ſub formis panis Chriſtus obtectus. 84. 1. Propriè cibus hominis. 88. 2. Cur cum non ſit panis Euchariſtia, dicitur panis. 126. 1. 588. 1. Dictus ex eo quod placet famem. Ibid. Verus hominis panis Euchariſtia. 128. 2. Cur multi non ſufficiunt animæ, vnus ſufficit. 129. 2. Propoſitionis cur facierum. 132. 2. Cur inanitatis. Ibid. Nullus terræ panis ſat eſt animæ. Ibid. Signatus, Euchariſtia. 144. 1. Cyprius hominum magnes. 183. 1. Euchariſticus bibitur. 185. 1. Cur aructs Euchariſtia. 186. 2.

Cur in loco panis natus Chriſtus. 193. 2. Cur pro Euchariſtia facienda panem offerimus. 231. 2. Euchariſticus, ibus, & potus. 243. 1. per totum. Ex panibus liquor exibat. 244. Hordeaceus

ceus ſpiculata ſuperficie occurrit. 306. 2. Cur non hordeaceus, ſed frumentacius conſecratur. 324. 1. In carnem conuerſus. 353. 1. A pan, quod eſt omne. 355. 1. Chriſtum habentibus, de pane non cogitandum. 361. 1. Conſecrandus cur candidus. 434. 2. 505. 1. Innumeras continet medicinas. 588. 1.

*Paradiſus.*

Cur Paradiſus Euchariſtia. 219. 1. A ſuauitate dictus. 220. 2. Paradiſo fruimur, dum Chriſtum habemus. 221. 1. 2. Locus nouiſſimus. 224. 1. Puerorum caminus in Paradiſum conuerſus. 320. 2. Paradiſum deſtruit peccator. 404. 1. 2. Chriſtus ante Aſcenſionem in Paradiſo terreſtri fuit. 435. 2. Paradiſi gladius cur verſatilis. 461. 1. 2.

*Paraſceue.*

Cur eo die non fit Euchariſtia. 124. 2. Cur tunc Sacerdos communicat. 125. 1.

*Paropſis.*

Vas quadrilaterum, regale. 497. 1. Cur eo Dominus vſus. Ibid.

*D. Paulus.*

A quo manſuefactus. 84. 2. Turris altiſſima. 283. 2.

*Pauperes.*

Ob Euchariſtiam Deus depauperatus. 53. 1. ſequit. Soli pauperes Euchariſtiam comedunt. 60. 2. Soli ad altare vocantur. 165. 1. 2. 577. 1. Idem ac humiles. Ibid. Cur inuitantur ad cantum. 383. 1. Ob Euchariſtiam non ſentitur paupertas. Ibid. Cur Angeli. 525. 2. Cur Sancti. 526. 1. Cur nudi incedunt. 577. 1. Pauperes Chriſtus ſunt. 596. 2. Soli Chriſtum comedunt. 140. 2.

*Pax.*

Sacramentum pacis Euchariſtia. 158. 2. per totum. 316. 2.

*Peccator. Peccatum.*

Peccatorum cor Euchariſtia frangitur. 86. 2. Adamanti confertur. Ibid. Inferior bruto. 93. 2. Cum culpa communicans, in eadem ferè perſeuerat culpa. 109. 2. Diabolo ſimilis. Ibid. Chriſtum manducans, non manducat. 139. 2. per totum. Cor non habet. 140. 2. Peccatum nihil. 139. 2. Vua acerba. 142. 2. Peccator Dæmon. 142. 1. Non comedit, ſed dilaniat Corpus Domini. 145. 1. Carbonem accipit in Communione. Ibid. 2. Cur filius vocatus à Deo. 151. 2. Cor vas confractum. 515. 1. Euchariſtiam aufert Angelus à peccatore. 302. 1.

Chriſtum hoſti tradit dilacerandũ indignè communicans. 304. 1. Iuda peior. Ibid. Infernus eſt. Ibid. 2. Communicantem Chriſtus abhorret. 305. 2. Peccatum contagioſa res. 331. 1. Quæcumque peccator tangit, immunda. Ibid. Non regnabit per peccatum Diabolus, vbi regnat per Euchariſtiam Dominus. 364. 2. per totum. Longe à Deo, peccamus. 365. 1. 2. Nos ſibi Deus, ne pec-

peccemus, ligat.366.2. An deceat peccatorem Euchariſtiam inſpicere.367.2. Priuatur intellectu ob indignam Communionem.375.2.

Deum videre non poteſt. 400. 2. Ob peccatorem Chriſtus in Euchariſtia velatus.401. 1. ſequit. Paradiſum deſtruit.404.1.2. Interficeretur ab Angelis, dum indignè communicat. 450.2. Peccatum hominem conuertit in Dæmonem.463.2. Horrendum indigna cõmunio. 465.1. Amareſcit peccatoribus Euchariſtia.481.1. Culpæ indignè communicantium enormitas.549.1. per totum. Grauius peccat indignè communicãs, quam qui Chriſtum crucifixerũt. 550. 1. Poſt Paſcha ob indignam communionem mors graſſatur. 551. 2.

*Pænitentia. Pænitens.*

Nemo, niſi pænitens, luget. 142.2. Ad Euchariſtiam niſi per pænitentiæ fores peccatori non patet aditus. 461. 2. per totum. Non ſolum innocentibus, ſed & pænitentibus præbetur Euchariſtia. 94. 1. per totum. Oſculatur à Chriſto. 99. 1.

*Petra.*

De petra à Moyſe percuſſa, fabula. 20. 1.

*D. Petrus.*

Cur teſtaceus.31.1. Simul cum Ioanne ad cænaculum miſſus. 113. 2. Suauitas, vbi Euchariſtiam ſumpſit. 449. 1. Fide innixus, mare calcauit.458.2. Alijs feruentior. 574. 1.

*Phæbus.*

Vndè dictus. 262. Ephebi a Phæbo. Ibid.

*D. Philippus Nereus.*

Gaudium, quod ex Euchariſtia percipiebat. 531. 2. Dulcitudo.579.1. Celebrans trahebatur in cælum.285.2. Euchariſtiam vocabat amorem. 184.1.

*Philomena.*

Quaſi amore languens. 346.2. Sponſæ Dei ſymbolum. Ibid.

*Pinguis. Pinguedo.*

Pinguibus parum ſanguinis ineſt.115. 2. Pinguedo pulchritudinem adimit. Ibid. Lenitas dominatur in corpore pingui.116.1.

*Piſcis.*

Ex piſcibus, a Chriſto multiplicatis, liquor emanabat. 244. 1.

*Pyxis.*

Vas vnguentarium. 505. 1.

*Plato.*

De pſalmatione hominum apologus. 147. 1. Anima per aquilam ſignificata. 170. 1.

*Pluto.*

Reuerentiæ pater.155.1. Diuitias ſonat. Ibid.

*Pluuia.*

Dulcior ex ſalſis aquis. 211. 1. Cur Euchariſtiæ typus 541. 2. Quaſi fluuia. 580. 2. Cur ſanguinea. 581. 1.

*Porta.*

Cur portæ Eccleſiæ die Iouis maioris hebdomadæ pœnitentibus patent. 97. 2. Porta fontis Ieruſalem. 465. 2.

*Prandium.*

Militum cibus ante pugnam. 349. 2. Cur mortem exarmauit. 351. 2. Dictum ab apparatu edendi. 369. 1. Euchariſtiã innuit. 546. 2. Militum refectio. Ibid.

*Priuilegium.*

Priuilegium noſtrum Euchariſtia. 394. 1.

*Propitiatorium.*

Chriſti typus. 227. 1.

*Puer.*

Cur non Sanctus, ſed innocens. 135. 1. Senum, virorum, non puerorũ eſt Euchariſtia. 137. 1. 542. 2. per totum. Quis ablactatus. Ibid. Puer dignè capit, quẽ totus orbis non capit. 166. 1. In pueris Chriſtus. 166. 1. Puriſſimum Chriſti lac ſoli pueri exugunt. 256. 2. per totum. Abraham cur puer defunctus. 259. 1. Arcæ Cherubim pueros præferebant. 259. 1. 2. Cur Chriſtus in Euchariſtia puer. 259. 2. Cum ſolis pueris Chriſtus concordat. 260. 1. Puer vndè dictus. 262. 1. Cur pueri ad Euchariſt. vocantur. 372. 2. Cur clamant in vtero matris. 401. 2.

*Pulchritudo. Pulcher.*

Eccleſiæ Deum ligat in altari. 22. 2. Pingues minimè pulchri. 115. 2. Rerum omnium pulcherrimũ locus decet pulcherrimus. 170. 1. per totũ. Mundi pulchritudo. Ibid. 2. Cæli empyrei quanta. Ibid. Omne pulchrũ à Deo. 171. 1. Qualis Dei pulchritudo. Ibid. 2. Deus pulchra quærit in hominibus. 174. 1. Qualis Chriſti pulchritudo. 178. 2. Angelorum pulchritudo qualis. 191. 2. Animæ pulchritudinem ſeruat Euchariſtia. 267. 1. Eccleſiæ pulchritudo ex Euchariſtia. 268. 2. Dei pulchra decẽt oculos. 331. 2.

Cur Deus pulcher. 379. 2. Corporũ pulchritudo in reſurrectione ex Euchariſtia. Ibid. Per confeſſionem anima pulchreſcit. 463. 2. Fons pulchritudinis noſtræ Euchariſtia. 561. 1. per totum. Chriſtus ſpeculũ ex quo deformes pulchræ, pulchræ pulchriores. 502. 2. Pulchritudo noſtra ex Deo. 563. 2. Item ex ſanguine Chriſti. 565. 2. Corporũ Beatorũ ex Euchariſtia. 566. 2. 567. 1. Pulchritudo animæ quanta. 605. 2. ſequit. Item cæli empyrei. Ibid. 2.

*Purgatorium.*

Prædulciſſimus animarum ros æſtuãtium in Purgatorio Euchariſtia. 474. 1. per totum.

# Q

*Quadrageſima.*

Cur inſtituta. 436. 2. Quædam ad communionem præparatio. Ibid.

# R

*Raphael.*

Solis ſphæram regit. 584. 2.

*Religioſus.*

Religioſorum ſalſamentum Chriſti ſanguis. 385. 1.

*Reliquiæ.*

D. Ludouici quò aſportatæ. 305. 1.

*Reuerentia.*

Cur Plutonis filia. 155. 1. Quomodo differt ab honore. 156. 1. Sacerdoti exhibenda. 329. 2.

*Rex.*

Regis locus. 303. 2. Solis regibus patet Euchariſtia. 493. 2. per totum. Propoſitionis menſa Regũ imaginibus circumdata. 494. 1. 2. Regum menſæ opulentia. 496. 1. Rex vnde dicitur. 498. 1. Solus iuſtus Rex. Ibid. Cur Regis nuptiæ Euchariſtia. 514. 1. Regibus eminet ob Euchariſtiam Chriſtianus. 150. 1. Cur Chriſtus in Euchariſtia Rex. 601. 2.

*Roma.*

In toto orbe pulchrior. 171. 2.

*Ros.*

Spiritus Sancti typus. 556. 2. Roſæſtuantium in Purgatorio Euchariſtia. 474. 1. per totum.

*Roſa.*

Chriſti ſanguinis typus. 264. 2. Chriſti ſanguine aſperſa rubet. 384. 2. Ignium flammę roſæ videbantur Tiburtio. Ibid. Chriſtum innuit miraculis clarum. 70. 2.

*Roſmarinus.*

Chriſti typus. 264. 2. Vbi naſcitur. Ibid. Iuuentutem renouat. Ibid.

*Rubens.*

Solos nobiles decet. 581. 2.

*Rubus.*

Deum non ferens, ardebat. 412. 2.

# S

*Saccharum.*

Euchariſtiæ typus. 212. 1. Saccharum ſapere videbatur Elzeario Euchariſtia. 212. 1.

*Sacerdotes.*

Chriſti manus habent. 42. 2. Plenæ hyacinthis, nimirum Angelis. Ibid. 228. 2. Cur cum non conſecrent, cõmunicãt, in Paraſceue. 125. 1. Ob Euchariſtiam honorandi. 152. 1. per totum. Eccleſiæ collum. 153. 2. Supra alios exaltati. Ibid. Seraphin. 154. 2. Cur Deus obuelatos oſtendit. 155. 1. Cur aquam vino miſcẽt. 197. 1. 338. 1. Cur quod eleuant, non deponunt. 200. 1. Mel habent, & lac ſub lingua. 211. 1. 568. 1. Puritas debita. 222. 2. Inter Angelos ſunt in altari. 233. 1. Montes. 269. 1. Cur oleo inuncti. 295. 2. Cur poſt communionem manus abluunt. 296. 2.

Vt Chriſtus ad altare aſcendant. 297. 2. In cælo ſunt, antequam in altari. 314. 2. Quid magni Sacerdotis infula. 316. 1. Cur albis induti. 320. 1. Angeli. Ibid. Quanta reuerẽtia digni. 329. 2. Cur ſuper oblata manus imponant. 356. 1. Cur proni Euchariſtiam adorãt. 376. 1. Cur Euchariſtiam eleuant. 394. 1. Cur poſt conſecutionem digitos comprimant. 410. 2. Quid cenſentur dicere, dum Euchariſtiam eleuant. 421. 2. Vt di-

dignè celebret, nec puluerem contrahat.434.2.Cur aquam benedicit. 436. 1. Aethyopes vinum paſſum conſecrāt. 469. 2. Cur tanta opulentia induti. 500. 1. Cur albis. 527. 2. Angelorum imitatores. 527. 2. Manus tornatiles. 531.2.

*Sal.*

Gratiæ typus. 485. 1. Cur hoſtia ſine ſale. 514. 1.2.

*Salix.*

Dictus à ſaliendo, quia ſalit. 253. Cur Euchariſtia in ſalice. Ibid.

*Sanctus. Sanctitas.*

Præ Chriſti eſurie languent, inſaniunt, pereunt. 62.1. Sat non eſt ſemel, aut bis communicare. 65.2. Sanctitatis pabulum Euchariſtia.93.2.Soli ad communionem vocati. 134.2. Quid intereſt inter ſanctum, & immaculatum. 135.1. Soli cor habent. 140.2. Communicantes ſideſe nitidiores. 145. 2. Vnum ſunt omnes. 160. 1.163. 2. Eccleſiæ oculi. 183. 2. Circumdantur ab hoſtibus. 206. 1. Cur hilares in laboribus. 208.2. Niſi Euchariſtia ebrij tot mala non pertuliſſent. 209. 1. Animæ Paradiſus.221. 1.

Sanctum, idem ac ſine terra. 287. 1. 315. 1. Delitiarum hortus. 304.2. In eos Chriſtus lętabūdus ingreditur. 305. 2. Per praſinum deſcripti. 312.1. Securi de præmio non ſunt. Ibid. Cælum habent in corde. 314. 1. Paradiſum abſcondunt. 315. 2. Dum laborant in cælo ſunt. 318. 1. Sepulchrum Chriſti glorioſum. Ibid. 2. Sanctorum eſca Euchariſtia. 315. 1. Sanctum idem ac ſanguine tinctum. 323. 1. Chriſti zona. 328.1. Domus cypreſſina. 408. 2. Mors honorata. 455.2. Dulceſcit eis Euchar. 481. 1. per totum. Soli Reges. 498. 1. 2. Cur coram Deo læti. 573. 1. Sanctis cuncta ampla, & lata. 578. 1.

*Sanguis Chriſti.*

Probat quāti Deus hominem faciat. 13. 2. Cur flumini comparatus. 14. 1. Vt eo nos ditaret, nec paruulo pepercit corpuſculo. 17. 1. 2. Quot guttas, tot habet carbunculos. 55. 1. Cur in cratera effuſus. 136. 1. Sanguinem in vulneribus Chriſti ſugimus, dum communicamus.148.1. 173. 2. Humani ſanguinis dulcedo. 280. 1. Sanguinem Chriſti bibentibus amareſcunt mundi deliciæ. 186. 1. Per concomitantiam corpus habet. 243. 2. ſequit. Nectar. 245. 1. Cur aqua, quæ frangitur. 247. 1. Quid inter cruorem, & ſanguinem intereſt. Ibid. Cur clamat ſtupor. 248. 2. Senectutem depellit. 269. 1. Cur aqua vitæ. 286. 2. Volare facit in cælum. Ibid. Cur Roſa. 315. 1. Cur in luna. Ibid. A ſanguine tincto, ſanctus. 323. 1.

Sine nobis eſſe non poteſt. 338. 2. Cur vinum myrrhatum. 351. 1. Ex ſanguine vites exortas. 375. 2. Chriſti, pauperum ſalſamentum. 385. 1. Sanguinis Chriſti participes, Chriſtum induunt. 451. 1. Vinum paſſum. 470. 1. Clauis paradiſi. 479. 2. Inferorum portas effringit. Ibid. Ex vena amoris ebullit. 578. 2. per totum. Eo aſperſa diem feſtum agit terra. 534. 1. Bibentibus, & non

non bibentibus prodeſt. 538. 2. Cur exiuit cum aqua. 565. 2. Colorat animas. Ibid. Vnde tantæ ſuauitatis. 579. 1. 2. Cur pluuia ſanguinea. 580. 1. 581. 2. Cur vinum nouum. Ibid. 2. Cur lac. 581. 2. Ex corde Chriſti emanauit. Ibid. 1. Pictor. 594. 1. Infiniti valoris. 603. 2. Vna gutta plus valet, quam totus mundus. 604. 1. Cur noui teſtamenti. 6. 2. Sanus a ſanguine. 19. 2.

*Sapphirus.*

Cur Deus in ſapphiro. 322. 1. Caſtitatem diligit. Ibid.

*Sapientia. Sapiens.*

Excepta mortalitate Deo ſimilis. 108. 1. Sapientiæ ſatur ſapientiſſimus. 370. 2 per totum. Sapientiſſimus qui Deum habet. 373. 1. Cur Salomon ſapientiſſimus. Ibid.

*Saturnus.*

Cur frigidus. 241. 1. Ara cur luminibus culta. 374. 1.

*Scabellum.*

Vndè dicitur. 284. 1. Euchariſtiæ typus. Ibid. 395. 1.

*Scutum.*

Cur inſtar ſcuti Euchariſtia. 120. 2. 348. 2. Deorum imaginibus exornabatur. 120. 2. Spartanis capitale ſcutum amittere. 121. 1. Mertyli ſcutum. 348. 2. Angelorum præſidia. 454. 2.

*Senex. Senectus.*

Senum, non puerorum eſt Euchariſtia. 137. 1. Euchariſtico pharmaco iuueneſcunt. 262. 2. per totum. Ficus ſenectutem renouat. 263. 2.

*Sepulchrum.*

Chriſti, luminis plenum. 381. 1. Cur munitum. 600. 1. Theſaurum. Ibid. Dignè communicans ſepulchrum Chriſti. 543. 1. Cur zelus ſepulchrum. 338. 1.

*Seraphim.*

Cur vt videant, faciem obuelant. 34. 1. 377. 1. Fidelium typus. Ibid. Igniti, ſiue ardentes. 59. 1. Seraphinorum eſca Euchariſtia. Ibid. Obſequia cur Deo gratiora. 240. 1. Cur velantur coram Euchariſtia. 398. 2. 399. 1. Cur corpus Chriſti non tangunt. 438. 2.

*Silex.*

Cur Corpus Chriſti. 583. 2.

*Simeon.*

Senectus renouata. 263. 1.

*Sinapis.*

Chriſtum præſefert in Euchariſtia. 239. 2.

*Smaragdus.*

Oculos recreat.194.2.Chriſtus in Euchariſtia. 450. 1. Fulgurare videtur. Ibid. Vas Cænæ Domini ſmaragdinus. 497.2.

*Sodomiæ.Sodomita.*

Ob ſcelus abominabile Deus ferè defijt incarnari. 326. 1. Cur eos Chriſtus redarguiſſe nõ legitur.Ibid.2.Lux effulgens in natiuitate Chriſti omnes interemit. Ibid.

*Sol.*

Solis equi.70. Chriſtum præſignat.Ibid. Quaſi ſurſum leuans.92.2.286.1. Homo habet ſolem,& lunam.200.2. Vt ſol eniteas, vt dignè Chriſtum accipias. 138.2.409. 2.Cur Euchariſtia in ſole. 179.1.313.1.438.1.277.1.584.1.Cordis typus.Ibid.Solis ſuperabat radios Adami ſpecies. 198. 2.Sol eſt Euchariſtia. 241.1. Procul à ſole frigeſcimus 241.1. Numquam veteraſcit. Ibid. Phæbus, quia purus.261.2.Cur repręſentatur ab Euchariſtia.287. 1.Sancti hominis typus. 313. 1.2.Cur ſpicarum corona circumdatus.339.1. Charitatis hieroglyphicum.Ibid. Eccleſia ob Euchariſtiam amicta ſole.378.2.

Extingueretur ſi Deus nuda apparuiſſet diuinitate. 396. 1. Cur facies Chriſti ſicut ſol reſplenduit. 397. 2.Solis pictura.438. 1. Cor cæli.527.1.Chriſti oculus,non vt ſol denigrat;ſed decorat. 561. 2.562. 1. Corpus glorioſum ſepties ſole clarius.566.2.Regitur a Raphaele Archangelo.584.2.

*Solium.*

Altare cur ſolium,& non cathedra. 159.1. Cur Chriſtus quærat ſolia.252.2.

*Spes.*

Nullum non ſperet bonum Euchariſtiæ particeps.389. 1. Tota ſpes noſtra in Euchariſtia.392.2. Beatitudinis ſpes certa Euchar. 393. 1. Spei ſymbolum lilium.394.2.

*Spiritus Sanctus.*

Copula vnionis noſtræ cum Chriſto. 555.1.Quos non pręparat,filius Dei non inhabitat.Ibid. 2. per totum. Homines aureos facit.556.1.2. Ros. Ibid. Dura emollit.557.1.2.Vetera renouat.560.1. Ex hominibus Angelos facit. Ibib. 2. 197.2. Cur poſt aduentũ Spiritu Sancti Euchariſtia frequentata. Ibid.

*Stella.*

Animæ typus.272. 2.

# T

Cur Canon Miſſæ incipit à littera T.432.1.

*Tapetum.*

Neronis precioſiſſimum. 54.1.

*Taurus.*

Manſuefit per ficum. 85. 2.

*Templum.*

Anima templum eſt, Euchariſtia digna.139. 1. Templũ Salomonis mirum. 255.2.Sublimia templi quærit Chriſtus. 236.1.Deliciarũ domus. 313. 2. Cur cameratum. 314.1.528.2.Cur nihil erat in templo,quod auro non tegeretur.327.1. 2.Cur candelabrum in templo.448. 1. Vox in templo Salomonis audita.455.1. Cur delubrũ.466. 2. Cælũ repræſentat. 313.2.528.2.529.2.Templum quaſi tectum amplum.577.2.

*Terra.*

Sine terra ſit, dignus Euchariſtia. 139. 1. Cur ſibi Deus terram non elegit. 396. 1. 2. Suſtinere non potuit nuda Dei veſtigia. 423. 1. Gaudet Chriſti cruore aſperſa. 534. 1.

*Theſaurus.*

Magnus Chriſti corpus. 600. 1. 2.

*D. Thomas Aquinas.*

Tria de Corpore Chriſti cōpoſuit officia. 132. 1. Nullam præter Deũ concupiuit mercedem. Ibid. Niſi à Deo adimpleri non potuit. Ibid. Iurè Thomas, id eſt abyſſus. Ibid.

*Throni. Thronus.*

Cur Deus ſedet in thronis. 575. 1. Angeli compacti. Ibid. Salomonis cur ex ebore. 169. 2.

*Thus.*

Super ſimilā impoſitus, quid innuat. 19. 1. Cur thurificatur altare. 329. 1. 428. 1. Crucifixum ſignificat. Ibid.

*D. Tiburtius.*

Cur ignem roſas cenſuit. 384. 2.

*Timor.*

Euchariſtia paſcendus, timeat. 306. 1. Camaleon animal timidũ. Ibid. 2. Deus timendus. 309. 2. Aurũ timentis typus. 311. 2. Nullum timeat malũ Euch. particeps. 389. 1.

*Titulus.*

Quid denotet in Pſalmis. 3. 1.

*Topazius.*

Mira de topatio. 16. 2. Chriſtus in inferis topatius. 480. 2. Deferueſcere facit aquam. Ibid.

*Torrens.*

Chriſti corporis typus. 583. 1. 2.

*Tribulationes.*

Euchariſtia laborantis animæ iucundum hoſpitium. 204. 1. per totum. Nullum præter Chriſtum perfugium habemus in malis. 205. 1. 2. Ob labores nos mundus compellit ad Chriſtum. 204. 2. Ne laboremus nobiſcum Deus. 107. 1. Laborum noſtrorũ finis Chriſtus. 208. 1. Cur ſanctis tāta in laboribus alacritas. Ibid. 2. Ex laboribus requies. 213. 1. Nouos efficiunt homines. 279. 2. Chriſtum merentur. 280. 1. Ad ſolamen noſtrorũ laborum parata Euch. 487. 1. per totũ. Aequius feruntur ob Euchariſtiā. 488. 2. Item ob Dei præſentiam. 489. 1. 2.

Ex tribulatione gaudium. 491. 1. Cur in tribulatione perſiſtimus. 492. 1. 2. Tribulationes ob indignam communionem. 553. 2. 554. 1. Euchariſtia dulcitudine dulceſcunt. 387. 2. In tribulatis Ieſus. 317. 2. Dum iuſtus laborat, in cælo eſt. 318. 1.

*Triticum.*

Cur Chriſtus triticum. 359. 2. Paleas cum tritico apponit Euchariſtia. 95. 2. Quia teritur triticũ. 471. 2. 217. 1. Cur Euchariſtia triticum. Ibid.

*Triumphus.*

Amoris triumphus Euchariſtia. 20. 2. per totum. Triumphale prandium. 27. 1. Conuiuium quam lautum. Ibid. 2.

# V

*Vas.*

Cur in vaſe ligneo celebrabant Apoſtoli. 348. 1. Vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre, periculoſum. 403. 2.

*Vbera.*

Cur Chriſto vbera. 216. 1. Item cur duo. 7. 1. 2. Sponſæ cur turres. 406. 2.

Ve-

*Velum. Velare.*

Noſtræ conſulit infirmitati Chriſtus obuelatus in Euchariſtia. 395. 2. per totum. Vexillum quaſi velillum. 29. 2.

*Ventilabrum.*

Quid ventilabrum in ſacris. 447. 1. Iudicij typus. Ibid.

*Veſtes.*

Chriſto, dum communicamus, veſtimur. 148. 2. 451. 1. Digniores ferri non poſſunt à priuatis. 230. 1. Nuptialis veſtis, charitas. 495. 1.

*Vexillum.*

Amoris in Euchariſtia. 23. 2. Vnde deriuatur. 29. 2.

*Viaticum.* Vide. *Mors.*

*Vinum.*

Proprius hominis potus. 88. 2. Homines excordicat. 182. 2. Amentes reddit. Ibid. Obliuionẽ inducit. 185. 2. Chriſtũ ſignificat. 197. 1. Cur offeratur pro Euchariſtia facienda. 231. 2. Euchariſticũ potus eſt, & cibus. 243. 1. Aduerſus ſenectutẽ remediũ. 269. 1. Cur Euch. ſub ſenſibilibus vini. 287. 2. Corpus extollit. Ibid. Cur Chriſtus aquã cõuertit in vinũ. 333. 1. 2. Cur ſacerdos, aquã vino nõ immiſcens, peccat. 338. 1. 2. Sanguis Chriſti vinũ myrrhatũ. 351. 1. In ſãguinẽ cõuerſũ. 353. 1. Gigãtũ ſãguis. 375. Vnde inebriat. Ibid. Vinũ paſſũ Sanguis Chriſti. 470. 1. Pulchritudinem adimit. 363. 1. Cyprium generoſiſſimum. 182. 2.

*Viola.*

Chriſtum latentem innuit. 70. 2.

*Virgilius.*

Quid egerit in macello neapolitano. 368. 2.

*Virginitas. Virgo.*

Cur è ſacris nuptijs Virgines expulſæ. 134. 2. Angelorum vita. 203. Virgines generat Euchariſtia. Ibid. Flos ſimul, & fructus. 321. 1. Chriſti ſedes. Ibid. Cæli, non terræ, ciuis. Ibid. 2.

*Vita.*

Morte amictam habet Euchariſtia. 354. 1. Tota vita noſtra Chriſtus. 355. 1. Vitam carnis prorogat Euchariſtia. 358. 2. per totum.

*Vitis.*

Vndè orta. 275. 2. Vnde dicitur. 535. 1. Lætitiam ſpirat. Ibid.

*Vitrum.*

Fidei ſymbolum. 32. 2. Euchariſtia cur in vitro locanda. 523. 1.

*Vmbra.*

Euchariſtia cur vmbra. 595. 1. 366. 2. Quid lectus vmbroſus. 396. 2.

*Vultures.*

Fœditas in nidificando. 329. 1.

# Z

*Zalmon.*

Mendaciũ pro morte euitãda. 356. 2.

*Zelotypus. Zelus.*

Quomodo ſciet amari ab vxore. 364. Noſtrarum animarum zelus Deum trahit, & detinet in altari. 333. 1. per totũ. Deum fecit comeſtibilem. Ibid. Ob Dei zelotypiam fideles erant in Cruce cum Chriſto. 335. 2. Zelotypi cuiuſdam inſania Ibid. Chriſti pedes zelus adſtrinxit. 336. 1. Zelotypia auribus, oculiſq; plena. 336. 1. 2. Zelotypus peregrinis vtitur veſtibus. 337. 1. Chriſtus a zelotypia velatus. Ibid. Zelus Chriſtum adduxit ad inferos. Ibid. 2. Sepulchrum. 338. 1.

*Zeuſis.*

Cor opera ſua daret. 605. 1.

*Indicis Rerum Memorabilium Finis.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA